FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMAE AQUINATIS DOC. ANG.

Tomus decimus.

FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI,

QUA OMNIA ARGUMENTA, ET RATIONES, QUÆ IN SINGULIS ARTICULIS TRACTANTUR, NON MODICA CLARITATE FORMATUR, ET EXPLICANTUR, ARGUMENTORUM-QUE RESPONSIONES EXPLICATÆ AD IPSORUM PARTES APTE ACCOMMODANTUR

CUI ETIAM ACCEDUNT ELUCIDATIONES, SEU APPENDICES P. SERAPHINI CAPPONI Á PORRECTA ORDINIS PRÆDICATORUM

AUCTORE

Fr. Hieronimo de Médicis à Camerino,

SACR. THELOG. MAG. ORD. PRAED.

ET MANTUÆ CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM GERAL. INQ.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
M469
Alma, California

TOMUS DECIMUS

Continens tertiae partis secundum volumen.

VICIÆ

APUD SOLER FRATRES, TYPOG. EDIT.

1862.

26420

Veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium.

Proverb. VIII. 7.

Tractatus

DE SACRAMENTIS.

QUÆSTIO SEXAGESIMA.

DE SACRAMENTIS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent: et prima consideratio erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in speciali.

Circa primum quinque consideranda sunt.

Primo, quid sit sacramentum.
Secundo, de necessitate sacramentorum.
Tertio, de effectibus sacramentorum.
Quarto, de causa eorum.
Quinto, de numero.

Circa primum quæruntur octo.

Primo, utrum sacramentum sit in genere signi.
Secundo, utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum.
Tertio, utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, vel plurium.
Quarto, utrum sacramentum sit signum, quod est res sensibilis.
Quinto, utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.
Sexto, utrum ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.
Septimo, utrum requirantur determinata verba.
Octavo, utrum illis verbis possit aliquid addi, vel subtrahi.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum sit in genere signi.

Pro negativa.=Videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

1. Illud, quod dicitur á sacrando, magis est in genere causæ, quam in genere signi. Sed sacramentum dicitur á sacrando, sicut medicamentum á medicando. Ergo sacramentum magis est in genere causæ, quam signi.

Maior prob., quia sacrare magis ad rationem causæ, quam signi pertinere videtur.

2. Illud, quod est occultum non est in genere signi. Sed sacramentum significat aliquid occultum. Ergo sacramentum non est in genere signi.

Maior prob., quia illud, quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Signum enim est, quod "præter "speciem, quam ingerit sensibus, facit "aliquid aliud in cognitionem venire," ut patet per Aug. in 2. de doct. christiana, cap. 1.

Minor prob., quia Tob. 12. dicitur. *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Et ad Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi á seculis in Deo.*

3. Juramentum non pertinet ad rationem signi. Sed sacramentum quandoque juramentum significat. Ergo sacramentum non est in genere signi.

Minor prob., quia dicitur in decret. 22. quæst. 5. cap. Parvuli: "parvuli, "qui sine ætate rationabili sunt, non co- "gantur jurare, et qui semel perjuratus "fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad "sacramentum» idest juramentum «ac- "cedat."

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit lib. 10. de Civ. Dei cap. 15, "Sacrificium visibile, invisibilis sa- "crificii sacramentum, idest sacrum sig- "num est."

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum ponitur in genere signi.

Prob. Illud quod importat habitudinem signi ad aliquid, est in genere signi. Sed sacramentum, prout nunc de sacramento loquimur, importat habitudinem signi ad aliquid. Ergo sacramentum secundum quod nunc de sacramento loquimur, est in genere signi. Maior manifestatur præmittendo quod omnia quæ habent ordinem ad unum aliquid (licet diversimode) ab illo denominari possunt. Sicut á sanitate quæ est in animali, denominatur sanum non solum animal quod est sanitatis subjectum; sed dicitur medicina sana, in quantum est sanitatis effectiva; dieta vero dicitur sana, in quantum est conservativa sanitatis; et urina dicitur sana, in quantum est signum sanitatis. Unde medicina est in genere causæ respectu sanitatis, et urina est in genere signi in ordine ad eamdem sanitatem. Illud igitur quod comparatur ad aliquid, et habet ad illud, cui comparatur, habitudinem signi, est in genere signi.

Minor manifestatur: quia importat habitudinem signi ad sanctitatem. Sacramentum enim dicitur aliquid, vel quia habet in se aliquam sanctitatem occultam, et secundum hoc sacramentum idem est quod sacrum secretum; vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi; vel secundum quamcumque aliam habitudinem: specialiter autem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi. Et propterea sacramentum, ut nunc de sacramento est sermo est in genere signi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Non enim sacramentum dicitur á sacrando, sicut medicamentum á medicando. Medicina enim se habet sicut causa effectiva sanitatis, et inde est quod omnia denominata á medicina, dicuntur per ordinem ad unum primum agens. Et propter hoc medicamentum quod est medicinæ denominativum, importat causalitatem quamdam in ordine ad sanitatem. Sanctitas autem á qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, sed magis per modum causæ formalis, vel finalis, et ideo non oportet quod sacramentum semper importet causalitatem; sed potest habere habitudinem signi ad sanctitatem.

Ad 2. Dicitur quod illa ratio procedit, secundum quod sacramentum idem est quod sacrum secretum: probat enim quod sacramentum, ut est sacrum secretum, non sit in genere signi, quod verum est. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam regis esse sacrum et sacramentum: quia secundum antiquos sancta, vel sacrosanta dicebantur quæcumque violari non licebat, sicut etiam muri civitatis, et personæ in dignitatibus constitutæ. Et ideo illa secreta sive divina, sive humana, quæ non licet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra, vel sacramenta. Ad formam igitur argumenti negatur minor. Sacramentum enim, prout hic sumitur, significat id quod habet habitudinem signi ad sanctitatem.

Ad 3. Dicitur ad minorem: quod juramentum dicitur sacramentum, sed non eo modo, quo hic accipitur sacramentum: non tamen æquivoce. Juramentum enim habet quamdam habitudinem ad

res sacras, in quantum scilicet est quædam contestatio facta per aliquod sacrum; et hac ratione juramentum dicitur sacramentum non in habitudine signi; sed prout dicitur sacramentum secundum quod de eo nunc est sermo. Dicitur autem juramentum sacramentum secundum quamdam analogiam ad sacramentum: quod nunc intendimus, quia et juramentum habet habitudinem ad rem sacram, sed diversam á sacramento, de quo est præsens sermo.

ARTICULUS II.

Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Pro negativa.=Videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.

1. Non omnes creaturæ sensibiles possunt dici sacramenta. Sed omnes creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum. Ergo non omne signum rei sacræ est sacramentum.

Minor prob., quia omnes creaturæ sunt signa invisibilium operum Dei, secundum illud Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ, facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

2. Non omnia gesta Patrum veteris testamenti, vel etiam omnes ceremoniæ legis sunt sacramenta, sed quædam spespecialiter, ut in 1. 2. q. 101. art. 4. dictum est. Sed omnia, quæ in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est sanctus sanctorum, secundum illud 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis*; et ad Coloss. 2. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Ergo non omnia signa rei sacræ sunt sacramenta.

3. In novo testamento multa geruntur in signum alicujus rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta; sicut aspersio aquæ benedictæ et consecratio altaris et similia, quæ non sunt sacramenta. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Diffinitio convertitur cum diffinito. Sed quidam diffiniunt sacramentum, per hoc, quod est sacræ rei signum; et hoc etiam videtur ex auctoritate August. inducta in art. præced. in arg. pro affirmativa. Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Determinatio.

Conclusio. Omne signum rei sacræ sanctificantis homines est sacramentum.

Manifestatur. Nam signa proprie dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis, ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam et bonitatem divinam, in quantum hæc sunt in seipsis sacra: non autem in quantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc de sacramentis loquimur.

Ad 2. Dicitur etiam ad minorem, quod quædam ad vetus testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. Quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus; et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta, non autem alia.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris et similia, non sunt signa rei sacræ, sed significant quamdam dispositionem ad sanctitatem. Et quia res denominatur á fine et complemento, et dispositio non est finis, neque perfectio, ideo hujusmodi significantia has dispositiones, non

proprie possunt dici sacramenta; sed solum illa dicuntur sacramenta, secundum quod de sacramentis nunc est sermo, quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum.

Pro negativa.—Videtur, quod sacramentum non sit signum unius rei tantum.

1. Illud, quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio, sicut patet de nominibus æquivocis. Sed sacramentum non est signum ambiguum, et fallendi accasio. Ergo sacramentum non est signum plurium rerum.

Minor probatur. Quia omnis fallacia debet removeri á christiana religione, secundum illud ad Coloss. 2. «Videte ne "quis vos seducat per philosophiam, et «inanem fallaciam.»

2. Illud, quod significat rem sacram, quæ est sanctificationis humanæ causa, non est signum, nisi unius rei. Sed sacramentum significat rem sacram, secundum quod est humanæ sanctificationis causa, ut dictum est art. præced. Ergo sacramentum est signum unius rei tantum.

Maior prob., quia una sola res est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Heb. ult. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

3. Illud, quod significat finem sanctificationis humanæ, significat unam rem tantum. Sed sacramentum proprie significat ipsum finem humanæ sanctificationis, ut dictum est art. præced. ad 3. Ergo sacramentum significat unam rem tantum.

Maior prob., quia finis humanæ sanctificationis est vita æterna, secundum illud ad Rom. 6. «Habetis fructum ves-"trum in sanctificationem, finem vero "vitam æternam.»

ARTIC. III.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

In sacramento altaris est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum et mysticum, ut Aug. dicit in lib. sentent. Prosperi. et refertur de consecr. d. 2. cap. Hoc est quod dicimus. Ergo sacramentum non est signum unius rei tantum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum non est signum unius rei tantum.

Prob. Illud quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, non est signum unius rei tantum. Sed sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, ut art. præced. dictum est. Ergo sacramentum non est signum unius rei tantum.

Maior manifestatur. In sanctificatione enim nostra tria possunt considerari, scilicet causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi: forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus: et ultimus finis nostræ sanctificationis, qui est vita æterna. Illud igitur quod est signum nostræ sanctificationis, non est signum unius rei tantum, sed trium, scilicet passsionis Christi, quæ est causa; gratiæ, quæ est forma; et gloriæ, quæ est finis sanctificationis nostræ.

2.ª Conclusio. Coroll. Sacramentum est signum rememorativum, demonstrativum et prænuntiativum.

Manifestatur. Est signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi; demonstrativum ejus quod in nobis efficitur, scilicet gratiæ, et prænuntiativum futuræ gloriæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: non enim omne signum plura significans est fallendi occasio, sed illud solum, quod significat plura non ordinata ad unum. Sed illud quod significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum,

non est signum ambiguum, sed certum: sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura, et propterea non est signum ambiguum, sed certum. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quod quodam ordine sunt unum, prout scilicet ad futuram gloriam ordinantur.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ex hoc quod aliquid significat rem sanctificantem, oportet quod significet etiam effectum sanctificationis, qui est gratia; et terminum, qui est vita æterna. Ex hoc igitur quod sacramentum significat causam nostræ santificationis, non unam tantum rem, sed simul plures significat.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod sacramentum, non solum significat finem nostræ sanctificationis, sed etiam causam et formam, ut dictum est in corpore.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Pro negativa.— Videtur, quod sacramentum non sit semper aliqua res sensibilis.

1. Illud, ad cujus rationem sufficit quod sit signum alicujus rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur, non requiritur quod sit semper aliqua res sensibilis. Sed ad rationem sacramenti sufficit quod sit signum alicujus rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur, ut art. 2. dictum est. Ergo non oportet quod sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Maior prob., quia non omne signum est sensibile. Et hoc probatur, quia cum *omnes effectus sint signa suarum causarum*, ut Phil. dicit in lib. priorum. Sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita quidam sunt effectus intelligibiles, quo modo scientia est effectus demonstrationis. Unde id, ad cujus rationem sufficit quod sit signum, non requiritur quod semper sit signum sensibile, sed poterit esse etiam signum intelligibile.

2. Res sensibiles sunt minima bona sine quibus homo recte vivere potest, ut August. dicit lib. 2. de lib. arb. c. 19. Sed sine sacramentis homo recte vivere non potest, cum sacramenta sint de necessitate salutis, ut quæst. sequenti dicetur. Ergo ad sacramenta non requiruntur res sensibiles.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit super Jo. tract. 80. *Accedit verbum ad elementum: et fit sacramentum*: et loquitur ibi de elemento sensibili quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Determinatio.

Conclusio. Ad sacramenta requiruntur res sensibiles.

Prob. primo. Ad ea, per quæ homo manuducitur in cognitionem spiritualium et intelligibilium bonorum, requiruntur res sensibiles. Sed sacramenta sunt, per quæ homo deducitur in cognitionem spiritualium et intelligibilium bonorum. Ergo ad sacramentum requiruntur res sensibiles.

Maior prob. Est homini connaturale, ut per sensibilia deveniat in cognitionem intelligibilium. Ergo ad ea, per quæ homo manuducitur in cognitionem spiritualium et intelligibilium bonorum, requiruntur res sensibiles. Et prob. consequentia hæc quia sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum. Et propter hoc dicitur Sap. 8. Quod *suaviter disponit omnia*, et Matth. 25. dicitur quod *dedit unicuique secundum propriam virtutem*. Et confirmatur hæc maior, quia in scriptura describuntur nobis spiritualia per similitudinem sensibilium rerum.

Minor includit duas partes. Una est quod sacramenta sint ductiva in cognitionem alterius. Altera est quod illa, in quorum cognitionem sacramenta hominem ducunt, sint bona spiritualia et

intelligibilia. Probatur igitur primo, quoad primam, sic. Signum est, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Sacramenta sunt signa, ut dictum est art. 1. Ergo per sacramenta devenitur in cognitionem alterius. Quo vero ad aliam partem probatur eadem minor: quia sacramenta signa sunt rerum sacrarum, per quas homo sanctificatur, quæ profecto sunt spiritualia et intelligibilia bona, et ideo per aliquas res sensibiles significatio sacramenti debet impleri. Et confirmatur conclusio. Quia Dion. eam in 1. c. cœl. Hierarc. demonstrat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. negatur assumptum. Ad cujus prob. dicitur, quod unumquodque præcipue denominatur et diffinitur secundum id quod convenit ei primo et per se: non autem secundum id quod convenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis per se habet quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo et per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio á sensu oritur. Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati; idest per aliqua sensibilia; et inde est quod primo et principaliter dicuntur signa illa quæ sensibus offeruntur, sicut Augustin. dicit in 2. lib. de doctr. christiana. Quod «signum est quod præter speciem, quam «ingerit sensibus, facit aliquid aliud in «cognitionem venire.» Effectus ergo intelligibiles non habent rationem signi nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa, et per hunc etiam modum quædam, quæ non sunt sensibilia dicuntur quodammodo sacramenta; in quantum sunt significata per aliqua sensibilia de quibus infra agetur quæst. 63. art. 1. ad 2.

Ad 2. Dicitur ad maiorem et ad ejus prob. quod res sensibiles possunt considerari dupliciter, uno modo præcise, secundum eorum naturam, et sic non pertinent ad cultum, vel ad regnum Dei; et sic interpretandæ sunt inductæ auctoritates, scilicet quod esca et potus non sunt regnum Dei, si secundum eorum naturam considerantur. Alio modo secundum quod sunt signa spiritualium rerum in quibus regnum Dei consistit; et sic res sensibiles ad cultum Dei pertinere possunt, et res sensibiles pertinent ad sacramenta.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quæ est Aug. sententia quod Aug. ibi loquebatur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura; non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quæ sunt maxima bona.

ARTICULUS V.

Utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta.

Pro negativa. = Videtur, quod non requirantur determinatæ res ad sacramenta.

1. Nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari. Sicut in sacra scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per leonem, quandoque per solem, et quandoque per lapidem, aut per aliquid aliud hujusmodi. Ergo videtur quod diversæ res possint congruere eidem sacramento ac per hoc quod non requirantur determinatæ res in sacramentis.

Conseq. probat., quia res sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, ut art. 3. dictum est.

2. In medicinis corporalibus, quæ ad salutem corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in ejus defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quæ sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ ordinatæ, poterit una res assumi pro alia, quando illa defuerit.

Conseq. prob., quia magis est necessaria salus animæ, quam corporis.

3. In statu naturæ non requirebantur in sacramentis aliquæ res determinatæ,

sed ex voto assumebantur, ut patet Gen. 28. Ubi Jacob vovit se Deo decimas et Hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur quod non debuerit arctari homo, et præcipue in nova lege, ad alicujus rei determinatæ usum in sacramentis.

Conseq. probat., quia non est conveniens ut hominis salus arctetur per legem divinam, et præcipue per legem Christi, qui venit omnes salvare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Determinatio.

Conclusio. In sacramentis novæ legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Prob. In sacramentis, quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione, determinatis. Sed sacramentis novæ legis homines sanctificantur, secundum illud 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Ergo in sacramentis novæ legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Maior manifestatur. In usu enim sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis, quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius; sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Sacramenta igitur, quibus homo sanctificatur qualia sunt sacramenta novæ legis, debent habere res sensibiles ex divina institutione determinatas.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod idem potest per diversa signa significari; determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, ad sanctificantem pertinet. Et quia Deus est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in scripturis: ideo sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis res spirituales significentur: ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel illo sacramento.

Ad 2. Neg. conseq. non enim est eadem ratio de sacramentis quæ sunt spirituales medicinæ; et de medicinis corporalibus. Res enim sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem: et ideo non refert, si duæ earum eamdem virtutem habeant, qua quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur res sensibiles ex aliqua virtute sibi naturaliter indita; sed solum ex institutione divina; et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum. Probatio autem nihil infert contra hanc veritatem.

Ad 3. Negatur consequentia. Ut enim dicit Aug. lib. 19. contra Faust. cap. 16. Sicut diversa sacramenta diversis temporibus congruunt: sic etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet præsens, præteritum, et futurum: et ideo sicut in statu legis naturæ homines, nulla lege exterius data, sed solum interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter oscurationem legis naturæ ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur: et ideo etiam necesse fuit determinari res, quibus homines uterentur in sacramentis.

Ad prob. autem dicitur quod propter hoc non arctatur via salutis, quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur vel parvo studio adhibito haberi possunt.

ARTICULUS VI.

Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba.

Pro negativa. = Videtur, quod in significatione sacramentorum non requirantur verba.

1. Nullum superfluum debet admitti in sacramentis. Sed verba in sacramentis sunt superflua. Ergo Verba non requiruntur in significatione sacramentorum.

Minor prob. Addere verba verbis est superfluum. Sed addere verba rebus sensibilibus, quibus utimur in sacramentis, est addere verba verbis. Dicit enim Aug. lib. 19. cont. Faust. cap. 16. "Quid sunt aliud quæque corporalia "sacramenta, nisi quasi quædam verba "visibilia et sic addere verba his rebus "est addere verba verbis.» Quod est superfluum.

2. Ex rebus sensibilibus et verbis, non potest fieri unum. Ergo in sacramentis non requiruntur verba cum rebus sensibilibus.

Conseq. prob., quia sacramentum est aliquid unum.

Anteced. prob. Ex his, quæ sunt diversorum generum, non potest fieri unum. Sed res et verba sunt diversorum generum. Res enim sunt á natura et verba sunt á ratione. Ergo ex rebus sensibilibus et verbis non potest fieri unum.

3. In sacramentis veteris legis, quibus succeserunt sacramenta novæ legis (illis enim ablatis ista sunt instituta) non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis novæ legis debet esse aliqua forma verborum instituta.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit ad Ephes. 5. "Christus "dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, "mundans eam lavacro aquæ in verbo "vitæ.» Et Augus. dicit Tract. 80. in Joan. "Accedit verbum ad elementum "et fit sacramentum.»

Determinatio.

Conclusio. In significatione sacramentorum requiritur quod verba rebus sensibilibus adjungantur.

Manifestatur. Cum enim sacramenta adhibeantur ad hominum sanctificationem, sicut quædam signa, ut dictum est art. 2. ad 3. tripliciter considerari possunt scilicet ex parte causæ sanctificantis; ex parte hominis, qui sanctificatur; et ex parte significationis sacramentalis; et quolibet horum modorum congruit sacramentis quod verba rebus sensibilibus adjungantur. Et hoc ostenditur.

Congruit enim sacramentis hoc ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibli verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Ex parte vero hominis qui sanctificatur, congruit sacramentis quod verba rebus sensibilibus adjungantur, quia homo componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Aug. tract. 80. in Joan. dicit super illud Jo. 15. «Jam "vos mundi estis propter sermonem,» etc. «Unde est ista tanta virtus aquæ, "ut corpus tangat et cor abluat, nisi "faciente verbo, non quia dicitur, sed "quia creditur?»

Ex parte vero ipsius significationis sacramentalis, hoc idem sacramentis congruit quia ut Aug. dicit lib. 2. de Doct. Christ. cap. 3. «Verba inter homines principatum significandi obti"nent,» quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis. Et propter hoc per ver-

ba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem; et refrigerium, propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur; *Ego te baptizo*, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem. Patet igitur quod sacramentis omnimode consideratis congruunt verba rebus sensibilibus adjuncta

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. negatur etiam minor. Ad cujus prob. dicitur, quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quamdam similitudinem, in quantum scilicet participant quamdam vim significandi, quæ principaliter est in ipsis verbis, ut dictum est in corp. Et ideo non est superflua ingeminatio verborum, cum in sacramentis, rebus visibilibus verba addantur, quia unum eorum, scilicet res sensibilis, dedeterminatur per aliud, idest per verba ut in corp. dictum est.

Ad 5. Negatur antecedens. Ad minorem prob. dicitur quod quamvis verba et aliæ res sensibiles sint in diverso genere, quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectius est in verbis, quam in aliis rebus: et ideo ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, ut dictum est art. 3. ad 3. Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio et alia hujusmodi, quia in his est etiam eadem ratio significandi, quæ est in rebus.

Ad 3. neg. conseq. Sicut enim Aug. dicit lib. 19. contra Faustum. cap. 6. Alia debent esse sacramenta rei præsentis, et alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis prænuntia erant Christi venturi, ei ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta novæ legis quæ ab ipso Christo influunt, et quamdam similitudinem ipsius Christi in se habent, ut in corp. dictum est. Utebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis in his quæ ad cultum Dei pertinent tam sacerdotes qui erant illorum sacramentorum ministri (secundum illud num. 6. « Sic benedicetis filiis Israel, et dice- " tis eis: benedicat tibi Dominus, etc. ») quam illi, qui illis sacramentis utebantur secundum illud Deut. 26. « Profiteor " hodie coram Domino Deo tuo, etc. »

ARTICULUS VII.

Utrum requirantur determinata verba in sacramentis.

Pro negativa. — Videtur, quod non requirantur determinata verba in sacramentis.

1. Voces non sunt eædem apud omnes sed salus, quæ per sacramenta quæritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis, sed quilibet potest uti verbis sui idiomatis.

2. Contingit per diversa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

Conseq. prob., quia verba requiruntur in sacramentis, in quantum sunt principaliter significativa, ut dictum est art. præced. Unde quando plura verba idem significant, poterit aliquis uti eo quod magis libuerit.

3. Quidam corrupte verba proferunt nec tamen propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri. Alioquin illiterati et balbi, qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

Conseq. prob., quia corruptio cujuslibet rei, variat ejus speciem, ac per hoc verba eorum qui corrupte verba pro-

ferunt, sunt diversa secundum speciem á verbis aliorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiæ dicens: Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Similiter etiam mandavit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Determinatio.

Conclusio. In sacram. requiruntur determinata verba.

Prob. in sacramentis requiruntur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis per modum materiæ. Ergo multo magis requiruntur in eis determinata verba, quæ se habent sicut forma in sacram.

Antec. prob. Et quod in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, dictum est art. 5. Quod vero res sensibiles se habeant in sacramentis sicut materia, et verba sicut forma dictum est art. præced. ad 2.

Conseq. prob., quia in omnibus compositis ex materia et forma, principium determinationis est ex parte formæ quæ est quodammodo finis et terminus materiæ et ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia. Materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Ex hoc igitur quod in sacramentis requiruntur determinatæ res sensibiles, quæ sunt quasi materia; evidenter sequitur quod in eis multo magis requiruntur determinata verba, quæ sunt quasi forma.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod etsi voces non sint eædem apud omnes quantum ad sonum, quantum ad sensum tamen eædem apud omnes sunt. Et quia ut dicit Aug. tract. 80. in Jo. *Verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur*, idest non secundum exteriorem sonum vocis, *sed quia creditur*, idest secundum sensum verborum, qui fide tenetur; ideo cujuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum.

Ad 2. Negat. conseq. Licet enim in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significare, semper tamen aliqua illorum vocum est, qua principalius et communius homines illius linguæ utuntur ad hoc significandum; et talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cujus usus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur. Sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis significatur, et ideo aqua assumitur, ut materia in baptismo.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ille qui corrupte profert verba sacramentalia, aut hoc facit ex industria, et tunc non videtur perfici sacramentum, quia sic ex industria proferens hujusmodi verba non videtur quod intendat facere quod facit Ecclesia. Aut hoc facit ex errore vel lapsu linguæ, et hoc dupliciter accidere potest. Primo, ut sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum locutionis, et tunc non videtur perfici sacramentum; quia forma sacramenti est sensus verborum, ut in præced. respons. dictum est. Et hoc præcipue contingit quando fit corruptio ex parte principii dictionis, puta si loco ejus, quod est, *In nomine Patris*, dicat; *In nomine matris*. Secundo quod non totaliter auferat sensum locutionis per hujusmodi corruptelam, quod contingit præcipue, quando fit corruptio ex parte finis, puta si aliquis dicat: *In nomine Patris et Filias*; et tunc nihilominus perficitur sacramentum. Quamvis enim hujusmodi verba sic corrupte prolata, nihil significent ex virtute impositionis; accipiuntur tamen ut significantia ex accomodatione usus.

Et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium, vel finem dictionis, rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem; variatio autem ex parte finis dictioninis, ut plurimum mutat consignificationem, quæ tamen apud græcos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex utraque parte potest esse tam parva, quod non auferat sensum verborum; et tam magna quod auferat, sed unum horum facilius accidit ex parte principii, scilicet quod totaliter auferatur sensus; et aliud ex parte finis, scilicet quod non totaliter auferatur.

ARTICULUS VIII.

Utrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

Pro negativa. = Videtur, quod nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

1. Verbis sacræ scripturæ nihil liceat addere, nec minuere. Ergo neque in formis sacramentorum licet aliquid addere, vel minuere.

Antec. prob., quia dicitur Deu. 4. "Non addetis ad verbum quod vobis "loquor, nec auferetis ab eo," et Apoc. ult. "Contestor omni audienti verba "prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet super eum "Deus plagas scriptas in libro isto; et "si quis diminuerit, aufert Deus partem "ejus de libro vitæ.

Conseq. prob., quia non minoris necessitatis sunt hujusmodi verba sacramentalia, quam verba sacræ scripturæ.

2. In formis quælibet additio, vel subtractio variat speciem, sicut et in numeris, ut dicitur 8. Met. tex. 8. Sed verba se habent in sacramentis per modum formæ, ut dictum est. Ergo videtur quod si aliquid addatur, vel subtratur á forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

3. Si additio, vel subtractio verborum non auferret sacramenti veritatem, sequeretur quod nec etiam transpositio verborum, aut interpolatio pronuntiationis sacramenti veritatem auferret, quod tamen est falsum.

Conseq. prob., quia sicut ad formam sacramenti requiritur determinatus numerus dictionum, ita etiam requiritur determinatus ordo verborum et orationis continuitas.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In formis sacramentorum quædam á quibusdam apponuntur, quæ non apponuntur ab aliis. Sicut latini baptizant sub hac forma. *Ego te baptizo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Santi.* Græci autem sub ista; *Baptizetur servus Christi. N. in nomine Patris et Flii et Spiritus Sancti.* Et tamen utrique verum conferunt sacramentum. Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere, vel minuere.

Determinatio.

Distinctio. Circa omnes istas mutationes quæ possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda: unum quidem ex parte ejus qui profert verba, cujus intentio requiritur ad sacramentum, ut infra dicetur, q. 64. art. 8. Aliud est ex parte significationis verborum; cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum quem faciunt, ut dictum est art. præced. ad 1. et 3. Oportet considerare utrum per talem mutationem tollatur sensus debitus verborum. Ex quibus duo sequuntur. Primum est, si proferens verba sacramentalia addat aliquid ad formam sacramentorum, vel ab ea aliquid diminuat, per hujusmodi additionem, vel diminutionem intendat alium ritum introducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum. Prob. quia non videtur quod intendat

facere id quod facit Ecclesia. Alterum est quod si per talem mutationem, quæ fit addendo, vel diminuendo á forma sacramentorum, tollatur debitus sensus verborum, non perficitur sacramentum. Prob. quia verba operantur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, ut dictum est. Unde omnis additio, vel diminutio auferens debitum verborum sensum, tollit sacramenti virtutem.

1.ª Conclusio. Si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, non perficitur sacramentum. Prob. quia per hoc tollitur debitus sensus verborum et formæ sacramentalis. Unde Dydimus dicit in lib. de Spiritu Sancto quod habetur in fine oper. D. Hieron. "Si quis ita baptizare conetur ut unum "de prædictis nominibus prætermittat» scilicet Patris Filii et Spiritus Sancti, "sine perfectione baptizabit.

2.ª Conclusio. Si subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formæ non tollitur perfectio sacramenti.

Prob. quia talis diminutio non tollit debitum sensum verborum. Sicut in forma Eucharistiæ quæ est: hoc est enim corpus meum. Ly (enim) sublatum, non tollit debitum sensum verborum, et ideo non impedit perfectionem sacramenti, quamvis possit contingere quod ille, qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu.

3.ª Conclusio. Si apponatur aliquid formæ sacramentali, quod sit corruptivum debiti sensus, talis additio tollit veritatem sacramenti.

Manifestatur: si aliquis enim dicat: "Ego te baptizo, in nomine Paris ma- "joris et filii minoris, sicut Arriani "baptizabant, tollitur veritas sacra- "menti.»

4.ª Conclusio. Si formæ sacramenti apponatur aliquid, quod non auferat debitum sensum, non tollitur veritas sacramenti.

Manifest. Si enim aliquis dicat. "Ego "te baptizo in nomine Dei Patris om- "nipotentis et filii ejus unigeniti et Spi- "ritus Sancti paracliti,» erit verum baptisma: et similiter si quis dicat: «Ego "te baptizo in nomine Patris et Filii "et Spiritus Sancti; et Beata Virgo te "adjuvet;» erit verum baptisma. Non enim refert utrum talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine verborum, quæ sunt forma sacramentorum.

Forte autem si diceret: «Ego te bap- "tizo in nomine Patris et Filii et Spiri- "tus Sancti et Beatæ Virginis Mariæ,» non esset baptismus, quia dicitur 1. Cor. 1. «Numquid Paulus pro vobis crucifi- "xus est, aut in nomine Pauli baptizati "estis?» Sed hoc verum est, si sic intelligatur baptizari in nomine Beatæ Virginis, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur; talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur: *In nomine B. Virginis* non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato, ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti. Ex quibus patet an et quomodo liceat, vel non liceat addere, vel minuere aliquid verbis, in quibus consistit forma, sacramentorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ad verba sacræ scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum; sed quantum ad expositionem sacræ Scripturæ multa á doctoribus verba apponuntur, quæ tamen non sunt de integritate sacræ scripturæ, esset enim hoc dicere, vitium falsitatis; et similiter ea quæ adjunguntur formis sacramentalibus non sunt de necessitate sacramenti.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati, et ideo quæcumque fiat additio, vel subtractio verborum quæ non addat aliquid, aut subtrahat

debito sensui, non tollitur species sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad consequens. Quod si sit tanta interruptio verborum quod intercipiatur intentio prænuntiantis, tollitur sensus sacramenti et per consequens veritas ejus: non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis et intellectum verborum non aufert. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum; quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione præposita, vel postposita signo; si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti, quia secundum Phil. lib. 2. Periher. cap. 1. *Nomina, et verba transposita idem significant.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 60.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Augustino, et Concilio, quod sacramentum est in genere signi. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per id, quod de circumcisione dicitur Genes. 17. *ut sit in signum fœderis inter me, et vos.* Et Rom. 4. *Signum accepit circumcisionis.* Cum enim circumcisio esset sacramentum, 1. 2. q. 102. a. 5. per hoc, quod ipsa vocatur signum, patet á simili, quod ly *sacramentum*, ut etiam de aliis omnibus, quatenus sacramenta sunt, prædicatur, est in genere signi. A Conc. autem Flor. idem insinuatur per hoc, quod de sacramentis dicit. " Illa antiquæ legis gratiam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Hæc in constit. super unione Armen. In ly *continent gratiam* subintellige ly *quam significant.* Nam hoc subintelligendum docuit Concil. Trid. dum ipsum expressit dicens, sess. 7. de sacr. can. 6. " Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, etc. anathema sit. » Secundum Concilia igitur ly *sacramentum* de quocumque sacramento, sive antiquo, sive novo prædicetur, est signum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod omne signum rei sacræ est sacramentum. Ut Rom. 4. *Signaculum justitiæ fidei.* Apostolus enim per hoc, quod signum rei sacræ, idest justitiæ fidei, vocat circumcisionem, quæ erat sacramentum, insinuat á simili, quod omne signum rei sacræ justificantis homines apud Deum, est sacramentum. Quod etiam inductive patet. Nam quodlibet signum rei sacræ, idest sanctitatis hominum (ad differentiam sacrorum, et sacrificiorum, et vasorum, et observantiarum) in lege veteri erat sacramentum. Puta signum, quod ille populus judæorum erat positus in statu colendi verum Deum (id, quod quamdam sanctitatem importat) vocabatur sacramentum circumcisionis. Signum autem, quod illi sacerdotes erant in speciali statu colendi verum Deum, vocabatur sacramentum consecrationis. Signum vero, quod ille populus poterat uti iis, quæ pertinent ad cultum divinum (id, quod quamdam sanctitatem dicit) vocabatur sacramentum esus agni paschalis. Signum item, quod illi sacerdotes speciali modo, uti iis poterant, vocabatur sacramentum oblationis victimarum, esus panum propositionis, et aliorum specialiter deputatorum ad usus sacerdotum. Signum quoque remotionis impedimentorum á cultu divino (id, quod sanctitatem aliquam concernit) quoad populum quidem vocabatur sacramentum purificationum ab exterioribus immunditiis, et expiationis á peccatis;

quoad sacerdotes autem vocabatur sacramentum cujusdam ablutionis manuum, pedum, et rationis pilorum. De his omnibus vide 1. 2. q. 101. art. 4 et q. 102. art. 5. cor. Ex quibus á fortiori patet intentum de omni signo rei sacræ, in lege nova. Si enim veteris legis signa rei sacrae, quamvis sanctitatem ipsam non causarent, vocabantur sacramenta: multo magis utique legis novae signa rei sacrae, cum ipsam causent, vocabuntur veraciter sacramenta. Quia igitur sufficienter de signis rerum sacrarum fit enumeratio, quando legis utriusque signa ipsa adducuntur (nulla enim alia lex divina praeter veterem, et novam est, 1. 2. q. 98. ar. 2. et q. 106. ar. 4.) dicere universaliter oportet secundum praedicta, quod omne signum rei sacrae est sacramentum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, Ecclesia, et Augustino, quod sacramentum est signum plurium rerum. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Ab Ecclesia vero per hoc, quod in festo corporis Christi de sacramento eodem dicit: " O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur. » Ac si aperte ad propositum dicat; sacramentum corporis Christi est signum et passionis ejus praeteritae, et gratiae praesentialiter nobis datae, et gloriae nobis suo tempore dandae, atque ideo sacramentum omne (per locum á simili loquendo) est signum illarum rerum plurium. A scripturis autem per hoc, quod dicitur Matth. 4. " Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. » Et Joan. 20. " Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » Et Heb. 9. " Sine sanguinis effusione non fit remissio. » Conjunge omnia simul: et inde videbis intentum. Pœnitentia enim cujus sacramentum instituitur per illa verba, Jo. 20. secundum Conc. Trid. sess. 14. c. 1. et can. 3. signum est (ex Matth. 4.) regni cœlorum ipsis pœnitentibus appropinquantis, et gratiae (ex Jo. 20.) qua remittuntur peccata, et passionis Christi (ex Heb. 9.) sine cujus sanguinis effusione non fit peccatorum remissio. Sacramentum igitur secundum scripturas non est signum unius tantum rei. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Ecclesia, et Augustino quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles. A Divo Augustino quidem, ut *in arg. cont.* Per ly *elementum* enim accipit res sensibiles, à simili in cæteris sacramentis repertas. Ac si dixerit: ex rebus naturæ sensibilibus, et verbis constat quodlibet sacramentum. A scripturis vero per hoc, quod dicitur 1. Corinth. 3. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quod sub aliis verbis dicitur Prov. 11. *In insidiis suis capientur iniqui.* Et Psalm. 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Tunc enim capiuntur iniqui in suis insidiis, et dentes conteruntur in ore ipsorum, quando per easdem res, per quas decipere alios moliuntur, ipsi decipiuntur. Ad propositum ergo. Serpens callidus, Genes. 3. per quid decepit nos? Per res sensibiles: ut ibi. Ergo per præmissas auctoritates vult dicere scriptura; quod capiendus erat ipse per res sensibiles, idest, quod sacramenta, quibus dum ex peccatis eruimur, illa sua prima astutia frustratur, consistere debebant in rebus sensibilibus. Ab Ecclesia autem per dictum illud suum in hymn. Dominicæ in passione.

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis unde læserat.

Quæ applica tu ad propositum, conformiter ad nunc dicta de scripturis. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod determinatæ res ad sacramenta requiruntur. Ut per hoc, quod dicit Dominus Jo. 3. *Nisi*, etc. ut *in arg. cont.* Hoc est, in proposito. Ad sacramentum baptismi necessario requiritur hæc sensibilis res determinata, scilicet aqua: ita ut, si non adhibeatur ibi aqua, non possit quis introire in regnum Dei Ergo ly *nisi*

cadit super renasci, et super ly *ex aqua.* Á simili ergo ibi consignificavit Christus: quod res determinatæ divinitus necessario requiruntur in aliis sacramentis. Item per hoc, quod dicitur Josue capit. 23. " Tantum estote soliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi, et non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad sinistram. » Patet enim in lib. Exo. et Levit. quod res determinatæ á Deo assignantur Moysi pro usu sacramentorum antiquorum: et consequenter patet, quod, si in his declinare non debent neque ad dexteram, neque ad sinistram, utendum est ipsis rebus determinate in sacramentis: nec proprio judicio sunt mutandæ. Id, quod á fortiori etiam patet. Si enim illa, quæ minus substantialia sunt in sacramentis, quam materia, et forma (quæ nunc per res sensibiles determinatas intelliguntur) non possunt proprio judicio mutari, ut per concilium infra dicetur: multo magis utique res istæ sensibiles, idest materia, et forma, cum sint plus de sacramentorum substantia, mutari non poterunt. De illis minus substantialibus audi Concilium *Trid.* sess. 7. de sacramentis, can. 13. " Si quis dixerit: receptos, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni administratione sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato á ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem, mutari posse: anathema sit. » Cæterum talis rituum omissio, vel mutatio est quidem cum peccato, sed non tollit sacramentum: rerum autem sensibilium, de quibus loquimur, idest materiæ, et formæ omissio, aut mutatio, et est cum peccato, et tollit sacramentum, idest facit, quod non fiat sacramentum, etiamsi quæcumque aliæ res, á Deo non institutæ ad tale sacramentum, ei adhiberentur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito à scripturis et Augustino esse insinuatum, quod ad sacramentorum perfectionem requiruntur verba. A D. Aug. quidem, ut *in fi. arg. cont.* A scripturis autem, ut Eph. 5. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi ex ly *verbo vitæ* nota, quantæ virtutis, et quantæ necessitatis sint verba in sacramentis. Item per hoc, quod dicitur 1. Cor. 14. " si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? » Inde enim á simili habetur intentum. Ac si in proposito dicat. Si incertam vocem det aliquis perfundens alium aqua, vel oleo, etc. idest si sine verbis exprimentibus conceptum, quem ipse habet, dum perfundit alium aqua, vel oleo ungit, etc. quis audebit affirmare, hunc esse baptizatum, vel ad ordinem sacerdotii promotum, vel extrema unctione armatum? q. d. Nullus. Elementi namque usus ad multa potest ordinari (ut patet in corp. de aqua) et ideo ejus usus sine verbis declarantibus ad quid tunc ordinetur, est, sicut tuba dans incertam vocem, idest sonans absque signis determinatis ad tale quid significandum, puta præparationem ad bellum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod verba determinata requiruntur ad sacramenta. Ut per hoc, quod dicitur Matthei 26. et cap. ultim. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per dicta Joan. 3. et Josue 23. ut ponuntur in artic. 5. append. cum Concilii Trid. sess. 7. can. 13. annexis: et hoc á fortiori. Si enim determinatæ res pro materia stantes requiruntur ad sacramenta (ut ibi) multo utique magis determinata verba, quæ formæ locum tenent, requirantur necesse est propter rationem dictam in text. corpor. Quod vero tamquam materia sint res ipsæ corporales, et tamquam forma sint verba, patet ex concilio *Florent.* in Decr. seu constitut. super union. Armenor. per ly " sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. » Ex quibus ultimo dictis stabiliuntur quædam similiter posita in artic. 5. append. circa finem. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod additio, vel subtractio in verbis sacramentorum facta non semper tollit veritatem sacramenti, idest, non semper

facit, quod sacramenta non perficiantur. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quod à latinis sine additione à græcis facta servatur. Latini ergo cum diminutione illa græcorum, græci autem cum additione proferunt ipsam baptismi formam. Cum igitur ab utrisque sic verborum mutatione formam proferentibus perficiatur sacramentum; patet, secundum scripturas ecclesiastica consuetudine interpretatas quod additio, et diminutio verborum in formis quandoque potest fieri licite, idest, et sine peccato, et sine defectu sacramenti. A concilio Florent. autem idipsum insinuatur per hoc, quod, quasi verbatim, præsentem argumenti contra textum, et articulum confirmans dicit. " Forma sacramenti baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Non tamen negamus, quin et per illa verba, baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Vel baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, verum perficiatur baptisma. Quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. » Hæc concilium in Decreto, seu constitut. super unione Armen. Ac si ergo dixerit ibi. Ideo mutationes istæ non nocent perfectioni talis sacramenti, quia non tollunt debitum, idest essentialem formæ sensum. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA PRIMA,

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum:

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundo, utrum fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertio, utrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quarto, utrum fuerint necessaria post Christi adventum.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

Pro negativa.=Videtur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem.

1. Illud quod ad modicum est utile, non est necessarium ad salutem, quæ est aliquid magnum. Sed sacramenta ad modicum utilia sunt. Ergo sacramenta non sunt necessaria ad salutem.

Minor prob. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est* ut dicitur 1. Tim. 4. Sed usus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem; eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum et verborum, ut qu. præced. art. 6. ad 2. dictum est. Ergo sacramenta ad modicum utilia sunt.

2. Gratia sufficit ad humanam salutem. Ergo non sunt necessaria sacramenta ad salutem consequendam.

Anteced prob., quia Apostolo dictum est, *sufficit tibi gratia mea*, ut ipsemet refert 2. Cor. 12.

Conseq. prob., quia non sufficeret gratia, si essent necessaria sacramenta.

3. Passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis. Ergo non requiruntur sacramenta ad humanam salutem.

Antec. prob., quia dicit Apost. Ro. 5. « Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus

" multo magis reconciliati salvi erimus " in vita ipsius. »

Conseq. probat., quia posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum veræ religionis nomen. Ergo ad humanam salutem sunt necessaria sacramenta.

Conseq. probat., quia Aug. dicit lib. 19. contra Faus. cap. 11. « In nullum " nomen religionis, seu verum, seu fal- " sum coadunari homines possunt, nisi " aliquo signaculorum, seu sacramento- " rum visibilium consortio colligentur.

Determinatio.

Conclusio. Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Prob. Triplici ratione. Prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ, cujus proprium est ut per corporalia et sensibilia, in spiritualia et intelligibilia deducatur. Est autem hæc ratio: ad salutem ejus, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia, in spiritualia et intelligibilia deducatur, sunt necessaria sacramenta. Sed homini, secundum conditionem suæ naturæ proprium est ut per sensibilia et corporalia deducatur in intelligibilia et spiritualia. Ergo ad salutem hominis necessaria fuerunt sacramenta.

Maior prob. quia pertinet ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini, cui proprium est per sensibilia et corporalia in intelligibilia et spiritualia deduci, auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur.

Secunda ratio sumenda est ex statu hominis: et est talis: ad salutem ejus, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus, necessaria sunt sacramenta. Sed homo peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ergo conveniens fuit ut Deus per quædam corporalia signa, quæ sunt sacramenta, homini spiritualem medicinam adhiberet.

Maior prob., quia ibi debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum.

Et confirmatur ratio. Quia si homini spiritualia nuda proponerentur, ejus animus corporalibus deditus non posset spiritualibus applicari.

Tertia ratio sumenda est ex studio actionis humanæ. Et est. Ad salutem ejus cujus actionis studium versatur præcipue circa corporalia, necessaria sunt sacramenta, quæ sunt quædam corporalia signa. Sed studium humanæ actionis versatur præcipue circa corporalia. Ergo ne homini durum esset, si totaliter á corporalibus actibus abstraheretur, necessaria sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceantur, ad evitanda superstitiosa exercitia quæ consistunt in cultu dæmonum; vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum.

Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter, secundum conditionem suæ naturæ, eruditur per sensibilia. Humiliatur dum se subjectum sensibilibus cognoscit, dum sibi per corporalia subvenitur. Præservatur etiam á noxiis actionibus, per salubria exercitia sacramentorum. Convenienter igitur per divinam providentiam sacramenta ad salutem hominum sunt instituta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad maiorem probationis dicitur quod corporalis exercitatio, in quantum est corporalis, non multum utilis est, si vero non sit pure corporalis, sed ordinata ad spiritualem exercitationem, multum est utilis. Tunc ad minorem ejusdem probationis dicitur quod exercitatio per usum sacramentorum, non est pure corporalis; sed quodammodo est spiritualis, scilicet per sig-

nificationem et causalitatem; et ideo ad salutem hominum sunt necessaria.

Ad 2. Neg. conseq. Gratia enim Dei est sufficiens causa humanæ salutis; sed Deus suam gratiam hominibus confert secundum modum convenientem qui est per sacramenta. Et ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam.

Ad 3. Negatur conseq. Ex hoc enim quod passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis, non sequitur quod non sint necessaria sacramenta ad consequendam salutem, quia sacramenta operantur in virtute passionis Christi. Et passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

Pro affirmativa. = Videtur, quod etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

1. In statu innocentiæ homo indigebat gratia, ut dictum est 1. par. q. 95. art. 4. ad 1. Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta.

Conseq. prob., quia sacramenta sunt necessaria homini ad consequendam gratiam, ut art. præc. dictum est ad 2.

2. Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ, ut dictum est art. præced. Ergo videtur quod etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis.

Conseq. probat., quia eadem et ejusdem conditionis est natura hominis post peccatum, et ante peccatum.

3. Matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicit Gen 2. Sed matrimonium est quoddam sacramentum, secundum illud ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Ergo sacramenta erant necessaria homini etiam ante peccatum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Medicina non est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matt. 9. *Non est opus sanis medicus.* Sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo sacramenta non fuerunt necessaria ante peccatum.

Determinatio.

Conclusio. In statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt.

Prob. in statu, in quo superiora in homine inferioribus dominabantur, et nullo modo superiora ab inferioribus dependebant, non erant necessaria sacramenta. Sed in statu innocentiæ ante peccatum superiora in homine dominabantur inferioribus, et nullo modo superiora dependebant ab inferioribus: sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, et ipsi animæ suberat corpus. Ergo in statu innocentiæ ante peccatum, homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur in remedium peccati, sed nec etiam in quantum ipsa ordinatur ad animæ perfectionem.

Maior prob., quia contra hunc ordinem esset, si anima perficeretur quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquod corporale; quod fit in sacramentis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced. quod homo in statu innocentiæ gratia indigebat, non tamen ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa; sed spiritualiter et invisibiliter.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probat. dicitur quod eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum, non tamen est idem naturæ status: nam post peccatum anima, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid á corporalibus rebus ad sui perfec-

tionem; quod in illo statu homini non erat necessarium.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod matrimonium fuit institutum ante peccatum in statu innocentiæ, non secundum quod est sacramentum; sed secundum quod est officium naturæ; ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et ecclesiam, sicut et omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

ARTICULUS III.

Utrum post peccatum ante Christum, sacramenta debuerint esse.

Pro negativa. = Videtur, quod post peccatum, ante Christum, sacramenta non debuerint esse.

1. Effectus non præcedit causam; sed sacramenta comparantur ad passionem Christi, sicut effectus ad causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante adventum et passionem Christi.

Minor manifestatur, quia per sacramenta passio Christi hominibus applicatur, ut dictum est art. 1. hujus quæst. ad 3. ac per hoc passio Christi comparatur ad sacramenta, ut causa ad effectum.

2. Status humani generis non fuit mutatus post peccatum, usque ad reparationem factam per Christum. Ergo neque sacramenta debuerunt immutari, ut præter sacramenta legis naturæ, alia statuerentur in lege Moysi.

Conseq. prob., quia sacramenta debent esse convenientia statui humani generis, ut patet per Aug. lib. 19. contra Faustum capit. 16. et 17.

3. Sacramenta legis naturæ sunt similiora sacramentis Christi, quam sacramenta legis Moysi. Ergo inconvenienter fuerunt sacramenta disposita ante Christi adventum.

Antec. prob., quia sacerdotium Christi prædicitur esse futurum, secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron. ut habetur ad Heb. 7. Consequens probat. Illa sacramenta debent esse perfectiora et similiora sacramentis Christi, quæ sunt proximiora perfectæ saluti quam operatus est Christus. Sed sacramenta legis scriptæ sunt proximiora saluti operatæ per Christum. Ergo debuerunt esse similiora sacramentis Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Necessarium erat ad humanam salutem, ut adventus Christi prænuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

Antec. patet quia ante Christum salus dabatur in fide Christi venturi, in quem nullus credere potuisset, nisi ejus adventus fuisset prænunciatus.

Conseq. probat., quia Aug. dicit lib. 19. contra Faustum. cap. 13. Quod *prima sacramenta, quæ celebrabantur et observabantur in lege, prænuntia erant Christi venturi.*

Determinatio.

Conclusio. Ante Christi adventum necesse fuit quædam sacramenta institui.

Prob. Ante Christi adventum oportebat esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Ergo ante Christi adventum necesse fuit quædam sacramenta institui.

Conseq. probat., quia hujusmodi signa dicuntur sacramenta, quæ ad humanam salutem necessaria sunt, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur.

Antecedens manifestatur; quia nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi. Oportebat igitur ad hoc, ut homo sanctificaretur per Christum quod haberet signa, quibus protestaretur Christum venturum suæ sanctificationis auctorem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior de causa finali: causa enim finalis non præcedit tempore suum effectum; sed solum in intentione agentis, et quia passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quæ scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. ideo non est inconveniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod status humani generis post peccatum et ante Christum, dupliciter potest considerari; uno modo, secundum fidei rationem; et sic semper unus et idem permansit quidem, quia scilicet justificabantur omnes per fidem futuri Christi adventus: alio modo potest considerari secundum intentionem et remissionem peccati et expressæ cognitionis de Christo: et sic fuit mutatus. Nam per incrementa temporum, et peccatum cœpit in homine magis dominari, intantum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum præcepta legis naturalis; sed necesse fuerit determinari præcepta in lege scripta: et cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat etiam quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia, ut Greg. dicit Hom. 16. in Ezech. *Per incrementa temporum crevit divinæ cognitionis augmentum.* Et ideo etiam necesse fuit quod in veteri lege quædam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur: quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum; quia scilicet ante legem non fuit determinate præfixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem; quod erat necessarium, et propter obtenebrationem legis naturalis, et ut esset determinatior fidei significatio.

Ad 3. Dicitur ad anteced. et ad ejus probationem quod sacerdotium Melchisech quod fuit ante legem, magis assimilatur sacerdotio novæ legis in materia, in quantum scilicet *obtulit panem et vinum*, ut habetur Gen. 14. Sicut etiam sacrificium novæ legis oblatione panis et vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per sacramentum, scilicet passioni Christi, ut patet de agno paschali, et aliis hujusmodi. Et hoc ideo factum est, ne si permaneret eadem sacramentorum species, propter continuitatem temporis, videretur ejusdem sacramenti continuatio.

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

Pro negativa.=Videtur, quod post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta.

1. Veniente veritate, debet cessare figura. Sed Christo incarnato, venit veritas: *gratia enim et veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Jo. 1. Cujus gratiæ et veritatis sacramenta sunt signa et figuræ. Ergo post passionem Christi non debuerunt esse sacramenta.

2. Post adventum Christi non debemus servire sub elementis. Ergo post adventum Christi non debent esse aliqua sacramenta.

Antecedens prob., quia Apost. dicit ad Gal. 4. *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*, nunc autem, veniente plenitudine temporis, jam non sumus parvuli. Igitur post Christi incarnationem non debemus servire Deo sub elementis.

Conseq. probat., quia sacramenta in quibusdam elementis consistunt, ut ex dictis in quæst. præced. art. 4. et 5. dictum est.

3. *Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, ut dicitur Jac. 1. Ergo videtur quod post Christum non debuerint alia sacramenta institui.

Conseq. prob., quia hoc videtur ad

quamdam mutationem pertinere quod alia sacramenta nunc hominibus exhibeantur ad sanctificationem tempore gratiæ, et alia ante Christum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit lib. 19. contra Faust. cap. 13. *Sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta; et alia sunt instituta, virtute maiora, utilitate meliora et numero pauciora.*

Determinatio.

Conclusio. In nova lege oportet esse alia sacramenta, præter sacramenta veteris legis.

Prob. Nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi, sicut antiqui patres salvati sunt per fidem Christi venturi. Ergo oportet in lege nova esse alia signa protestantia fidem Christi jam nati et passi, á signis, quæ protestabantur fidem Christi venturi. Ergo oportet quædam alia sacramenta esse in lege nova, quibus significentur ea quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura. Prima conseq. probat. quia dicit August. lib. 19. contra Faust. cap. 16. Quod *eadem res aliter anunciatur facienda, aliter facta, sicut ipsa verba, passurus et passus, non similiter sonant.* Oportuit igitur aliis signis significare salutem á futuro, et salutem á præterito.

Secunda conseq. probat., quia sacramenta sunt quædam signa protestantia fidem, quo homo justificatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod veniente veritate nude et perfecte manifestata, cessant figuræ veritatis. Si autem veritas non sit adhuc nude et perfecte manifestata, est necessaria figura. Tunc ad minorem dicitur, quod sicut Dion. dicit 5. cœl. Hierarch. status novæ legis medius est inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova lege et inter statum gloriæ, in quo omnis veritas nude et perfecte manifestabitur: et ideo tunc nulla erunt sacramenta; nunc autem quamdiu *per speculum, et in ænigmate cognoscimus*, ut dicitur 1. Cor 13. Oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire quod pertinet ad rationem sacramentorum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod post adventum Christi non debemus servire Deo sub elementis, quæ pure sunt elementa, qualia erant sacramenta veteris legis, quæ Apostolus vocat *infirma et egena elementa*, quia gratiam non continebant, nec causabant. Et ideo útentes illis sacramentis (dicit Apostolus) sub elementis mundi Deo servisse: quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent et causant, et ideo non sunt pura elementa, ac per hoc nos, qui his sacramentis utimur, non servimus Deo sub elementis, sicut in veteri lege fiebat.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. negatur assumptum. Sicut enim pater familias non ex hoc monstratur habere mutabilem voluntatem quod diversa præcepta familiæ suæ proponit pro temporum diversitate, non eadem præcipiens hyeme et æstate: ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum ex hoc hoc quod alia sacramenta instituit post Christi adventum et alia tempore legis quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ; hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter præmonstrandæ.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 61.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreticorum dogma dicentium; sacramenta esse adiaphora, idest, indifferentia, idest non necessaria. Ut enim dicit Gabriel Prateolus in titulo *Adiaphoristæ* sacramenta hæreticis adiaphora sunt. Item hæresim *Cartharorum* (ut refert Card. Turrecremata, de Eccl. lib. 4. c. 33.) dicentium, sacramenta omnia Ecclesiæ nihil prodesse ad salutem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Conc Trid. sess. 7. de sacramentis, c. 4. "Si quis dixerit; sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines á Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit." Quod et distinctius, quoad gratiæ adeptionem, declaraverat in proœmio ante canones dicens. "Visum est de sanctissimis Ecclesiæ sacramentis agere; per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur." Ex his patet quoque excludi, atque condemnari hæresim eorumdem *Cartharorum* (ut refert idem Card. ibid.) dicentium: sacramenta Christi, et Ecclesiæ non esse vera, sed falsa, et deceptoria. Si enim sunt (ut vere sunt) necessaria ad salutem: constat utique, quod sunt et vera, et procul ab omni falsitate, atque deceptione. Contra hos Catharos effer adhuc Div. August. ut est *in arg. cont.* et dicta in Addition. artic. num. 20. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, et concilio; quod sacramenta non erant homini necessaria in statu innocentiæ. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 9. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per dictum Luc. 15. *Quam super 99 justis, qui non indigent pœnitentia.* Hinc enim à simili monstratur, quod sacramentis non indigebat homo in statu originalis justitiæ, seu (quod idem est) in statu innocentiæ. A Concilio autem Trid. sess. 14. cap. 1. insinuatur idipsum sic. "Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio, et gratia susceptam constanter tuerentur: non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum." Quæ tam aperte ad intentum præsentis articuli monstrandum, velut á simili, faciunt, ut nulla sit opus declaratione. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas. merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod sacramenta post peccatum ante Christum debuerunt esse. A D. Aug. quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod sacramenta antiquitus populo judæorum data in libris Moysi sæpe leguntur, ut de his patet in 1. 2. q. 101. art. 4. et q. 102. art. 5. Nam illa sacramenta fuisse á Deo data, et debuisse dari, idest fuisse convenienter data, consequuntur se; hoc est, redeunt in idem. Non enim á Deo, qui est ipsa sapientia, potest fieri aliquid vel minimum, quod non debeat fieri, idest, quod non sit convenientissime factum. Pro cujus amplori notitia, et confirmatione per dicta scripturarum, vide q. 55. art. 4. app. recurrendo ad loca ibi citata. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et directam (hæc est in corp.) et indirectam (hæc est solutio argumentorum, quæ duo, scilicet directa, ac indirecta, ubique in similibus locis semper intelliguntur) interimas hæresim *Catharorum* dicentium: nulla esse sacramenta in Ecclesia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concil. Flor. per hoc, quod de sacramentis novæ legis multa tractat, materiam, et formam eorum assignando, etc. quod non faceret, nisi essent. Vide ipsum in Decreto. seu constit. super unione Armen. Item á Concil. Trid. per hoc, quod in sess. 7. et de sacramentis in communi, et de aliquibus in particulari tractat, quin et de cæteris in aliis multis sessionibus. Factis ergo suis conciliis ipsa hæresim illam omnino destruunt, ac reprobant. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA SECUNDA,

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu sacramentorum: et primo de effectu eorum principali, qui est gratia; secundo de effectu secundario, qui est character.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum sacramenta novæ legis sint causa gratiæ.

Secundo, utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Tertio, utrum sacramenta contineant gratiam.

Quarto, utrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quinto, utrum talis virtus in sacramentis derivetur á passione Christi.

Sexto, utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint causa gratiæ.

Pro negativa.==Videtur, quod sacramenta non sint causa gratiæ.

1. Ea, quæ sunt signa gratiæ non sunt causa gratiæ. Sed sacramenta sunt signa gratiæ ut dictum est. Ergo sacramenta non sunt causa gratiæ.

Maior prob., quia non videtur idem esse signum et causa; eo quod ratio signi videtur magis effectui, quam causæ competere.

2. Nullum corporale agit in spirituale. Sed sacramentum est quoddam corporale: subjectum vero gratiæ est mens hominis, quæ est res spiritualis. Ergo sacramenta non possunt causare gratiam.

Maior prob., quia *agens est honorabilius patiente*, ut Aug. dicit.

3. Illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed causare gratiam est proprium Dei, secundum illud Psal. 83. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sacramenta vero consistunt in quibusdam verbis et rebus creatis. Ergo causare gratiam non est attribuendum sacramentis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud quod abluit cor, causat gratiam. Sed sacramentum abluit cor. Ergo sacramentum causat gratiam.

Maior probat, quia cor non abluitur, nisi per gratiam.

Minor prob., quia Aug. dicit tract. 80. in Jo. Quod aqua baptismalis *corpus tangit et cor habluit.*

Determinatio.

Conclusio. Necesse est dicere sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causare.

Prob. Ea, per quæ homo incorporatur Christo, secundum aliquem modum causant gratiam. Sed per sacramenta novæ legis homo incorporatur Christo et fit membrum Christi. Ergo sacramenta novæ legis secundum aliquem modum causant gratiam.

Maior prob., quia non efficitur homo membrum Christi; nisi per gratiam.

Minor prob., quia Apost. de baptismo dicit ad Gal. 3. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Quorumdam opinio de modo quo sacramenta causant gratiam.

De modo autem, quo sacramenta causant gratiam, quidam dixerunt quod sacramenta non sunt causa gratiæ aliquid operando; sed quia Deus sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur: et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione, non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem; sed hoc operatur sola voluntas regis. Unde et Bernardus dicit in Serm. de cæna. *Sicut investitur canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum: sic divisiones gratiarum diversæ sunt traditæ sacramentis.*

Reprobatio.

Sed si quis recte consideret, iste modus non trancendit rationem signi: nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab isto; similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum igitur hanc opinionem sacramenta novæ legis, nihil plus essent, quam signa gratiæ cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur quod sacramenta novæ legis non solum significant, sed etiam causant gratiam.

Vera sententia.

Aliter igitur est dicendum, præmittendo quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Inter quas hæc est differentia quod causa agens principalis operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur á principali agente; unde et effectus non assimilatur instrumento sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis, qui est principale agens. His sic expositis, ponuntur sequentes conclusiones.

1.ª Conclusio. Solus Deus est causa principalis gratiæ.

Manifestatur, quia gratia nihil aliud est quam quædam participata similitudo divinæ naturæ, secundum illud 2. Pet. 1. *Magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinæ simus consortes naturæ.*

2.ª Conclusio. Sacramenta novæ legis causant gratiam instrumentaliter. Prob. quia sacramenta novæ legis adhibentur hominibus ex divina ordinatione ad gratiam in eis causandam. Unde Aug. dicit in lib. 19. contra Faust. cap. 19. *Hæc omnia*, scilicet sacramentalia *fiunt et transeunt, virtus tamen*, scilicet Dei, *quæ per ista operatur, jugiter manet.* Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde ad Tit. 3. dicitur: *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ea enim quæ sunt signa gratiæ, non possunt quidem esse causa principalis; sed possunt esse causa instrumentalis. Ad prob. dicitur, quod causa principalis non potest proprie dici signum effectus occulti, etiam si ipsa sit manifesta: causa tamen instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti, eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus in quantum movetur á principali agente. Et secundum hoc sacramenta novæ legis simul sunt causæ et signa, et inde est quod, sicut communiter dicitur, *efficiunt quod figurant.* Ex quo etiam patet quod habent perfecte rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum non solum per modum signi: sed etiam per modum causæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera de agente principali, non autem de agente instrumentali: nullum enim corporale potest tamquam causa principalis agere in spirituale, potest tamen aliquod corporale esse instrumentum agendi in rem spiritualem. Instrumentum enim habet duas actiones, unam quidem instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis; facere autem lectum in quantum est instrumentum artis. Non autem instrumentum perficit instrumentalem actionem; nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim securis facit lectum: potest igitur instrumentum etiam corporale agere in spirituale, quatenus movetur ab aliqua causa, quæ potest agere in spirituale. Sic igitur sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus quod tangunt, ef-

ficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam: sicut aqua baptismi abluendo corpus, secundum propriam virtutem, abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ: nam ex anima et corpore unum fit. Et hoc est quod dicit Aug. quod corpus tangit, scilicet secundum propriam actionem, et cor abluit, quatenus est instrumentum virtutis divinæ.

Ad 3. Dicitur quoad minorem, quod causare gratiam, ut agens principale, est proprium Dei, potest tamen aliquid aliud á Deo, in quantum agit virtute divina, causare gratiam ut in corpore et in præcedenti responsione dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum, et donorum.

Pro negativa.=Videtur, quod gratia sacramentalis nihil addat supra gratiam virtutum et donorum.

1. Per gratiam virtutum et donorum perficitur anima sufficienter, et quantum ad essentiam animæ, et quantum ad potentias ejus, ut patet ex his quæ dicta sunt in prima secundæ quæst. 110. art. 3. et 4. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere supra gratiam virtutum et donorum.

Conseq. prob., quia gratia ordinatur ad perfectionem animæ: si igitur anima sufficienter per gratiam virtutum et donorum perficitur, non poterit super hanc gratiam gratia sacramentorum aliquid addere.

2. Omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum et donorum. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam donorum et virtutum.

Anteced. prob., quia nullum est peccatum quod non contrarietur alicui virtuti, igitur per gratiam virtutum excluditur omne peccatum.

Conseq. prob., quia gratia sacramentalis ordinatur ad tollendum defectus animæ, qui ex peccatis causantur. Si igitur gratia virtutum omnia excludit peccata, nihil super hanc gratiam poterit gratia sacramentalis adjungere.

3. Si gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum et donorum, sequitur quod æquivoce dicatur gratia; et sic nihil certum nobis ostenditur ex hoc quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Conseq. prob., quia omnis additio vel subtractio in formis variat speciem, ut dicitur 8. Met. tex. 10. Id igitur quod addit gratia sacramentorum, erit gratia æquivoce; et sic nihil certi habebimus per hoc quod dicitur sacramenta causare gratiam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum et virtutum, frustra his qui sacramenta habent dona et virtutes conferrentur. Ergo videtur quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Conseq. prob., quia in operibus Dei nihil est frustra.

Determinatio.

Conclusio. Gratia sacramentalis addit super gratiam donorum et virtutum.

Prob. Sicut se habet gratia virtutum et donorum ad gratiam communiter dictam, ita se habet gratia sacramentalis ad gratiam communiter dictam, et ad gratiam donorum et virtutum. Sed gratia virtutum et donorum addit aliquid super gratiam communiter dictam. Ergo et gratia sacramentalis addit aliquid super gratiam communiter dictam, et super gratiam donorum et virtutum. Manifestatur hæc ratio: nam gratia triplex est, scilicet gratia communiter, sive secundum se considerata, gratia virtutum et donorum, et gratia sacramentalis. Gratia secundum se considerata, perficit essentiam animæ, in quantum ipsa animæ essentia participat quamdam similitudi-

nem divini esse, ut dictum est 1. 2. q. 110. art. 3. Et sicut ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ita á gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes et dona quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Et hæc dicitur gratia virtutum et donorum. Sacramenta autem ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana, sicut baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi, qui quidem effectus est aliquid speciale, præter actus potentiarum animæ; et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Ex quibus manifeste patet proportio facta in majori et veritas minoris, et amplius patet quid addat gratia donorum et virtutum super gratiam communiter dictam; et gratia sacramentalis super utramque.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens. Quod per gratiam virtutum et donorum sufficienter perficitur essentia et potentiæ animæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ; sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita christiana, requiritur sacramentalis gratia. Est igitur verum antecedens, loquendo de sufficienti perfectione in suo ordine, non autem de perfectione simpliciter.

Ad 2. Dicitur ad antecedens. Quod per virtutes et dona excluduntur sufficienter vitia et peccata quantum ad præsens et futurum, in quantum scilicet impeditur homo per virtutes et dona á peccando. Sed quantum ad præterita peccata quæ transeunt actu et permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod id quod addit gratia sacramentalis super gratiam donorum et virtutum, non se habet sicut forma specifica ad aliam formam alterius speciei; sed sicut ratio speciei ad genus; unde sicut non æquivoce dicitur animal communiter dictum et animal ut sumitur pro homine, ita non æquivoce dicitur gratia communiter sumpta, et gratia sacramentalis.

ARTICULUS III.

Utrum sacramenta novæ legis contineant gratiam.

Pro negativa. = Videtur, quod sacramenta novæ legis non contineant gratiam.

1. In sacramentis novæ legis non est gratia, sicut in subjecto, neque sicut in vase. Ergo sacramenta novæ legis non continent gratiam.

Antecedens prob. Non sicut in subjecto, quia subjectum gratiæ non est corpus, sed spiritus. Non sicut in vase, quia *vas est locus mobilis*, ut dicitur 4. Phys. textu 41. Esse autem in loco non convenit accidenti.

Consequentia prob. Quia contentum est in continente. Unde si gratia sit contenta á sacramentis, est in eis, vel sicut in subjecto, vel sicut in vase.

2. Sacramenta ordinantur ad hoc, quod homines per ea, gratiam consequantur. Ergo sacramenta non continent gratiam.

Consequentia prob. Quia gratia, cum sit accidens, non potest transire de subjecto in subjectum, quod tamen esset necessarium, si gratia contineretur in sacramentis: tunc enim gratia transiret de sacramentis ad animam.

3. Spirituale non continetur á corporali, etiam si in eo sit. Sed gratia est quid spirituale. Sacramenta quid corporale. Ergo gratia non continetur in sacramentis.

Maior probat. Quia spirituale, etiam si sit in corporali, non continetur, sed continet: sicut anima quæ est spiritualis, etsi sit in corpore, non continetur á corpore, sed continet corpus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hugo de Sanct. Vict. lib. de Sacram. part. 19. cap. 1. dicit quod *sacramentum, ex sanctificatione, invisibilem gratiam continet.*

Determinatio.

1.ª CONCLUSIO. Sacramenta novæ legis continent gratiam, sicut signum continet signatum.

Probatur, quia sacramenta sunt signa gratiæ, ut dictum est.

2.ª CONCLUSIO. In sacramentis novæ legis continetur gratia, sicut effectus in causa instrumentali.

Manifestatur. Sacramentum enim novæ legis est causa instrumentalis gratiæ, ut dictum est art. præcedenti; unde gratia est in sacramentis novæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa univoca, neque etiam secundum aliquam formam propriam et permanentem proportionatam ad talem effectum; sicut sunt effectus in causis non univocis, puta res generatæ in sole. Sed secundum quamdam instrumentalem virtutem, quæ est fluens et incompleta in esse naturæ, ut dicetur infra art. sequenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens. Quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam. Sed est in sacramento, sicut in vase, prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. 9. *Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.*

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis accidens non transeat à subjecto in subjectum, transit tamen á causa per instrumentum aliqualiter in subjectum, non ut eodem modo sit in eis; sed in unoquoque secundum propriam rationem: idest in causa, secundum rationem causæ; in instrumento secundum rationem instrumenti; et in anima secundum rationem subjecti.

Ad 3. dicitur ad maiorem, quod spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum et non continetur ab eo, ut de anima dictum est quæ continet corpus et non continetur ab eo: si vero spirituale non perfecte in aliquo corporali existat, potest secundum aliquem modum contineri á corporali, in quo existit. Tunc ad minorem dicitur quod gratia est in sacramento secundum esse fluens et incompletum, et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

ARTICULUS IV.

Utrum in sacramentis sit aliqua virtus causativa gratiæ.

Pro negativa. = Videtur, quod in sacramentis non sit aliqua virtus causativa gratiæ.

1. In re corporali non potest esse aliqua virtus spiritualis. Sed sacramenta sunt corporalia, virtus autem causativa gratiæ est spiritualis. Ergo in sacramentis non est aliqua virtus causativa gratiæ.

Maior prob. In corpore enim non potest esse virtus spiritualis, ita quod sit ei propria, quia virtus fluit ab essentia rei. Et ita non potest eam transcendere. Neque ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum recipientis.

2. Omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis vel boni. Sed non est dare in quo genere entis vel boni sit talis virtus. Ergo in sacramentis non est aliqua hujusmodi virtus.

Minor prob. Et prior pars patet discurrendo per singula genera entis: non enim est substantia, nec quantitas, nec relatio, nec qualitas, cum non sit habitus,

nec passio, nec passibilis qualitas, etc. Altera pars ostenditur: non enim hæc virtus potest reduci inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis, ac per hoc non sunt minima bona. Neque etiam inter media bona, cujusmodi sunt potentiæ animæ quæ sunt quædam potentiæ naturales. Nequæ etiam inter maxima bona, quia hujusmodi virtus non est gratia, nec virtus mentis.

3. Si talis virtus est in sacramentis, non causatur in eis, nisi per creationem á Deo. Sed inconveniens videtur quod tam nobilis creatura statim esse desinat sacramento perfecto. Ergo nulla virtus est in sacramentis ad causandam gratiam.

4. In uno sacramento non potest esse una virtus. Ergo in sacramentis nulla potest esse virtus.

Conseq. prob., quia unius sacramenti tantum una virtus esse potest. Unde si nec una virtus in uno sacramento esse potest, sequitur quod nulla sit in sacramentis virtus.

Antecedens prob. In eo quod constituitur ex diversis, non potest esse tantum una virtus; idem enim non potest esse in diversis. Sed ad sacramenta concurrunt diversa, scilicet verba et res. Ergo non potest in uno sacramento esse una tantum virtus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August dicit tract. 80. Super Jo. hom. in die oct. Epist. 5. « Unde tanta « vis aquæ, ut corpus tangat et cor « abluat? » Et Beda dicit quod « Dominus « tactu suæ mundissimæ carnis vim re- « generativam contulit aquis.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Secundum illos, qui posuerunt quod sacramenta non causant gratiam, nisi per quamdam concomitantiam, dicendum esset quod in sacramentis non sit aliqua virtus quæ operetur ad sacramenti effectum. Sed quod sola virtus divina sacramentis assistens, sacramentalem effectum operatur.

2.ª Conclusio. Ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ necesse est simul ponere quod in sacramento sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.

Qualis sit hæc virtus in sacramentis existens.

Hæc virtus causativa gratiæ in sacramentis existens, proportionatur instrumento, unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicujus rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim (ut dictum est art. 1.) non operatur nisi in quantum est motum á principali agente quod per se operatur. Et ideo principalis agentis virtus habet permanens et completum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum; sicut et motus est actus imperfectus transiens ab agente in patiens.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea, per modum virtutis permanentis et completæ; nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua spirituali substantia ad aliquem effectum spiritualem inducendum; sicut in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit á conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur á Deo ad effectum spiritualem.

Ad 2. Negatur minor: sicut enim motus in eo quod est actus imperfectus, etsi proprie non sit in aliquo genere, reducitur tamen ad genus actus perfecti (sicut alteratio, ad qualitatem) ita virtus instrumentalis, etsi non sit, proprie loquendo, in aliquo genere, reducitur ta-

men ad genus et ad speciem virtutis perfectæ.

Ad 3. Dicitur ad maiorem: quod virtus causandi gratiam, non est in sacramentis per creationem: sed quemadmodum virtus instrumentalis acquiritur, ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum acquirit spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri ad usum sacramenti. Unde August. dicit in quodam Serm. de Epiphan. « Nec mirum « quod aquam, hoc est substantiam cor- « poralem, ad purificandam animam di- « cimus pervenire, pervenit plane et pe- « netrat conscientiæ universa latibula: « quamvis enim ipsa sit subtilis et te- « nuis; benedictione tamen Christi facta « subtilior occultas vitæ causas, ad se- « creta mentis subtili rore pertransit.

Ad 4. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur quod sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum: ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis et rebus, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum.

ARTICULUS V.

Utrum sacramenta novæ legis habeant virtutem ex passione Christi.

Pro negativa.=Videtur, quod sacramenta novæ legis non habeant virtutem ex passione Christi.

1. Virtus vivificativa animæ non est ex passione Christi: sed virtus sacramentorum est ad causandam gratiam in anima, per quam spiritualiter vivit. Ergo virtus sacramentorum non est ex passione Christi.

Maior prob., quia August. dicit super Joan. tract. 19. et 25. « Verbum prout « erat in principio apud Deum, vivificat « animas; secundum autem quod est ca- « ro factum vivificat corpus.» Cum igitur passio Christi pertineat ad Verbum, secundum quod est caro factum, videtur quod non possit causare vitam animæ.

2. Illud quod dependet ex fide, non est specialiter ex passione Christi. Sed virtus sacramentorum videtur ex fide dependere. Ergo virtus sacramentorum non est specialiter ex passione Christi.

Maior prob., quia fides nostra, non solum respicit passionem Christi; sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius et principalius etiam divinitatem ejus.

Minor prob., quia August. dicit tract. 80. super Jo. Verbum Dei perficit sacramentum, *non quia dicitur, sed quia creditur.*

3. Ea quæ ordinantur ad hominum justificationem, habent virtutem magis ex resurrectione Christi, quam ex ejus passione; sed sacramenta ordinantur ad hominum justificationem. Ergo sacramenta habent virtutem ex resurrectione Christi magis, quam ex ejus passione.

Maior prob., quia justificatio attribuitur resurrectioni, secundum illud Rom. 4. « Resurrexit propter justifica- « tionem nostram.»

Minor prob., quia 1. Cor. 6. dicitur: *abluti estis et justificati estis.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Rom. 5. « In similitudi- « nem prævaricationis Adæ,» etc. dicit Glos. ordin. « Ex latere Christi dormien- « tis in cruce fluxerunt sacramenta, per « quæ salvata est Ecclesia. Sic ergo sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi.

Determinatio.

Conclusio. Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi.

Probat. Primo unum quod conclusio supponit. Deinde prob. ipsa conclusio. Supponit conclusio quod sacramenta possint habere virtutem ex humanitate Christi; si enim virtus quæ est in sacramentis, non posset aliqualiter esse ex humanitate Christi, vanum esset quærere, an sit ex passione Christi quæ ad

ejus humanitatem pertinet. Sic ergo ostenditur hoc suppositum. Instrumentum separatum habet virtutem ab agente principali per instrumentum conjunctum. Sed humanitas Christi comparatur ad Deum, qui est principalis causa gratiæ, sicut instrumentum conjunctum, sacramentum vero sicut instrumentum separatum. Ergo sacramenta quæ operantur ad causandam gratiam per modum instrumenti, ut dictum est art. 1. habent virtutem á Deo, tamquam á causa principali, et ab humanitate Christi sicut ab instrumento Dei conjuncto. Maior declaratur, quia duplex est instrumentum scilicet conjunctum et separatum: conjunctum, ut brachium; separatum, ut baculus quæ duo instrumenta sic se habent quod instrumentum separatum movetur per conjunctum, ut baculus per brachium. Instrumentum igitur separatum movetur á principali agente per instrumentum conjunctum; et habet vim movendi alia per instrumentum conjunctum sicut baculus habet vim movendi lapidem ab anima per brachium.

Ipsa autem conclusio probatur dupliciter. Primo ratione; secundo á signo. Ratio est. Ab eo per quod præcipue Christus nos liberavit á peccatis et per quod initiavit ritum Christianæ religionis, præcipue sacramenta habent virtutem. Sed Christus liberavit nos á peccatis nostris præcipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie, ut dictum est quæst. 49. Et etiam per suam passionem initiavit ritum christianæ religionis, *offerens seipsum oblationem, et hostiam Deo*, ut dicitur ad Ephes. 5. Ergo sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum.

Maior manifestatur. Quia gratia sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum in quantum transeunt actu et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitæ Christianæ. Ex eo igitur, per quod liberati sumus á peccatis, et per quod institutus est Christianæ religionis ritus, habent sacramenta Ecclesiæ virtutem.

Signum autem ad confirmandam conc. est, quia de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam quæ sunt potissima sacramenta: unde et ex passione Christi alia sacramenta virtutem traxerunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod verbum, prout erat in principio apud Deum, vivicat animas, sicut agens principale. Caro tamen ejus, et mysteria in ea perpetrata operantur instrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quamdam exemplaritatem operantur, ut quæst. 56. art. 1. dictum est.

Ad 2. Negat. maior: illud enim quod dependet specialiter ex fide passionis Christi, habet virtutem ex passione Christi. Tunc ad minorem dicitur quod virtus sacramentorum est præcipue ex fide passionis Christi. Per fidem enim Christus habitat in nobis, ut dicitur ad Ephes. 3. Et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum speciali quodammodo pertinet ad passionem ipsius Christi. Et ideo per fidem passionis ejus specialiter liberantur homines á peccatis, secundum illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Et ideo virtus sacramentorum quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod justificatio attribuitur resurrectioni, ratione termini ad quem qui est novitas vitæ per gratiam. Attribui-

tur tamen passioni, ratione termini á quo, scilicet quantum ad remissionem culpæ.

ARTICULUS VI.

Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarint.

Pro affirmativa. Videtur quod etiam sacramenta veteris legis gratiam causarint.

1. Fides passionis Christi, ex qua sacramenta novæ legis habent efficaciam eadem fuit in veteri lege et in nova. Ergo sicut sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ita etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

Anteced. prob., quia dicitur 4. Cor. 4. *Habemus eumdem spiritum fidei.*

2. Sacramenta per quæ homines sanctificantur, conferunt gratiam. Sed per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur. Ergo sacramenta veteris legis conferebant gratiam.

Maior probat., quia sanctificatio non fit nisi per gratiam.

Minor prob., quia dicitur Levit. 8. *Cumque sanctificasset* Moyses Aaron et filios ejus *in vestitu suo*, etc.

3. Baptismus nunc confert gratiam. Ergo etiam circumcisio in lege veteri gratiam conferebat. Ergo et alia sacramenta legalia conferebant gratiam. Prima consequentia prob., quia Beda dicit in Hom. circumcisionis: «idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in «lege contra originalis peccati vulnus «agebat quod baptismus agere revelatæ «tempore gratiæ consuevit.» Secunda consequentia prob., quia sicut baptismus est janua sacramentorum novæ legis, ita et circumcisio erat janua sacramentorum veteris legis: propter quod et Apostolus dicit ad Galat. 5. «Testificor «omni homini circumcidenti se, quoniam «debitor est universæ legis faciendæ.»

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacramenta quæ conferunt gratiam, perfecte justificant. Sed sacramenta veteris legis non perfecte justificabant. Ergo sacramenta veteris legis non conferebant gratiam.

Maior prob., quia gratia perfecte justificat.

Minor probat., quia super illud Gal. 4. *Convertimini iterum ad infirma et egena elementa*, dicit Glos. ord. idest ad *legem quæ dicitur infirma, quia perfecta non justificat.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Non potest dici quod sacramenta veteris legis, per se ipsa, idest propria virtute, conferrent gratiam justificantem. Prob., quia sic non fuisset necessaria passio Christi secundum illud Gal. 2. *Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est.*

2.ª Conclusio. Non potest dici quod sacramenta veteris legis ex passione Christi haberent virtutem conferendi gratiam et justificandi.

Manifestatur ex differentia quæ est inter fidem et sacramenta. Sicut enim patet ex dictis art. præced. Virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta; differenter tamen: nam continuatio quæ est per fidem, fit per actum animæ: continuatio vero quæ est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod præcedit in actu animæ; sicut finis qui est posterior tempore, movet agentem, secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est quod á passione Christi quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad sacramenta novæ legis, non autem ad sacramenta veteris legis; et tamen per fidem passionis Christi justificabantur antiqui patres, sicut et nos. Sacra-

menta autem veteris legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus ejus. Sic ergo patet quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.

Breviter igitur, ratio ad conclusionem consistit in hoc quod fides antiquorum patrum poterat habere vim justificandi; quia fides est secundum interiorem actum animæ, ac per hoc fides passionis Christi, etiam si ipsa passio adhuc non esset peracta, erat tamen in intentione credentium. Sacramenta autem perficiuntur per exteriorem actum: et ideo non poterant habere vim justificandi non peracta passione Christi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod fides antiquorum et nostra est eadem, quia est de Christo; tamen non eodem modo. Antiqui enim patres habebant fidem de passione Christi futura quæ secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat justificare; non autem secundum usum sacramentalium rerum. Nos autem habemus fidem de passione Christi peracta quæ potest justificare, etiam secundum usum sacramentalium rerum, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod illa sanctificatio erat figuralis: per hoc enim sanctificari dicebantur quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

Ad 3. Neg. prima conseq. Ad prob. dicitur, quod de circumcisione multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt quod per circumcisionem non conferebatur gratia; sed solum auferebatur peccatum.

Sed hoc non potest esse, quia homo non justificatur á peccato, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Et ideo alii dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos gratiæ.

Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Et præterea secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causæ materialis sit é converso. Forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum.

Et ideo alii dicunt quod circumcisio conferebat gratiam, etiam quantum ad aliquem effectum positivum qui est facere dignum vita æterna, non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod et aliquando Sanctiss. Doctori visum est. Sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum. Quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et mereri vitam æternam.

Et ideo melius dicendum videtur. Quod circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erant solum signum fidei justificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4. Quod Abraham *accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei:* et ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futuræ, ut patebit infra qu. 70. art. 4.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 62.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Lutheri* dicentis; sacramenta novæ legis dare gratiam his, qui non ponunt obicem, hæretica est, licet usitata sententia. Item hæresim *Armenorum* dicentium; sacramentum nullum conferre gratiam, nec posse; quantumlibet ad ejus susceptionem animam suam quis præparet. Nec potest dici, quod loquuntur de dare gratiam per modum principalis agentis; quoniam sententia usitata in contrarium, quam oppugnare intendunt, non loquitur, nisi de dare gratiam per modum secundarii, idest instrumentalis, agentis. Patet enim, quod nullus umquam sapiens posuit, sacramenta dare gratiam per modum principalis causæ: tantum abest, ut sententia hæc in isto sensu sit usitata. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Concilio *Florent.* in Decreto, seu constitutione super unione Armenor. " Novæ legis sacramenta multum á sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne sumentibus conferunt. » Item á Concilio *Trident.* sess. 7. de sacramentis, cano. 2. " Si quis dixerit, novæ legis sacramenta á sacramentis antiquæ legis non differre: nisi, quia ceremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi: Anathema sit.» Et can. 6. " Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre: quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ; et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: Anathema sit. » Et can. 7. " Si quis dixerit: non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant: sed aliquando, et aliquibus: Anathema sit. » Item á Papa *Leone X* in sua Bulla contra errores *Lutheri*. De qua vide in Addit. q. 8. app. Item á D. Aug. ut est *in arg. cont.* Item ab Addit. art. num. 68. Elucid. Cæterum, ne mireris, nec in vera fide ullo modo vacilles, propter hoc, quod Lutherum (ut similes) catholicis imponentem hæresim audisti: quoniam, his mendaciis, ad vafre decipiendum simplicium animas, eos uti contra ecclesiam catholicam, docuit hæreticorum magister, et pater, scilicet, diabolus. Sed, ut deludantur illusores (ut oportet) vide omnino veritates aureas super totam legem veterem, Num. 16. concl. 2. ad longum, et Deuter. 17. concl. 7. 8. 9. Item Compend. Alber. Magn. lib. 7. cap. 9. schol. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim *Lutheri* dicentis: omnes christianos esse sacerdotes, et æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus discretione facta. Item *Pauperum de Lugduno* (ut refert Summa fratris Yconeti, in Bibliotheca Vaticana Romæ manuscripta) dicentium: absolvere potest, et pœnitentiam injungere quilibet bonus, et sciens laicus. Hos enim omnes impugnat, et expugnat præsens art.: dum gratiam sacramentalem addere super gratiam communiter dictam, virtutumque, ac donorum determinat: cujus oppositum, tamquam radicem suam, prædictæ hæreses, supponebant. Nam, si quoslibet bonos volunt esse sacerdotes, et æqualem potestatem sine differentia habere: utrique manifestant ex terminis his, quod gratia sacramentalis, secundum seipsos, nihil addit supra gratiam virtutum, et donorum. Quid enim addat, si pari gratia laici cum fœminis etiam ad sacerdotum sacramento ordinis insignitorum munia concurrunt? *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas hæreses merito damnari á Concil. *Trid.* sess. 7. de sacramentis, canon. 10. " Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit. » Item á Conc. *Rhemensi*, quod et per hoc præsentem art. conclusionem de additione gratiæ sacramentalis, confirmat (ut consideranti patet). Dicit ergo; ut legitur in Decr. de consecrat. distinct. 2. " Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantum parvi pendebant divina mysteria, ut laico, vel fœminæ sacrum corpus Domi-

ni tradant ad deferendum infirmis: et quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur. Quod, quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus: ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat: sed omnino presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit. » Ex quibus ad litteram patet à fortiori: quam esse horribiliores, detestabilioresque hæreses prædictas voluerit intelligi concilium: easque pro talibus acrimonia vehementiori condemnare. Si enim laicos nec deferre sacrum Domini corpus quamvis ex commisione presbyteri imprudentissima, synodus cum patientia non potest audire, quin sancto zelo ad vindictam tanti criminis accendatur; quantam putas indignationem justissimam effunderet in eos, qui et consecrare, et absolvere laicis etiam fœminis (reclamante omni rationis dictamine) ausu temerario, auræque popularis nimium avido, concedere non erubescunt? Cæterum, quia satis abunde talia monstra alibi damnata fuerunt, ideo brevitati studentes illuc te remittimus. Vide igitur 2. 2. ar. num. 81. Elucidat 8. et Addit. art. num 28. 29. 31. 73. 74. 78. 123. 147. Elucidat. et veritates aureas super legem veterem, Exod. 28. concl. 1. Quæ omnia per hoc, quod hæreses illas reprobant; eodem tenore præsentem D. Thomæ art. sententialiter, tamquam veritatem ipsius præsupponentia comprobant. *Tertio* igitur vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam ex consequenti, interimas hæresim *Lutheri* dicentis: sacramentis Christi non tolli peccata, sed relicta non imputari; permanentia velari, non ablui. Dixi ly *ex consequenti*: quia ex hoc, quod sacramenta continent instrumentaliter, idest, secundum esse fluens, gratiam, sequitur, quod sacramentis ipsis peccata hominum vere tollantur, et abluantur. Alioquin vere non continerent gratiam secundum esse fluens, scilicet in recipientes ipsa sacramenta. Contra hæresim autem istam directe est art. 1. quod ea dare gratiam, qua vere delentur peccata, determinat. Vide ergo tu illic, et ejus append. si eam de directo etiam profligare volueris. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari ex consequenti á Conc. Florent. et Trident. quatenus dicunt, quod sacramenta nostra continent gratiam. Nam eadem concilia, quatenus sacramenta dare gratiam definiunt, damnant directe eamdem hæresim. Sed per rationem art. 1., tunc, scilicet, quando de directo eam expugnant, ostenduntur, id merito facere. Vide igitur concilia ipsa in art. 1. append. de continentia gratiæ in speciali decernentia. Hinc de fide catholica tenendum esse cognosces et ibi, et hic positas art. concl. Id, quod et tu semper ubique per te observabis esse dicendum: quotiescumque vel quandocumque aliquid in artic. dictum inveneris á concilio aliquo sacro, vel à Summo Pontifice, esse tamquam Ecclesiæ dogma determinatum. Hæc dicta sint pro regula universalissima, et diligentissime practicanda; ne sanctiones dogmatum ecclesiasticorum factæ nobis videantur incassum, immo et (vitio nostræ ignorantiæ tamen) in damnationem á legitimis concil. et Summis Pontificibus. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex ar. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Catharorum* (ut refert Card. Turrecremata. De Eccles. l. 4. c. 15.) dicentium, quod sacramenta omnia Ecclesiæ nihil prosunt ad salutem. Art. enim præsens S. Doctoris per hoc, quod sacramenta habere vim gratiæ causativam demonstrat, opponitur directe contra illam hæresim (ut patet) et ipsam expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eamdem merito damnari á conciliis, sup. qu. 2. art. 1. append. et hac qu. 3. art. 1. append. adductis: item á D. Aug. et Beda, secundum quod adducuntur *in arg. cont.* Item á Conc. Trident. quod tamquam proprius ad conclusio. art. accedens dicit in sess. 7. de sacramentis cano. 8. " Si quis dixerit, per novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam: anathema sit. » Ubi patet: quod concilium vult non sufficere confiteri, quod sacramenta ipsa conferant gratiam (quod jam determinarat canon. 6. sed requiri hanc confessionem scilicet quod ipsa ex opere operato conferant eam. Est ergo de fide catholica tenendum, quod nostra sacramen-

ta gratiam conferunt ex opere operato. Id, quod S. Doctor hoc in loco intellexit per ly *in sacramento est virtus instrumentalis, ad inducendum sacramentalem effectum*, hoc est, in sacramentis est virtus gratiæ causativa. Rursus. Cum, ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, idest, quod causat gratiam, necesse sit, simul ponere, quod in sacramento sit illa virtus causativa gratiæ (ut dicit text. corpor.) patet: quod Conc. *Florent.* ponit sententialiter, istam virtutem gratiæ causativam in sacramentis esse, quando expresse ponit, ipso sacramenta causare, seu conferre gratiam (ut recitatur art. 1. append.) Vide regulam universalissimam de dogmatibus Ecclesiæ, supra art. 3. append. circa fin. Nam debent anteponi quibuscumque doctorum dictis, 2. 2. q. 10. art. 12. corp. princ. cum Ecclesia sit regula infallibilis, in his, quæ fidei sunt, 2. 2. q. 5. a. 5. cor. Et consequenter, si qua quorumcumque illorum dicta videantur dissonare á determinatis ab Ecclesia, sunt ad limam Ecclesiæ (meliori modo, quo potest) corrigenda; et non é converso, idest non sunt revocanda in dubium, quæ ante ipsius determinationem erant dubiosa propter cujusvis opinionem, sententiam, vel auctoritatem, 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. Vide et ib. q. 1. a. 10. cor. ad propositum istud, quatenus opus est, applicando. Hæc ad salutem necessaria pro nunc dicta sint; licet ab art. præsentis textu videamur parum (sed tamen pro zelo animarum) digressi. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, conciliis, et August. quod sacramenta habent virtutem ex passione Christi. A D. Aug. quidem, ut est *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Heb. 9. *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Cum enim per sacramenta fiat peccatorum remissio, (ut sæpius patet ex Apost.) sequitur manifeste, quod ipse per illa verba, applicata ad figuratum, voluit dicere, quod sacramenta habent suam vim ex sanguinolenta passione Christi. Item per hoc, quod dic. Rom. 6. " An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Hoc est, in proposito. Tam manifestum est, ut ignorare non deberetis, quod baptismus Christi (per hunc á simili in hoc cointellige alia sacramenta) habet virtutem suam ex passione ipsius. Unde et ad hujus confirmationem, sanctificatis per sacramenta dixit B. Petrus Apostolus, quod erant electi, renati, et sanctificati in aspersionem sanguinis Jesu Christi. Volens per hoc ostendere, quod meritum sanguinis ejus nobis per sacramenta communicatur: id, quod redit in idem, dicendo, quod sacramenta vim suam trahunt á passione Christi. A Concilio autem *Flor.* per hoc, quod dicit, nostra sacramenta conferre gratiam (ut patet a. 1. app.) Gratia enim cum remittantur peccata, et sine sanguinis effusione non fiat remissio peccatorum (ut nunc sup. ex Apostolo dictum est) sequitur aperte, quod concilium illud sic dicendo affirmavit intentum nostrum, scilicet quod ex passione Christi derivatur virtus sacramentorum. A concilio quoque Trident. per hoc, quod inquit sess. 5. Decr. de peccato originali. " Si quis negat, ipsum Christi meritum, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum tam adultis, quam parvulis, applicari: anathema sit. Quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde est illa vox: *Ecce agnus Dei*; *Ecce qui tollit peccata mundi.* Et illa. Quicumque baptizati estis, Christum induistis. » A Concilio etiam *Viennensi* ut habetur in libro Clementinarum tit. de sum. Trin. et fid. cath. " In natura assumpta Dei verbum, emisso jam spiritu, perforari lancea sustinuit latus suum: ut exinde profluentibus undis aquæ, et sanguinis formaretur unica, et immaculata, ac virgo sancta mater Ecclesia, conjux Christi. » Patet siquidem, quod Ecclesia formatur per sacramenta, idest, generatur, et crescit: et consequenter patet, quod per illud dictum synodus notificavit, quod sacramenta Ecclesiæ ex morte Christi vim trahunt. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et conciliis, quod sacramenta veteris legis non causabant gratiam. A scripturis quidem per hoc, quod sacramenta illa dicuntur infirma et egena, Galat. 4.

Vide cum Glossa *in arg. cont.* et q. 2. art. 4. ad 2. A Conciliis autem Florent. et Trid. ut supra ar. 1. append. Adde et Trident. ibid. sess. 7. can. 5. " Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit. » Ubi per ly *hæc* denotat novæ legis sacramenta, ut patet per contextum can. 4. non esse propter solam fidem, dicere se ostendit can. 6. quia causant gratiam. Constat autem, quod propter solam fidem de Christo nutriendam instituta erant sacramenta veteris legis (ut habetur ex probatione concl. 3.) ideoque simul constare debet, quod vetera illa sacramenta non causabant gratiam. Si enim hanc causassent, tunc non propter solam fidem nutriendam ordinata fuissent. Item à Concil. eodem sess. 6. c. 1. " Homines usque adeo servi erant peccati, ut non modo gentes per viam naturæ, sed ne judæi quidem per legem Moysi inde liberari, aut surgere possent. *Secundo* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA TERTIA,

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundo, quid sit ille character.

Tertio, cujus sit character.

Quarto, in quo sit sicut in subjecto.

Quinto, utrum insit indelebiliter.

Sexto, utrum omnia sacramenta imprimant characterem.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

Pro negativa. = Videtur, quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima.

1. Distinctio membrorum Christi ab aliis non fit per aliquid existens in anima. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

Antec. prob., quia distinctio membrorum Christi ab aliis, fit per æternam prædestinationem, juxta illud 2. Tim. 2. « Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, novit dominus, « qui sunt ejus; » prædestinatio autem divina nihil ponit in prædestinato, ut dictum est 1. p. q. 23. art. 3. Consequentia vero prob., quia character significare videtur signum distinctivum; unde si sacramenta imprimerent characterem ad hoc imprimerent, ut distinguerent membra Christi ab aliis.

2. Signum non potest esse in anima. Sed character est quoddam signum distinctivum. Ergo character non imprimitur per sacramenta in anima.

Maior prob., quia signum « est quod « præter speciem, quam ingerit sensibus « facit aliquid aliud in cognitionem venire, » ut August. dicit in 2. lib. de Doct. Christ. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem sensibus ingerat.

3. Sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem in anima. Unde et dicuntur *justitiæ carnis*, secundum Apost. ad Heb. 9. Ergo videtur quod neque sacramenta novæ legis imprimant characterem.

Conseq. probat., quia sicut per sacramenta novæ legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit 2. Cor. 1. « Qui unxit « nos Deus est, et qui signavit nos, et « dedit pignus spiritus in cordibus nostris. » Ergo videtur quod Deus per sa-

cramenta nobis suum characterem imprimat.

Conseq. prob., quia nihil aliud importat character, quam quamdam signationem.

Determinatio.

Conclusio. Per sacramenta insigniuntur fideles aliquo spirituali charactere. Probatur. Per ea, per quæ fideles deputantur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, insigniuntur fideles aliquo spirituali charactere. Sed per sacramenta deputantur homines ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei. Ergo per sacramenta insigniuntur fideles aliquo spirituali charactere.

Maior prob., quia quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari; sicut milites qui antiquitus ad militiam adscribebantur, solebant quibusdam corporalibus characteribus insigniri, eo quod deputarentur ad aliquid corporale. Ea igitur per quæ homines ad aliquid spirituale deputantur, characterem spiritualem imprimunt.

Minor prob., quia dictum est quæst. præced. art. 5. Quod sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata et ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum ritum christianæ vitæ.

Et confirmatur conclusio auctoritate August. dicentis in 2. contra Parm. cap. 13. «Si militiæ characterem in corpore «suo non militans pavidus exhorruerit, «et ad clementiam imperatoris confuge«rit, ac prece fusa, et impetrata jam «venia, militare cœperit; numquid ho«mine liberato atque correcto, character «ille repetitur, ac non potius agnitus «approbatur? An forte minus hærent sa«cramenta christiana, quam corporalis «hæc nota?»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod fideles Christi ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur signaculo prædestinationis divinæ. Sed ad actus convenientes præsenti Ecclesiæ deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo quod character animæ impressus habet rationem signi, et ingerit sensibus speciem in quantum per sensibile sacramentum imprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus quod est aqua sensibili ablutus.

Dicitur secundo quod character et signum potest dici secundum quamdam similitudinem omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile, sicut Christus dicitur character paternæ substantiæ, ad Heb. 1. sacramenta igitur characterem imprimunt, quia nos configurant Christo et ab infidelibus nos distinguunt.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod etsi sacramenta veteris legis distinguerent; tamen non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character; sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat, Rom. 4.

ARTICULUS II.

Utrum character sit spiritualis potestas.

Pro negativa.— Videtur, quod character non sit spiritualis potestas.

1. Figura non est potestas. Sed character est idem quod figura. Ergo character non est potestas.

Maior prob., quia figura est in quarta specie qualitatis, et ita differt á potestate quæ est in secunda specie qualitatis.

Minor prob., quia ubi Heb. 1. dicitur: «figura substantiæ ejus in Græco, «loco figuræ, habetur character.»

2. Lumen non est potestas. Sed character est quoddam lumen. Ergo character non est potestas.

Maior prob., quia lumen videtur pertinere ad tertiam speciem qualitatis, potestas vero pertinet ad secundam speciem.

Minor prob., quia Dion. dicit in 2. cap. Eccles. Hierarch. Quod «divina «beatitudo accedentem ad beatitudinem «in sui participationem recipit, et pro- «prio suo lumine, quasi quodam signo «ipsi tradit suam participationem;» et ita videtur quod character sit lumen.

3. Signum non est potestas. Sed character est signum. Ergo character non est spiritualis potestas.

Maior prob., quia signum est in genere relationis et non in genere potestatis.

Minor prob., quia á quibusdam diffinitur character sic. Character est signum sanctum communionis fidei et sanctæ ordinationis datum á Hierarcha.

4. Illud quod pertinet ad rationem effectus, non est potestas. Sed character pertinet ad rationem effectus. Ergo character non est potestas.

Maior prob., quia potestas habet rationem causæ, et principii, ut patet 5. Met. textu 17.

Minor prob., quia signum quod ponitur in diffinitione characteris, pertinet ad rationem effectus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Character non est habitus, nec passio. Ergo character est potestas.

Conseq. prob., quia tria sunt in anima, potentia, habitus et passio. Illud igitur quod est in anima, et non est habitus, nec passio, necesse est quod sit potentia.

Anteced. prob. Character enim non est passio, quia passio cito transit, character autem est indelebilis, ut dicetur art. 5. Nec est habitus, quia nullus habitus est qui possit se ad bene et male habere; character autem ad utrumque se habet: utuntur enim eo quidam bene quidam vero male: quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis nullus male utitur, et habitu malitiæ nullus bene utitur.

Determinatio.

Conclusio. Character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus.

Prob. Perfectio animæ, per quam deputantur homines ad ea quæ sunt divini cultus secundum ritum christianæ religionis, importat quamdam potentiam spiritualem. Sed character est quædam perfectio animæ, per quam deputantur homines ad ea quæ sunt divini cultus secundum ritum christianæ religionis. Ergo character importat potentiam spiritualem ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus.

Maior prob., quia divinus cultus consistit, vel in recipiendo divina; vel in tradendo ea aliis: et ad utrumque horum requiritur aliqua potestas: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Illud igitur, per quod perficitur homo secundum animam ad ea quæ sunt divini cultus, importat potentiam activam, vel passivam respectu eorum quæ pertinent ad divinum cultum.

Minor prob., quia sacramenta novæ legis characterem imprimunt in anima, in quantum per ea deputantur homines ad cultum secundum ritum christianæ religionis, ut art. præced. dictum est. Unde Dion. in 2. cap. Eccles. Hierarch. Cum dixisset quod «Deus in quodam sig- «no tradit sui participationem accedenti «ad baptismum, subjungit. Perficiens «eum divinum et communicatorem divi- «norum.» Character igitur perficit hominem secundum animam in ordine ad ea quæ sunt divini cultus.

Qualis sit hæc spiritualis potentia, quæ est character.

Sciendum tamen quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam quæst. præced. art. 4. dictum est de vir-

tute, quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem convenit ministris Dei. Minister autem habet semper modum instrumenti, ut Phil. dicit 1. Polit. cap. 3. Et ideo sicut virtus quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod sit quiddam fluens et incompletum; ita etiam character non proprie est in genere, vel specie; sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad minorem quod character non proprie dicitur figura, sed tantum metaphorice. Figura enim proprie est quædam terminatio quantitatis, et ideo figura proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis; in spiritualibus autem dicitur secundum metaphoram: et quia non ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo proprie prædicatur: ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod character non est lumen sensibile tunc enim reponeretur in tertia specie qualitatis; in qua non sunt nisi passiones vel sensibiles qualitates, sed dicitur lumen spirituale; et ideo non est in tertia specie qualitatis, ut quidam arbitrati sunt.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod licet signum non sit potestas, relatio tamen quæ importatur nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Relatio autem hujus signi quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ, quia sic conveniret omni animæ naturaliter; et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio; et hoc est essentia characteris: unde non oportet quod character sit in genere relationis, ut quidam existimaverunt.

Ad 4. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod character habet rationem signi per comparationem ad sacramentum sensibile, á quo imprimitur et sic pertinet ad rationem effectus; tamen secundum se consideratus habet rationem principii per modum dictum in corpore.

ARTICULUS III.

Utrum character sacramentalis sit character Christi.

Pro negativa. = Videtur, quod character sacramentalis non sit character Christi.

1. Illud in quo fideles signati sunt, non est character Christi. Sed per sacramentalem characterem fideles sunt signati. Ergo character sacramentalis non est character Christi.

Maior prob., quia dicitur ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis.* Attribuitur igitur signatio hæc Spiritui Sancto.

Minor prob., quia consignatio importatur nomine characteris.

2. Signum gratiæ non est character Christi. Sed character est signum gratiæ quæ per sacramentum confertur. Ergo character sacramentalis non est character Christi.

Maior prob., quia gratia infunditur animæ á tota Trinitate. Unde dicitur in Psal. 83. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

3. Illud per quod fit distinctio sanctorum ab aliis, non est character Christi. Sed per characterem fit distinctio sanctorum ab aliis. Ergo character sacramentalis non est attribuendus Christo.

Maior prob., quia distinctio sanctorum ab aliis fit per charitatem, quæ *sola distinguit inter filios regni et filios perditionis*, ut August. dicit 15. de Trin. cap. 18. Unde et ipsi perditionis filii characterem bestiæ habere dicuntur, ut patet Apoc. 13. Charitas autem non attribuitur Christo: sed magis Spiritui Santo. Secundum illud Rom. 5. « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Vel etiam attribuitur patri, secundum illud 2. Cor. ult. « Gratia Do-

« mini nostri Jesu Christi, et charitas « Dei. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quidam sic difiniunt characterem. Character est distinctio á charactere æterno impressa ánimæ rationali secundum imaginem consignans trinitatem creatam trinitati creanti et recreanti, et distinguens á non configuratis secundum statum fidei. Ergo videtur quod character sit proprie attribuendus Christo.

Conseq. prob., quia character æternus est ipse Christus, secundum illud Heb. 1. « Qui cum sit splendor gloriæ, « et figura, vel character substantiæ ejus. »

Determinatio.

Conclusio. Character sacramentalis, specialiter est character Christi.

Prob. Character per quem fidelis deputatur ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei, est specialiter character Christi. Sed per characterem sacramentalem deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei. Ergo character sacramentalis est specialiter character Christi.

Maior prob., quia totus ritus christianæ religionis derivatur á sacerdotio Christi: et ideo character, per quem homo ad ea quæ sunt cultus religionis christianæ deputatur, est character Christi, cujus sacerdotio per hujusmodi characterem fideles configurantur.

Minor manifestatur: character enim ut patet ex dictis artic. 1. proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur ut ordinatum ad aliquem finem; sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum, et milites charactere insigniuntur quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem et principaliter ad fruitionem gloriæ, et ad hoc insignitur signaculo gratiæ, secundum illud Ezech. 9. « Signa tua super frontes « virorum gementium et dolentium, » et Apoc. 7. « Nolite nocere terræ et mari, « neque arboribus, quoad usque signe- « mus servos Dei nostri in frontibus eo- « rum. » Secundo autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei, et ad hoc proprie ordinatur character sacramentalis: ex quibus remanet probata minor. Per gratiam enim ordinatur homo fidelis ad gloriam; et per characterem sacramentalem ad ea quæ sunt cultus divini. Sacramentales igitur characteres, nihil aliud sunt, quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod Apostolus ibi loquitur de consignatione secundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam quæ fit per gratiam, quæ consignatio Spiritui Sancto attribuitur in quantum ex amore procedit quo Deus aliquid nobis gratis largiatur quod ad rationem gloriæ pertinet. Spiritus autem Sanctus amor est. Unde et 1. Cor. 12. dicitur: *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*

Ad 2. Dicitur ad minorem. Quod character sacramentalis est res, et sacramentum est res respectu sacramenti exterioris et est sacramentum respectu ultimi effectus; et secundum hæc dupliciter potest aliquid characteri attribui; uno modo secundum rationem sacramenti: et hoc modo character est signum invisibilis gratiæ quæ in sacramento confertur. Alio modo secundum propriam rationem characteris, et hoc modo est signum configurans aliquem alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus, ad quod aliquid deputatur, sicut milites qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo signo quodammodo ei configurantur; et hoc modo ille qui deputatur ad cultum christianum cujus cultus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo confi-

gurantur. Unde proprie est character Christi.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod distinctio sanctorum ab aliis potest fieri dupliciter. Uno modo in ordine ad vitam æternam, et hæc fit per charitatem vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ, et hoc fit per characterem sacramentalem; et per oppositum, per characterem bestiæ potest intelligi obstinata voluntas eorum in malum, qua deputantur ad pœnam æternam; vel professio illiciti cultus, qua ad cultum bestiæ deputantur.

ARTICULUS IV.

Utrum character sit in potentiis animæ sicut in subjecto.

Pro negativa.=Videtur, quod character non sit in potentiis animæ sicut in subjecto.

1. Dispositio ad gratiam non est in potentiis animæ sicut in subjecto; sed potius in essentia animæ. Sed character dicitur esse dispositio ad gratiam. Ergo character non est in potentiis animæ; sed in ipsa animæ essentia sicut in subjecto.

Maior prob., quia gratia est in essentia animæ sicut in subjecto ut dictum est 1. 2. quæst. 110. art. 4.

2. Illud quod est in potentiis animæ sicut in subjecto est habitus, vel dispositio. Sed character non est habitus, nec dispositio, sed magis potentia, ut art. 2, dictum: ergo character non est in potentiis animæ sicut in subjecto.

Aliter. Illud quod non est habitus, vel dispositio, sed potentia, non est in potentiis animæ, sed in ejus essentia sicut in subjecto. Sed character non est habitus, nec dispositio, sed potentia ut art. 2. dictum est. Ergo character non est in potentiis; sed in essentia animæ sicut in subjecto.

Maior probat., quia potentia animæ non videtur esse subjectum, nisi habitus vel dispositionis; ipsa autem potentia in essentia animæ est tamquam in subjecto.

3. Si character esset in potentiis animæ, aut esset in potentia cognoscitiva, aut in potentia appetitiva, aut in utraque. Sed non potest esse in potentia cognoscitiva, neque in potentia appetitiva, neque in utraque. Ergo character non est in potentiis animæ, sicut in subjecto.

Maior prob., quia potentiæ animæ rationalis distinguuntur per cognitivas et per appetitivas. Unde illud quod est in potentiis animæ, in cognoscitivis, vel in appetitivis, vel in utrisque esse necessum est.

Minor prob., quia character non ordinatur ad cognoscendum tantum, neque ad appetendum. Unde non potest esse in cognoscitivis tantum, nec in appetitivis. Et quia idem accidens non potest esse in diversis subjectis, non est in utrisque.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Character imprimitur in anima rationali secundum imaginem, ut patet ex characteris diffinitione inducta in art. præced. Ergo character in potentiis animæ existit.

Conseq. probat., quia imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias.

Determinatio.

Conclusio. Character est, sicut in subjecto non in essentia animæ; sed in ejus potentiis.

Prob. Signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultus, est in potentiis animæ sicut in subjecto. Sed character (ut art. præced. dictum est) est signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultus. Ergo character est in potentiis animæ sicut in subjecto.

Maior probat., quia divinus cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse.

Aliter formatur ratio. Illud quod or-

dinatur ad id quod consistit in quibusdam actibus, est in potentiis animæ; quia potentiæ ad actus ordinantur. Sed character ordinatur ad id quod consistit in quibusdam actibus, scilicet ad divinum cultum. Ergo character est in potentiis animæ ut in subjecto.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod dispositivum ad gratiam duplex est, scilicet proxime disponens et remote. Maior est vera de dispositivo proxime non autem de dispositivo remote. Subjectum enim attribuitur alicui accidenti secundum rationem ejus, ad quod propinque disponit; non autem secundum rationem ejus, ad quod disponit remote, vel indirecte; dispositio igitur ad gratiam directe et proxime, est in essentia animæ, non autem hoc est necesse de dispositione remota et indirecta. Tunc ad minorem dicitur quod character directe et propinque disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus, exequenda: et quia hæc idoneæ non fiunt sine auxilio gratiæ quia (ut dicitur Joan. 4. *Eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet*) ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea ad quæ deputantur: et ideo characteri magis attribuendum est subjectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiæ.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod essentia animæ est subjectum potentiæ naturalis, quæ ex principiis essentiæ procedit: talis autem potentia non est character sed est quædam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Unde sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animæ, quia ordinantur ad actus, quorum principia sunt potentiæ; et eadem ratione omne, quod ad actum ordinatur, est potentiæ tribuendum.

Ad 3. Negatur minor quantum ad primam ejus partem; character enim (ut in corpore dictum est) ordinatur ad ea quæ sunt divini cultus, qui quidem divinus cultus est quædam fidei protestatio, per exteriora signa: et ideo oportet, quod character sit in cognitiva potentia animæ, in qua est fides; et secundum hoc ad probationem dicitur, quod etsi character non ordinetur ad cognoscendum, ordinatur tamen ad protestandum habitum et actum potentiæ cognoscitivæ, qui est fides.

ARTICULUS V.

Utrum character insit animæ indelebiliter.

Pro negativa.=Videtur, quod character non insit animæ indelebiliter.

1. Gratia amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

Conseq. prob. Gratia est perfectior, quam character. Quia character ordinatur ad gratiam, sicut ad ulteriorem finem. Ergo gratia firmius inhæret, quam character.

Accidens enim quanto perfectius est, tanto firmius inhæret. Ergo ex hoc quod gratia non inest animæ indelebiliter, sequitur quod nec character indelebiliter inhæreat.

2. Aliqui á cultu divino, cui per characterem deputantur, ut dictum est art. 1. transeunt ad contrarium cultum per apostasiam à fide. Ergo videtur quod tales amittant sacramentalem characterem.

3. Cultus exterior ad quem character ordinatur, non remanebit in patria. Ergo character sacramentalis non manet in perpetuum in anima, et ita non inest indelebiliter.

Anteced. probat. quia in patria nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate.

Conseq. probatur, quia cessante fine, cessare debet et id quod est ad finem: alioquin frustra remaneret id quod est

ad finem. Sicut post resurrectionem, non erit matrimonium, quia cessabit generatio, ad quam matrimonium ordinatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Character militaris non repetitur. Sed agnitus approbatur in eo qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

Conseq. probat. Quia *non minus hærent sacramenta christiana, quam corporalis nota militiæ*, ut Augustin. dicit lib. 2. contra Parmenianum cap. 13.

Determinatio.

Conclusio. Character indelebiliter manet in anima.

Prob. Participatio sacerdotii Christi, secundum intellectivam partem, indelebiliter manet in anima. Sed character sacramentalis est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus, ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, et eorum quæ pertinent ad divinum cultum. Ergo character sacramentalis manet indelebiliter in anima.

Maior prob. Quia sacerdotium Christi est æternum, secundum illud Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et inde est quod omnis sanctificatio, quæ est per sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente, ut patet etiam in rebus inanimatis; nam consecratio Ecclesiæ, vel altaris semper manet, nisi destruantur: cum igitur anima secundum partem intellectivam semper maneat, cum intellectus sit incorruptibilis et perpetuus; sequitur quod hujusmodi participatio sacerdotii Christi indelebiliter manet in anima.

Minor manifestatur. Quia propter hoc non convenit Christo habere characterem, quia scilicet Christus non habet participatum sacerdotium; sed potestas sacerdotii Christi comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi gratia sit perfectior, quam character, non tamen ex hoc sequitur quod character sit delebiliter in anima sicut gratia. Et hoc quia aliter character est in anima et aliter gratia; gratia enim est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea; character autem est in anima, sicut quædam virtus instrumentalis, ut art. 2. dictum est. Forma autem completa est in subjecto secundum conditionem subjecti; et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viæ, consequens est quod gratia insit animæ mutabiliter; virtus autem instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis: et ideo character indelebiliter inest animæ, non propter sui perfectionem; sed propter perfectionem sacerdotii Christi, á quo derivatur character, sicut quædam instrumentalis virtus.

Ad 2. Negatur consequentia. Sicut enim Aug. dicit lib. 1. contra Donat. "Nec ipsos apostatas videmus carere "baptismate, quibus utique per pœni- "tentiam redeuntibus non restituitur: "et ideo amitti non posse judicatur;" et hujus ratio est, quia character est virtus instrumentalis, ut dictum est in præced. solutione. Ratio autem instrumenti consistit in hoc, quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat, quod pertinet ad voluntatem; et ideo quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur propter immobilitatem principalis agentis.

Ad 3. Neg. conseq. Etsi enim post hanc vitam non remaneat exterior cultus; remanet tamen finis illius cultus: et ideo post hanc vitam remanet character, in bonis quidem ad eorum gloriam, in

malis vero ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post victoriam in his qui vicerunt, ad gloriam; in his vero, qui victi sunt, ad pœnam.

ARTICULUS VI.

Utrum per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character.

Pro affirmativa.=Videtur, quod per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character.

1. Omnia ea per quæ quis efficitur particeps sacerdotii Christi, imprimitur character. Sed per omnia sacramenta novæ legis fit aliquis particeps sacerdotii Christi. Ergo per omnia sacramenta novæ legis imprimitur character.

Maior probat., quia character sacramentalis nihil est aliud, quam participatio sacerdotii Christi, ut dictum est art. præced.

2. Per quodlibet sacramentum novæ legis homo recipit gratiam sanctificantem, ut dictum est q. præced. art. 1. Ergo per quodlibet sacramentum novæ legis imprimitur character.

Conseq. prob., quia character se habet ad animam, in qua est, sicut consecratio ad res consecratas.

3. In quolibet sacramento novæ legis est aliquid, quod est res tantum; et aliquid quod est sacramentum tantum; et aliquid quod est res et sacramentum. Ergo per quodlibet sacramentum novæ legis, imprimitur character.

Consequentia probat., quia character est res et sacramentum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur. Quia character est indelebilis, ut dictum est artic. præced. Sed quædam sacramenta iterantur, sicut patet de pœnitentia et matrimonio. Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem.

Determinatio.

Conclusio. Per tria sacramenta tantum imprimitur character, scilicet per baptismum, confirmationem, et ordinem.

Prob. Per ea tantum sacramenta imprimitur character, quæ ordinantur directe et per modum agentis, vel recipientis aliquod sacrum ad divinum cultum. Sed solum per tria sacramenta prædicta, scilicet baptismum, confirmationem et ordinem, ordinantur aliqui ad divinum cultum directe per modum agentis vel recipientis. Ergo per sola hæc tria sacramenta imprimitur character.

Maior manifestatur. Sacramenta enim novæ legis ad duo ordinantur, scilicet ad remedium peccati et ad cultum divinum: est autem omnibus sacramentis commune quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, sicut patet de pœnitentia per quam homo liberatur á peccato; sed non exhibetur per hoc sacramentum homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in gradum pristinum. Ad divinum autem cultum pertinet aliquod sacramentum tripliciter: uno modo per modum actionis: alio modo per modum agentis: tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem actionis pertinet ad divinum cultum eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium, et per hoc idem sacramentum non imprimit characterem, quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum, vel recipiendum in sacramentis, cum potius *sit finis et consummatio omnium sacramentorum*, ut dicit Dion. 3. c. Eccl. Hierarc. Continet tamen in seipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo. Per modum vero agentis pertinet ad divinum cultum sacramentum, per quod homines deputantur ad tradendum aliis sacramenta. Ad recipientes vero perti-

net sacramentum, quatenus recipiendo sacramentum, recipitur potestas recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta. Ex quibus remanet declarata maior; quantum ad omnes terminos in ea positos. Dicitur enim primo: quod illa tantum sacramenta imprimunt characterem, quæ ordinantur ad divinum cultum directe, ad differentiam illorum sacramentorum quæ ordinantur directe in remedium peccati et indirecte ad cultum divinum, ut sunt pœnitentia et extrema unctio. Dicitur secundo per modum agentis, vel recipientis; ad differentiam illius sacramenti quod pertinet ad cultum divinum per modum actionis, ut est sacramentum Eucharistiæ. Dicitur tertio ad aliquod sacrum, ad differentiam sacramenti, quod ordinatur ad aliquid agendum non tamen sacrum, aut pertinens immediate ad divinum cultum, sicut est sacramentum Matrimonii quod ordinatur ad generationem fidelium. Sola igitur illa sacramenta imprimunt characterem, quæ ordinantur directe ad dandum, vel recipiendum ea quæ sunt divini cultus: remanet autem probata hæc maior propositio sic declarata ex dictis in art. 2. hujus quæst.

Maior prob., quia per sacramentum ordinis deputantur homines ad tradendum aliis sacramenta; et per baptismum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta. Unde baptismus dicitur esse janua omnium sacramentorum, et ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, ut dicetur quæst. 72. artic. 5. Et ideo per tria hæc sacramenta tantum imprimitur character.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod homo potest fieri particeps sacerdotii Christi dupliciter: uno modo participando aliquem ejus effectum, scilicet gratiam: alio modo, per hoc quod deputatur ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum sacerdotii Christi.

Maior est vera de sacramentis per quæ homo fit particeps sacerdotii Christi secundo modo, non autem de sacramentis per quæ homo fit particeps sacerdotii Christi primo modo: tunc ad minorem dicitur, quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum ejus. Non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum quod pertinet ad cultum sacerdotii Christi, quod exigitur ad hoc quod sacramentum characterem imprimat.

Ad 2. Dicitur quod sanctificatio duplex est, quædam quæ importat munditiam á peccato, quæ fit per gratiam; quædam vero est, quæ fit per quamdam consecrationem, per hoc quod aliquis deputatur ad divinum cultum. Tunc dicitur ad antecedens, quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat munditiam á peccato, quæ fit per gratiam; sed specialiter per quædam sacramenta homo sanctificatur quadam consecratione, qua deputatur ad divinum cultum, sicut etiam res inanimatæ sanctificari dicuntur in quantum divino cultui deputantur, et hæc sacramenta characterem imprimunt.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod licet character sit res et sacramentum; non tamen oportet omne id, quod est res et sacramentum, esse characterem: quid autem sit res et sacramentum in aliis sacramentis quæ characterem non imprimunt, dicetur infra cum de unoquoque sacramento agetur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 63.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis: quod sacramenta nulla imprimunt characterem, et quod hoc asserere est mera novorum theologistarum fictio, atque commentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim merito damnari a. 2. Cor. 1. *Qui*, etc. ut cum discursu est, *in arg. cont.* Item à Conc. Trid. sess. 7. de sacramentis, can. 9. " Si quis dixerit: in sacramentis quibusdam non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile: anathema sit. » Item á Conc. Florent. in Decret. seu Constitution. super union. Armen. Ibi enim, cum de sacramentis agitur, idem dicit. Quia vero Lutherus addit, hoc esse commentum, ac fictionem novorum Theologistarum: ideo contra temerarium istud mendacium habes B. August. in tex. corpo. adductum, qui profecto non inter novos, sed inter vetustos (cum anno Domini quadringentessimo, et circa floruerit) annumerandus est. Hic nomine characteris utitur in sacramentis, ut ibi considerantibus patet. Sed ad idem habes B. Dionysium Apostolis contemporaneum, qui characterem nomine signi exprimit. Vide art. 2. corp. prin. Temeritatem quoque illam de mendacio damnat Conc. Trident. per hoc quod sess. 7. antequam canones de sacramentis, inter quos canon de charactere est nonus, decernat, dicit. « Sacrosanct. gen. Tridentina synodus ad errores eliminandos, et extirpandas hæreses circa sanctissima sacramenta, sanctarum scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atquæ aliorum Concil., et patrum consensui inhærendo, hos præsentes canones statuendos, et decernendos statuit: reliquos qui supersunt ad cœpti operis perfectionem, deinceps, Divino spiritu adjuvante, editura.» Non ergo novorum Theologistarum commentum est, quod in sacramentis detur character: sed hoc ex sanctarum scripturarum doctrina, ex Apostolicis traditionibus, ex aliorum Concil., et Patrum consensu dependet. Nam (ut dictum est) canon de charactere inter illos connumeratur, de quibus tam gravissima, et vetustissima testimonia profert conc. Cæterum ejusdem verba illa ultima, scilicet. *Reliquos qui supersunt ad*, etc. commendabis æternæ memoriæ pro regula universali ad quoscumque canones de aliis sacramentis, puta de Eucharistia sess. 13. de Pœnitentia et extremaunctione sess. 14. de ordine sess. 23. de matrimonio sess. 24. edendos, qua quidem regula efficaciter demonstrabis, contenta in omnibus his canonibus inniti (secundum Conc.) validissimis iis testimoniis, scilicet sanctarum scripturarum, Apostolicarum traditionum, Conc. aliorum, et Patrum consensu. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Concilio, quod character est potestas spiritualis. A scripturis quidem, ut per hoc, quod dicitur 2. Cor. 1. « Qui unxit nos Deus, et qui signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.» His enim verbis monstratur quod illa signatio, idest character, est in cordibus idest in anima. Nam hanc interpretationem habemus ex Concilio Florentino dicente: « Sacramenta tria characterem, idest spirituale quoddam signum á cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Hæc illud in Decr. seu constit. super union. Armen. Cum ergo character sit in cordibus nostris, idest in anima nostra, constat á sufficienti divisione existentium in anima, quod ipse est potentia, seu potestas. Phil. enim dividens ea, quæ sunt in anima, dicit in 2. Ethic. quod tria sunt in ea, scilicet potentia habitus, et passio. Sed character non est passio quia, etc. ut *in arg. cont.* Omnibus itaque consideratis, qui dicit: « signavit nos Deus in cordibus nostris, idest in anima nostra, » vult dicere, quod signatio illa, idest character est potentia. A Conc. autem Florentino idem ibidem insinuatur per hoc, quod. postquam dixit, per traditionem calicis cum vino, et patenæ cum pane conferri ordinem presbyteratus, subjungit: « Forma sacerdotii est talis. Accipe potestatem offerendi. » etc. Ex qua serie contextus patet, vel tenuiter consideranti, quod secundum Concilium character est potestas. Alioquin conferendo ordinem, idest ordinis characterem, non diceret Episcopus. *Accipe potestatem:* sed pro

ly *potestatem* diceret aliquid aliud, quo significaretur character qui tunc accipitur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod character sacramentalis est character Christi. Ut per hoc, quod dicitur Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* His enim verbis Christus instituit Apostolos sacerdotes (ut inquit Concil. Trid. sess. 2. ca. 1. can.) et consequenter, cum auctoritate propria hoc ipsum ageret, isto suo facto demonstravit; quod sacerdotium Apostolorum derivabatur á sacerdotio sui ipsius. Quia vero in sacertio imprimitur character (secundum Concilia Florentinum et Tridentinum) ideo tunc commonstravit Christus, quod sacerdotalis, et á simili quilibet sacramentalis character derivatur á seipso: id, quod est (ut patet intelligenti terminos ex tex. corpo.) sacramentalem characterem, esse characterem Christi. Item per hoc, quod dicitur Hebr. 1. « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. » Nam ibi pro ly figura Latine, ponitur ly character, Græce: atque ideo expresse ostenditur, quo Christus est character æternus. Cum igitur sacramentalis character sit impressio quædam facta á charactere æterno (ut ex ejus definitione patet *in arg. cont.*) constat aperte: quod, secundum Apostolum ibi, character sacramentalis est character Christi. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod character est in potentia animæ. Ut per ly *videmus nunc per speculum in ænigmate.* 1. Corint. 13. Ubi loquitur de fide, eamque vocat visionem per ly *videmus*, per quod declarat, fidem esse in potentia animæ visiva, et hæc in superiori parte, (de qua tunc loquitur Apostolus, ut patet in contextu) non est, nisi intellectus. Ex eo enim, quod ponit expliciter fidem in intellectu, sequitur, quod in ipso intellectu ponat implicite fidei protestationem. Nam protestatio fidei, secundum quod de ea loquimur, est ibi, ubi est fides, quam protestatur; id, quod textus in ad tertium insinuat per ly *et ideo* oportet. Cum igitur character sit quædam protestatio fidei, in quantum ordinatur ad ea, quæ sunt divini cultu, sequitur, quod et ipse sit, ubi et fides, idest in potentia intellectiva. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Conciliis, quod character inest indelibiliter animæ. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur in Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum.* Ex eo enim quod sacerdotium Christi est æternum, sequitur, quod character sacerdotii Christi sit æternus. In ipso autem Christo non est æternus, cum nec in eo sit aliquis character (ut patet in text. corp.) ergo in nobis erit æternus. Nam et character in nobis est, *articulo primo*, et character noster et character Christi, art. 3. Item per hoc, quod dicitur *Levit* 27. ut in Veritatibus aureis super legem veterem, *Levit.* 27. *concl.* 5. tuum tamen erit applicare dicendo, quod character dicit quamdam consecrationem, etc. A Conciliis autem insinuatur idipsum expresse, videlicet á Florentino, et Tridentino, ut recitatur supra articul. 1. 2. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, tamquam in radice, hæreses Anabaptistarum dicentium, quod baptizati possunt iterum baptizari. Et Pauperum de Lugduno dicentium. quod sacerdos amittit potestatem consecrandi, si mortale commiserit. *Et Joannis Wicleff.* (ut refert Concilium *Constantiense sessione* 8.) dicentis: quod sacerdos, si est in peccato mortali, non consecrat. Addunt Valdenses, quod non potest conferre Ecclesiastica sacramenta, et é contra, scilicet, quod laici tam viri, quam mulieres qui sint de secta ipsorum, possunt consecrare, et sacramentales confesiones audire ut de hoc illorum pro laicis dicto refert Direct. Inquisit. 2. par. quæst. 14. Articulus enim præsens ex eo, quod in baptismo, et in ordine characterem imprimi decernit, omnes prædictas, ac similes hæreses radicitus evellit. Nam charactere dato, cum sit indelebilis, art. quinto, constat, necessario sequi, quod neque baptismus, et ordo iterari possunt, neque baptizatos, et ordinatos, etiam criminibus involutos, posse amittere potestates sibi tunc in principio collatas neque aliquem

non ordinatum, utpote charactere ordinis carentem, posse consecrare, confessiones audire, absolvere, aut alia sacerdotalia munia exercere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ab Hebr. 6. "Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, etc. et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam." Per hoc enim quod in lavacro renovationis Spiritus Sancti (sic enim solet nominare baptismum, ut in ad Tit. 3.) non admittit Apostolus reiterationem, monstrat, baptismum ipsum imprimere characterem, et consequenter radicitus destruit Anabaptistas. Item à Concilio Florentino in Decreto seu constitutione super unio. Armen. "Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ characterem, idest, spirituale quoddam signum á cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt. Item á Concil. Tridentino sess. 7. de sacramentis, can. 9. Si quis dixerit: in tribus sacramentis, scilicet, Baptismo, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelibile: unde ea iterari non possunt anathema sit. Et sess. 23. cap. 4. Quoniam in sacramento Ordinis, sicut in Baptismo, et confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Et sess. 14. cap. 6. declarat sancta synodus, falsas esse, et á veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere: eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt." Item á Concilio, Constantiensi, sess. 8. hæresis illa Joannis Wicleff, postquam inter alias connumerata fuit, damnatur cum auctore, cujus etiam ossa mandantur exhumari, et cremari. Item á Concilio Carthaginensi 1. cap. primo. "Gratus Episcopus Carthaginensis, qui præsidebat in Concilio, dixit. Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis. Si descendentem in aquam, et interrogatum in Trinitate secundum Evangelii fidem, et Apostolorum doctrinam, et confessum bonam confessionem in Deum, liceat iterum interrogari in eadem fide, et in aqua iterum tingi? Universi Episcopi dixerunt: Absit: Absit: Illicitas esse sancimus rebaptizationes: et satis esse alienum á sincera fide, et Catholica disciplina rebaptizari." Quæ, pro quanto præsupponunt necessario characterem, adducta sunt, sicut et alia supradicta. Alioquin alius locus, puta in tractatu infra de baptismo, dictis illis ad literam planam deberetur. *Tertio* habes: quomodo, etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA QUARTA,

DE CAUSA SACRAMENTORUM, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa sacramentorum sive per auctoritatem, sive per ministerium.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, utrum solus Deus interius operetur in sacramentis,

Secundo, utrum institutio sacramentorum sit solum á Deo.

Tertio, de potestate, quam Christus habuit in sacramentis.

Quarto, utrum illam potestatem potuerit aliis communicare.

Quinto, utrum potestas ministerii in sacramentis conveniat malis.

Sexto, utrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimo, utrum Angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octavo, utrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nono, utrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet quod infidelis non possit tradere sacramenta.

Decimo, utrum requiratur ibi recta intentio.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.

Pro negativa. = Videtur, quod non solus Deus, sed etiam minister, interius operetur ad effectum sacramenti.

1. Illi ad quos pertinet purgare, illuminare et perficere aliquid interius, operantur ad effectum sacramentorum. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare et perficere, ut patet per Dion. 5. cap. cœl. Hierarc. Ergo videtur quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiæ interius operentur ad effectum sacramenti.

Maior probat., quia interior effectus sacramenti est, ut homo purgetur á peccatis et illuminetur per gratiam.

2. Ille qui recipit sacramentum á bono ministro, maiorem effectum sacramenti recipit, quam qui recipit, á malo ministro. Ergo minister operatur aliquid ad interiorem effectum, et non solus Deus.

Anteced. prob. Orationes justorum sunt magis exaudibiles apud Deum, quam quorumcumque aliorum, secundum illud Joan. 9. *Si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit.* Ergo justi conferentes sacramenta, propter vim orationum maiorem sacramenti effectum conferunt.

Conseq. hæc probat., quia in collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur.

3. Res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum. Ergo multo magis homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramentorum, et non solus Deus.

Conseq. prob., quia homo dignior est, quam res inanimata.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Justificatio est effectus solius Dei secundum illud Rom. 8. *Deus est, qui justificat.* Sed interior effectus omnium sacramentorum est justificatio. Ergo ad effectum interiorem sacramentorum solus Deus operatur.

Determinatio.

Distinctio. Operari aliquem effectum contingit dupliciter. Uno modo per modum principalis agentis: alio modo per modum instrumenti.

1.ª Conclusio. Solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti per modum principalis agentis.

Prob. primo: solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit. Ergo solus Deus operatur interiorem sacramenti effectum.

Conseq. probat., quia non potest aliquid immediate operari, ubi non est: unde nulla creatura poterit aliquid immediate in anima operari. Secundo quia gratia, quæ est interior sacramenti effectus, est á solo Deo, ut dictum est 1. 2. quæst. 112. art. 1. Character etiam qui est quorumdam sacramentorum effectus interior, est virtus instrumentalis quæ manat á principali agente, quod est Deus.

2.ª Conclusio. Homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti per modum instrumenti, in quantum operatur per modum ministri.

Prob. quia eadem est ratio ministri et instrumenti; utriusque enim actio exterius exhibetur; sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, qui est Deus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de purgatione á peccato et de illuminatione, quæ est per infusionem gratiæ. Ad mi-

norem, dicitur quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est á peccato: sed diaconi dicuntur purgare in quantum vel immundos ejiciunt á cætu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo.

Ad 2. Negat. anteced. Effectus enim sacramenti non datur melior per meliorem ministrum, quia illud quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri; sed ex merito passionis Christi, cujus virtus operatur in sacramento, ut dictum est, qu. 62. art. 5.

Ad prob. neg. conseq. Ad cujus prob. dicitur quod orationes, quæ dicuntur in sacramentorum collatione, proponuntur Deo, non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cujus preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Unde orationes quæ fiunt in collatione sacramentorum á ministro sive bono, sive malo, exaudiuntur. Nihil tamen prohibet quin oratio viri justi aliquid operetur, non quidem impetrando effectum sacramenti, vel maiorem effectum; sed impetrando aliquid aliud annexum effectui sacramenti. Non tamen illud minister operatur, sed impetrat operandum á Deo.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod res inanimatæ non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, ut in corp. dictum est; et similiter homines non operantur ad interiorem effectum sacramentorum, nisi per modum ministerii.

ARTICULUS II.

Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina.

Pro negativa. — Videtur, quod sacramenta non sint solum ex institutione divina.

1. Ea quæ sunt divinitus instituta, traduntur nobis in Sacra Scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis de quibus nulla fit mentio in Sacra Scriptura puta de chrismate, quo homines confirmantur et de oleo quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis tam verbis, quam factis, quibus utimur in sacramentis. Ergo sacramenta non sunt solum ex institutione divina.

2. Res sensibiles naturaliter quædam significant. Ergo videtur quod sacramenta, quæ quædam signa sunt, non indigeant esse ex institutione divina.

Conseq. prob., quia si á Deo fuissent assumptæ aliquæ res, ut essent signa in sacramentis, videretur quod Deus significationes quarumdam rerum approbaret et quarumdam reprobaret. Et quod quibusdam significationibus delectetur et non aliis: quod est falsum; tum quia ipse Deus omnia quæ fecit approbat; tum etiam quia proprium videtur esse dæmonum, ut quibusdam signis ad aliquid alliciantur, ut August. dicit 21. de civit. Dei cap. 6.

3. Apostoli vicem Dei gerebant in terris. Ergo videtur quod Apostoli et eorum succesores possint nova sacramenta instituere.

Antec. prob., quia dicitur 2. Cor. 2. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, idest ac si ipse Christus donasset.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Virtus sacramenti est á solo Deo, ut patet ex dictis in art. præced. Ergo solus Deus potest sacramentum instituere.

Conseq. prob., quia ille instituit aliquid, qui dat ei robur et virtutem, sicut patet de institutoribus legum.

Determinatio.

Conclusio. Solus Deus est sacramentorum institutor.

Prob. ille solus est sacramentorum

institutor, á quo est sacramentorum virtus. Sed á Deo solo est sacramentorum virtus. Ergo Deus solus est sacramentorum institutor.

Maior prob., quia virtus sacramenti non potest esse; nisi ab eo, qui sacramentum instituit quod ostenditur: nam ut patet ex dictis in præced. art. sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus; instrumentum autem habet virtutem á principali agente: agens vero respectu sacramenti duplex est. Scilicet agens instituens sacramentum et agens utens sacramento instituto applicando ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento; quia ille qui utitur sacramento, non operatur, nisi per modum ministerii. Unde relinquitur quod virtus sacramenti sit tantum ab eo qui sacramentum instituit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod illa quæ aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti; sed ad quamdam solemnitatem quæ adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea vero quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sint tradita omnia in scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Apost. dicit 1. Cor. 11. *Cætera, cum venero, disponam.*

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod res sensibiles aptitudinem quamdam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura. Sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina. Et hoc est quod Hugo de sancto Vict. dicit lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 2. Quod *sacramentum ex institutione significat.* Unde negatur consequentia.

Ad prob. dicitur quod Deus prælegit quasdam res aliis ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur ejus effectus; sed ut sit convenientior significatio.

Ad 3. Negatur consequentia. Apostoli enim et eorum succesores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ pr fidem et fidei sacramenta: unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam: ita non licet eis tradare aliam fidem, neque instituere alia sacramenta; sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesiæ Christi.

ARTICULUS III.

Utrum Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

Pro affirmativa. = Videtur quod Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

1. Ille qui baptizat in Spiritu Sancto, habet potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Sed Christus secundum quod homo baptizat in Spiritu Santo. Ergo Christus, secundum quod homo habet potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

Maior prob., quia baptizare in Spiritu Sancto est interius gratiam Spiritus Sancti conferre.

Minor prob. Ille super quem descendit Spiritus Sanctus, baptizat in Spiritu Sancto. Dicit enim Joan. Bapt. Joan. 1. « Qui me misit baptizare in aqua, ille « mihi dixit: super quem videris Spiri- « tum sanctum descendentem et manen- « tem super eum, hic est qui baptizat in « Spiritu Sancto. » Sed super Christum, in quantum homo, et non in quantum Deus descendit Spiritus Sanctus. Quia Christus ut Deus dat Spiritum Sanctum. Ergo Christus in quantum homo baptizat in Spiritu Sancto.

2. Ille qui habet potestatem dimittendi peccata, operatur interiorem effectum sacramentorum. Sed Christus secundum quod homo, habet potestatem

dimittendi peccata. Ergo Christus in quantum homo habet potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

Maior prob., quia remissio peccatorum est interior effectus sacramenti.

Minor probat., quia Dominus dicit Matth. 9. *Sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.*

3. Ille qui sacramenta instituit, habet potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Sed Christus sacramenta instituit. Ergo Christus operatur interiorem sacramentorum effectum.

Maior probat., quia institutio sacramentorum pertinet ad eum qui tamquam principale agens, operatur ad interiorem sacramenti effectum.

4. Christus sine sacramento, contulit sacramenti effectum, ut patet in Magdalena cui dixit: *dimittuntur tibi peccata.* Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

Conseq. prob., quia nullus potest sine sacramento effectum sacramenti conferre, nisi propria virtute effectum sacramenti operetur.

5. Illud in cujus virtute sacramentum operatur, est principale agens ad interiorem effectum. Sed Christus in quantum homo, est in cujus virtute sacramentum operatur. Ergo Christus in quantum homo, operatur interiorem effectum sacramenti.

Minor prob., quia sacramenta habent virtutem ex passione Christi et invocatione nominis ejus, secundum illud 1. Cor. 1. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

In sacramentis divina virtus secretius operatur salutem, ut Aug. dicit lib. 3. contra Donat. cap. 10. et habetur 1. quæst. 1. cap. Multi secularium. Ergo Christus non operatur interiorem sacramenti effectum, secundum quod est homo; secundum quod est Deus.

Conseq. prob., quia divina virtus est Christi secundum quod est Deus, non autem secundum quod est homo.

Determinatio.

Conclusio. Christus operatur interiorem sacramentorum effectum, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter.

Manifestatur; nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem, ut de se patet. Secundum vero quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter secundum potestatem excellentiæ, instrumentaliter tamen: et hoc ostenditur. Nam in q. 48. et 49. dictum est quod passio Christi, quæ competit ei, secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem; sed per modum instrumenti in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus, ut dictum est supra, q. 13. art. 2. et 3.

Et quia Christi humanitas est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ. Et ideo sicut Christus in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiæ.

Ex quibus habentur hæ conclusiones.

Prima. Christus secundum quod Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem. Hæc de se patet.

2. Christus; secundum quod homo operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter; sed instrumentaliter.

Probat. quia passio Christi, quæ ei competit secundum humanam naturam, est causa nostræ justificationis meritorie et effective, non per modum principalis agentis; sed per modum instrumenti, etc.

3. Christus operatur in sacramentis in quantum homo, secundum potestatem ministerii principalis, sive per auctoritatem excellentiæ.

Prob. Quia humanitas Christi est instrumentum conjunctum divinitati in persona.

In quibus consistat potestas excellentiæ, qua Christus operatur ad interiores sacramentorum effectus.

Potestas autem excellentiæ quam Christus secundum quod homo habet in sacramentis, consistit in quatuor. Primo quidem in hoc, quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis ut dictum est quæst. 62. art. 5.

Secundo. Ad potestatem excellentiæ quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et hoc quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur.

Tertio. Ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuerit instituere sacramenta. Et hoc quia ex Christi institutione sacramenta virtutem obtinent.

Quarto. Ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse possit sine exteriori sacramento effectum sacramentorum conferre. Et hoc quia causa non dependet ab effectu; sed potius é converso unde quia Christus est sacramentorum causa, potest absque exterioribus sacramentis conferre effectum, quem per sacramenta confert.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod qui baptizat in Spiritu Sancto, habet potestatem excellentiæ. Et hanc habuit Christus.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Christus, in quantum homo, habet potestatem excellentiæ dimittendi peccata hominibus.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod qui instituit sacramenta habet saltem potestatem excellentiæ operandi interiorem sacramentorum effectum.

Ad 4. Dicitur quod Christus secundum potestatem excellentiæ, cum esset sacramentorum institutor, poterat sine sacramentis effectum sacramentorum conferre.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod sacramenta operantur virtute Christi, quatenus ejus humanitas erat instrumentum divinitati conjunctum.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.

Pro negativa.=Videtur, quod Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare.

1. Christus non communicavit suam potestatem ministris. Ergo Christus non potuit suam virtutem communicare.

Conseq. probat., quia si Christus potuit communicare ministris suam virtutem, quam in sacramentis habet, et non communicavit; sequeretur quod invidus fuisset. Sed invidia longe est á Christo, cum in ipso fuerit summa plenitudo charitatis. Ergo cum Christus non communicaverit, non potuit communicare.

Maior conditionalis patet ex August. qui ipsam contra maximum assumit, ut patet lib. 3. contra Max. cap. 7.

2. Christus non potuit communicare discipulis potestatem justificandi impium. Ergo nec potuit eis communicare virtutem quam in sacramentis habuit.

Conseq. prob., quia justificatio impii fit per potestatem Christi quam habet in sacramentis.

Antec. probat. Christus non potuit communicare discipulis potestatem creandi cœlum et terram. Ergo nec eis potuit communicare potestatem justificandi impium.

Conseq. hæc prob., quia majus est,

ut ex impio justus fiat, quam creare cœlum et terram, ut August. dicit tract. 72. in Joan. super illud Joan. 14. *Maiora horum faciet.*

3. Christus non potuit communicare aliis potestatem, quam habuit in quantum est caput Ecclesiæ. Ergo Christus non potest communicare potestatem quam ipse habuit ministris.

Anteced prob., quia Christo in quantum est caput Ecclesiæ, competit ut ab ipso derivetur ad alios gratia; secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.* Hoc autem non fuit aliis communicabile, quia sic Ecclesia esset monstruosa multa capita habens.

Conseq. vero patet; quia potestas operandi effectum sacramentorum et instituendi sacramenta, convenit Christo in quantum est caput Ecclesiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Joan. 1. *Ego nesciebam eum*, dicit August. tract. 5. in Joan. Quod Joannes *non noverat potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum.* Sed si talis potestas esset incommunicabilis, hoc non ignorasset Joannes. Ergo potuit Christus suam auctoritatem ministris communicare.

Determinatio.

Distinctio. Christus in sacramentis duplicem habuit potestatem. Unam auctoritatis, quæ competit ei in quantum Deus. Aliam excellentiæ quæ competit ei secundum quod homo.

1.ª Conclusio. Christus non potuit communicare ministris potestatem auctoritatis, quam habuit in sacramentis.

Prob. Quia talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia.

2.ª Conclusio. Christus potuit communicare ministris potestatem excellentiæ quam in sacramentis habuit.

Prob. Christus potuit dare ministris sacramentorum tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum, effectum eorum conferre solo imperio. Ergo Christus potuit communicare ministris potestatem excellentiæ quam in sacramentis habebat.

Anteced. prob., quia instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato potest tribuere, ut manus baculo.

Conseq. probat., quia potestas excellentiæ quam Christus habet in sacramentis, in illis quatuor consistit, scilicet: in hoc quod ejus meritum operatur ad effectum sacramentorum: per invocationem sui nominis sanctificantur sacramenta: potest instituere sacramenta: et eorum effectum sine ipsis tribuere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probat. neg. etiam consequentia. Christus enim non ex invidia prætermisit communicare Ecclesiæ ministris potestantem excellentiæ; sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos; qui dicebant. *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, ut dicitur 1. Cor. 1.

Ad 2. Dicitur quod ratio illa procedit de potestate auctoritatis, quæ convenit Christo, secundum quod Deus, licet et potestas excellentiæ possit auctoritas nominari, per comparationem ad potestatem aliorum ministrorum. Unde super illud 1. Cor. 1.

Divisus est Christus? dicit Glos. interl. Quod *potuit eis dare auctoritatem baptismi, quibus contulit ministerium.* Ad formam autem dicitur. Concesso antecedente, de potestate auctoritatis, negatur conseq. cujus probationem, dicitur quod justificatio impii fit per potestatem quæ competit Christo ut homo est, et quam habet Christus in sacramentis, non tam-

quam per causam primam, sed tamquam per instrumentum conjunctum divinitati. Vel neg. anteced. Christus enim potuit conferre ministris potestatem justificandi impium, non autoritative; sed ministerialiter.

Ad prob. dicitur quod justificare impium per autoritatem majus est quam creare, non autem justificare solum ministerialiter.

Ad 3. Negat. anteced. Et ad prob. dicitur quod ad hoc inconveniens vitandum, ne scilicet multa capita essent in Ecclesia, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.

ARTICULUS V.

Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint.

Pro negativa. — Videtur, quod per malos ministros sacramenta conferri non possint.

1. Sacramenta quæ ordinantur ad emundationem culpæ et ad collationem gratiæ, non possunt conferri per malos ministros. Sed sacramenta novæ legis ordinantur ad emundationem culpæ et ad collationem gratiæ. Ergo sacramenta novæ legis non possunt conferri per malos ministros.

Maior prob., quia mali cum sint immundi, non possunt alios á peccato mundare, secundum illud Eccles. 34. *Ab immundo quis mundabitur*? Et etiam cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint, quia nullus dat quod non habet.

2. Per eos qui sunt præcisi á Christo, non possunt sacramenta novæ legis conferri. Sed mali sunt præcisi á Christo. Ergo per malos ministros non possunt sacramenta conferri.

Maior prob., quia tota virtus sacramentorum derivatur á Christo, ut dictum est art. 3. Unde ad eos, qui non sunt Christo conjuncti, non potest sacramentorum virtus derivari.

Minor prob., quia mali non habent charitatem, per quam membra Christi ei, sicut capiti uniuntur. Secundum illud 1. Joan 4. *Qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo.*

3. Malus non est idoneus minister. Ergo per malum ministrum nihil efficitur in sacramento.

Anteced. prob., quia idoneus minister sacramenti dicitur, qui est sine macula peccati, secundum illud Levit. 21. «Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo «suo, nec accedet ad ministerium ejus.»

Conseq. probat., quia si desit aliquid horum quæ requirantur in sacramentis, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma et debita materia. Et eadem ratione, si desit debitus minister.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. tract. 5. in Joan. super illud Joan. 1. «Super quem videris spiritum «etc. dicit: quid in Christo non noverat «Joan. potestatem baptismi ipsum Domi«num habiturum et sibi retenturum, sed «ministerium plane transiturum in bonos «et in malos, quid tibi facit malus mi«nister, ubi bonus et Dominus?»

Determinatio.

Conclusio. Ministri Ecclesiæ possunt conferre sacramenta, etiam si sint mali.

Prob. Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramentis. Ergo ministri Ecclesiæ etiam si sint mali, possunt sacramenta conferre.

Anteced. prob., quia quodammodo eadem est ratio ministri et instrumenti, ut dictum est art. 1. et 3. hujus quæst.

Conseq. manifestatur: instrumentum enim (ut dictum est quæst. 62. art. 2. et 3.) non agit secundum propriam formam, aut virtutem: sed secundum virtutem ejus á quo movetur; et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigi-

tur ad rationem instrumenti. Sicut quod corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum, et quod fistula per quam transit aqua: sit argentea, vel plumbea, nihil refert. Sic etiam virtus sacramenti eadem est, sive per bonos, sive per malos ministros conferatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ministri Ecclesiæ, neque á peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta; et ideo effectus consequitur in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum; sed secundum configurationem ad Christum.

Ad 2. Dicitur quod aliquem esse præcisum á Christo contingit dupliciter: uno modo quia non est sic conjunctus, ut recipiat vitam spiritualem á Christo: membra enim Christi uniuntur suo capiti per charitatem, ut ab eo vitam recipiant, quia ut dicitur 1. Joan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Alio modo quia non recipit aliquam motionem á Christo. Illi enim qui sunt ita præcisi á Christo, quod nullam á Christo motionem recipiant, non possunt sacramenta conferre. Qui vero sunt præcisi á Christo quidem, quia non habent charitatem et vitam, sunt tamen ei conjuncti per quamdam motionem, possunt sacramenta conferre. Potest enim aliquis operari per instrumentum carens vita et á se separatum quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum ei per quamdam motionem. Aliter enim operatur artifex per manum et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis, et per bonos tamquam per membra viventia, et per malos tamquam per instrumenta carentia vita.

Maior igitur argumenti est vera de eo quod est præcisum á Christo taliter quod non sit vivum, nec recipiat motionem á Christo. Non autem de eo quod est separatum tantum per hoc quod non est ei conjunctum per charitatem.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Uno modo sicut existens de necessitate sacramenti; quod quidem si desit, non perficitur sacramentum; sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo debitum est aliquid esse in sacramento secundum quamdam decentiam; et hoc modo debitum est, ut ministri sacramentorum sint boni; sed si bonitate careant nihilominus sacramenta conferunt, cum per hoc non desit aliquid de necessitate sacramenti.

ARTICULUS VI.

Utrum mali ministrantes sacramenta peccent.

Pro negativa. = Videtur, quod mali ministrantes sacramenta non peccent.

Primo. Mali non peccant, si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimmo hoc est eis consulendum, secundum illud Dan. 4. «Consilium meum tibi placeat, peccata tua eleemosynis «redime.» Ergo mali ministri non peccant sacramenta ministrando.

Conseq. prob., quia sicut ministratur Deo in sacramentis, ita per opera charitatis. Unde dicit Hebr. ult. «Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; ta«libus enim hostiis promeretur Deus.»

2. Si mali ministri peccarent sacramenta ministrando, sequeretur quod etiam illi, qui ab eis sacramenta recipiunt, peccarent quod videtur inconveniens.

Conseq. prob., quia quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati: secundum illud Rom. 1. «Digni sunt morte, non solum qui pec«cata faciunt; sed etiam qui consentiunt «facientibus.» Sed si mali ministrantes sacramenta peccent; illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo si ministri peccarent con-

ferendo; et recipientes peccarent recipiendo.

3. Nullus debet poni in statu, in quo sit perplexus. Sed si mali, ministrando sacramenta, peccarent, essent perplexi. Ergo mali non peccant sacramenta ministrando.

Maior probat., quia sic homo cogeretur desperare, quasi non potens peccatum evadere.

Minor probat., quia etiam quandoque peccarent si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas: dicitur enim 1. Cor. 6. «Væh mihi « si non evangelizavero: necessitas enim « mihi incumbit;» quandoque etiam propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens offeratur alicui peccatori baptizandus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dion. dicit 1. cap. cæl. Hierar. Quod *malis non est fas nec tangere simbola*, idest sacramentalia signa: et in Epist. 8. ad Demophilum dicit: *Talis* (scilicet peccator) «audax videtur sacerdotalibus ma« num apponens, et non timet, neque ve« recundatur divina præter divitatem exe« quens, et Deum putans ignorare, quæ « ipse in semetipso cognovit, et decipere « existimat falso nomine patrem ab ipso « appellatum, et audet immundas infa« mias, ne dicam orationes, super divi« na signa Christi formiter enuntiare. »

Determinatio.

1.ª Conclusio. Mali exhibeŋtes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccant.

Prob. Qui operatur non secundum quod oportet, peccat in operando, ut patet 2. Ethic. cap. 3. Sed mali ministri conferendo et ministrando sacramenta, operantur secundum quod non oportet. Ergo mali ministrantes sacramenta peccant.

Minor prob., quia dictum est articulo præcedenti, conveniens esse ut sacramentorum ministri sint justi, quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Levit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum:* et Eccli. 10. *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Mali igitur sacramentorum ministri operantur secundum quod non oportet.

2.ª Conclusio. Peccatum malorum ministrorum, de suo genere est mortale.

Prob. Quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius mali ministri, licet sacramenta, secundum seipsa, incontaminabilia sint.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod non eodem modo opera charitatis pertinent ad Dei ministerium et sacramenta; opera enim charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata: sed ipsa pertinent ad justitiæ sanctitatem, sicut quædam justitiæ partes; et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur: si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sacramenta autem in seipsis sanctificationem quamdam habent per mysticam consecrationem: et ideo præexigitur in ministro sanctitas justitiæ ut congruat suo ministerio; et ideo incongrue agit et peccat, si in peccato existens, ad tale ministerium accedat.

Ad 2. Dicitur quod mali ministri sacramentorum sunt in duplici differentia: quidam tolerantur ab Ecclesia; quidam vero non tolerantur. Si igitur sermo sit de ministris malis qui ab Ecclesia tolerantur, dicendum est quod non peccant illi qui ab eis recipiunt sacramenta: ille enim qui á tali ministro sacramenta recipit, non suscipit ad eo, in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ; et ideo quamdiu toleratur ab Ecclesia in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramenta, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ quæ eum tamquam ministrum exhibet: loquendo igitur de tali ministro

negatur conseq. Ad probationem negatur minor: suscipientes enim sacramenta á malo ministro tolerato non communicant peccato ejus, sed communicant Ecclesiæ talem ministrum exhibenti: si vero sermo sit de ministro non tolerato puta cum degradatur vel suspenditur; tunc peccat qui ab eo sacramenta suscipit, quia tunc communicat peccato illius. Loquendo igitur de tali ministro, conceditur consequentia, et negatur quod hoc sit inconveniens.

Ad 3. Neg. minor: ille enim minister qui est in peccato mortali, non est perplexus; nam si ei ex officio vel ex necessitate non incumbat, debet á ministerio abstinere: si vero ei ex officio vel ex necessitate incumbat, debet pœnitere de peccato, et tunc licite ministrabit: si vero intendat in peccato perseverare, erit perplexus, non simpliciter, sed supposito hoc quod velit in peccato manere. Sed hoc non est esse simpliciter perplexum, sed solum ex suppositione: in articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu in quo etiam Laïcus posset baptizare: sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus, ut infra patebit quæst. 67. articulis 3. et 4.

ARTICULUS VII.

Utrum Angeli possint sacramenta ministrare.

Pro affirmativa. Videtur quod Angeli possint sacramenta ministrare.

1. Homines possunt ministrare in sacramentis. Ergo multo magis Angeli qui sunt superiores ministri in ordine Hierarchico, quam quicumque homines, ut patet per Dionysium in cap. 9. cœl. Hier. in sacramentis ministrare possunt.

Conseq. probat., quia quicquid potest minister inferior, potest et superior sicut quicquid potest Diaconus, potest et sacerdos; sed non convertitur.

2. Aliqui sancti in cœlo existentes possent ministrare in sacramentis. Ergo videtur quod etiam Angeli possint in sacramentis ministrare.

Antec. prob., quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est quæst. præced. art. 5.

Conseq. prob., quia homines sancti assimilantur Angelis in cœlo, ut dicitur Matth. 22.

3. Per malos homines possunt ministrari sacramenta, ut art. præced. dictum est. Ergo etiam per dæmones sacramenta ministrari possunt.

Conseq. prob., quia diabolus est caput malorum et mali sunt membra ejus ut dictum est quæst. 8. art. 7.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Illi qui possunt ministrare in sacramentis, sunt ex hominibus asumpti. Sed Angeli boni, vel mali non sunt ex hominibus assumpti. Ergo Angeli boni vel mali non constituuntur ministri in sacramentis.

Maior prob., quia dicitur ad Heb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Ad homines pertinet dispensare sacramenta et in eis ministrare, non autem ad Angelos.

Prob. Tota virtus sacramentorum derivatur á passione Christi ut dictum est quæst. præced. art. 3. quæ est Christi in quantum homo. Ergo ad homines et non ad Angelos pertinet in sacramentis ministrare.

Conseq. prob., quia Christo patienti conformantur in natura homines et non Angeli; sed potius secundum passionem dicitur *Christus modico ab Angelis minoratus*, ut patet Hebr. 2.

2.ª Conclusio. Deus potest etiam Angelis tribuere virtutem ministrandi in sacramentis.

Prob., quia sicut Deus non alligavit virtutem suam sacramentis, quin possint sine sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis.

3. Si aliquod sacramentale ministerium á bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum.

Prob. Quia boni Angeli sunt nuncii veritatis. Unde si aliquid tale ab Angelis bonis fieret, deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata.

4.ª Conclusio. Si Dæmones aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Prob. Quia Dæmones sunt spiritus mendacii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod illud quod facit minister inferior, potest et superior facere, altiori tamen modo. Illud ergo quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt Angeli tamquam superiores ministri, superiori modo, scilicet invisibiliter purgando, illuminando et perficiendo.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sancti, qui sunt in cœlo, sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionem naturæ et per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi mali sint membra diaboli, non tamen habent virtutem ministrandi in sacramentis ex hoc quod sunt membra diaboli; et ideo non sequitur quod diabolus possit in sacramentis ministrare.

ARTICULUS VIII.

Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Pro negativa. = Videtur, quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti.

1. Minister operatur in sacramento instrumentaliter. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

Conseq. prob., quia actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis.

2. Si intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti; sequeretur quod non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quod sacramentum suscepisset, et ita non posset habere certitudinem suæ salutis, præcipue cum quædam sacramenta sint de necessitate salutis, ut dicetur quæst. 65. art. 3. et 4.

Conseq. probat., quia non potest homini esse nota intentio alterius.

3. Intentio hominis non potest esse circa id ad quod non est attentus. Sed aliquando illi, qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea quæ dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc non perficeretur sacramentum propter defectum intentionis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea quæ sunt præter intentionem, sunt casualia. Sed non est dicendum quod operationes sacramentorum sint casuales. Ergo sacramenta requirunt ministri intentionem.

Determinatio.

Conclusio. Intentio ministri exigitur ad perfectionem sacramenti.

Prob. Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Sed ea quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi secundum intentionem abluentis. Ergo oportet quod ea quæ in

sacramentis aguntur, determinentur ad unum, idest ad sacramentalem effectum, per intentionem ejus qui in sacramentis ministrat. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur puta cum minister dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod est vera de instrumento inanimato, non autem de animato. Instrumentum enim inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus; sed loco intentionis est motus, quo movetur á principali agente; sed instrumetum animatum, sicut est minister, non solum movetur; sed etiam quodammodo movet se ipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti ut scilicet intendat facere quod Christus facit et Ecclesia.

Ad 2. Dicitur quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod requiritur mentalis intentio ministri, quæ si desit, non perficitur sacramentum; sed hunc defectum in pueris qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides et devotio illorum. Et secundum hoc dicendum esset ad formam argumenti negando consequentiam: quamvis enim intentio ministri non adesset, tamen homo recipiens esset securus de sua salute, quia propriam devotionem cognoscit.

Reprobatio.

Sed hoc satis dici posset quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio á peccatis; sed quantum ad effectum, qui est res et sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character numquam imprimitur, nisi per sacramentum. Unde suscipiens sacramentum, posset quidem esse certus de sua salute, propter devotionem propriam quam habet suscipiendo sacramentum; non tamen esset certus quod recipiat rem et sacramentum.

Verior sententia.

Et ideo alii melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister, in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod licet ille qui aliud cogitat non habeat actualem intentionem; habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti. Puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa illum qui baptizandus est id quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum uni intendere, incipit alia cogitare secundum illud Psal. 39. *Cor meum dereliquit me.*

ARTICULUS IX.

Utrum fides ministri sit de necesitate sacramenti.

Pro affirmativa. = Videtur, quod fides ministri sit de necessitate sacramenti.

1. Illud quod dirigit intentionem, est de necessitate sacramenti. Sed *fides dirigit intentionem*, ut August. in præfat. Psalm. 31. dicit contra Jul. Ergo fides ministri est de necessitate sacramenti.

Maior prob., quia intentio ministri est necessaria ad perfectionem sacramenti, ut dictum est artic. præced. Un-

de eadem ratione necessarium est illud quod intentionem dirigit.

2. Hæretici non possunt sacramenta conferre. Sed illi qui sunt sine fide sunt hæretici. Ergo sine fide non perficitur sacramentum.

Maior prob., quia Cyprianus dicit lib. 1. Epist. in Epistola 12. contra hæreticos. « Omnia quæcumque faciunt hæ« retici, carnalia sunt et inania et falsa, « ita ut nihil eorum quæ illi gesserunt, « á nobis probari debeat.» Et Leo Papa dicit in Epist. 75. ad Leonem Augustum, « Manifestum est per crudelissimam et « insanissimam vesaniam, in Alexandri« na sede omne cœlestium sacramento« rum lumen extinctum. Intercepta est « sacrificii oblatio, defecit Chrismatis « sanctificatio, et parricidialibus manibus « impiorum omnia se subtraxere mys« teria.»

3. Excommunicatus non potest conferre Ecclesiæ sacramentum. Sed illi qui non habent veram fidem, videntur esse excommunicati et per consequens ab Ecclesia separati. Ergo qui sunt sine vera fide, non possunt conficere sacramentum, ac per hoc fides ministri est necessaria ad sacramentum conficiendum.

Maior probat., quia excommunicatus, est separatus ab Ecclesia, ad cujus ministerium pertinet sacramentorum dispensatio.

Minor prob., quia dicitur in secunda Canon Joan. c. 10. «Si quis venit ad vos, « et hanc doctrinam non affert; nolite eum « recipere in domum, nec Ave dixeri« tis ei.» Et ad Titum 3. Hæreticum ho« minem, post primam et secundam cor« rectionem devita.»

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit lib. 1. Contra Petilianum Donatistam c. 47. « Mementote sacra« mentis Dei nihil obesse mores malorum « hominum quod illa vel non sint, vel « minus facta sint. »

Determinatio.

Conclusio. Non requiritur ad perfectionem sacramenti, fides ministri.

Prob. Non requiritur ad perfectionem sacramenti quod minister sit in charitate; sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut artic. 5. et 6. dictum est. Ergo nec fides ministri ad perfectionem sacramenti est necessaria, sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cœtera quæ sunt de necessitate sacramenti adsint.

Anteced. probat. quia minister in sacramentis operatur instrumentaliter et non agit virtute propria, sed virtute Christi. Et propter hoc non est necessarium ad veritatem sacramenti quod minister sit per charitatem perfectus.

Conseq. probatur, quia sicut pertinet ab propiam virtutem hominis charitas ita et fides.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod potest contingere aliquem pati defectum fidei circa aliquid aliud ad fidem pertinens, sed non circa veritatem sacramenti quod exhibet, puta si aliquis credat juramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem; et in hoc casu dirigitur intentio conferentis sacramentum per id quod recte de sacramento quod exhibet, credit; et sic ejus infidelitas, quam de aliis habet, non impedit intentionem conferendi sacramentum. Si vero ille qui sacramentum ministrat, patiatur defectum fidei circa sacramentum quod exhibet, et credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere sacramentum; tunc non obstante infidelitate ministrantis, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet æstimet id quod Ecclesia facit, nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum, quia ut dictum est art. 8. Minister agit in perso-

na totius Ecclesiæ, ex cujus fide supplebitur id quod deest fidei ministri. Dirigitur ergo tunc intentio, non per fidem ministri sed Ecclesiæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod hæreticorum quidam in collatione sacramentorum, formam Ecclesiæ non servant: et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti, quidam vero servant Ecclesiæ formam; et tales conferunt quidem sacramentum, sed non rem sacramenti, quæ est gratia. Et hoc si sint manifeste ab Ecclesia præcisi, quia ex hoc ipso quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat. Et per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. Unde August. dicit in lib. de fide ad Pet. cap. 36. «firmissime tene et «nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, «baptismo cumulari perniciem.» Et per hunc modum dicit Leo Epist. 75. «In «sede alexandrina omne sacramentorum «lumen esse extinctum, scilicet quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum. Cyprianus autem nullo modo sacramentum posse conferre hæreticos credebat. Sed in hoc ejus sententia non tenetur. Unde Aug. in Epist. 48. dicit: Martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita usque ad triumphum martirii secuta sunt, ut charitatis, qua excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.»

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indebilis est, ut patet ex dict. quæst. præced. art. 5. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert sed tamen peccat conferendo; et similiter ille qui ab eo accipit sacramentum; et sic non percipit rem sacramenti quæ est gratia, nisi forte per ignorantiam excusetur.

ARTICULUS X.

Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Pro affirmativa.=Videtur, quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

1. Intentio Ecclesiæ semper est recta. Sed intentio ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ, ut patet ex dictis art. 8. et 9. Ergo intentio ministri semper debet esse recta ad hoc quod perficiatur sacramentum.

2. Intentio jocosa tollit sacramentum puta si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret, non conferret verum baptisma. Ergo multo magis perversa intentio aufert sacramentum, puta si aliquis aliquem baptizaret, ut postea eum occideret.

Conseq. prob., quia perversa intentio deterior esse videtur, quam intentio jocosa.

3. Perversa intentio facit totum opus vitiosum, secundum illud Lucæ 12. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines. Sicut Aug. dicit lib. 1. contra Petil. c. 8. Ergo videtur quod si sit perversa intentio ministri non sit ibi verum sacramentum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Malitia ministri non tollit sacramentum. Sed perversa intentio pertinet ad malitiam ministri. Ergo nec perversa intentio veritatem sacramenti tollere potest.

Determinatio.

Distinctio. Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Alio modo quan-

tum ad id quod sequitur sacramentum, puta si sacerdos intendat aliquam mulierem baptizare, ut abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi ut eo ad veneficia utatur.

1.ª Conclusio. Perversa intentio ministri respectu ipsius sacramenti, tollit veritatem sacramenti, præcipue cum suam intentionem exterius manifestat. Hæc remanet probata ex secundo argum. pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Perversa intentio ministri, quantum ad id quod sequitur sacramentum, non tollit veritatem sacramenti.

Prob. Prius non dependet á posteriori: ergo perversa intentio ministri, circa ea quæ sacramentum consequuntur, quæ posteriora sunt, non tollit veritatem sacramenti, quæ priorest.

3.ª Conclusio. Minister ex tali prava intentione, graviter peccat. Hæc ex se patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod intentio Ecclesiæ semper est recta et quantum ad sacramenti perfectionem et quantum ad sacramenti usum, sed prima rectitudo perficit sacamentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat suam intentionem Ecclesiæ, quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod intentio jocosa, est deterior quam sit intentio perversa quantum ad hoc quod intentio ludicra, vel jocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum; intentio vero perversa excludit solum rectitudinem circa ea quæ sacramentum consequuntur, ut dictum est in corp.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur id quod minister agit in sacramentis, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est minister: et est simile si minister alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione daret.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 64.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium: quod homo potest ex se dare Spiritum Sanctum. Si enim homo non potest ex se, adhibito etiam sacramento, operari interiorem effectum, idest gratiam Spiritus Sancti, sed tantum ad ipsum effectum operatur ministerialiter (ut dicit tex ad 3.) multo magis utique homo non poterit ex se dare Spiritum Sanctum. Articulus ergo iste contra illam hæresim non solum pugnat, ipsamque expugnat: sed etiam hoc facit á fortiori. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Psalm. 83. *gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Per hoc enim monstrat Psalmus, quod gratiam Spiritus Sancti, cum qua datur et Spiritus Sanctus. Rom. 5. potest ex se dare solus Dominus. Item á Roman. 8. Deus, etc. ut ponitur cum discursu *in arg. cont.* Justificare enim ex se, idest per auctoritatem suam (quod intendit Apostolus) est ex se dare Spiritum Sanctum: et hoc, idest, sic justificare, convenit soli Deo, secundum eumdem Apostolum ibi. Item á 1. Corint. 3. «Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.» Si enim homo plan-

tans, et rigans non est aliquid, scilicet quoad interiorem effectum, qui est illud incrementum, in quantum, scilicet homo ille neque impetrat, neque infundit gratiam: utique homo talis multo minus dabit ex se Spiritum Sanctum. Item á dictis in pri. p. q. 43. art. 8. et in 1. 2. art. num. 596. Elucid. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim Jacobi Præpositi dicentis; quod sacramenta, scilicet Confirmatio, Ordo, Matrimonium, Extremaunctio, sunt humanitus per Ecclesiam instituta. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, ipsam merito damnari á Conc. Tridentino sess. 7. de sacramentis, can. 1. «Si quis dixerit: sacramenta novæ legis non fuisse omnia á Jesu Christo Domino nostro instituta: Anathema sit.» Quin etiam speciatim de Extrema unctione (licet canon hic absolute sufficiens fuisset) quia videbatur olim quibusdam Apostolus Jacobus instituisse, dicit sess. 14. cap. 1. de ext. unct. Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum tamquam vere, et proprie sacramentum novi testamenti á Christo Domino nostro: apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.» Item dicitur sess. 24. cap. 1. *Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector.* Item á Veritatibus aureis super legem veterem, Num. 19. concl. 2. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim Arnoldi á Villanova dicentis: quod humana natura á Deo verbo assumpta æqualis est Deo in omnibus bonis suis, adeo, ut tanta sit humanitas Christi, quanta est ejus divinitas, et tantumdem possit, et valeat. Articulus enim iste directe connotat oppositum ipsius hæresis, ideoque ipsam impugnat, sed et efficaciter expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari á Christo dicente Joann. 2. *Pater major* me est. Loquitur enim ibi de seipso, quantum ad humanitatem, secundum quam ly vado ad patrem positum in contextu de necessitate intelligitur. Ac si dixisset. Pater est major me secundum illam naturam, secundum quam movebor, ascendendo ad patrem. Nec potest dici cum aliquibus sciolis, quod Christus hoc ex humilitate, et reverentia ad patrem, dixit, non quia verum sit. Non enim humilitas, neque reverentia virtus est, sed vitium, quando veritatem non habet comitem. In Christo autem dari posse vel minimum vitium, impossibile est: ut patet in Addit q. 16. art. 2. ad 2. cum Elucidatione. Item damnari á symbolo D. Athanasii dicente de Christo. *Æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem.* Hoc vero symbolum tantæ est auctoritatis, ut á Conc. Flor. (in Decr. Armenis dato) vocetur compendiosa regula fidei. Item á dictis in 3. de Salv. a. n. 8. 90. 94. 145. et in p. p. q. 75. art. 7. et in addit. ar. n. 389. Assimilatur enim hæresis prædicta hæresibus quibusdam Augustini de Roma ibi positis, atque damnatis: et ideo hæc iisdem mediis venit condemnanda. Item á dictis in 1. 2 ar. num. 596. cum Elucid semper, et ubique citationes has et similes cointelligendo. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Suenkfeldi* dicentis; quod homo quilibet est præditus ea justitia, sapientia, charitate, atque virtutibus omnibus pari dignitate, et modo, quibus Deus essentialiter est præditus. Si enim potestatem excellentiæ convenientem Christo, secundum quod homo est, non habet homo in sacramentis, multo magis utique non habebit illas virtutes omnes pari modo, quia Deo essentialiter conveniunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari à Ps. 82. «Deus quis similis erit tibi? Item á Ps. 85. Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua.» Item ab Is. 40. «Ecce gentes, quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo, et quasi nihilum, et inane reputatæ sunt ei.» Expone tu ly ei, idest coram eo, idest in comparatione ejus. Item a dictis pr. p. q. 12. ar. 13. et q. 13. art. 1. et q. 18. ar. 4. Item á dictis 2. 2. art. nu. 793. cum Elucid. semper. *Tertio* vides quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Donatistarum* dicentium; quod sacerdotum malorum, aut impurorum sacramenta sunt nulla. Et

Valdensium (ut refert Directorium Inq. 2. par. quæst. 8.) dicentium: Sacerdotes rite, et legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere, vel conferre Ecclesiæ sacramenta. *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas, hæreses has merito damnari á Divo Augustino, secundum quod ponitur *in arg. contr.* Item á Concilio Trident. sessione 7. de sacramentis, can. 12. « Si quis dixerit: ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre sacramentum; anathema sit. Item á D. Augustino in lib. Psalmorum. Quid nobis fecit Deus, qui traditorem suum, quem diabolum nominavit, cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum cœlorum misit? Ut monstraret dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt; etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit. Hæc ille; et recitantur in Decret. 1. q. 1. cap. Christus. Item á D. Gregor. Non nocet malitia Episcopi neque ad baptismum infantis, neque ad Ecclesiæ consecrationem: quia baptisma á Deo datur, non ab homine venit. Sic et Eucharistia, et omnia, quæ in altari ponuntur, non ab homine, sed á Deo, sanctificationem accipiunt. Hæc ille: et recitantur ibidem. Item á D. Aug. Qui superbus fuerit minister, cum Zabulo computabitur, sed non contaminatur donum Christi: quia per illum purus fluvius transit, et venit ad fertilem terram. Scio, quia lapis ex aqua fructum ferre non potest: sed per lapideos canales transit aqua ad areolas. In canali lapideo nihil generatur; sed hortus plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti, ut lux pura, ab illuminandis excipitur: sed per immundos transiens non coinquinatur.» Hæc ille: et recitantur ibid. cap. Si justus. Item á dictis supra art. num. 24, et Addition. art. num. 76. 78. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, et Dionysio; quod mali ministrantes peccant mortaliter. A Sancto Dionysio quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Levit. 21. « Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium, nec accedet ad altare, et contaminare non debet sanctuarium meum. Et c. 22. Custodiant præcepta mea; ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario meo; cum polluerint illud.» Hic enim per peccatum intelligit mortale: in cujus signum mors corporalis infligebatur á Deo, et ipsi contaminare, ac polluere dicebantur sanctuarium ejus. A fortiori vero ostenditur his verbis: quod mali ministri in nova lege peccant mortaliter, si accedant ad ministrandum. Nam constat, sacramenta nostra esse digniora, et ideo maiori cultu veneranda veteribus sacramentis, q. 3. ar. 1. 3. 6. ita, ut in proposito de sacramentorum, eorumque ministris cum Apostolo Hebr. 10. proportionaliter dicendum sit. « Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testameti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est; et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? » Item intentum præsentis articuli insinuatur, et á fortiori quidem á scripturis citatis contra irreverenter se habentes erga vasa sacra, et templa; quanto sacramenta vasis ipsis, et templis sacratiora sunt. Ut igitur scripturas illas ad hoc propositum adaptare valeas; vide 2. 2. articulorum num. 603. et Addit. ar. num. 133. Et veritates aureas super totam legem veterem, Levit. 22. concl. 1. et cap. 26. concl. 1. et c. 27. conclus. 1. n. 4. concl. 1. et c. 18. conc. 2. Hæc de vasis. Cæterum ad idem de templis vide veritates ipsas, Exod. 19. conclus. 3. et cap. 26. conclus 1. et c. 39. concl. 1. et numer. 7. conc. 1. et c. 18. conclus. 2. et Deuter. 12. conclus. 4. item Genes. 2. conclus. 3. 4. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et ab Ecclesia, tum, quod ad Angelos non pertinet ministrare sacramenta, tum quod, si Angeli boni facerent aliquod sacramentale ministerium, illud esset pro rato habendum. A scripturis quidem illud primum insinuatur per hoc, quod dicitur Hebr. 5. omnis pontifex, etc. ut cum discursu est *in arg.*

cont. Inde enim colligitur intentum categorematice. Hoc est: quod ista simplex propositio, scilicet, Angeli possunt de se administrare sacramenta, est falsa: ab Ecclesia vero illud secundum insinuatur per hoc, quod ipsa celebrat festum Sancti Michaelis mense Septembris. Tali enim facto suo, et quidem solemni, demonstrat intentum hypothetice, idest, quod hæc conditionalis propositio, scilicet, si Angeli boni exercent ministerium aliquod sacramentale, esset ratum habendum, est vera, ratio hujus demonstrationis est, quia ideo illud festum ac ratione, inter alias, celebrat, eo quod tunc dedicata, seu consecrata fuit ab ipso Archangelo Basilica in antro apud Garganum Apuliæ montem ad ipsius montis verticem. Vide legendarium Domini Jacobi de Voracine, et rationale divinorum officiorum circa hoc. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis (ut refertur in Bulla *Leonis* X. contra errores *Luther.*) quod si confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco, absolveret: si tamen credat, se absolutum, est verissime absolutus. Hoc pro tanto hic adducitur, pro quanto negat (ut patet) intentionem ministri sacramentorum necessario requiri ad perfectionem ipsorum, idest, ad hoc ut fiant sacramenta. Articulus enim præsens pro tanto errorem illum directe impugnat, et efficaciter expugnat. *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari ab eodem Papa *Leone* in eadem Bulla. Item á dictis in Addit. articulorum num. 16. 67. Elucid. applicando ad intentionem ministri. Item á veritatibus aureis super legem veterem, Levit. 5. conclus. 9. Item á concilio Floren. in Decret seu constitut. super unione Armenor. «Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.» Item á Concilio Trid. sess. 14. c. 6. circa fin. Et can. 9. "Si quis dixerit: Absolutionem, etc. aut confitentem esse absolutum, modo tantum credat se esse absolutum, etiamsi sacerdos non serio, sed joco absolvat: Anathema sit.» Item ab eodem sess. 7. de sacramentis can. 11. si quis dixerit; in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia: Anathema sit. *Tertio* vides quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem interimas, et quidem á fortiori hæreses Joannis Wicleff, Donatistarum. Valdensium, seu Pauperum de Lugduno, narratas a. 5. 8. append. et qu. 63. art. 6. append. *Secundo* habes quomodo per rationem á fortiori ostendas, damnari merito eas á Conciliis Florentin. et Tridentin. ut ibidem patet. Si enim necessario requisita ad confectionem, et collationem sacramentorum narrare profitentur (ut maxime apparet de Concilio Florent.) et non narrant nisi, quod intentio requiritur: ex hoc manifeste relinquitur, quod nec fides ministri, nec intentio recta ipsius, ar. 10. requiritur de necessitate ad sacramentorum perfectionem. Item ab aliis dictis ibidem: quæ tuum erit huc bene applicare. Item á Concil. Trid. sess. 7. de baptismo, can. 4. "Si quis dixerit: Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum baptismum: Anathema sit. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 10. habes *primo* quodo per rationem conclusionis 2. interimas hæreses narratas in locis citatis ab art. 9. append. confirmando videlicet hinc. quod mali ministri possunt conficere, et conferre sacramenta. Patet enim, quod ex hoc, quod istud confirmatur, illæ hæreses magis confunduntur: et consequenter, quod præsens articulus ad expugnandum illas, ac similes á sancto doctore ecclesiæ catholicæ propugnatore fidelissimo (quod sui moris semper fuit) factus est. *Secundo* habes: quomodo per eamdem rationem ostendas, eas merito damnari á dictis in locis prælallegatis. Vide ergo tu per te ibi, ne inanis repetitio fiat: et recte ad propositum, pro quanto opus est, applicabis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA QUINTA,

DE NUMERO SACRAMENTORUM,
IN QUATUOR ARTICULOS
DIVISA.

Deinde considerandum est de numero sacramentorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum sint septem sacramenta.
Secundo, de ordine eorum ad invicem.
Tertio, de comparatione eorum.
Quarto, utrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICULUS I.

Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

Pro negativa.=Videtur, quod non debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

1. Una est divina virtus et una Christi passio. *Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, ut dicitur Heb. 10. Ergo non debuit esse, nisi unum sacramentum.

Conseq. prob., quia sacramenta habent efficaciam ex virtute divina et ex virtute passionis Christi.

2. Defectus peccati duplex est, scilicet pœna et culpa. Ergo sufficerent duo sacramenta.

Conseq. prob. quia sacramentum ordinatur contra defectum peccati.

3. Tres sunt actiones hierarchiæ, scilicet purgatio, illuminatio et perfectio. Ergo non debent esse, nisi tria sacramenta.

Conseq. prob., quia sacramenta pertinent ad actiones Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ut patet per Dion. 2. cap. Eccles. Hierar.

4. In veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet confimationi et Extremæ-unctioni. Ergo neque hæc debent numerari inter sacramenta novæ legis.

Conseq. prob., quia dicit August. lib. 19. contra Faust. c. 13. Sacramenta novæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta veteris legis.

5. Contra alia peccata á luxuria non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque etiam contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonii.

Conseq. prob., quia luxuria non est gravius inter cætera peccata, ut dictum est 2. 2. qu. 154. art. 3.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Videtur quod sacramenta sint plura septem. Primo, multæ aliæ sanctificationes fiunt in Ecclesia secundum sensibilia signa, sicut aqua benedicta, consecratio altaris et alia hujusmodi. Ergo sacramenta sunt plura septem.

Conseq. prob., quia sacramenta dicuntur quasi quædam sacra signa.

2. Hugo de sanct. Vict. dicit lib. 1. Quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decimæ de sacr. part. 12. cap. 10. et sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiæ est unum sacramentum quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes et decimæ debent dici sacramenta.

3. Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale et veniale. Et contra originale peccatum ordinatur baptismus, contra mortale pœnitentia. Ergo debet esse aliud sacramentum præter septem, quod ordinetur contra peccatum veniale.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter ponuntur septem Ecclesiæ sacramenta, quæ sunt baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, Extrema-unctio, ordo sacer, matrimonium.

Manifestatur dupliciter. Primo ea quæ ordinantur ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem Christianæ vitæ et etiam in remedium contra defectum peccati, convenienter ponuntur in septenario numero. Sed sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad hæc duo, scili-

cet ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem christianæ vitæ et etiam in remedium contra defectum peccati, ut dictum est, qu. 62. art. 3. et qu. 6. art. 1. Ergo convenienter sacramenta Ecclesiæ ponuntur in septenario numero.

Maior ostenditur quoad utramque partem. Et primo quoad primam. Ad hoc quod homo perficiatur in vita corporali septem sunt necessaria. Ergo totidem necessaria erunt ad hoc quod homo perficiatur in vita spirituali christiana.

Conseq. probat., quia vita spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cætera corporalia conformitatem quamdam spiritualium habent.

Anteced. et consequens manifestantur simul ostendendo, quot et quæ sint requisita ad perficiendum hominem in utraque vita. In vita enim corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam, alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit. Est enim homo naturaliter animal sociabile. Respectu propriæ personæ perficitur homo in vita corporali dupliciter. Uno modo per se acquirendo, scilicet aliquam vitæ perfectionem: Alio modo per accidens, removendo impedimenta vitæ; puta ægritudines, vel aliquid hujusmodi.

Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere.

Secundo per augmentum quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem.

Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus.

Et hæc quidem sufficerent homini si haberet corporaliter impassibilem vitam. Sed quia interdum incurrit corporalem infirmitatem, ideo necessaria est homini curatio. Quæ quidem est duplex: una est quæ sanitatem restituit, puta medicina: alia est restitutio valetudinis pristinæ per convenientem dietam et exercitium.

In ordine autem ad totam communitatem perficitur homo dupliciter. Uno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos, puta cum sit dux, vel judex: alio modo quantum ad naturalem propagationem quod fit per matrimonium ut est naturæ officium.

Septem igitur sunt, per quæ homo perficitur in vita corporali; tria quidem respectu propriæ personæ per se: et sunt generatio, augmentum et cibus. Duo per accidens quæ sunt restitutivum sanitatis et restitutivum valetudinis: et duo respectu multitudinis, scilicet potestas regendi alios et propagatio.

Ad horum autem similitudinem septem etiam sunt requisita ad perficiendum hominem in vita spirituali. Perficitur enim homo in vita spirituali respectu propriæ personæ per se tripliciter. Primo acquirendo esse vitæ spiritualis; et hoc fit per baptismum qui ponitur loco generationis. Est enim baptismus spiritualis regeneratio, secundum illud ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis*, etc.

Secundo, acquirendo augmentum et virtutem vitæ spiritualis: et hoc fit per sacramentum confirmationis in quo datur Spiritus Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis jam baptizatis Lucæ ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.*

Tertio, per nutritionem qua conservatur in homine vita et virtus spiritualis: et hoc fit per Eucharistiam: Unde dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Quæ tria sufficerent homini ad perfectionem sui ipsius in vita spirituali, si non posset incurrere infirmitatem spiritualem, quæ est peccatum; sed quia in hac vita potest per peccatum infirmari

spiritualiter, propterea sunt ei duo alia adhuc necessaria. Unum per quod sanetur, et hoc est sacramentum pœnitentiæ secundum illud Psalm. 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Alterum per quod valetudo pristina recuperari possit, et hoc fit per Extremam-unctionem, quæ removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam: unde dicitur Jacobi 1. Et si in peccatis sit dimittentur ei. Perficitur au homo in vita spirituali per ordinem ad communitatem dupliciter. Primo per sacramentum ordinis, quo homo accipit potestatem alios spiritualiter regendi, et pro eis oferendi sacrificia, secundum illud Heb. 7. Quod sacerdotes offerunt hostias, non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo per sacramentum matrimonii, per quod filii in quibus spiritualis cultus conservetur propagantur. Ex quibus remanet manifestatum antecedens assumptum, et etiam consequens, scilicet quod ad hoc, ut homo perficiatur in vita corporali, septem erant necessaria, et totidem etiam erant necessaria ad perficiendum hominem in spirituali vita, quæ sunt septem Ecclesiæ sacramenta. Ac per hoc remanet probata prima pars maioris assumptæ, scilicet quod illa quæ ordinantur ad perficiendum hominem in vita spirituali, convenienter septenario numero comprehenduntur.

Altera pars ejusdem majoris propositionis, scilicet quod illa quæ ordinantur in remedium peccati, debeant etiam esse septem, ostenditur ex modo dictis.

Nam septem sunt defectus, quos homo spiritualiter potest pati. Primus est carentia vitæ spiritualis, contra quam ordinatur baptismus. Secundus est infirmitas animi, quæ in nuper natis invenitur, et contra hunc ordinatur confirmatio. Tertius est labilitas animi ad peccandum, contra quem ordinatur Eucharistia. Quartus defectus est actuale peccatum post baptismum commisum, contra quem ordinatur pœnitentia. Quintus defectus sunt reliquiæ peccatorum, quæ non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, contra quem ordinatur Extrema-unctio. Sextus est dissolutio multitudinis, contra quem institutus est ordo. Septimus est personalis concupiscentia, et defectus multitudinis, qui per mortem accidit, contra quos ordinatur sacramentum matrimonii: et sic remanet quoad omnes partes manifestata maior assumpta in probatione conclusionis.

Alii autem aliter probant propositam conclus. Accipiunt enim numerum sacramentorum per quamdam adaptionem ad virtutes, et ad defectus culparum et pœnalitatum. Septem enim sunt virtutes et septem sunt defectus culparum et pœnalitatum, ex quorum numero, numerum deducunt sacramentorum, in hunc modum: dicunt enim quod

Baptismus respondet fidei quæ est prima virtutum et ordinatur contra culpam originalem.

Extrema-unctio repondet spei, et ordinatur contra culpam venialem.

Eucharistia respondet charitati, et ordinatur contra pœnalitatem malitiæ.

Ordo respondet prudentiæ, et ordinatur contra ignorantiam.

Pœnitentia respondet justitiæ et ordinatur contra peccatum mortale.

Matrimonium respondet temperantiæ et ordinatur contra concupiscentiam.

Confirmatio respondet fortitudini, et ordinatur contra infirmitatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod idem principale agens utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina et passio Christi operantur in nobis per diversa sacramenta, quasi per diversa instrumenta.

Ad 2. Negat. conseq. Culpa enim et pœna diversitatem habent et secundum

speciem, in quantum sunt diversæ species culparum et pœnarum, et secundum diversos hominum status et habitudines; et secundum hoc oportuit multiplicare sacramenta, ut patet ex dictis in corpore.

Ad 3. neg. etiam conseq. Ex numero enim tantum actionum hierarchicarum non potest concludi numerus sacramentorum, quia in actionibus hierarchicis, non solum sunt ipsæ actiones, sed etiam agentes et recipientes et respectu omnium horum sunt instituta sacramenta. Agentes enim sunt Ecclesiæ ministri ad quos pertinet sacramentum ordinis, recipientes autem sunt illi, qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per matrimonium: actiones autem hierarchiæ, sunt purgatio, illuminatio et perfectio. Sola purgatio non potest esse sacramentum novæ legis, quod conferendo gratiam, non solum purgat sed etiam perficit. Pertinet igitur purgatio sola ad quædam sacramentalia, quæ sunt chatechismus et exorcismus: purgatio vero et illuminatio simul pertinent secundum Dion. cap. 3. Eccles. Hier. ad baptismum, et propter recidivum secundario pertinent ad pœnitentiam, et ad Extremam-unctionem. Perfectio quantum ad virtutem, quæ est quasi perfectio formalis, pertinet ad confirmationem quantum autem ad consecutionem finis pertinet ad eucharistiam.

Ad 4. Neg. conseq. Nam etsi in veteri lege non fuerint aliqua sacramenta respondentia sacramento confirmationis et Extremæ-unctionis, nihilominus illa sacramenta plura numero fuerunt, quam sacramenta novæ legis, propter diversitatem sacrificiorum et cæremoniarum. Ratio autem quare in veteri lege non fuerunt aliqua sacramenta respondentia confirmationi et Extremæ-unctioni est, quia in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in Extrema autem unctione præparatur homo, ut recipiat immediate gloriam. Quorum neutrum competit veteri testamento ut dictum est 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 3. Et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere.

Ad 5. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod etsi luxuria non sit gravissimum peccatorum, tamen oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum, duplici ratione. Primo, quia per concupiscentiam venereorum, non solum vitiantur personæ, sed etiam natura. Secundo propter vehementiam ejus, quæ rationem absorbet.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod aqua benedicta et alia consecrationes non dicuntur sacramenta: quia non perducunt ad effectum sacramenti, qui est consecutio gratiæ; sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta, vel removendo prohibens; sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum et contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quamdam faciendo, ad sacramenti perfectionem et perceptionem; sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiæ. Negatur igitur consequentia. Ad cujus prob. dicitur, quod sacramenta sunt talia signa, ut hominem sanctificare possint conferendo gratiam, quod non efficiunt dictæ consecrationes.

Ad 2. Dicitur quod decimæ et oblationes in veteri lege erant sacramenta, quia erant ordinatæ, non solum in subsidium ministrorum, sed etiam ut aliquid figurarent in lege nova. Nunc autem non remanserunt, in quantum sunt figuralia; et propterea non sunt sacramenta.

Ad 3. Neg. conseq. Ad deletionem enim peccati venialis non requiritur infusio gratiæ. Unde cum in quolibet sacramento novæ legis gratia infundatur nullum sacramentum novæ legis instituitur directe contra peccatum veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia puta per aquam benedictam, et per alia hujusmodi. Quidam tamen concedunt totum: dicunt enim quod contra pecca-

tum veniale ordinatur sacramentum Extremæ-unctionis. Sed de hoc suo loco dicetur infra in quæst. 120. art. 1.

ARTICULUS II.

Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum prædictum in art. præced.

Pro negativa. — Videtur, quod non convenienter sacramenta ordinentur secundum modum prædictum.

1. Illud per quod generatur homo generatione animali, est prius quam id per quod generatur generatione spirituali. Sed per matrimonium generatur homo generatione animali; et per baptismum generatur generatione spirituali. Ergo matrimonium præcedit baptismum.

Maior probat., quia dicit Apost. 1. Cor 15. *Prius est quod est animale, deinde quod est spirituale.*

2. Per sacramentum ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Ergo ordo debet præcedere baptismum et alia sacramenta.

Conseq. probat., quia agens est prior sua actione.

3. Sacramentum per quod homo spiritualiter nutritur, præcedit sacramentum, per quod homo spiritualiter augetur. Sed per sacramentum eucharistiæ homo spiritualiter nutritur; per confirmationem vero spiritualiter augetur. Ergo sacramentum eucharistiæ præcedit sacramentum confirmationis.

Maior probat., quia nutrimentum est causa augmenti; et per consequens nutrimentum est prius augmento.

4. Pœnitentia præparat hominem ad eucharistiam. Ergo pœnitentia debet præcedere eucharistiam.

Conseq. prob., quia dispositio præcedit perfectionem, cujus est dispositio.

5. Illud quod est propinquius ultimo fini, est posterius. Sed Extrema-unctio inter omnia sacramenta propinquior est ultimo fini beatitudinis ergo Extremæ-unctionis sacramentum debet habere ultimum locum inter sacramenta.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ab omnibus communiter ordinantur sacramenta, secundum modum dictum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramenta convenienter ordinantur secundum modum dictum in corp. præced. art. videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema-unctio, ordo et matrimonium.

Manifestatur hoc ordine. Primo quod ordo, et matrimonium debeant poni ultimo loco: secundo quod matrimonium sit ponendum post ordinem. Tertio quod baptismus, confirmatio, et eucharistia debeant poni ante pœnitentiam et Extremam-unctionem. Quarto quod Extrema-unctio sit post pœnitentiam enumeranda. Quinto quod inter illa tria priora baptismus præcedat alia duo, quem sequatur confirmatio, postquam ponitur eucharistia.

Primum sic ostenditur. Sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis, sunt posteriora sacramentis, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ: et hoc quia unitas prior est multitudine. Sed ordo, et matrimonium ordinantur ad perfectionem multitudinis, alia vero ad perfectionem singularum personarum. Ergo ordo et matrimonium posteriorem locum obtinent inter alia sacramenta.

Secundum vero ostenditur, quia matrimonium minus participat de ratione spiritualis vitæ ad quam ordinantur sacramenta.

Tertium manifestatur hac ratione. Ea quæ ordinantur ad perfectionem alicujus personæ per se, sunt priora his quæ ordinantur ad perfectionem ejusdem personæ per accidens. Sed baptismus confirmatio et eucharistia ordinantur ad perfectionem hominis per se; pœnitentia vero et Extrema-unctio, per accidens, ut artic. præced. dictum est. Ergo baptismus, confirmatio et eucharistia sunt priora pœnitentia et Extrema-unctione.

Quartum prob., quia pœnitentia inchoat sanationem, Extrema vero unctio eam consummat; et ideo naturaliter Extrema-unctio post pœnitentiam.

Inter alia vero tria sacramenta manifestum est quod baptismus tenet primum locum, quia est spiritualis generatio. Deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, et postmodum eucharistia quæ ordinatur ad perfectionem finis, ut etiam in artic. præced. dictum est. Ex quibus manifeste patet, quod conveniens ordo sacramentorum est, quod ponatur.

Primo Baptismus.
Secundo Confirmatio.
Tertio Eucharistia.
Quarto Pœnitentia.
Quinto Extrema-unctio.
Sexto Ordo.
Septimo Matrimonium.

Quæ sacramenta sic ordinatur ad perfectionem
- Singularis personæ
  - Per se.
    - Baptismus.
    - Confirmatio.
    - Eucharistia.
  - Per accidens.
    - Pœnitentia.
    - Extrema unctio
- Et Communitatis.
  - Ordo.
  - Matrimonium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, et naturæ officium, et præcedit sacramenta, ut ratio concludit. Sed secundum quod participat aliquid spiritualitatis, est sacramentum, et ponitur ultimo loco inter sacramenta; quia minimum habet de spiritualitate, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negat. conseq. Ad prob. dicitur quod agens est quidem prius sua actione, tamen ad hoc quod sit agens præsupponitur, quod sit in se perfectum. Et ideo priora sunt sacramenta, quibus aliquis in se ipso perficitur, quam sacramentum ordinis, quo aliquis constituitur perfector aliorum.

Ad 3. Neg. maior. Ad probationem dicitur quod nutrimentum, et præcedit augmentum sicut causa ejus, et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest eucharistia præmitti confirmationi, ut Dionis. facit in lib. de Ecclesia Hierar. cap. 3. Et potest postponi, ut Magister facit in 4. sent 17.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod pœnitentia non requiritur ex necessitate ut præparatoria ad Eucharistiam: si enim aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ; et sic patet, quod per accidens pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet supposito peccato. Unde dicitur 2. Paral. ult. *Tu domine justorum non posuisti pœnitentiam justis.*

Ad 5. Dicitur quod argumentum hoc concludit quod Extrema-unctio sit ultima inter sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ quod esse verum in corpore monstratum est. Et si maior intelligatur de ultimo absolute, est falsa, ut etiam ex dictis patet.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter sacramenta.

Pro negativa. = Videtur, quod sacramentum Eucharistiæ non sit potissimum inter sacramenta.

1. Sacramentum quod ordinatur ad

bonum commune, potius est, quam quod ordinatur ad bonum unius personæ. Sed sacramentum matrimonii ordinatur ad bonum commune totius speciei humanæ; sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad bonum proprium sumentis. Ergo sacramentum matrimonii potius est, quam sacramentum Eucharistiæ.

Maior prob., quia bonum commune potius est, quam bonum unius, ut dicitur 1. Ethic. cap. 2.

2. Sacramenta quæ per maiorem ministrum conferuntur, sunt potiora eis quæ per minorem ministrum conferri possunt. Sed sacramenta confirmationis et ordinis non conferuntur, nisi per ministrum maiorem, scilicet per episcopum, eucharistia vero confertur etiam per simplicem sacerdotem, qui est minor Episcopo: Ergo sacramentum ordinis et confirmationis sunt maiora et potiora, quam sacramentum Eucharistiæ.

3. Sacramenta quæ habent maiorem virtutem, quam Eucharistia, sunt potiora, quam Eucharistia. Sed aliqua sacramenta habent maiorem virtutem, quam sacramentum Eucharistiæ. Ergo quædam sacramenta sunt potiora, quam sit Eucharistia.

Maior probat., quia sacramenta tanto sunt potiora, quanto maiorem virtutem habent.

Minor probat., quia Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem quod non facit Eucharistia.

4. Sacramentum Eucharistiæ dependet ex sacramento Baptismi. Ergo sacramentum Eucharistiæ non est potius Baptismo, sed magis Baptismus erit potior Eucharistia.

Anteced. prob. Quia non potest aliquis Eucharistiam accipere, nisi sit baptizatus.

Consequentia prob., quia illud videtur esse potius, ex quo alia dependent; et non é converso.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dionis. dicit in 3. cap. Eccles. Hier. Quod *non contingit aliquem perfici, perfectione hierarchica, nisi per divinissimam Eucharistiam.* Ergo hoc sacramentum est potissimum omnium aliorum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta simpliciter loquendo.

Probatur tripliciter. Primo ex eo quod in sacramento Eucharistiæ continetur; et est talis ratio. In sacramento Eucharistiæ continetur Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata á Christo, ut patet ex dictis, qu. 62. art. 3. et 4. Ergo sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta.

Conseq. probat., quia semper illud quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem.

Secunda ratio sumitur ex ordine sacramentorum ad invicem, et est talis. Sacramentum ad quod alia sacramenta ordinantur, ut ad finem, est potissimum inter omnia alia sacramenta. Sed ad sacramentum Eucharistiæ omnia alia sacramenta tamquam ad finem ordinantur. Ergo sacramentum eucharistiæ est potissimum inter omnia alia sacramenta.

Minor probat. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem. Sacramentum baptismi ordinantur ad Eucharistiæ receptionem; in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere á tali sacramento. Per pœnitentiam etiam et Extremamunctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam saltem sua significatione, attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur. Unde Apost. ad Ephes. 5. dicit; *sacramentum hoc magnum est, dico autem in in Christo et in Ecclesia.* Et sic patet quod omnia sacramenta or-

dinantur ad sacramentum Eucharistiæ aliquo modo tamquam ad finem.

Tertia ratio desumitur ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur, ut Dion. dicit 3. cap. Eccl. Hier. ordinati enim communicant et etiam baptizati, si sint adulti.

Deinde declaratur conclusio quantum ad illa verba simpliciter loquendo, comparando diversimode sacramenta ad invicem.

Aliorum enim sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multiplex: nam in via necessitatis baptismus est potissimum sacramentorum. In via perfectionis sacramentum ordinis; sacramentum confirmationis medio modo se habet; sacramentum pœnitentiæ et Extremæunctionis sunt inferioris gradus á prædictis. Quia scilicet ordinantur ad perfectionem christianæ vitæ, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus. Inter quæ tamen, Extrema-unctio comparatur ad pœnitentiam, sicut confirmatio ad baptismum; ita scilicet quod pœnitentia est maioris necessitatis, extrema autem unctio est maioris perfectionis. Ex quibus patet quod baptismus et ordo secundum aliquid potiora sunt Eucharistia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod sacramentum matrimonii ordinatur ad bonum commune corporale. In sacramento autem Eucharistiæ continetur substantialiter bonum spirituale totius Ecclesiæ, quod est longe perfectius quam sit corporale bonum.

Ad 2. Negatur maior. Sacramenta enim quæ tantum per maiorem ministrum conferuntur, non est necesse quod sint potiora, sed per ipsa deputantur fideles ad aliquod speciale officium pertinens ad officium principis. Ordo igitur et confirmatio, ideo per solum episcopum conferuntur, quia per hæc duo sacramenta deputantur fideles ad aliqua specialia officia pertinentia ad officium principis. Episcopus autem est quasi Ecclesiæ princeps. Per sacramentum vero Eucharistiæ non deputatur homo ad aliquod officium; et ideo potest confici etiam per simplices sacerdotes: quia tamen hoc sacramentum est finis omnium officiorum, ideo est inter sacramenta alia potissimum.

Ad 3. Neg. minor. Ad probationem dicitur, quod character sacramentalis est participatio quædam sacerdotii Christi, ut dictum est quæst. 63. art. 3. Unde sacramentum quod conjungit homini ipsum Christum, dignius est sacramento quod imprimit Christi characterem; et tale est sacramentum Eucharistiæ.

Ad 4. Dicitur quod ratio illa probat quod baptismus sit magis necessarius quam eucharistia quod esse verum in corpore ostensum est.

ARTICULUS IV.

Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

Pro affirmativa. = Videtur quod omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

1. Nullum sacramentum est superfluum. Ergo omnia sacramanta sunt de necessitate salutis.

Antec. prob., quia Deus nihil facit frustra.

Conseq. prob., quia illud quod non est necessarium, videtur esse superfluum.

2. Sicut de baptismo dicitur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ita de Eucharistia dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita Eucharistia.

3. Sine sacramento baptismi potest aliquis salvus fieri dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat, ut dicetur quæst. 68. art. 1. et 3. Ergo pari ratione omnia

sacramenta sunt de necessitate salutis.

Conseq. probat., quia in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Pueri salvantur per solum baptismum fine aliis sacramentis. Ergo non omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

Determinatio.

Distinctio. Necessarium respectu finis (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid dupliciter. Uno modo sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ animalis, et hoc dicitur simpliciter necessarium ad finem: alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter. Sicut equus necesuarius est ad iter: hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem, sed ad bene esse.

1.ª CONCLUSIO. Necessitate simpliciter ad salutem tria sacramenta sunt necessaria; scilicet baptismus, pœnitentia et ordo, diversimode tamen.

Manifestatur. Baptismus enim et pœnitentia sunt necessaria singulari personæ. Baptismus quidem simpliciter et absolute, pœnitentia vero supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est nessarium Ecclesiæ, quia *ubi non est gubernator, populus corruet*, ut dicitur Prov. 11.

2.ª CONCLUSIO. Necessitate ad bene esse sunt necessaria ad salutem etiam alia sacramenta.

Manifestatur. Confirmatio enim perficit quodammodo baptismum, Extrema-unctio pœnitentiam, matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ad hoc quod aliquid non sit superfluum, sufficit quod sit necessarium primo, vel saltem secundo modo, secundum quem omnia sacramenta sunt necessaria, ut dictum est in corpore.

Ad 2. quod Verbum domini Joan. 6. debet intelligi de spirituali manducatione, et non de sola sacramentali, ut Augustin. exponit tract. 26 et 27. in Joan.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum quod non est de necessitate salutis, alioqnin omnes qui non accipiunt ordinem et non contrahunt matrimonium, contemnerent hæc sacramenta; et tamen non curare accipere baptismum, illum contemnit, quia est de necessitate salutis.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 65.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam, hæc est in corp. tum indirectam, hæc est solutio argumentorum (quod de utraque ratione dictum semper, et ubique intelligendum est in appendicibus per ly *per rationem*) interimas hæreses *Calvinistarum* dicentium: quod sacramenta sunt tantum duo, scilicet Baptismus, et Cœna. Et *Luteri* dicentis quandoque, idest cum in sua captivitate Babylonica captivus ipse scriberet, Anno 1520. sacramentum esse solummodo unum. Item ejusdem quandoque, idest, dum perniciosissime catechismum suum componeret, Anno 1522 dicentis: sacramenta esse duo. Item ejusdem quandoque, idest in confessione illa sacrilega Augustana, quam Lutheri nomine obtulit *Melancton*, Anno 1530

dicentis: sacramenta esse tria. Licet item *Lutherus* aliquando, idest dum concorditer recte cum catholicis doceret, Anno. 1515 dixerit: sacramenta esse septem. Occurrebant (ut videtur) Lutero, postquam à veritate catholica exivit, diversa argumenta, quæ ejus phantasiæ suadebant, modo sacramentum esse unum, modo esse duo, modo esse tria, et ipse misellus, utpote jam factus indoctus, et instabilis, 2. Petr. 3. iis diabolicis fallaciis delusus errabat, et in errorem alios mittebat, 2. Timoth. 3. Quod si vidisset sancti Thomæ Ecclesiam catholicam, ut semper in tota doctrina facit, contra Satanicos insultus, atque astutias strenuissime, ac fidelissime defendentis, solutiones, ad 1. 2. 3. agnovisset profecto, si tamen rebellis lumini esse cum impiis noluisset. Job. 24. quod similia argumenta nihil contra veritatem valebant. At nemo cæcus magis eo, qui vult esse cæcus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses illas merito damnari á Concilio Florent. in Decreto Armenis dato, seu (ut alias prætitulatur) in constitut. super union. Armenor. " Novæ legis septem sunt sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, et Matrimonium. » Item á Concilio Trident. sess. 7. de sacramentis, quod postquam in proœmio dixerat ly " sacrosancta synodus sanctarum scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, et Patrum consensui inhærendo hos præsentes canones statuendo censuit, » postea canon. 1. subjungit. « Si quis dixerit; sacramenta novæ legis non fuisse omnia á JESU Christo Domino nostro instituta: aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, et Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum: anathema sit. »

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et conciliis, quod sacramenta convenienter enumerantur secundum ordinem prædictum in art. 1. corp. A scripturis quidem per hoc. quod dicitur Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti Domine.* Patet enim et quod Deus disposuit hunc sacramentorum ordinem in Ecclesia, quam sine intermissione regit (de qua re vide veritates aureas super legem veterem, Exod. 13. concl. 6.) et quod Deus ipse, cum sit sapientia immensa, nonnisi convenientissime facit, quæcumque facit. A conciliis vero, in quibus et Deus, utpote in nomine ejus congregatis loquitur, Florentino videlicet, ac Trid. idem insinuatur per hoc, quod ipsa secundum ordinem prædictum enumerant sacramenta: ut patet artic. 1. append. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, et quidem abundanter à fortiori, hæresim *Albanensium* dicentium: Eucharistiæ sacramentum, quod et altaris sacramentum dicitur, nihil esse. Per hoc enim, quod Eucharistiam ipsam esse omnium aliorum dignissimum simpliciter sacramentm hic ostenditur; patet, quod iste articulus multo magis coostendit, quod Eucharistiæ sacramentum est aliquid, et consequenter, quod directe, á fortiori tamen opponitur hæresi prædictæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito á fortiori damnari per Concilium Trid. sess. 7. de sacramentis, can. 3. " Si quis dixerit: hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius: anathema sit. » Et sess. 13. de excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua sacramenta c. 3. Lege tu ibi totum capitulum, et c. 5. " Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christifideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. » Ex qnibus patet, quod omnes Christifideles secundum catholicam Ecclesiam viventes, nec enim aliter essent Christifideles, isto insigni facto suo, scilicet tanta adoratione hujus sacramenti, condemnarunt semper, atque condemnant hæresim prænarratam, huic articulo sancti Doctoris unanimiter subscribentes. Item á Papa *Clemente V.* per hoc, quod Eucharistiam vocat præcelsum, excellentissimum, et pretiosissimum sacramentum: adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, cunctis honorandum studiis, ac

præcipuis magnificandum laudibus; memoriale nobilissimum, intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, in cordis utero, meditatione, ac celebratione sedula recensendum. De his aliisque nominibus, quibus hic summus Pontifex ad eminentiam Eucharistiæ super alia sacramenta designandam, et consequenter ad hæreses omnes cum prædicta similes reprobandas, vide lib. Clement. de reliq. et vener. sanct. cap. Si *Dominum in sanctis ejus*. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Adiaphoristarum* dicentium: sacramenta omnia esse adiaphora, idest indifferentia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concilio Trid. sess. 7. de sacrament. 1. can. 4. " Si quis dixerit: sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua: et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines á Deo gratiam justificationis adipisci: licet omnia singulis necessaria non sint: anathema sit." Et sess. ead. de baptismo; can. 5. " Si quis dixerit: baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit." Et sess. 14. capit. 1. " Fuit quidem pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam. et justitiam assequendam necessaria. Porro ante adventum Christi pœnitentia non erat sacramentum: Dominus autem sacramentum pœnitentiæ instituit." Et c. 5. " Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit; institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem: et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere." Et can. 6. " Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse, jure divino; anathema sit." Et sess. 23. c. 1. " Cum in novo testamento sanctæ Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea esse visibile, et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est." Sacerdotium autem est ordo, plures etiam ministrorum ordines sub se complectens: ut idem concilium ibid. can. 2. docet. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á concilio eodem, quod non omnia sacramenta sunt ad salutem necessaria. Hoc autem demonstrare ex ipso pro nunc sufficiat in uno tantum sacramento, scilicet Eucharistia: quo facto et dictum *in arg. cont.* magis firmabitur, et nonnihil textuali responso ad 2. deserviet. Dicit ergo ipsum concilium sess. 21. cap. 4. " Sancta synodus docet: parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt." Et cano. 4. " Si quis dixerit: parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit." Quibus concordat dictum B. Augustini ad Bonifacium sic scribentis. " Nec parvulos baptizatos cogitent vitam habere non posse; qui sunt expertes corporis, et sanguinis Christi: dicente ipso. Nisi manducaveritis carnem meam, etc. Nulli est aliquatenus ambigendum: tunc unumquemque fidelium corporis, senguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis, calicisque consortio; antequam illum comedat, et calicem bibat." Hæc recitantur de consecr. dist. 4. c. in Ecclesia. c. *Nulli*. *Quarto* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA SEXTA,

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Primo de baptismo; secundo de confirmatione; tertio de Eucharistia; quarto de pœnitentia, quinto de Extrema-unctione; sexto de ordine; septimo de matrimonio.

Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima de ipso baptismo. Secunda de præparatoriis ad baptismum.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo de his quæ pertinent ad sacramentum baptismi; secundo de ministro hujus sacramenti; tertio de recipientibus hoc sacramentum; quarto de effectu hujus sacramenti.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primo, quid sit baptismus, utrum scilicet sit ablutio.

Secundo, de institutione hujus sacramenti.

Tertio, utrum aqua sit propria materia hujus sacramenti.

Quarto, utrum requiratur aqua simplex.

Quinto, utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti: *Ego te Baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Sexto, utrum sub hac forma possit aliquis baptizari: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Septimo, utrum immersio sit de necessitate baptismi.

Octavo, utrum requiratur trina immersio.

Nono, utrum baptismus possit iterari.

Decimo, de ritu baptismi.

Undecimo, de distinctione baptismatum.

Duodecimo, de comparatione baptismatum.

ARTICULUS I.

Utrum baptismus sit ipsa ablutio.

Pro negativa. = Videtur, quod baptismus non sit ipsa ablutio.

1. Illud quod permanet, non est ipsa ablutio. Sed baptismus permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed potius regeneratio, et sigillum, et custodia, et illuminatio, ut Dam. dicit in 4. lib. cap. 10.

Maior prob., quia ablutio corporalis transit.

2. Aqua non est ipsa ablutio. Sed baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per Verbum Dei, ut dicit Hugo de Sant. Vict. in lib. 2. de Sacr. par. 6. cap. 2. Ergo baptismus non est ipsa ablutio.

Maior probat., quia ablutio est usus aquæ.

3. Elementum non est ipsa ablutio. Sed in sacramento baptismi, aqua est elementum. Ergo sacramentum baptismi est ipsa aqua et non ablutio.

Minor prob., quia August. dicit tract. 80. in Joan. accedit Verbum ad elementum et fit sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Eccles. 24. dicitur: qui baptizatus á mortuo et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? Ergo videtur quod baptismus sit ipsa ablutio, sive lavatio.

Determinatio.

Distinctio. In sacramento baptismi est tria considerare. Aliquid quod est sacramentum tantum: aliquid quod est res et sacramentum; aliquid vero quod est res tantum. Res tantum in sacramento baptismi est interior justificatio. Res et sacramentum, est character baptismalis qui est res significata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale interioris justificationis. Sacramentum tantum est aliquid visibile exterius existens quod scilicet est signum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem sacramenti, scilicet quod sit signum interioris effectus. Exterius autem quod supponitur sensui in sacramento baptismi, est aqua et ejus usus, qui est ablutio. Dubium autem est quid horum duorum sit sacramentum tantum in baptis-

mo, an scilicet baptismus sit aqua, an sit usus aquæ.

Quorumdam sententia.

Quidam ergo existimaverunt quod ipsa aqua sit sacramentum baptismi. Quod quidem sonare videntur verba Hugonis de sancto Vict. posita in 2. argum. Nam ipse in communi diffinitione sacramenti dicit quod sacramentum est materiale elementum. Et in diffinitione baptismi dicit quod baptismus est aqua.

Reprobatio et vera sententia.

Contra quam opinionem ponitur sequens conclus.

Conclusio. Baptismus non est aqua, sed ablutio.

Prob. Illud debet dici sacramentum, in quo perficitur sanctificatio, sed in ablutione et non in aqua perficitur sanctificatio baptismi. Ergo baptismus non est aqua, sed ablutio.

Maior manifestatur, quia cum sacramenta novæ legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio.

Minor ostenditur, quia in aqua est quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens in aqua, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subjectum; et ideo, sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem; quæ applicatio aquæ ablutio est.

Et confirmatur conclusio auctoritate magistri in 4. sent. dist. 3. dicentis quod *baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod in baptismo permanet id quod est sacramentum et res, scilicet character et id quod est res tantum, scilicet interior justificatio; sed character permanet indelebiliter, justificatio autem permanet, sed amissibiliter, ut dictum est supra. Id vero quod est sacramentum tantum in baptismo transit. Et quia hic diffinitur, ut est sacramentum, ideo convenienter appellatur ablutio.

Ad diffinitionem quæ ex Dam. adducitur, dicitur quod ipse deffinivit baptismum, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum, sed quantum ad id quod est interius. Unde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet sigillum et custodiam, in quantum ipse character, qui sigillum dicitur, quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam posuit pertinentia ad ultimam rem sacramenti, scilicet regenerationem quæ ad hoc pertinet quod per baptismum homo inchoat novam vitam justitiæ et illuminationem quæ pertinet specialiter ad fidem, per quam homo accipit spiritualem vitam, secundum illud Abachuch. 2. *Justus ex fide vivit*; baptismus autem est quædam fidei protestatio; unde dicitur sacramentum fidei. Dion. etiam deffinivit baptismum per ordinem ad alia sacramenta dicens in 2. c. Eccles. Hier. Quod baptismus *est quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem, formans nostros animales habitus.* Et iterum in ordine ad cœlestem gloriam quæ est ultimus finis sacramentorum, cum subdit: *ad supercœlestis quietis anagogen nostrum iter faciens.* Et iterum quantum ad principium spiritualis vitæ per hoc quod subdit: *sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio.*

Ad 2. Dicitur quod sicut in corp. dictum est, opinionem Hugonis de Sanct. Vict. in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari ut baptismus dicatur esse aqua, quia aqua est materiale baptismi principium, et sic erit prædicatio per causam.

Ad 3. Ad minorem et ad ejus probationem quod accedente Verbo ad elementum, fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui ad-

hibetur elementum, per usum ablutionis; et hoc etiam significat ipsum Verbum quod accedit ad elementum, cum dicitur *Ego te baptizo, etc.*

ARTICULUS II.

Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

Pro affirmativa. Videtur quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

1. Sacramenta quæ habent efficaciam á passione Christi, sunt instituta post passionem Christi. Sed sacramenta novæ legis habent efficaciam á passione Christi et præcipue sacramentum baptismi, cum Apost. dicat Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Ergo sacramenta novæ legis et præcipue sacramentum baptismi, sunt instituta post passionem Christi.

Maior prob., quia causa præcedit effectum.

Minor prob., quia passio Christi operatur in sacramentis novæ legis, ut patet ex dictis.

2. Christus dedit Apostolis mandatum baptizandi post passionem et resurrectionem suam, dicens: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ut habetur Matth. ult. Ergo videtur quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

Conseq. prob., quia sacramenta novæ legis habent efficaciam ex mandato Christi.

3. Ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum. Ergo baptismus non fuit institutus ante passionem Christi.

Anteced. prob., quia adhuc circumcisio habebat suam virtutem, in cujus locum succesit baptismus.

Conseq. probat., quia baptismus est sacramentum necessitatis, ut dictum est, quæst. præced. art. 4. Et ita videtur, ut ex quo baptismus institutus fuit homines ad baptismum obligarentur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in Serm. de Dom. infra oct. Epiph. qui est 36. in ordin. Ex quo *Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Ergo videtur quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus.

Conseq. probat., quia hoc fuit ante Christi passionem, quando scilicet á Joanne fuit baptizatus.

Determinatio.

Distinctio. Institutio baptismi potest intelligi quantum ad duo. Primum, quantum ad ipsum sacramentum. Secundum quantum ad necessitatem utendi hoc sacramento.

1.ª Conclusio. Baptismus institutus est, quando Christus fuit baptizatus, quantum ad ipsum sacramentum.

Probat. Baptismus accepit virtutem producendi suum effectum, scilicet conferendi gratiam, quando Christus est baptizatus. Ergo baptismus in quantum est sacramentum, institutus fuit, quando Christus fuit á Joanne baptizatus. Antecedens relinquitur manifestum ex auctoritate Augustini inducta in argumento pro negativa.

Conseq. probat., quia ut dictum est quæst. 62. art. 1. sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Une tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum.

2.ª Conclusio. Necessitas utendi hoc sacramento, indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem Christi.

Manifestatur ex duobus. Primo, quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta novæ legis.

Secundo quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum homo per baptis-

mum moritur peccato, et incipit novam justitiæ vitam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Potest enim esse quod sacramenta habeant efficaciam á passione Christi et tamen fuerint prius tempore, quam passio Christi. Baptismus ante passionem Christi institutus habebat á passione Christi virtutem, in quantum eam præfigurabat. Aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figuræ tantum; baptismus autem et passionem Christi præfigurabat, et ab ipso Christo habebat virtutem justificandi, per cujus virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit. Ad probationem autem dicitur quod est vera de causa principali, á qua principaliter est virtus, non autem hoc est necesse dicere de causa, in qua est virtus instrumentaliter.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sacramenta novæ legis habent efficaciam ex eorum institutione, ut in principio corporis dictum est, sive sint in præcepto, sive non. Unde baptismus ante passionem habebat virtutem justificandi, et tamen non erat in præcepto. Ratio autem quare Dominus ante suam passionem non induxit necessitatem præcepti baptismi, fuit quia homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre; et propterea ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub præcepto, sed voluit ad ejus exercitium homines assuefieri et præcipue in populo judæorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut August. dicit contra Faust. lib. 4. cap. 2. Post passionem vero et resurrectionem, non solum judæis, sed etiam gentilibus, sub præcepto necessitatem baptismi imposuit dicens: *euntes docete omnes gentes.*

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sacramenta non sunt obligatoria, nisi quando sub præcepto ponuntur: quod quidem non fuit ante passionem, ut dictum est in corp. Quod enim Dominus ante passionem dixit Nicodemo Joan. 3. *Nisi quis renatus*, etc. magis videtur ad futurum respicere, quam ad præsens tempus.

ARTICULUS III.

Utrum aqua sit propria materia baptismi.

Pro negativa.=Videtur, quod aqua non sit propria materia baptismi.

1. Illud quod habet vim illuminativam, magis debet fieri in igne, quam in aqua: sed baptismus habet vim illuminativam, ut dicit Dion. 2. cap. Eccles. Hier. et Damasc. lib. 4. ort. fid. cap. 10. Ergo baptismus magis debet fieri in igne, quam in aqua.

Maior prob. Illuminatio maxime competit igni, et confirmatur argumentum, quia Joannes baptista prænuntians Christi baptismum, dicit: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.*

2. Multa alia præter aquam sunt ablutiva, sicut vinum, oleum et hujusmodi alia. Ergo etiam in his potest fieri baptismus; ac per hoc aqua non erit propria materia baptismi.

Conseq. prob., quia in baptismo significatur ablutio peccatorum, et ideo in omni ablutivo poterit fieri baptismus.

3. Ex latere Christi pendentis in cruce, unde sacramenta fluxerunt, exivit non solum aqua; sed etiam sanguis. Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri baptismus qui etiam videtur magis convenire cum causa et effectu baptismi, quia dicitur Apocal. 1. *Lavit nos á peccatis nostris in sanguine suo.*

4. Non omnes aquæ continuantur cum aqua Jordanis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur quod non in omni aqua possit fieri baptismus; et ita aqua in quantum hujusmodi non est propria materia baptismi.

Conseq. prob., quia August in serm. 36. de temp. et Beda in Hom. oct. Eph. dicunt quod *Christus tactu suæ mun-*

dissimæ carnis, vim regenerativam et purgativam contulit aquis. Unde illæ solæ aquæ hanc virtutem recepisse videntur quæ tactæ fuerit á Christo, vel saltem continuantur cum his, quas tetigit Christus.

5. In solemni celebratione baptismi, aqua in qua debet celebrari baptismus exorcizatur et benedicitur. Ergo aqua, secundum se, non est propria baptismi materia; sed fit baptismi materia per exorcizationem et benedictionem.

Conseq. prob., quia si aqua esset secundum se propria materia baptismi non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam ad hoc quod in ea baptismus fieret.

FRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Determinatio.

Conclusio. Ex institutione divina, aqua est propria materia baptismi.

Prob. Est enim aqua conveniens materia baptismi propter quatuor. Primo quantum ad ipsam rationem baptismi qui est regeneratio in spiritualem vitam quod maxime congruit aquæ; unde et semina; ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantæ et animalia, humida sunt et ad aquam pertinent. Propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.

In forma. Elementum cui maxime competit quod sit generationis principium, convenienter fuit institutum sacramenti baptismi materia. Sed aquæ maxime competit esse generationis principium. Ergo convenienter aqua fuit divinitus instituta baptismi materia.

Maior prob., quia ipsa ratio baptismi est, ut sit regenerativus in spiritualem vitam.

Minor prob., quia semina ex quibus generantur viventia, humida sunt et ad aquam pertinent; propter quod philosophi aliqui arbitrati sunt aquam esse omnium rerum principium.

Secundo, hoc conveniens fuit quantum ad effectus baptismi quibus effectibus competunt aquæ proprietates. Aqua enim sua humiditate lavat, ex qua proprietate conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; secundo aqua sua frigiditate temperat superfluitatem caloris; et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; Tertio sua diaphaneitate, est luminis susceptiva: et hoc competit baptismo, in quantum est sacramentum luminis fidei.

Tertio, convenienter aqua est materia baptismi ad representandum mysteria Christi, quibus justificamur: ut enim dicit Chrysost. hom. 24. super illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, etc. *Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur; et deinde novus rursus ascendit.*

Quarto convenienter aqua est instituta baptismi materia, propter sui communitatem et abundantiam; et sic convenit necessitati hujus sacramenti; potest enim aqua ubique de facili haberi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod habere vim illuminativam contingit dupliciter. Uno modo active, ita quod faciat illuminans; et hoc convenit igni; ignis enim facit materiam, in qua est, illuminantem, puta candelam: alio modo passive, ut scilicet aliquid sit per illud illuminatum. Sicut corpus opacum est illuminatum, sed non illuminans. Illud igitur quod habet vim illuminativam active, convenienter fit per ignem, non autem quod habet vim illuminativam tantum passive. Tunc ad minorem dicitur quod ille qui baptizatur non efficitur illuminans; sed illuminatus per fidem *quæ est ex auditu* ut dicitur Rom. 10. Et ideo baptismo magis competit aqua, quam ignis.

Quod autem dicitur: baptizabit vos

in Spiritu Sancto et igni, potest intelligi tripliciter; uno modo per ignem potest intelligi Spiritus Sanctus, et Hieron. dicit in Matt. cap. 3. Qui super discipulos in igneis linguis apparuit, ut dicitur Act. 2.

Vel secundo per ignem potest intelligi tribulatio, ut Chrysost. dicit hom. 3. oper. imperf. super Matth. quia *tribulatio peccata purgat et concupiscentiam diminuit.*

Vel tertio. Quia ut Hilar. dicit cap. 3. super Matth. 3. *Baptizatis in Spiritu Sancto, reliquum est consummari igne judicii.*

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod etsi oleum et vinum habeant aliqualiter vim ablutivam, non tamen assumuntur in baptismo propter tria. Primo, quia hæc non assumuntur communiter ad usum ablutionis, sicut aqua; secundo, quia non ita perfecte abluunt, cum ex eorum ablutione remaneat infectio, saltem quantum ad odorem quod non contingit de aqua.

Tertio, quia illa non ita communiter et abundanter habentur, sicut aqua. Unde negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod ad baptismum non assumitur quodcumque ablutivum; sed solum illud quod communiter ad ablutionem assumitur quod perfecte abluit et quod convenienter et abundanter ad abluendum haberi potest.

Ad 3. Dicitur ad antecedens. Quod ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum; et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiæ, aqua autem sacramento baptismi, qui tamen habet vim ablutivam ex virtute sanguinis Christi, propter quam virtutem dicitur Christus in sanguine suo nos lavisse.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter continuitatem aquæ; sed propter similitudinem speciei; Unde August, dicit in serm. 1. Dom. infra Oct. Epiph. *Quæ de salvatoris baptismate benedictio fluxit, tamquam fluvius spiritualis, omnium gurgitum tractus, universorum fontium venas implevit.*

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod illa benedictio quæ adhibetur aquæ, non est de necesitate baptismi; sed pertinet ad quandam solemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium et impeditur astutia dœmonis, ne impediat baptismi effectum.

ARTICULUS IV.

Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex.

Pro negativa. = Videtur, quod ad baptismum non requiratur aqua simplex.

1. Aqua quæ apud nos est, non est aqua pura; sed in aqua quæ est apud nos potest fieri baptismus. Ergo ad baptismum non requiritur aqua pura, vel simplex.

Maior prob. Apparet enim hoc præcipue in aqua maris, in qua plurimum admiscetur de terrestri, ut patet per Phil. lib. 2. Met. cap. 3.

2. In solemni celebratione baptismi, aquæ infunditur chrisma. Ergo ad baptismum non requiritur aqua pura et simplex.

Conseq. prob., quia infusio chrismatis videtur impedire puritatem et simplicitatem aquæ.

3. Aqua quæ fluxit de latere Christi pendentis in cruce, quæ fuit signum baptismi, ut dictum est, art. præced. ad 3. non videtur quod fuerit aqua pura. Ergo videtur quod requiratur aqua pura vel simplex ad baptismum.

Antec. prob., quia in corpore mixto, cujusmodi fuit corpus Christi, non sunt elementa in actu.

4. Lixivium et aquæ balneorum, non est aqua pura. Sed in lixivio et in aquis balneorum potest fieri baptismus. Ergo ad baptismum non requiritur aqua pura.

Maior prob., quia lixivium habet con-

trarias qualitates aquæ scilicet calefaciendi et desiccandi; et venæ balneorum transeunt per venas sulphureas, sicut lixivium per cineres.

5. Aquæ sublimatæ non sunt simplices et puræ, ut aqua rosacea et alchimica. Sed in aquis sublimatis potest fieri baptismus. Ergo ad baptismum non requiritur aqua pura et simplex.

Minor prob. In aquis pluvialibus potest fieri baptismus. Sed aquæ pluviales sunt factæ per sublimationem vaporum. Ergo in aquis sublimatis potest fieri baptismus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Propria materia baptismi est aqua, ut dictum est art. præced. Ergo aqua pura et simplex de necessitate requiritur ad baptismum.

Conseq. prob., quia speciem aquæ non habet, nisi aqua simplex.

Determinatio.

Conclusio. In qualibet aqua, qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquæ non potest fieri baptismus.

Manifestatur. Nam aqua potest amittere suam simplicitatem et puritatem dupliciter. Uno modo per mixtionem alterius corporis. Alio modo per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem et per naturam. Ars autem deficit ab operatione naturæ, quia natura dat formam substantialem quod ars facere non potest; sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam. Sicut ignem combustibili, per quem modum á quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur.

Quæcumque igitur transmutatio circa aquam facta per artem, sive commiscendo, sive alterando, non transmutat speciem aquæ. Unde in tali aqua specie non transmutata potest fieri baptismus, nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori quod compositum magis sit aliud, quam aqua, sicut lutum magis est terra quam aqua, et vinum lymphatum magis est vinum, quam aqua.

Sed transmutatio quæ fit á natura, quandoque quidem speciem aquæ solvit. Et hoc fit, quando aqua eficitur per naturam de substantia alicujus corporis mixti, sicut aqua conversa in liquorem uvæ est vinum, unde non habet speciem aquæ. Aliquando vero fit per naturam transmutatio aquæ, sine solutione speciei. Et hoc tam per alterationem; sicut patet de aqua calefacta á sole; quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Ex quibus remanent manifestati termini conclusionis: nam ipsa conclusio probata est ex argumento pro affirmativa; patet inquam, quid sibi velit (qualitercumque transmutata) cum ostensum sit quot modis fiat aquæ transmutatio et quando solvatur et quando non solvatur species aquæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod licet aqua quæ apud nos est et aqua maris non sit aliter pura, quod non fuerit aliqualiter transmutata, tamen transmutatio facta in his aquis non est tanta quod solvat speciem aquæ; et ideo in hujusmodi aquis potest fieri baptismus.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod admixtio chrismatis non solvit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum hujusmodi, nisi forte sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena subtantia quam de aqua quod ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut et in aqua quæ ex-

primitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

Ad 3. Negatur anteced. Ad probationem dicitur, quod aqua quæ fluxit de latere Christi pendentis in cruce, non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt. In tali enim humore non posset fieri baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut in quocumque liquore alicujus plantæ; fuit autem aqua pura miraculose egrediens á corpore mortuo, sicut et sanguis ad comprobandam veritatem dominici corporis contra manichæorum errorem, ut scilicet per aquam quæ est unum quatuor elementorum, ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis; per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.

Ad 4. Negatur maior. Lixivium enim et aquæ sulphureorum sunt aquæ puræ in quibus potest fieri baptismus, quia tales aquæ non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis; sed solum alterationem quamdam recipiunt ex hoc quod transeunt per aliqua corpora, ex quibus quasdam qualitates recipiunt.

Ad 5. Negatur minor. In aqua enim sublimata, ut est aqua rosacea, non potest fieri baptismus, quia non est vere aqua; sed liquor rosæ resolutus; et eadem ratione nec in aquis alchimicis, nec in vino. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de aquis pluvialibus, sicut de aquis sublimatis per artem: aquæ enim pluviales generantur ex majori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis; minimum autem est ibi de vaporibus corporum mixtorum, qui tamen per huiusmodi sublimationem virtute naturæ quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti quod de aquis rosaceis et alchimicis dici non potest.

ARTICULUS V.

Utrum hæc sit conveniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Pro negativa. = Videtur, quod hæc non sit conveniens forma baptismi. *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

1. Minister agit in sacramento, ut instrumentum; principale autem agens in baptismo est Christus secundum illud Joan. 1. *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem et manentem, hic est qui baptizat.* Ergo inconvenienter minister dicit: *ego te baptizo*; præsertim quia in hoc quod dicitur *baptizo*, intelligitur *ego*; et sic videtur et inconvenienter et superflue apponi.

Conseq. prob., quia actus magis debet attribui principali agenti, quam ministro. Unde debet dici baptizat Christus et non ego baptizo.

3. Dominus simul tradit præceptum baptizandi et docendi dicens, Math. ult. *Euntes docere omnes gentes*, etc. Ergo non oportet quod in forma baptismi fiat mentio de actu baptismi, dicendo: baptizo; sed sufficit dicere in nomine Patris, etc.

Conseq. prob., quia non oportet quod ille qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mentionem. Sicut ille qui docet, non oportet quod dicat: ego vos doceo.

3. Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta si sit surdus, aut puer. Ergo inconvenienter dicitur: *ego te baptizo*; dirigendo sermonem ad eum, qui baptizatur.

Conseq prob., quia frustra ad talem sermo dirigitur, secundum illud Eccles. 32. *Ubi non es auditus, non effundas sermonem.*

4. Contingit simul plures baptizari á pluribus, sicut Apostoli baptizaverunt una die tria millia et alia die quinque millia, ut dicitur Act. 2. et 4. Ergo non debet forma baptismi determinari in sin-

gulari numero, ut dicatur *ego te baptizo*, sed potest etiam dici: *nos vos baptizamus*.

5. Baptismus habet virtutem á passione Christi: ergo videtur quod in forma baptismi debeat fieri mentio de passione Christi.

Conseq. probat., quia baptismus per formam sanctificatur. Ergo in forma debet fieri mentio de causa sanctificante.

6. Tres sunt proprietates personales divinarum personarum, ut dictum est. 1. par. quæst. 32. art. 3. Ergo non debet dicit: *in nomine Patris et Filii*, etc. Sed *in nominibus*.

Conseq. prob., quia nomen designat proprietatem rei.

7. Persona patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine innascibilis et genitoris. Filius etiam significatur nomine Verbi et imaginis et geniti. Spiritus etiam Sanctus potest significari doni et amoris procedentis. Ergo videtur quod etiam his nominibus utendo, perficiatur baptismus; puta si dicatur: ego te baptizo, in nomine genitoris, geniti et doni.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Matth. ult. *Euntes docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Determinatio.

Conclusio. Hæc est conveniens forma baptismi. *Ego te baptizo in nomine Patris et Flii et Spiritus Sancti.*

Prob. Verba quibus exprimitur causa baptismi, sunt conveniens forma baptismi. Sed his verbis *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, exprimitur causa baptismi. Ergo hæc, *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, est conveniens forma baptismi.

Maior probat., quia baptismus per suam formam consecratur, secundum illud ad Ephes 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et August. dicit lib. 6. de unic. Baptis. c. 25. Et refertur de consecr. dist. 4. c. Satis ostendimus, quod *baptismus verbis evangelicis consecratur*. Et ideo oportet quod in forma baptismi exprimatur causa sanctificans et consecrans baptismum; et ideo verba hanc causam exprimentia erunt conveniens forma baptismi.

Minor ostenditur: causa enim baptismi duplex est, una quidem principalis á qua virtutem habet; et hæc est sancta Trinitas. Alia vero est instrumentalis; et hæc est minister qui tradit exterius sacramentum; et de utraque fit mentio in forma baptismi prædicta. Minister enim tangitur, cum dicitur: *ego te baptizo:* causa vero principalis, cum dicitur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad probationem dicitur quod actio attribuitur instrumento et principali agenti, diversimode tamen. Instrumento enim attribuitur actio sicut immediate agenti; et principali agenti, sicut ei in cujus virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi convenienter significatur minister ut exercens actum baptismi, per hoc quod dicitur *ego te baptizo*, sicut et ipse Dominus actum baptizandi attribuit ministris, dicens, *baptizantes eos*, etc.

Causa autem principalis significatur, ut in cujus virtute sacramentum agitur per hoc quod dicitur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*; non enim Christus baptizat sine Patre et Spiritu Sancto.

Græci autem non attribuunt actum baptismi ministris ad evitandum antiquorum errorem qui virtutem baptismi attribuebant baptizantibus, dicentes: *ego sum Pauli, et ego Cephæ*: et ideo dicunt: *baptizetur servus Christi talis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod au-

tem in forma nostra additur, Ego, non est de substantia formæ: sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis ministri.

Ad 2. Negatur consequentia quia enim ablutio hominis in aqua, propter multa fieri potest, oportet ut determinetur in verbis formæ ad quid fiat. Quæ quidem determinatio non fit per hoc quod dicitur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur ad Coloss. 3. Et ideo si non exprimatur actus baptismi per modum nostrum, vel per modum græcorum, non perficitur sacramentum, secundum illam decret. Alexan 3. lib. 3. decret. tit. 41. cap. 1. «Si quis puerum ter in aqua immerserit, in nomine Patris et Filius et Spiritus Sancti Amen; et non dixerit ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen; non est puer baptizatus.» Dicitur ergo: «ego te baptizo, ad determinandum effectum ablutionis.»

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod verba sacramentorum non solum pronunciantur causa significandi sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo Verbo, per quod facta sunt omnia, et ideo convenienter diriguntur, non solum ad homines intelligentes; sed etiam ad non intelligentes; immo etiam ad creaturas insensibiles, ut cum dicitur: *exorcizo te creaturam salis.*

Ad 4. Negatur antecedens. Nam plures simul, non possunt unum baptizare et ratio est quia actus multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, et alio exercente actum. Possunt autem (si necessitas exigit) plures simul baptizari. Quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum; sed tunc oportebit dicere: *ego baptizo vos.* Nec erit mutatio formæ, quia (vos) nihil aliud est, quam te et te. Quod autem dicitur nos, non est idem dicere quod ego et ego, sed ego et tu. Et sic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, si diceretur: *ego baptizo me*, et ideo nullus potest baptizare seipsum, propter quod Christus voluit á Joanne baptizari, ut dicitur extra de baptismo, et ejus effectu lib. 3. tit. 42. cap. 4. debitum.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri, est tamen causa instrumentalis respectu sanctæ Trinitatis; et ideo potius commemoratur Trinitas, quam passio Christi. Unde negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quia sacramentum sanctificatur per formam, debet in ea fieri mentio de prima causa sanctificante quæ est sancta Trinitas.

Ad 6. Negatur conseq. Nam etsi sint tria nomina personalia trium personarum significantia personarum proprietatem; est tamen tantum unum nomen essentiale trium personarum, sicut una est essentia. Et quia virtus divina quæ operatur in baptismo ad essentiam pertinet, ideo dicitur: in nomine et non in nominibus personarum.

Ad 7. Dicitur quod etsi prima persona in sanctissima Trinitate possit significari nomine innascibilis, et secunda persona nomine geniti, et persona tertia, nomine doni; tamen communis usus in latina lingua est, ut significentur nominibus Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Et sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua: nec in aliis nominibus perficitur sacramentum. Negatur igitur ad argumenti formam consequentia. Nam etsi per illa nomina

possint significari personæ communiter tamen per alia dicta nomina significantur, ut dictum est.

ARTICULUS VI.

Utrum in nomine Christi possit dari baptismus.

Pro affirmativa. = Videtur, quod nomine Christi possit dari baptismus.

1. « In principio nascentis Ecclesiæ « baptizabantur viri et mulieres in no- « mine Christi.» ut habetur Act. 8. Ergo etiam nunc potest dari baptismus in nomine Christi.

Conseq. prob., quia sicut una est fides, ita est unum baptisma, ut dicitur ad Ephes. 4.

2. In nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo etiam in nomine Christi.

Conseq. prob., quia nomine Christi Trinitas designatur. Dicit enim Ambr. lib. 1. cap. 3. «Si Christum dicas et Pa- « trem á quo unctus est; et ipsum qui « unctus filium; et Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti.

3. Illi qui baptizantur in nomine Christi, non sunt rebaptizandi. Ergo potest conferri baptismus in nomine Christi sub hac forma. Ego te baptizo in nomine Christi.

Anteced. prob., quia Nicolaus Papa, ad consulta bulgarorum respondens dicit (et refertur de consec. d. 4. cap. á quodam) «qui in nomine sanctæ Trinita- « tis, vel tantum in nomine Christi, si- « cut in Act. Apostol. legitur, baptizati « sunt (unum quippe idem est, ut sanctus « ait Ambros. in lib. 1. de Spiritu Sanc- « to cap. 3.) rebaptizari non debent.

Conseq. prob., quia rebaptizarentur, si in hac forma baptizati sacramentum baptismi non reciperent.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Pelagius Papa scribit Gaudentio episcopo, ut refertur de consecr. d. 4. c. 30. «Si re vera, dicens: si hi, qui in lo- « cis dilectionis tuæ vicinis commorari « dicuntur, se solummodo in nomine Do- « mini baptizatos fuisse confitentur, sine « cujuscumque dubitationis ambiguo eos « ad fidem catholicam venientes in sanctæ « Trinitatis nomine baptizabis.» Dydimus etiam in 2. lib. de Spiritu Sancto, qui habetur in fine oper. Hieron. dicit: «li- « cet quis possit existere saxei, ut ita di- « cam cordis et penitus mentis alienæ, « qui ita baptizare conetur, ut unum de « præceptis nominibus,» scilicet trium personarum, « prætermittat, tamen sine « perfectione baptizabit.

Determinatio.

Conclusio. In nomine solius Christi vel Trinitatis, non exprimendo omnes Trinitatis personas non potest dari baptismus, nisi ex dispensatione ejus qui sacramenta instituit.

Probatur. Si prætermittatur aliquid eorum quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, tale sacramentum efficacia caret, nisi hoc fieret ex speciali dispensatione ejus qui sacramenta instituit. Sed in baptismo dato in nomine solius Christi, vel in nomine Trinitatis, non exprimendo omnes personas, omittitur aliquid eorum quæ Christus instituit circa sacramentum baptismi. Ergo baptismus sic datus careret efficacia, nisi adesset divina dispensatio.

Maior prob., quoad priorem partem, quia sacramenta habent efficaciam ex institutione Christi, et ideo si prætermittatur aliquid eorum quæ Christus instituit circa sacramentum baptismi, talis baptismus efficacia caret. Altera pars prob., quia Deus non alligavit virtutem suam sacramentis.

Maior prob., quia Christus instituit baptismum dari cum invocatione Trinitatis, ut patet Matth. ult.

Objectio

Sed posset quispiam dicere quod in nomine unius personæ intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius, vel quod ille qui unam personam nominat, potest habere rectam fidem de tribus.

Responsio.

Sed hoc non non obstat quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus VerbisT rinitas exprimatur. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi quod erat odiosum judæis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, ad assumptum quod nomine Christi non designanturaliæ duæ personæ divinæ sensibiliter; sed solum intelligibiliter et quasi per concomitantiam quamdam. Quod non sufficit ad veritatem baptismi. Ad probationem assumpti dicitur, quod Ambrosius non vult intelligere aut docere quod baptismus debeat vel possit fieri in nomine solius Christi; sed solum hoc monstrare intendit quod convenienter fieri potuit in primitiva Ecclesia dispensatio, ut posset dari baptismus in nomine Christi, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur: et ideo servabatur ad minus integritate intelligibili forma, quam Christus tradidit in Evangelio.

Ad 3. Dicitur negando antedens. Illi enim qui baptizantur in nomine solius Christi, sunt rebaptizandi. Ad probationem dicitur, quod Pontifex non determinavit oppositum, quasi de fide tenendum; sed inhærendo usui primitivæ Ecclesiæ et auctoritati Ambrosii, ex quibus duobus confirmat dictum suum. Et quia Apostoli in primitiva Ecclesia non baptizaverunt, in nomine solius Christi, nisi ex dispensatione; et Ambr. solum intendebat reddere rationem congruam illius dispensationis: propterea, sicut nunc non est validus baptismus nomine solius Christi datus, cum non habeat amplius locum dispensatio, nec dispensationis ratio; ita sententia Nicolai non est in hoc sustinenda.

ARTICULUS VII.

Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi.

Pro affirmativa.=Videtur, quod immersio in aqua sit de necessitate baptismi.

1. Apud multos communis baptizandi modus est per immersionem. Ergo videtur quod non possit esse baptismus sine immersione.

Conseq. probat., quia *una fides et unum baptisma*, ut dicit. ad Ephes. 4. Non esset autem unum baptisma, nisi eodem modo daretur.

2. Per baptismum consepelimur Christo in mortem. Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

Anteced. probat. quia Apostolus dicit Rom. 6. «Quicumque baptizati sumus «in Christo Jesu, in morte ipsius bapti«zati sumus: consepulti enim sumus cum «illo per baptismum in mortem.»

Conseq. prob., quia hoc fit per immersionem: dicit enim Chrys. hom. 24. super illud Joan. 3. «Nisi quis renatus «fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc. «Sicut in quodam sepulchro in aqua «submergentibus nobis capita, vetus ho«mo sepelitur, et submersus deorsum «occultatur, deinde novus rursus ascen«dit.»

3. Si sine immersione totius corporis potest fieri baptismus; sequeretur quod pari ratione sufficeret quamlibet partem aquæ perfundi; sed hoc videtur inconveniens. Ergo videtur quod requiratur immersio ad baptismum.

Inconveniens probat., quia originale peccatum, contra quod præcipue datur

baptismus, non est in una tantum corporis parte: et si aliqua pars in particulari perfundi deberet, videtur debere perfundi illa quæ generationi deservit per quam originale peccatum contrahitur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Heb. 10. dicitur: «accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi «corda á conscientia mala et abluti corpus aqua munda.»

Determinatio.

Conclusio. Quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis; immersio tamen non est de necessitate baptismi.

Prima pars probat., quia hoc habet communior usus.

Altera pars prob., quia baptismus potest fieri per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, et hoc præcipue propter necessitatem.

Quod possit fieri per modum aspersionis, vel effusionis, ostenditur auctoritate scripturæ Ezechiel. 36. dicentis: *effundam super vos aquam mundam*; et exemplo: nam beatus Laurentius sic legitur baptizasse Romanum.

Necessitas autem sic baptizandi potest esse; vel propter magnam baptizandorum multitudinem, ut patet Act. 2. et 4. Ubi dicitur quod crediderunt una die tria millia; vel propter paucitatem aquæ. Vel propter debilitatem ministri qui non potest sustentare baptizandum. Vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod ea quæ sunt per accidens, non variant substantiam rei: per se requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam; unde et baptismus lavacrum nominatur; secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo: et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.

Ad 2. Neg. conseq. Ad probat. dicitur, quod in immersione expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi: et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. In aliis tamen modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, licet non ita expresse. Nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.

Ad 3. Negatur conseq. non enim est eadem ratio de omnibus partibus; sed oportet abluere partem principaliorem. Principalis autem pars corporis, præcipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores; et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi, propter aquæ paucitatem, vel propter aliquam aliam causam; oportet caput, in quo manifestatur principium animalis vitæ, perfundere.

Et licet per membra quæ generationi deserviunt, peccatum originale traducatur, non tamen sunt membra illa potius aspergenda, quam caput, quia per baptismum non tollitur transmissio peccati originalis in prolem, per actum generationis; sed liberatur anima á macula et reatu peccati quod incurrit; et ideo debet præcipue lavari illa pars corporis, in qua manifestantur opera animæ.

In veteri autem lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membra generationis; quia adhuc ille, per quem originale peccatum erat amovendum, ex semine Abrahæ erat nasciturus cujus fidem circumcisio significabat, ut dicitur Rom. 4.

ARTICULUS VIII.

Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi.

Pro affirmativa.=Videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi.

1. Ad necessitatem baptismi videtur pertinere quod in eo significetur Trinitas personarum et quod fiat configuratio ad sepulturam Christi. Ergo trina immersio est de necessitate baptismi.

Conseq. prob. Per trinam immersionem figuratur Trinitas personarum et sepultura Christi. Dicit enim August. et refertur de conseq. d. 4. cap. 77. postquam. « Recte tertio mersi estis qui « accepistis baptismum in nomine sanctæ « Trinitatis; recte tertio mersi estis qui « accepistis baptismum in nomine Jesu « Christi qui etiam tertia die resurrexit « á mortuis, illa enim tertio repetita im- « mersio typum dominicæ exprimit se- « pulturæ, per quam Christo consepulti « estis in baptismo. »

2. Ea quæ fiunt circa sacramenta ex mandato Christi, sunt de necessitate sacramenti. Sed trina immersio in baptismo est ex mandato Christi, sicut invocatio Trinitatis. Ergo trina immersio in baptismo est de necessitate sacramenti, sicut etiam invocatio Trinitatis.

Maior probat., quia sacramenta habent efficaciam ex mandato Christi; unde ad necessitatem sacramenti pertinet quod fiat in eo omnia quæ sunt ex mandato Christi.

Minor probat., quia Pelagius Papa scribit Gaudentio Episcopo, et refertur de consec. dist. 4. cap. 8. *Multi sunt*, dicens: «evangelicum præceptum, ipso «Domino Deo salvatore nostro Jesu Chris- «to tradente, nos admonet, in nomine Tri- «nitatis trina mersione sanctum baptis- «mum unicuique tribuere.

3. Si trina immersio non esset necessaria ad baptismum, sequeretur quod ille qui per trinam immersionem baptizat, ter baptizaret. Sed hoc est falsum et inconveniens. Ergo una immersio non sufficit; sed de necessitate requiritur trina immersio.

Conseq. prob., quia si sufficit una immersio ad baptismum, in prima immersione baptismus perficitur. Ergo si addatur secunda et tertia, bis reiterabitur baptismus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. in lib. 1. Epistol. Epistola 41. scribens Leandro, sive Leonardo episcopo, et refertur de consec. d. 4. cap. 79. de Trinitat. dicit: « reprehensibile « esse nullatenus potest infantem in bap- « tismate, vel ter vel semel immergere, « quoniam et in tribus mersionibus, per- « sonarum trinitas: et in una potest di- « vinitatis singularitas designari.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Trina immersio non est de necessitate baptismi; sed quantum est de se, potest fieri una vel trina immersione.

Probatur tripliciter. Primo ad baptismum per se requiritur ablutio quæ est de necessitate sacramenti; modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum, ut dictum est art. præced. ad 1. Ergo nec trina immersio quæ ad modum ablutionis pertinet, erit de necessitate baptismi; sed erit verus baptismus, sive unica, sive trina immersione fiat.

Secundo probatur auctoritate Gregorii inducta in argumentum pro negativa, qua dicitur quod reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate, vel ter, vel semel immergere.

Tertio probatur ratione inducta á Gregorio in prædict. auctoritate: quoniam (inquit) et in tribus, personarum Trinitas et in una potest divinitatis singularitas designari.

Et iterum per unicam immersionem significatur unitas mortis Christi, per trinam vero immersionem triduum sepulturæ ejus.

2.ª Conclusio. Si quis unica tantum immersione baptizaret, quamvis verum efficeret baptismum, tamen graviter peccaret.

Manifestatur, quia sic baptizans ritum Ecclesiæ non servaret.

Pro quo est considerandum, quod diversis ex causis, secundum ordinationem Ecclesiæ, quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. Quia enim á principio nascentis Ecclesiæ quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem esse æstimantes, nec dici Filium Dei et Deum, nisi propter meritum ejus quod præcipue fuit in morte, ideo non baptizabant in nomine Trinitatis sed in commemoratione mortis Christi et una immersione.

Hoc autem reprobatum fuit in primitiva Ecclesia. Unde in Canon. c. 49 et 130. Apos. legitur et habetur de consec. d. 4. cap. 78. "Si quis presbyter, « aut Episc. non trinam immersionem, « unius mysterii celebret; sed semel mer- « gat in baptismale (quod dari á quibus- « dam dicitur in morte Domini) depona- « tur. Non enim nobis dixit Dominus. In morte mea baptizate; sed in nomine « Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Posmodum vero inolevit quorumdam schismaticorum et hæreticorum error homines rebaptizantium. Sicut de Donatistis August. narrat super Joan. trac. 11. Ideo in detestationem erroris eorum fuit statum in Concilium Tolet. 4. can. 5. Et habetur de Consecr. dist. 4. cap, Propter, ubi sic legitur. "Propter vitan- " dum schismatis scandalum, vel hære- " tici dogmatis usum. Simplam tenea- " mus baptismi immersionem. » Sed cessante tali causa, communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo hunc ritum baptizandi non servans, contra commune Ecclesiæ institutum facit, ac per hoc peccat graviter.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod Trinitas personarum, de necessitate debet significari in forma baptismi, non autem exigitur quod significetur in usu materiæ, nisi secundum maiorem congruitatem. Et ratio hujus est, quia similitudo agentis, pervenit ad effectum, secundum formam, et non secundum materiam. Et quia Trinitas est principale agens in baptismo, ideo significatio Trinitatis in baptismo debet necessario fieri per verba formæ, nec est necesse quod significetur in usu materiæ, nisi ad maiorem expressionem. Mors etiam Christi sufficienter figuratur per unicam immersionem. Triduum autem sepulturæ Christi non est necesse quod significetur in baptismo, quia non fuit de necessitate nostræ salutis. Nam etsi Christus una die tantum fuisset mortuus et sepultus, suffecisset ad perficiendam nostram redemptionem. Sed triduum illud ordinatum fuit ad manifestandam veritatem mortis, ut dictum est supra q. 51. art. 4. et 53. art. 2. Et sic patet quod Trina immersio non est de necessitate sacramenti, nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Pontifex non intendit dicere quod Christus præceperit quod baptismus debeat Trina immersione dari. Sed hoc solum quod ex mandato Christi, quod est ut baptismus detur. *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, admonemur quod ad quamdam congruitatem, ut scilicet usus materiæ et formæ respondeat quod detur per Trinam immersionem; non tamen hoc est necessarium ratione dicta in corpore, et in præc. responsione. Et hoc est Dominum mandasse Trinam immersionem in suo simili, quia scilicet cum baptismi forma sit per invocationem trium personarum, ad maiorem hujus mysterii explicationem facit etiam Trina immersio.

Ad 3. negatur consequentia. Ad probat. dicitur, quod sicut supra dictum est in quæst. 64. art. 8. ad baptismum requiritur intentio ministri Ecclesiæ, et ideo ex intentione ministri qui unum baptismum dare intendit, efficitur unum baptisma. Unde Hieron. dicit super Epis. Ad Philip. 4. super illud: « una fides, « unum baptisma, licet ter baptizetur « (idest immergatur) propter mysterium

« Trinit. tamen unum baptisma reputa-« tur. » Si vero minister intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in se est pluries baptizans.

ARTICULUS IX.

Utrum baptismus possit iterari.

Pro afirmativa.=Videtur quod baptismus possit iterari.

1. Sacramentum institutum ad remissionem peccatorum potest iterari. Sed baptismus est institutus ad ablutionem peccatorum. Ergo baptismus potest iterari.

Maior probatur peccata iterantur. Ergo multo magis debet iterari sacramentum institutum ad remissionem peccatorum.

Conseq. hæc prob., quia misericordia Christi trancendit hominis culpam.

2. Baptizati á Joan. Baptista iterum baptizabantur, ut habetur Act. 19. ubi dicitur quod Paulus baptizavit eos, qui erant baptizati baptismo Joan. Ergo multo fortius illi qui sunt baptizati ab hæreticis, vel peccatoribus sunt rebaptizandi.

Conseq. prob., Joan. Baptista præcipue fuit commendatus á Christo cum de eo dictum sit Matt. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Joan. Baptista.* Si igitur baptismus datus á tam sancto viro reiterabatur, multo magis videtur reiterandus baptismus datus á malis hominibus.

3. In Niceno Conc. 1. Can. 19. statutum est, « si quis confugerit ad Eccle-« siam catholicam de Paulianistis et Cata-« phrygis, rebaptizari eos omnino debe-« re. » Ergo baptizati etiam ab aliis hæreticis debent rebaptizari.

Conseq. prob., quia eadem ratio de aliis hæreticis videtur.

4. De quibusdam baptizatis aliquando dubitatur, an sint baptizati. Ergo videtur quod hi debeant iterum baptizari.

Conseq. prob., quia baptismus est necessarius ad salutem.

5. Sacramentum Eucharistiæ iteratur. Ergo videtur quod multo magis baptismus possit iterari.

Conseq. prob., quia Eucharistia est perfectius sacramentum, quam baptismus, ut dictum est quæst. præceden. art. 4.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur ad Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.*

Determinatio.

Conclusio. Baptismus non potest iterari.

Probatur quadrupliciter. Primo, sacramentum per quod homo spiritualiter regeneratur, non potest iterari. Sed baptismus est sacramentum, per quod homo spiritualiter regeneratur. Ergo baptismus, non potest iterari.

Maior prob., quia unius una tantum est generatio spiritualis; sicut etiam unius una est tantum carnalis generatio. Unde August. dicit tract. 11. in Joan. super illud Joan. 3. « Numquid potest « in ventrem matris suæ iterato introire « et renasci? sic tu » (inquit) « intellige « nativitatem spiritus, quomodo intelle-« xit Nicodemus nativitatem carnis; quo-« modo enim uterus non potest repeti, « sic nec baptismus. »

Minor probat., quia per baptismum moritur homo veteri vitæ, et incipit novam vitam agere. Unde dicitur Joan. 3. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et « Spiritu Sancto, non potest introire in « regnum Dei. »

Secundo Christus semel tantum mortuus est. Ergo baptismus non potest iterari.

Conseq. probat., quia baptizamur in morte Christi, per quam morimur peccato et resurgimus in novitatem vitæ.

Et confirmatur consequentia, quia propter hoc contra quosdam rebaptizari

volentes. dicitur Heb. 6. « Rursus cru-« cifigentes in semetipsis Filium Dei. » Ubi Glos. ord. dicit: « una Christi mors « Unum baptisma consecravit.» Tertio sacramentum quod imprimit characterem et cum quadam consecratione datur, non est reiterabile. Sed sacramentum baptismi imprimit characterem et cum quadam consecratione datur. Ergo baptismus non est reiterabilis.

Maior prob., quia character est indelebilis et consecrationes in Ecclesia non reiterantur. Et hoc est quod dicit Aug. lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 13. Quod « character militaris non repetitur « et quod non minus hæret sacramentum « Christi, quam corporalis hæc nota, cum « videamus nec apostatas carere baptis-« mate, quibus utique per pœnitentiam « redeuntibus non restituitur. »

Quarto, peccatum originale non iteratur. Ergo neque baptismus debet iterari.

Conseq. prob. quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum.

Et confirmatur ratio. Quia Rom. 5. dicitur: « sicut per unius delictum in « omnes homines in condemnationem sic « per unius justitiam in omnes homines « in justificationem vitæ. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior de sacramento ordinato ad remissionem peccatorum imprimente characterem et configurante nos Christo mortuo, quale est sacramentum baptismi. Ad probationem negatur consequentia: peccata enim quæ post baptismum committuntur, non possunt auferre baptismum; operatur enim baptismus virtute passionis Christi; unde sicut peccata sequentia non tollunt virtutem passionis Christi; sed impediunt solum effectum qui est gratia; ita non tollunt baptismum; sed effectum ejus qui est gratia, impediunt: quod impedimentum per pœnitentiæ sacramentum auferitur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod etsi Joan. sanctissimus esset tamen proprium et non Christi conferebat baptismum qui solus est salutaris. Mali autem homines, non proprium, sed Christi conferunt baptismum; et ideo baptizati baptismo Joannis, sunt rebaptizandi, non autem baptizati baptismo Christi á quocumque etiam malo. Unde Aug. tract. 5. in Jo. super illud. « Sed « ego nesciebam eum, dicit: ecce post « Jo. baptizatum est; post homicidam non « est baptizatum, quia Joan. dedit bap-« tismum suum, homicida dedit baptis-« mum Christi. Quod sacramentum tam « sanctum est; ut nec homicida minis-« trante, polluatur.»

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. negatur assumptum: non enim est eadem ratio de omnibus aliis hæreticis, sicut est de prædictis. Pauliani enim et Cataphrygæ non baptizabant in nomine Trinitatis. Unde Greg. in Regist. lib. 9. Epist. 61. scribens. Quirino episcopo. Et refert consec. dist. 4. c. Hi vero. Dicit: «hi hæretici qui in Trinitatis no-« mine minime baptizabant, sicut sunt « Bonosiani et Cataphrygæ qui idem sen-« tiebant cum Paulianis; quia et illi « Christum Deum non credunt » existimantes ipsum esse purum hominem: et isti scilicet Cataphrygæ, «Spiritum Sanc-" tum, perverso sensu, esse quemdam " pravum hominem (montanum scilicet) " credunt tales, cum ad sanctam Eccle-" siam veniunt, baptizantur; quia bap-" tisma non fuit quod in errore positi " in sanctæ Trinit. nomine minime per-" ceperunt. » Sed sicut in regulis Ecclesiasticis dicitur; « si qui apud illos hæ-" reticos baptizati sunt qui in sanctæ " Trinit. confessione baptizabant, et ve-" niunt ad catholicam fidem, recipian-" tur, ut baptizati. »

Ad 4. Dicitur ad consequentiam quod sicut decretal. Alexand. 3. tit. 41. de Baptis. et eff. cap. « de quibus. De qui-" bus dubium est, an baptizati fuerint

"baptizentur, præmissis his verbis: si "baptizatus es, ego non te baptizo; sed "si nondum baptizatus es. Ego te bap- "tizo, etc. Non enim videtur iterari "quod non videtur esse factum.»

Ad 5. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod etsi sacramentum Eucharistiæ sit omnibus sacramentis perfectius, tamen baptismus non reiteratur et Eucharistiæ sumptio iteratur. Et ratio est, quia etsi utrumque sacramentum, scilicet baptismus et Eucharistia sit repræsentativum dominicæ mortis et passionis; aliter tamen et aliter ipsam repræsentant. Nam in baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur et in novam vitam regeneratur. In sacramento autem Eucharistiæ, commemoratur mors Christi in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi Paschale convivium secundum illud 1. Cor. 5. «Pascha nos- "trum immolatus est Christus, itaque "epulemur.» Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem datur Eucharistia.

ARTICULUS X.

Utrum ritus, quo Ecclesia in baptizando utitur, sit conveniens.

Pro negativa.=Videtur, quod ritus quo Ecclesia in baptizando utitur, non sit conveniens.

1. Aqua baptismi fuit sanctificata tactu dominici corporis in baptismo Christi, qui celebratur in festo Ephiphaniæ. Ergo magis deberet celebrari solemnis baptismus in festo Epiphaniæ, quam in vigilia Paschæ et in vigilia Pentecostes.

Conseq. prob, quia aqua baptismi acquisivit virtutem purgandi peccata ex tactu dominici corporis. Dicit enim Chris. et refertur de consec. dist. 4. cap. 10. "Numquam aqua baptismi purgare pec- "cata credentium posset, nisi tactu "dominici corporis sanctificata fuisset.» Unde tunc celebrari debet solemnis baptismus, quando aqua sanctificandi virtutem accepit.

2. Ad baptismum pertinet ablutio aquæ. Ergo inconvenienter ille qui baptizatur, bis inungitur Oleo Sancto, primo in pectore, deinde inter scapulas, et Chrismate in vertice.

Conseq. prob., quia ad idem sacramentum non videtur pertinere diversarum materiarum usus.

3. Ad fidem Christi nihil operatur diversitas vestium. Ergo inconvenienter candida vestis datur baptizatis.

Anteced. prob., quia "in Christo Je- "su non est masculus neque fœmina, "barbarus et Scyta;» et eadem ratione nec aliquæ hujusmodi differentiæ.

5. Sine hujusmodi observantiis baptismus potest celebrari. Ergo quæ dicta sunt, videntur esse superflua; et ita inconvenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia regitur á Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur.

Determinatio.

Conclusio. Ritus quo Ecclesia in baptizando utitur, est conveniens.

Prob. In ritu quo utitur Ecclesia in baptizando, continentur ea quæ sunt de necessitate baptismi et quæ pertinent ad solemnitatem baptismi. Ergo ritus, quo Ecclesia utitur in baptizando, est conveniens.

Conseq. probat., quia in sacramento baptismi aliquid agitur quod est de necessitate et aliquid quod pertinet ad solemnitatem; unde ritus qui hæc duo comprehendit, est conveniens.

Antecedens ostenditur; de necessitate enim sacramenti baptismi sunt tria. Primum est forma, de qua supra dictum est, et hæc designat principalem causam sacramenti quæ est Trinitas. Secundum est minister, qui est causa instrumentalis. Et tertium est usus materiæ, qui

est ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum.

Cætera vero omnia quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia, pertinent ad quamdam solemnitatem sacramenti; et hæc adhibentur sacramento propter tria.

Primo quidem ad excitandam devotionem fidelium et reverentiam eorumdem ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam communis ablutio.

Secundo ad fidelium instructionem: simplices enim qui literis non eruduntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas et aliqua hujusmodi; et per hunc modum, per ea qua in sacramentis aguntur, vel simplices instruuntur, vel solicitantur ad quærendum de his quæ per hujusmodi sensibilia signa signantur. Et ideo quia præter principalem sacramenti effectum, oportet quædam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam sensibilibus signis repræsentarentur.

Tertio, quia per orationes et benedictiones et alia hujusmodi cohibetur vis dæmonis, ne impediat sacramentalem effectum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Christus enim in Epiphania baptizatus est baptismo Joannis, ut dictum est q. 39. art. 3. Quo quidem baptismo non baptizantur fideles, sed baptismo á Christo instituto. Et quamvis tunc aquæ receperint virtutem purgandi peccata, ut in prob. dicitur tamen efficacia baptismi ex passione Christi derivata est secundum illud Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et ex Spiritu Sancto, secundum illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, etc. Ideo solemnis baptismus agitur in Ecclesia et in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio dominicæ sepulturæ et resurrectionis ejusdem (propter quod Dominus post resurrectionem præceptum de baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ult) Et in Vig. Pent. quando incipit celebrari solemnitas Spiritus Sancti. Unde et Apostoli leguntur ipso die Pentec. quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse; ut patet Act. 2. Ex hoc igitur quod Christus in Epiphania baptizatus est, non sequitur quod Ecclesia eo tempore debeat celebrare solemnem baptismum, quia baptismus, quo Christus baptizatus est, erat Baptismus Joannis, quo non baptizantur fideles. Sed debet illum celebrare in vigilia Paschæ et Pentecostes, quia efficacia baptismi ex passione Christi et á Spiritu Sancto derivatur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod ad idem sacramentum potest pertinere usus diversarum materiarum, diversa tamen ratione. Unius quidem quasi pertinentis ad substantiam sacramenti, alterius vero ad solemnitatem. Usus igitur aquæ adhibetur in baptismo quasi pertinens ad substantiam sacramenti; sed usus Olei, vel Chrismatis, adhibetur ad quamdam solemnitatem: nam primo baptizandus inungitur Oleo Sancto et in pectore et in scapulis, *quasi athleta Dei*, ut Ambr. dicit lib. 1. de sacram. cap. 2. Sicut pugiles inungi consueverunt. Unde sicut Inn. in quodam decr. de sacra unctione lib. 1. tit. 15. cap. Cum invenisset. « Baptizandus " in pectore inungitur, ut per Sancti " Spiritus donum abjiciat errorem et " ignorantiam, et fidem rectam suscipiat " quia justus ex fide vivit. Inter scapu- " las autem inungitur, ut per Spiritus " Sancti gratiam excutiat negligentiam " et torporem, et bonam operationem " exerceat, quia fides sine operibus mor- " tua est, ut per fidei sacramentum sit " munditia cogitationum in pectore et " per operis exercitium fortitudo labo- " ris in scapulis. » Post baptismum vero (ut Rabanus lib. 1. de Instit. oleo cap. 28 dicit: et refertur de consec. dist. 4.

cap. postquam) " statim signatur in ce- " rebro á Presbytero, cum sacro chris- " mate, sequente simul et oratione ut " Christi Regni particeps fiat; et á " Christo christianus possit vocari;» vel sicut Ambr. dicit lib. 3. de sacram. cap. 1. " Unguentum super caput effunditur, " quia sensus sapientis in capite ejus, " ut scilicet sit paratus omni petenti de " fide reddere rationem.»

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod candida vestis non operatur aliquid ad fidem Christi, quasi ad necessitatem baptismi pertinens, nec traditur baptizato, quasi ei non liceat aliis uti vestibus; sed traditur ei ut signum gloriosæ resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur. Et ad significandam puritatem vitæ, quam baptizati debent post baptismum observare, secundum illud Rom. 6. *In novitate vitæ ambulemus.*

Ad 4. Negatur conseq. Potest enim aliquid non esse necessarium simpliciter et tamen non esse superfluum, quia poterit esse necessarium ad bene esse. Sic ea quæ pertinent ad solemnitatem baptismi; etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua; quia sunt ad bene esse sacramenti, ut in corpore dictum est.

ARTICULUS XI.

Utrum convenienter describantur tria baptismata.

Pro negativa.=Videtur, quod inconvenienter describantur tria baptismata, scilicet Aquæ, Sanguinis et Flaminis, idest Spiritus Sancti.

1. Una est tantum fides. Ergo unum tantum debet esse baptisma. Et sic non sunt tria baptismata.

Anteced. simul et consequentia prob., quia Apost. dicit ad Ephes. 4. Una fides unum baptisma. Ex quibus verbis antecedens expresse patet per hoc quod dicitur. Una fides.

Consequen. vero quia Apostolus idem judicium facit de unitate fidei et baptismatis.

2. Solus baptismus aquæ est sacramentum. Ergo unus solus est baptismus ponendus.

Conseq. prob., quia baptismus aquæ est sacramentum; unde solus ille debet poni baptismus, qui est sacramentum et non alia baptismata.

3. Dam. lib. 4. Orthod. fid. cap. 10. determinat plura alia genera baptismatum. Ergo non debent poni solum tria baptismata.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. ordin. dicit super illud Hebr. 6. baptismatum doctrinæ. Pluraliter dicit, quia est baptismus aquæ, pœnitentiæ et sanguinis.

Determinatio.

Conclusio. Præter baptismum aquæ convenienter ponitur baptismus sanguinis et baptismus flaminis.

Probatur. Præter baptismum aquæ, potest aliquis consequi baptismi effectum, vel per hoc quod pro Christo patitur, vel per hoc quod ejus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum et pœnitendum de peccatis. Ergo præter baptismum aquæ convenienter ponitur baptismus sanguinis et flaminis, seu Spiritus Sancti.

Anteced. manifestatur: nam superius q. 62. art. 5. et in art. 2. hujus quæstionis dictum est quod baptismus aquæ habet efficaciam á passione Christi, cui aliquis configura[illegible] ulteriùs habet efficaciam sicut á prima causa, á Spiritu Sancto. Sed tam passio Christi, quam Spiritus Sanctus est causa superexcedens hunc effectum, et ideo tam ex passione Christi, quam á Spiritu Sancto potest procedere effectus baptismi aquæ sine ipso baptismo aquæ. Consequi enim potest aliquis effectum baptismi ex passione Christi, præter baptismum aquæ: in quantum Christo conformatur pro eo patiendo. Unde di-

citur Apoc. 7. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Et hic dicitur baptismus sanguinis.

Et eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquæ; sed etiam sine baptismo sanguinis; in quantum scilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum Deum et pœnitendum de peccatis, et hic dicitur baptismus flaminis, sive baptismus pœnitentiæ. Et de hoc dicitur Isaiæ 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris.

Conseq. probat., quia utrumque horum, scilicet sanguinis effusio pro Christo et flaminis operatio baptismus nominatur, in quantum supplet vicem baptismi aquæ.

Et confirmatur conclusio auctoritate August. lib. de unico baptismo parvulorum cont. Donat. cap. 22. et refertur de consec. dist. 4. cap. 33. dicentis. Baptismi vicem aliquando implere passionem: de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in Paradiso, Beatus Cyprianus non leve documentum assumpsit quod etiam atque etiam considerans, invenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismo deerat posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur antecedens et consequentia. Negatur autem id quod subsumitur. Scilicet ergo non sunt tria baptismata. Nam unum est tantum baptisma, scilicet aquæ: alia autem duo includuntur in baptismo aquæ, qui efficaciam habet ex passione Christi et Spiritu Sancto; unde per hoc non tollitur unitas baptismi.

Ad 2. Dicitur quod concludit esse tantum unum baptismum qui est sacramentum. Sacramentum enim habet rationem signi et causat effectum scilicet gratiam, et baptismus aquæ habet rationem signi, et etiam est causa effectus sacramentalis. Alia vero duo dicuntur baptismata, non quidem quantum ad rationem signi, sed solum quantum ad effectum baptismatis, quia scilicet per ipsa potest aliquis consequi effectum baptismi aquæ, scilicet justificationem sine baptismo aquæ. Sunt igitur hæc duo, baptismata; sed non sacramenta.

Ad 3. Dicitur quod baptismus dicitur tripliciter. Primo modo quia est signum et causativum gratiæ. Et hic est solus baptismus aquæ. Alio modo quia ex eo aliquis consequitur effectum baptismi aquæ; sed non habet rationem signi; et sic martyrium et conversio ad Deum dicuntur baptismata. Tertio, quia præfigurant, vel disponunt ad baptismum aquæ: et sic Damascenus in arg. cit. posuit plura baptismata scilicet diluvium, transitum maris rubri, diversas ablutiones quæ fiebant in veteri lege et baptismum Joan. Tria priora erant baptismata figuralia: baptismus vero Joan. erat præparatorius ad baptismum Christi. Habet enim baptismus Christi tria: primum quod per ipsum salvantur fideles; et quantum ad hoc ejus figura fuit diluvium, quia sicut tunc paucæ animæ salvæ factæ sunt in arca, ut dicitur 1. Petri 3. ita per baptismum salvantur fideles in Ecclesia. Secundum est quod baptisma Christi liberat á servitute peccati: et quantum ad hoc præfiguratum fuit in transitu maris rubri. Sicut enim illi qui mare rubrum transierunt, liberati sunt de servitute Ægyptiorum, ita qui baptizantur, liberantur á servitute peccatorum. Unde hunc transitum Apost. 1. Cor. 10. Baptismum appellat dicens, omnes baptizati sunt in nube, et in mari. Tertium quod habet baptisma Christi, est quod purgat á peccatis; et quantum

ad hoc præfigurabatur per diversas legis ablutiones quæ baptismata dicebantur.

ARTICULUS XII.

Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata.

Pro negativa. —Videtur, quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter alia tria prædicta baptismata.

1. Baptismus sanguinis non imprimit characterem quod facit baptismus aquæ. Ergo baptismus sanguinis non est potior quam baptismus aquæ.

2. Baptismus sanguinis non valet sine baptismo flaminis qui est per charitatem. Et baptismus flaminis valet sine baptismo sanguinis. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

Prior pars antecedentis prob., quia 1. Cor. 13. dicitur si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Posterior vero pars prob., quia non soli martyres salvantur.

3. Baptismus qui habet efficaciam á passione Christi, non est potior, quam baptismus qui habet efficaciam á Spiritu Sancto, sed baptismus sanguinis habet efficaciam á passione Christi, ut art. præced. dictum est. Baptismus autem flaminis habet efficaciam ab ipso Spiritu Sancto; ut etiam dictum est. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

Maior prob., quia et ipsa passio Christi habet efficaciam á Spiritu Sancto, secundum illud ad Heb. 9. Sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, etc. Sicut igitur Spiritus Sanctus potior causa est, quam Christi passio quæ á Spiritu Sancto efficaciam habet; ita baptismus, qui habet efficaciam á Spiritu Sancto potior erit quam baptismus qui habet efficaciam á passione Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. lib. de Eccles. dogmat. cap. 74. ad Fortunatum loquens de comparatione baptismatum dicit: baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, Martyr coram persecutore; ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine, ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti.

Determinatio.

Conclusio. Baptismus sanguinis est potissimus inter tria prædicta baptismata.

Prob. baptismus, in quo excellentissime operatur Spiritus Sanctus et passio Christi, est inter alia baptismata potissimus. Sed in baptismo sanguinis excellentissime operatur Spiritus Sanctus et passio Christi. Ergo baptismus sanguinis et potissimus inter tria prædicta baptismata.

Maior prob. Ut enim art. præced. dictum est, effusio sanguinis pro Christo et operatio interior Spiritus Sancti dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet á passione Christi et á Spiritu Sancto, ut etiam art. præced. dictum est. Unde ille erit potior baptismus, in quo dictæ duæ causæ efficacius et excellentius operantur.

Minor habet duas partes. Scilicet quod passio Christi efficacius operetur in baptismo sanguinis; et hæc prob., quia passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem, in baptismo autem flaminis vel pœnitentiæ, per quamdam affectionem. Sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Altera pars est quod Spiritus Sanctus operetur efficacius in baptismo sanguinis; et hæc ostenditur, quia Spiritus Sanctus operatur in baptismo aquæ, per quamdam latentem virtutem, in baptismo pœnitentiæ per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis operatur per potissimum dilectionis fervorem, secundum illud Joan. 15. maiorem hac dilectionem nemo habet,

ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Virtus enim imprimendi characterem non facit quod baptismus sit potior, sed solum hoc quod sit sacramentum: est enim character res et sacramentum. Ex hoc igitur quod baptismus sanguinis non imprimit characterem, non sequitur quod non sit potior; sed solum quod non sit sacramentum.

Ad 2. Negatur consequentia. Effusio enim sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate ex quo patet quod baptismus sangunis includit baptismum flaminis et non econverso: et ideo ex hoc ipso baptismus sanguinis potissimus ostenditur.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod baptismus sanguinis præeminentiam habet, non solum ex parte passionis Christi; sed etiam ex parte Spiritus Sancti, ut in corpore dictum est: et ideo est omnium baptismatum potissimus.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 66.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod baptismus est ablutio. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Eccles. trigesimo quarto. *Qui*, et cætera, ut *in arg. cont.* Item per hoc, quod baptismus vocatur lavacrum. *Salvos* (inquit Apostolus ad Titum 3.) *nos fecit per lavacrum regenerationis.* Hoc est. Per lavationem regenerationis. Ibi enim ly *lavacrum* non dicit aquam, sed aquæ usum, quoniam sic, idest, per usum aquæ (ut patet) nos salvi sumus. A Concilio autem *Trident.* per hoc, quod dicit sess. 13. can. 3. «Reliqua sacramenta tunc primo sanctificandi vim habet, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Ex quibus etiam patet consideranti declaratio, simulque confirmatio utrarumque articul. conclusionum cum suis probationib. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Ecclesia, et Augustino : quod baptismus fuit institutus ante Christi passionem. A scripturis quidem per hoc, quod dicicitur Math. 3. *Sic enim decet, nos implere omnem justitiam.* Hoc est. Per hoc, quod ego á te baptizabor, faciam, ut baptismo meo in hominibus omnibus baptizandis infundatur justitia. Unde D. Ambrosius in lib. de sacramentis hunc sensum aperiens dicit. «Sic decet nos implere omnem justitiam. Vide quæ sit omnis justitia, Christus ad baptismum descendit: non ut caro mundaretur, quam suscepit de nostra conditione. Non enim ablutio peccati Christo necessaria fuit, qui peccatum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato eramus obnoxii. Hæc ille. Qui, et paulo superius dixerat: «Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad cœlestia : qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exsurgit : non omnis aqua sanat, sed illa, quæ habet gratiam Christi.» Quasi B. Ambrosius, ad Evangelium propius accendendo, dicat : Aqua antequam Christus baptizaretur, non sanabat : sed, postquam ipse baptizatus est, implevit per aquam in nobis omnem justitiam. Ab Ecclesia vera per hoc, quod dicit: *Creator omnium in Jordane expurgat nostra facinora.* Quomodo autem intelligatur istud, declarat subjugens : «Fontes aquarum sanctificati sunt, Christo apparente in gloria; orbis terrarum haurite aquas de fontibus Salvatoris ; sanctificavit enim nunc omnem creaturam. » Hæc illa in laudib. et vesp. de oct. Epiph. Ubi expone ly *Christo apparente in gloria*, idest Christo baptizato. Tunc enim apparuit nobis vere, quod erat filius Dei, Patre protestante: id, quod maxima

gloria est. Rursus. Intellige ly *sanctificavit omnem creaturam*, pro quando sanctificavit aquas, quibus, quæcumque creatura baptizabitur, sanctificabitur. A D. Aug. item insinuatur idipsum per hoc, quod dicit. «Necdum eramus in mundo: jam abluebamur in baptismo. Nam ipsa fuit baptismatis ratio, ut aquæ, quæ purgaturæ erant, ab illo purgarentur. Tunc enim Christum Dominum non tam lavit unda; quam lota est. Hæc ille in serm. de Epiph. qui incipit: Proxima. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim Hermiæ dicentis; baptizandum esse non in aqua, sed in igne. *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concilio Flor. dicente; *Materia hujus sacramenti* (de baptismo loquitur, ut patet in contextu) «est aqua vera, et naturalis: nec refert, frigida sit, an calida.» Hæc illud in Decret. seu constitut. super unio. Armenor. et forsan ad excludendum etiam hæresim Jacobitarum, quos eodem tempore præsentes habebat, dixit hoc. Dico ly forsan: quia mos Jacobitarum, quo baptizant circumcidendo adustione quadam in fronte, vel in genis impressa, potest esse et non esse fidei compatibilis. Si enim cum aqua baptizant, et simul adustionem illam adhibent ante, vel postea, baptizatus est homo non propter illam adustionem, sed propter aquam: si vero sine aqua dicunt baptizandum esse, vel aquam sine illa adustione non sufficere ad salutem (dummodo alia, scilicet forma, et intentio debita ministri concurrant) hæresim dicunt: et in hoc sensu ibi á Concilio supradicto illud, tamquam in fide erroneum damnatur. Item per rationem ostendes, merito damnari á Jo. 3. "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei." Item ab Act. 8. dum aqua baptizatur Eunuchus. Et cap. 10. dum aqua baptizatur Cornelius centurio cum sociis, et quidem à Vicario Christi, scilicet Petro cujus est judicare de vero sensu scripturarum teste Concil. Trident. sess. 4. Decr. 2. (Item ab eodem Concil. Trid. sess. 7. de Baptis. can. 2. "Si quis dixerit: aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Christi Domini nostri. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit." *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Conciliis; quod aqua simplex requiritur ad baptismum. A Conciliis quidem ut art. 3. append. A scripturis vero, ut ibid. Aqua enim Jordanis, quam pro baptismo tunc sanctificavit Christus, erat aqua pura, et simplex, idest habens veram speciem aquæ. Nam (ut patet, *ex arg. cont.*) per aquam puram, et simplicem quam esse ad baptismum necessariam vult præsens articulus, intelligitur illa, quæ veram speciem aquæ habet, idest quæ est aqua vera, et naturalis (ut exprimunt Concilia ibi) et hoc, ut diximus, necessum est ex eo, quod Jordanis aqua erat talis, idest vera, et naturalis. Inde enim trahitur aquæ virtus. Nam (ut ait D. Chrysost.) «aqua baptismi numquam purgare peccata credentium posset; nisi tactu Dominici corporis sanctificata fuisset:» Hæc ille: et recitantur in Decr. distinc. 4. c. numquam. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses Pauli Samosateni, seu Paulianistarum docentium: baptizandos esse homines non in nomine Trinitatis. Et Deuterii Arriani dicentis: baptizandum esse in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto. Et Marci, seu Marcitarum dicentium: baptizari debere in nomine ignoti Patris omnium, et veritate omnium matre; et in eo, qui descendit in Jesu. Et Cataphrygarum dicentium: non esse utendum in baptismo hac forma, seu non esse baptizandum in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari à Conc. Nicæno primo, canon. 19. «Si quis confugerit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, et Cathaphrygis, statutum est, rebaptizari eos omnino debere. Et ratio est, quia, ut dicitur á Papa Innocentio, recitatur 1. qu. 1. c. Paulianistæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti minime baptizant. Quod etiam de Cataphrygis intellige. Item à Gregor. "Hi Hæretici, qui in Trinitatis nomine non baptizantur (sicut sunt Bonosiani, et Cataphry-

gæ) cum ad Ecclesiam sanctam veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit quod sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.» Hæc ille, et recitantur de consecrat. dist. 4. cap. hi vero. Ubi nomine Trinitatis intelligit expressionem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Item á Conc. Florent., quod postquam dicit, quod, «si forma deest non perficitur sacramentum,» interpositis quibusdam, subjungit. "Forma baptismi est; Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et et Spiritus Sancti.» Hæc illud in Decreto, seu constitut. super unio. Armen. Ex quo ejus dicto etiam patet, quod, quando post nonnulla subinfert ly "si exprimitur actus, qui per ministrum exercetur cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum: patet, inquam, probante clarissimo contextu: quod per ly Trinitatis intelligit Trinitatem explicatam distinctis verbis, sc. Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; non autem intelligit hoc nomen, Trinitatis. Hoc est. Non vult dicere, quod hac forma: "ego te baptizo, vel baptizetur servus Christi in nomine Trinitatis,» perficiatur sacramentum: sed quod in nomine Patris, et Filii, et Spirtus Sancti. Item à Conc. Tridentino sess. 7. de baptismo cap. 3. "Si quis dixerit: in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: anathema sit. Item à Papa Lucio 3. Universos, qui de sacramento corporis, et sanguinis Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, et observat, vinculo perpetui vinculi innodamus.» Hæc ille extra de hæretic. cap. *Ad abolendam*. Quid vero Rom. Eccles. prædicet, seu doceat circa formam baptismi, audisti ex Concil. Florent. Item per hoc, quod quodam "Episcopo Arriano, dum baptizaret, dicente: "Baptizat te Barbas in nomine Patris per Fi- "lium in Spiritu Sancto, aqua evanuit, quo miraculo permotus, qui baptismum expectabat, confestim ad Catholicam fidem transivit, ut refertur in lib. 9. Supplemen. chronic. et lib. 12. hist. tripart. Nam Deus miraculo illo et insinuat præsentis art. intentum, et damnat contrarium. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum à scripturis, Apostolis, et Papa quod in nomine Christi baptismus nunc fieri non potest. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 28. "baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Unde Zacharias Papa dicit: in synodo Anglorum diligenter demonstratum esse dignoscitur, quod quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet; quod omnino verum est, quia, si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti fuerit baptizatus.» Hæc ille, quæ faciunt pro expositione forma præscriptæ Matth. 28. et recitantur de consecr. dist. 4. Ab Apostolis autem idem insinuatur per hoc, quod in canon. Apostolorum, qui pro talibus à sexta synodo distinct. 6. cap. placuit huic, recipiuntur, dicitur can. 49.» Si quis Episcopus aut presbyter semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur. Non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.» Ex quibus pro quanto de baptismi forma loquuntur, patet quod in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. A Papa Pelagio item insinuatum est idipsum aperte: ut ponitur ad literam *in arg. cont.* Cæterum, quia de inspirationibus, seu revelationibus novis ex dispensatione contra prædicta posset à quibusdam quandoque instantia afferri: ideo ultra illa, quæ diximus in ad secundum, pro regula universali annotanda sunt ea, quæ Papa *Leo X.*, sacro approbante Conc., à simili sanxit. Nam sessio 11. illius Conc. Lateranensis, postquam prædicatoribus quibuscumque inhibuerat ibi asserere tempus præfixum futurorum malorum, scil., Antichristi, aut judicii, etc. subjungit.» Cæterum, si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelavit, etc. Quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sit probandum, an spiritus ex Deo proveniat: volumus: ut lege ordina-

ria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reservatæ intelligantur, et post multa inquit: Si qui autem contra præmisorum aliquod committere quicquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant à qua nonnisi à Romano Pontifice absolvantur. Et, ut horum exemplo alii attentare similia minime audeant, eis prædicationis officium interdictum esse perpetuo decernimus: non obstantibus quibuscumque privilegiis, etc.» Ex quibus, pro quanto similia quædam sunt, patet facile prudentibus, quid sit dicendum in art. hujus proposito. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas; merito esse insinuatum à scripturis, et à Cypriano: quod immersio in aqua non est de necessitate baptismi. A scripturis quidem, ut Hebr. 10. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Per hoc enim, quod nomine ablutionis corporalis universaliter utitur Apostolus loquens de baptismo, monstrat intentum: cum ablutio possit pluribus modis fieri, scilicet, non tantum per immersionem, sed etiam per aspersionem, et effusionem. A B. Cypriano autem in lib. 4. epist. 7. et recitatur de consecr. dist. 4. " Nec quemquam debet movere; quod aspergi, vel perfundi jubentur ægri: cum gratiam Dominicam consequuntur.» Et rationem, quod quis de hoc baptizandi modo, scilicet per aspersionem, vel per fusionem, moveri, idest, nimis admirari non debeat, reddit ibi multiplicem de scripturis antiquis: quod longum esset recensere. Vide igitur tu vel in lib. suarum epistolarum, vel in Dec. de consec. loc. cit. Unde etiam colliges ad litteram, quod licitum est argumentando ab antiqui testamenti figuris concludere aliquid tamquam figuratum in novo testamento sic, vel sic fiendum. Id, quod et alias annotatum fuit ex Conc. Hispalensi 2. de majoritate Episcoporum ad simplices sacerdotes, recitatumque ex eodem, in Veritatibus aureis super legem veterem, Num. 8. concl. 2. Igitur, secundum D. Cyprianum, immersio non est de necessitate sacramenti hujus: alioquin non jussisset, quod ægri, idest, non potentes immergi, aspergendo baptizarentur. Quoniam id, quod est de necessitate sacramenti, non potest omitti supplendo per aliud, ita, quod recipiatur sacramentum (puta deficiente aqua, non potest baptismus fieri in vino, oleo, etc.) et tamen ille baptismus per aspersionem; vel perfusionem datus valet: secundum ipsum Cyprian. ægros illos cupientes salvos fieri. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse à scripturis, et Papa: quod trina immersio non est de necessitate baptismi. A Papa Gregorio quidem: ut ponitur *in arg. cont.* Quod Gregorii decretum vide latius in de consecr. dis. 4 c. de trina mersione. A scripturis vero per hoc, quod dicunt Act. 2. 3. una die Apostolos baptizasse tria millia hominum, alia autem die quinque millia. Non videtur enim probabile, quod unusquisque Apostolorum baptizaret unumquemque tot millium per trinam vel mersionem, vel aspersionem, vel effusionem: sed magis inde probabile videtur, quod de facto semel tantum vel mergerent, vel aspergerent, vel perfunderent unumquemque illorum. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, hæresim Anabaptistarum, dicentium: baptizatos iterum posse baptizari: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: hanc merito damnari ab Heb. 6. et á Conciliis Flor. Trid. Catha. primo, secundum quod recitantur singillatim in q. 4. art. 6. app. Item á Leone Papa. «Qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizarunt, se nescire profitentur, rebaptizandi non sunt; sed per impositionem manus virtute Spiritus Sancti (quam ab hæreticis accipere non potuerunt) Catholicis copulandi sunt. Hæc ille, et recitantur de consecr. d. 4. c. hi, de quibus. Item Beda in hom. 37. Sivæ hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio, et invocatio tanti nominis videatur adnullari.» Hæc ille, quæ recitantur de consecr. distin. 4. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 10. habes *primo:* quomodo per rationem convincas de errore temerariam

irrisionem Calvinistarum, qua Papistis (ut ajunt tamquam erroneum imponunt hoc, videlicet, quod ad baptismum requiruntur oleum, sal, sputum, consignatio crucis, exorcismi, vestis alba, candelæ, et hujusmodi ritus, ut patet ex Calvini libello contra acta Concilii Tridentini. Sanctus doctor enim in præsenti articulo tam perspicuis verbis requiri ista pro solemnitate, non pro necessitate sacramenti, et ad tot, tantaque bona conferre ritus hujusmodi edocet; ut amplius declaratione opus non sit ad demonstrandum, et quod tales ritus nullum penitus errorem continent, et quod irrisio prædicta Calvinistarum plena est erroris, ne dicam impietatis. Impium siquidem est dicere: quod aliquid ab Ecclesia statutum, et maxime circa sacramenta per ipsius ordinationem consuetum sit erroneum. Nam ea, quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui de Ecclesia loquens (ut patet ex contextu Mat. 18.) dixit: « ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vide etiam 2. 2. q. 10. art. 12. quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, et quod suæ auctoritati standum magis est, quam auctoritati Augustini, Hieronymi, vel cujuscumque alterius Doctoris. Ergo à fortiori ibi cointelligitur, quod Ecclesiæ consuetudini, seu auctoritati standum est magis, quam doctrinis variis, et peregrinis, Hebr. 13. Calvini, Lutheri, Mahumeti, et aliorum similium asserentium profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, 1. Timoth. 6. Adde, quod doctrinarum harum variarum, ac novitatum inventores ideo dicuntur habere non veri, sed falsi nominis scientiam, quoniam (testante scriptura, quæ non potest solvi Joann. 10.) ipsi re vera sunt indocti, et instabiles, 2. Pet. 3. Hoc specialiter verificatum de Calvino vide in Additio. q. 9. a. 4. append. ubi narratur vita ejus. *Secundo* habes: quomodo per ratonem ostendas illum calvinistarum errorem merito damnari ab Apostolo utiliter dicente de Ecclesia, quod est domus Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. Applica tu ad propositum hoc, quandoquidem ab universali ad sua particularia descendere licet. Item á Joan. 14. *Alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Per hoc enim ostendit Christus, quod Spiritus Sanctus semper recturus est Ecclesiam Catholicam, et Apostolicam, quam, veluti in Apostolis tunc repræsentatam, alloquebatur. De Spiritu Sancto autem, qui est magistrorum optimus nefas est dicere, quod in á se directis operibus sinat aliquid esse falsum, vel erroneum. Ut á simili concludamus. Quia *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, 2. Pet. 1. ideo scriptura sacra ab his edita dicit Prover. 8. "justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus et æqui invenientibus scientiam.» De his aureis verbis vide bonum sensum diffuse in 2. 2. q. 122. a. 2. appen. et q. 140. a. 1. append. vel etiam 1. 2. q. 69. a. 1. append. Sic ergo, quia á Spiritu Sancto regitur semper Ecclesia, ideo de suis operibus, utpote á spiritu veritatis, Joann. 15. directis potest proportionaliter dicere idem, scilicet Justi sunt omnes, etc. Recti sunt intelligentibus, etc. Ad hoc autem ex ratione monstrandum, quod scil. justi sint omnes Ecclesiæ sermones, idest statuta, ritus, etc. quodque non sit in eis pravum quid, neque perversum, insudavit semper fideliss. veritatis propugnator S. Th. (ut patet in tota doctrina sua, et specialim hic) atque per consequens ex eadem multiplici ratione commonstravit, quod iidem Eccl. sermones sunt recti intelligentibus et æqui invenientibus scientiam. Item illum errorem ostendere potes merito singillatim damnari à decreti sin de consecrat. «distinctio. 4. c. sive parvuli, et c. Ante. 20. dies. et c. postquam se, et c. sicut nostris et c. postea signatur et c. ex hinc, et c. postea tanguntur, et c. propter, et c. deinde, et c. venit sacerdos, et c. prima igitur, et c. venisti ad fontem, et c. post quam ascendit, et c. post baptismum, et c. Accepisti, et c. primum interrogetur.» Item maxime damnatur á Conc. Trid. sess. 7. de sac. can. 13. «Si quis dixerit: receptos, et approbatos, Eccl. Cath. ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministro pro libro omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit. Ex quibus patet, quam veri, quam sine errore, quam convenientes sint omnes Ecclesiastici ritus in baptismo, aliisque sacramentis observati. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia, quod baptismata sunt tria, scilicet fluminis, flaminis, et sanguinis. A scripturis quidem, quoad baptisma fluminis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. quoad baptisma flaminis, Act. 10. "orationes tuæ, et elecmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei;" quoad baptisma sanguinis, Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso:* Per illud enim Actuum Apostolorum ideo ostenditur propositum prædictum: quia Cornelii nondum aqua baptizati (ut in contextu ibi patet) orationes, et eleemosynæ dicuntur placuisse Deo por ly *ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Quod enim opera alicujus sint grata Deo, ut fuerunt illa Cornelii, præsupponit, ipsum illa operantem esse gratum Deo, secundum illud Genes. 4. *respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Unde Beatus Augustinus in lib. de baptis. ait: "Merito Centurio nondum baptizatus Simoni baptizato anteponitur. Ille enim etiam ante baptismum Spiritu Sancto accepto repletus est, iste etiam post baptismum spiritu immundo inflatus est." Quæ recitantur de consecrat. *distinctio et cap. Non dubito.* Cornelius siquidem centurio prius habebat baptismum in voto, qui est baptismus flaminis: cujus tanta est efficacia. ut justificare possit; secundum Concilium Trident. sess. 7. de sacramentis cap. 4. "Si quis dixerit, sine eis (sacramentis scilicet) aut eorum voto, per solam fidem homines á Deo gratiam justificationis adipisci; anathema sit. Per illud vero Luc. 23. de latrone, ostendi propositum de baptismo sanguinis patet in text. corp. ex Divo Augustino. Ab Ecclesia autem insinuatur, etc. de baptismo quidem sanguinis, per hoc, quod celebrat festum Sanctæ Emerentianæ martyris, de hac enim dicit. Licet adhuc esset cathecumena, constanter intrepida, et immobilis contra sævientes astabat: et plurimis eos verbis de su perfidia exprobrabat. Unde á turbis furentibus lapidata est, et orans emisit spiritum, non dubium, quod in suo sanguine baptizata: quæ pro defensione justitiæ, dum confiteretur Dominum, mortem constanter accepit. Hucusque Ecclesia. De baptismo quoque flaminis per hoc, quod narrato facto de illo Judæo, qui se baptizavit, dicit ipsum fuisse salutem consecutum, non propter fidei sacramentum (quod in eo nullum erat) sed propter sacramenti fidem: vide supra art. 5. in Elucidat. de hoc. Porro, quod Ecclesia insinuet, baptismum aquæ dari: manifestissima res est. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 12. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Augustino, quod baptismus sanguinis præeminet aliis baptismatibus. Ab Aug. quidem, ut ponitur *in arg. cont.* Pro cujus majori claritate: postquam D. Aug. dixerat. "hic templum efficitur Spiritus Sancti: *mox quasi se declarans dicit*, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus Sanctus, qui in illo loquitur. Ille confitetur, se mundi actibus renunciare: hic ipsis renunciat, et vitæ. Illi peccata remittuntur: isti extinguuntur. Hæc Aug. in libro de Eccles. dogmatib. c. 7. Ac si apertius dicat: Uterque accipit quidem Spiritum Sanctum, sed in utroque non monstratur æqualiter effectus Spiritus Sancti, scilicet tanta constantia in loquendo, et defendendo, quæ Dei sunt; tantus contempus omnium mundanorum, etiam vitæ propriæ, tanta elongatio non solum à peccatis, sed etiam á potentia peccandi. Tam mirabilis triplex efectus Spiritus Sancti relucet præcipue in baptismo sanguinis, in eo scilicet qui tali baptismo baptizatur, et propterea jure optimo baptismus sanguinis antefertur baptismatibus cæteris. A scripturis vero idem insinuatur per hoc, quod petentibus præeminentiam in regno super alios respondit Dominus Mat. 10. « Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?» Ecce, quod ad literam planam Christus passionem vocat baptismum, utique sanguinis. Ex eo igitur, quod ad postulantes præeminentiam in regno proponit hoc, scilicet baptismum sanguinis tamquam proportionatissimum medium perveniendi ad talem finem, idest ad præeminentiam inter alios conregnaturos; constat aperte, quod secundum scripturas baptismus sanguinis tenet præeminentiam inter alia baptismata. Alioquin finis, et id, quod est ad finem, non proportionarentur adinvicem, quod est contra totam philosophiam. *Secundo* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA SEPTIMA,

DE MINISTRIS, PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministris, per quos traditur sacramentum baptismi.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo utrum ad diaconum pertineat baptizare.

Secundo, utrum pertineat ad presbyterum vel solum ad Episcopum.

Tertio, utrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.

Quarto, utrum hoc possit facere mulier.

Quinto, utrum non baptizatus possit baptizare.

Sexto, utrum plures possint simul baptizare unum et eumdem.

Septimo, utrum necesse sit aliquem esse qui baptizatum de sacro fonte recipiat.

Octavo, utrum suscipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad ejus instructionem.

ARTICULUS I.

Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare.

Pro affirmativa. Videtur quod ad officium diaconi pertineat baptizare.

1. Ad cujus officium pertinet evangelium prædicare, pertinet etiam baptizare. Sed ad officium diaconi pertinet evangelium prædicare. Ergo ad officium diaconi pertinet etiam baptizare.

Maior prob., quia simul injungitur á domino officium prædicandi evangelium et baptizandi, secundum illud Mat. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.

2. Ad cujus officium pertinet purgare, pertinet baptizare. Sed ad officium diaconi pertinet purgare; ut Dion. dicit in 5. cap. Eccl. Hierarch. Ergo ad officium diaconi pertinet baptizare.

Maior prob., quia purgatio á peccatis maxime fit per baptismum secundum illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ.*

3. De beato Laurentio qui erat diaconus, legitur plurimos baptizasse. Ergo ad diaconos pertinet baptizare.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Gelasius Papa Epist. ad Episc. per Lucaniam cap. 9. dicit, et habetur in decret. 93. dist. cap. 13. diaconos. "Diaconos propriam constituimus servare "mensuram; et infra. Absque episcopo, "vel Presbyt. baptizare non audeant, ni"si prædictis ordinibus fortasse longius "constitutis, necessitas extrema com"pellat."

Determinatio.

Conclusio. Ad diaconos non pertinet baptismi sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio præbere; sed in collatione hujus sacramenti et aliorum assistere et ministrare maioribus.

Prob. diaconi dicuntur quasi ministri ut dicitur dist. 93. cap. 17. Ergo ad diaconos non pertinet sacramentum baptismi principaliter et quasi ex proprio officio præbere, sed ad eos pertinet in collatione hujus sacramenti majoribus assistere et ministrare.

Conseq. probat., quia sicut cœlestium ordinum proprietates et officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut Dion. dicit 7. et 8. cap. cæl. Hier. ita etiam ex nominibus Ecclesiasticorum ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat ordinem. Ex nomine igitur diaconi, quod ministrum significat, apparet quod ad ipsum non pertinet præesse in exhibitione sacramentorum, sed solum assistere et ministrare eis, ad quos pertinet sacramenta exhibere.

Et confirmatur ratio, et conclusio auctoritate Isid. Epist. ad Ludifredum, ut habetur dist. 25. c. Perlectis, dicentis quod "ad diaconum pertinent assis"tere sacerdotibus et ministrare in om"nibus, quæ aguntur in sacramentis "Christi, in baptismo scilicet et chrys"mate in patena et calice."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad diaconum enim pertinet quidem recitare Evangelium in Ecclesia et prædicare ipsum tantum per modum chatechizantis: unde et Dion. dicit c. 3. Eccles. Hierar. Quod diaconi habent officium super immundos inter quos ponit Cathecumenos. Docere autem, idest exponere evangelium pertinet proprie ad Episcopum, cujus actus est perficere. Secundum Dion. 5. cap. Eccles. Hierar. Perficere autem idem est quod docere. Unde ad formam dicitur ad maiorem, quod ad cujus officium pertinet prædicare Evangelium per modum docentis et exponentis, ad ejusdem officium pertinet etiam baptizare. Sed si ad alicujus officium pertineat recitare tantum Evangelium, et ipsum prædicare solum per modum catechizantis, non sequitur quod ad ejusdem officium pertineat baptizare. Ad diaconum pertinet prædicare Evang. tantum secundo modo, ideo non sequitur quod ad ejus officium pertineat baptizare.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod sicut Dion. dicit in 2. cap. Eccles. Hierar. Baptismus habet non solum purgativam virtutem, sed cum hac habet etiam illuminativam ; et ideo excedit officium diaconi, ad quem pertinet solum purgare, scilicet vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad susceptionem sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconibus, necessitate urgente, in absentia maiorum baptizare; sicut patet ex auctoritate Gelasii in arg. pro negativa inducto. Et hoc modo Beatus Laurentius diaconus existens baptizavit.

ARTICULUS II.

Utrum baptizare pertinet ad officium presbyterorum.

Pro negativa. = Videtur, quod baptizare non pertineat ad officium presbyterorum.

1. Ad cujus officium pertinet baptizare pertinent etiam docere. Sed ad officium presbyterorum non pertinet docere. Ergo ad officium presbyterorum non pertinet baptizare.

Maior prob., quia sub eodem præcepto injungitur Matth. ult. officium docendi et baptizandi.

Minor prob., quia docere quod est perficere, pertinet ad officium Episcopi, ut patet Dion. in 5. cap. Eccl. Hierar.

2. Illud per quod aliquis annumeratur populo christiano, non pertinet ad officium presbyterorum sed Episcoporum. Sed per baptismum annumeratur aliquis populo christiano. Ergo baptizare non pertinet ad officium presbyterorum; sed solum Episcoporum.

Maior probat., quia annumerare aliquem populo ad officium solius principis illius populi pertinere videtur, principatum autem in Ecclesia tenent episcopi, qui (ut dicit Glos. ordin. Luc. 10.) tenent locum Apostolorum, de quibus dicitur Psal. 44. *Constitues eos principes super omnem terram.*

3. Ad solum Episcopum pertinet ba- " silicarum consecratio, unctio altaris et " confectio chrismatis, ipse ordines Ec- " clesiasticos distribuit et sacras virgi- " nes benedicit," ut Isid. Epist. ad Ludifredum dicit: et refertur dist. 25. cap. per lectis. Ergo videtur quod multo magis ad officium solius Episcopi pertineat baptizare.

Conseq. prob., quia his omnibus majus est sacramentum baptismi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isid. dicit in lib. 2. de off. cap. 24. Et habetur de consecr. dist. 4. cap. 18. *Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum.*

Determinatio.

Conclusio. Ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare.

Probat. Ad cujus officium pertinet consecrare Eucharistiam, ad ejusdem

officium pertinet baptizare. Sed ad proprium efficium presbyterorum, pertinet consecrare Eucharistiam; ad hoc enim principaliter sacerdotium ordinatur. Ergo ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare.

Maior manifestatur: nam sacramentum Eucharistiæ est sacramentum ecclesiasticæ unitatis secundum illud Apostolo. 1. Cor. 10. "Unus panis et unum "corpus multi sumus, omnes qui de uno "pane et de uno calice participamus;" per baptismum autem fit aliquis particeps Ecclesiasticæ unitatis, unde et baptizatus accipit jus ad mensam Domini accedendi; et ideo ad eum, ad quem pertinet Eucharistiam consecrare, quæ est sacramentum unitatis, ad eundem pertinet conferre baptismum, per quem ad Ecclesiasticam unitatem et ad dominicam mensam homo admittitur. Ad ejusdem enim videtur operari totum quod sacerdos facit consecrando Eucharistiam et partem in toto disponere, quod facit dum homines per baptismum ad unitatem corporis Ecclesiæ et ad mensam dominicam admittit.

In forma sic prob. hæc maior. Illud per quod aliquis fit particeps Ecclesiasticæ unitatis, pertinet ad eum ad quem etiam pertinet Eucharistiam consecrare; quia scilicet Eucharistia est sacramentum unitatis, ut Apostolus dicit. Sed per baptismum fit homo particeps Ecclesiasticæ unitatis; unde baptizatus accipit jus accedendi ad mensam Domini. Ergo ad eum, ad quem pertinet Eucharistiam consecrare, pertinet etiam baptizare.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad probationem dicitur quod utrumque officium; scilicet docendi et baptizandi Dominus injunxit Apostolis, quorum vicem gerunt Episcopi. Aliter tamen injunxit eis officium docendi et aliter officium baptizandi. Officium enim docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent tamquam principalissimum, unde et ipsi Apostoli dixerunt Act. 6. "Non est "æquum nos relinquere Verbum Dei "et ministrare mensis officium vero bap-"tizandi commisit Apostolis, ut per alios "exercendum," unde et Apost. dicit 1. Cor. 1. "Non misit me Christus bapti-"zare, sed evangelizare;" et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex dictis qu. 64. art. 5. 6. et 9. In cujus etiam signum, nec ipse Dominus baptizavit; sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. 4. Non tamen per hoc excluditur quin Episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior potest et superior, unde et Apostolus ibidem dicit se quosdam baptizasse.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod in qualibet republica, ea quæ sunt minora, pertinent ad minora officia maiora vero maioribus reservantur, secundum illud Exod. 18. *Quicquid majus fuerit, referant ad te.* Et ipsi tantummodo minora judicent. Et ideo ad minores civitatis principes pertinent disponere de infimo populo; ad summos autem principes pertinet disponere ea quæ pertinent ad maiores; et quia per baptismum non adipiscitur aliquis, nisi infimum gradum in populo Christiano; ideo baptizare pertinet ad minores principes Ecclesiæ, idest ad præsbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sacramentum baptismi est potissimum ratione necessitatis; sed quantum ad perfectionem sunt quædam alia potiora, quæ Episcopis reservantur.

ARTICULUS III.

Utrum Laicus possit baptizare.

Pro negativa. = Videtur, quod Laicus non possit baptizare.

1. Ea quæ pertinent proprie ad ordinem sacerdotalem, non possunt per Laicum exerceri. Sed baptismus proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem, ut

dictum est. Ergo baptismus non potest á laico conferri.

Maior probat., quia ea quæ sunt ordinis, non possunt committi ei, qui non habent ordinem.

2. Laicus non potest sacramentalia baptismi perficere, sicut cathechizare, exorcizare et aquam baptismalem benedicere; sed solum sacerdotes hæc facere possunt. Ergo multo minus laici possunt baptizare.

Conseq. prob., quia majus est baptizare, quam hæc sacramentalia perficere.

3. Laicus non potest absolvere in foro pœnitentiali. Ergo neque potest baptizare.

Conseq. probat., quia sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et pœnitentia. Igitur eadem ratio est de ministris utriusque sacramenti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Gelasius Papa Epist. ad Episc. per Lucaniam, et Isid. lib. 2. de off. cap. 24. dicunt quod *baptizare, necessitate imminente, laicis christianis plerumque conceditur.*

Determinatio.

Conclusio. Laicus potest baptizare.

Prob. Sacramentum maximæ necessitatis etiam á laico conferri potest. Sed baptismus inter omnia sacramenta est maximæ necessitatis. Ergo baptismus etiam á laico conferri potest.

Maior prob., quia ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat: quod fit dum non solum ab ordinatis, sed etiam á laicis tale remedium potest conferri.

Minor prob. Tum quia baptismus est regeneratio hominis in vitam spiritualem, tum etiam quia pueris aliter omnino subveniri non potest, nisi per baptismum. Adulti autem non possunt aliter, quam per baptismum, plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad pœnam.

Ut igitur homo circa remedium tam necessarium, defectum pati non possit, institutum est ut et materia baptismi sit communissima, scilicet aqua quæ á quolibet de facili haberi potest; et minister baptismi sit quicumque etiam non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo patiatur dispendium suæ salutis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod baptizare pertinet ad ordinem sacerdotalem non quasi hoc sit de necessitate sacramenti; sed secundum quamdam convenientiam, et solemnitatem. Unde etiam si extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem; tamen sacramentum baptismi confert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod quamvis majus sit baptizare, quam sacramentalia illa perficere, tamen quia hujusmodi sacramentalia ad solemnitatem baptismi pertinent, et solemniter baptismum ministrare ad sacerdotem tantum pertinet; et ideo illa sacramentalia solum á sacerdote perfici possunt.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur quod pœnitentia non est tantæ necessitatis, quantæ est baptismus. Potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat á tota pœna, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cujus effectus per nihil aliud suppleri potest, ut in corp. dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum mulier possit baptizare.

Pro negativa.=Videtur, quod mulier non possit baptizare.

1. Nullo modo licet mulieri in conventu docere. Ergo nullo modo licet mulieri baptizare.

Anteced. prob., quia in 4. Conc. Cartag. cap. 99. et 100. et refertur de consecr. distin. 4. capit. 19. *Mulier*, ubi

dicitur: *Mulier, quamvis docta et sancta viros, in conventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat.*

Ex qua auctoritate prob. etiam consequentia. Quia concilium eodem modo prohibet mulieri docere et baptizare.

2. Ei cui licet baptizare, competit officium prælationis. Sed mulieri non competit officium prælationis. Ergo mulieri non competit baptizare.

Maior prob, quia propterea á sacerdotibus curam animarum habentibus debet accipi baptismus.

Minor prob., quia 1. Tim. 2. dicitur: *docere mulieri non permitto, nec dominari in virum; sed subditam esse in silentio.*

3. Ei qui potest baptizare, competit habere officium patris. Sed mulieri non competit habere officium patris. Ergo mulier non potest baptizare.

Maior prob., quia in spirituali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri, ut Augus. dicit tract. 11. in Joan. super illud: *numquid potest homo in ventrem matris suæ iterato introire et renasci?* Ille autem qui baptizat, videtur habere officium patris.

FRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Urbanus Papa Epist. ad Vitalem presbyt. Brixiens. dicit. ut refertur 30. qu. 3. c. super. "Super quibus consuluit "nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac "sententia respondendum, ut baptismus "sit; si instante necessitate fœmina puerum in nomine sanctæ Trinitatis baptizaverit."

Determinatio.

1.ª Conclusio. Fœmina potest baptizare.

Prob. Masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi. Ergo etiam fœmina potest baptizare.

Conseq. probat., quia in Christo (qui principaliter baptizat juxta illud quod dicitur Joan. 1. *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem et manentem, hic est qui baptizat*) non est masculus, neque fœmina, ut dicitur ad Coloss. 3.

2.ª Conclusio. Non debet mulier baptizare, si adsit copia viri.

Prob. Quia *caput mulieris est vir, et caput viri est Christus*, ut dicitur 1. Cor. 11.

Et confirmatur á simili, quia nec laicus præsente clerico, nec clericus præsente sacerdote debet baptizare. Sacerdos tamen potest baptizare, etiam præsente Episcopo, quia baptizare ad officium sacerdotis pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. conseq. Ex hoc enim quod mulieri non permittitur docere in conventu, non sequitur quod nullo modo possit baptizare; sed quod non possit baptizare solemniter. Tamen sicut mulier potest aliquem privata doctrina, vel monitione instruere; ita potest baptizare privatim aliquem in articulo necessitatis.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de eo qui potest solemniter baptizare; non autem oportet quod sit vera de eo qui tantum privatim et in necessitatis articulo baptizat. Quando enim baptismus solemniter et ordinarie celebratur, debet aliquis hoc sacramentum á presbytero curam animarum habente suscipere, vel ab aliquo ejus vices gerente. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quia in generatione carnali masculus et fœmina operantur, secundum virtutem propriæ naturæ, fœmina non potest esse principium activum generationis; sed passivum tantum. In generatione autem spirituali, quia neuter operatur in virtute propria; sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi; ideo eodem modo potest vir et mulier in casu necessitatis baptizare. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset sic baptizatus rebaptizandus, sicut et de

laico artic. præced. dictum est. Peccaret tamen ipsa baptizans, et alii, qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem oferendo.

ARTICULUS V.

Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre.

Pro negativa. = Videtur, quod ille qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre.

1. Non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non baptizatus non potest baptismum conferre.

Conseq. prob., quia nullus dat quod non habet.

2. Ille qui confert baptismum, debet esse minister Ecclesiæ. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, nec re, nec sacramento. Ergo ille qui non est baptizatus, non potest sacramentum baptismi conferre.

Maior prob., quia sacramentum Ecclesiæ confert aliquis, in quantum est minister Ecclesiæ.

3. Qui non est baptizatus, non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

Conseq. prob., quia majus est sacramentum conferre, quam suscipere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Paganus potest baptizare. Ergo ille qui non est baptizatus, potest baptismum conferre.

Anteced. probatur, quia Isid. dicit et refertur 1. quæst. 1. cap. 60. Si quis; et de consec. dist. 4. cap. 22. Romanus. «Romanus pontifex non hominem judicat, « qui baptizat; sed spiritum Dei submi« nistrare gratiam baptismi: licet paga« nus sit qui baptizat.»

Conseq. prob., quia qui est baptizatus, paganus non dicitur.

Determinatio.

Quid senserit Augustinus.

August. hanc quæstionem indeterminatam reliquit: dicitur enim in 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. «Hæc « quidem alia quæstio est, utrum et ab « his qui numquam fuerunt christiani, « possit baptismus dari, nec aliquid te« mere inde affirmandum est, sine auc« toritate tanti consilii, quantum tantæ « rei sufficit. «

Quid Ecclesia circa hoc determinaverit.

Conclusio. Postmodum per Ecclesiam determinatum est quod non baptizati sive sint judæi sive pagani possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent.

Prob. auctoritate et ratione. Auctoritas est Nicolai Papæ, qui respondens ad consulta bulgarorum, ut habetur, de consec. d. 4. cap. 23. dicit « á quodam « Judæo, nescitis utrum christiano an « pagano, multos in patria vestra asse« ritis baptizatos; et quid inde sit agen« dum consulitis; hi profecto si in no« mine Trinitatis baptizati sunt, re« baptizari non debent; si autem forma « Ecclesiæ non fuerit observata, sacra« mentum baptismi non confertur. « Et sic intelligendum est quod Greg. II. scribit Bonifacio Episcopo: ut habetur de consecr. dist. 4. cap. 51. Quos. *Quos á paganis baptizatos esse asseruisti*, scilicet Ecclesiæ forma non servata, *ut de novo baptizes in nomine Trinitatis mandamus.*

Ratio autem hujus determinationis est, quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quæcumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo; et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis, baptizare potest. Ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, et postea baptizaretur ab eodem; consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans et baptizatus; et per hoc impediretur baptis-

mi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probat. dicitur quod assumptum est verum de his quæ dantur virtute propria ejus qui illud dat; non autem est necesse quod sit verum de eo quod dat ut instrumentum alterius. Et quia homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius, Christus autem est qui interius baptizat qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit, ideo non baptizati possunt baptizare, quia ut Nicolaus Papa dicit loco cit. *Baptismus non est illorum*, scilicet baptizantium; *sed ejus* scilicet Christi.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ille qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re, vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione et similitudine actus, in quantum scilicet intendit facere, quod facit Ecclesia et formam Ecclesiæ servat in baptizando, et sic operatur minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de collatione baptismi et de receptione aliorum sacramentorum. Alia enim sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus, et ideo magis conceditur quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere vel dare.

Ad prob. igitur dicitur quod est verum de sacramentis, quæ non sunt absolutæ necessitatis, non autem de baptismo, qui est absolutæ necessitatis. Majus enim est absolvere á peccatis quam absolvi, quia pœnitentiæ sacramentum potest per contritionem suppleri et sic de aliis; quod non est de baptismo.

ARTICULUS VI.

Utrum plures simul possint unum baptizare.

Pro affirmativa.=Videtur, quod plures simul possunt unum baptizare.

1. Unus homo potest etiam plures baptizare. Ergo et plures possunt simul unum baptizare.

Conseq. prob, quia cum in multitudine contineatur unum et non é converso, videtur quod quicquid potest facere unus possint facere multi et non é converso. Multi enim trahunt navem quam unus trahere non posset.

2. Unus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis possunt plures simul unum baptizare.

Conseq. probat., quia difficilius est quod unum agens agat in plura, quam quod plures agentes agant simul in unum.

3. In aliquo casu videtur esse necessarium quod plures simul unum baptizent, puta si aliquis parvulus esset in art. mortis et adessent duo, quorum alter esset mutus et alter manibus et brachiis careret: tunc enim oporteret quod mutilatus verba proferret et mutus actum baptismi exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul unum baptizare.

Anteced. prob., quia baptismus est sacramentum maximæ necessitatis; unde in tali casu, ne infans moreretur sine baptismo, deberet ab his duobus baptizari.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si plures unum baptizarent, videtur sequi quod essent plures baptismi, quod est contra id quod dicitur ad Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.*

Conseq. prob., quia sicut unius agentis est una actio, ita plurium agentium sunt plures actiones.

Determinatio.

Via investigandæ veritatis.

Ad investigandam veram hujus quæsiti responsionem est præmittendum quod sacramentum baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam Apost. ad Ephes. 5. nominat *Verbum vitæ*: dicens: mundans eam lavacro aquæ in ver-

bo vitæ. Et ideo considerare oportet, si simul plures unum baptizarent, qua forma uterentur. Secundum enim diversum usum formæ diversimode dicendum est ad quæsitum: plures enim baptizantes unum possunt duplici modo proferre formam baptismi. Primo modo dicendo: *nos te baptizamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Secundo uterque dicendo. Ego te baptizo, in nomine Patris, etc. Et hoc potest dupliciter accidere: primo quod unus præveniat alium in proferendo formam et in adhibendo materiam: alio modo, ut uterque baptizans simul utrumque faciat et intendat per se baptizare.

1.ª Conclusio. Plures simul baptizantes unum sub hac forma, nos te baptizamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, non conferunt sacramentum baptismi.

Aliorum probatio.

Quidam assignant rationem hujus conclusionis dicentes quod in hoc casu non conferretur sacramentum baptismi, quia non servaretur forma Ecclesiæ, quæ sic habet. *Ego te baptizo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Reprobatio.

Sed hæc ratio ostenditur inefficax, per formam baptizandi, qua utitur Ecclesia græcorum, quæ est *baptizetur servus, Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Possent enim duo simul, baptizantes unum dicere. Baptizetur servus Christi N. In nomine Patris, etc. Sub hac enim forma græci suscipiunt baptismum. Quæ forma multo dissimilior est formæ, qua nos utimur, quam si dicatur, mos te baptizamus. In illa enim mutantur verba, in hac vero solum mutatur numerus.

Vera ratio.

Aliter igitur probatur conclusio hac ratione. Per formam qua exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum, non confertur verum sacramentum baptismi. Sed ex hac forma: *nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures conveniant ad unum baptisma conferendum. Ergo per dictam formam non confertur verum baptisma.

Maior probat., quia hoc videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet, propter quod signanter Apostol. dicit ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum.

2.ª Conclusio. Si uterque baptizantium diceret, ego te baptizo, etc. Et unus alium præveniret; ille, qui prius verba proferret, daret sacramentum baptismi; alius vero quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret. Et si verba prænuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator.

Hæc ut manifesta relinquitur. Et posset hoc contingere in casu, in quo contentiose duo conarentur aliquem baptizare; tunc enim manifestum est quod qui primo cum ablutione proferret verba, baptizaret, quia utitur vera forma, et exprimit suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. Alius autem eadem ratione vere baptizat, quantum in se est, sed quia jam subjectum non est capax baptismi, cum sit baptizatum, puniendus est sic baptizans, ut rebaptizator.

3.ª Conclusio. Si duo sic baptizantes omnino simul verba proferrent et hominem immergerent, aut aspergerent, uterque quantum in se est, baptizaret.

Hæc etiam est manifesta, quia in tali baptismo adesset vera forma et vera materia et omnia ad baptismum requisita. Nec traderent aliud et aliud baptismi sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret ministrum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod ratio illa locum habet in his qui agunt propria virtute; in his enim verum est quod illud, quod potest facere unus, multo facilius possunt facere plures; non autem habet locum in his qui agunt virtute alterius principalis agentis. Et quia homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi qui cum sit unus, per unum ministrum perficit suum opus, ideo unus baptizare plures potest, non autem plures simul eumdem.

Ad 2. Negatur conseq. In casu enim necessitatis, unus posset plures simul baptizare, sub hac forma. *Ego vos baptizo*, etc. Puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquod hujusmodi quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. *baptizantes eos*, etc. Nec est simile de baptizante et de baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus. Sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo. Unde assumptum in probatione consequentiæ, non habet locum in proposito, ubi debet esse tantum unus minister repræsentans Christum unum.

Ad 3. Negatur anteced. Sicut enim dictum est supra quæst. 66. art. 3. et 5. integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiæ, et ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat, neque ille qui solum immergit, sine prolatione verborum. Unde si unus verba proferat et alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens: Neque enim poterit dici: *ego te baptizo*, cum ipse non immergat et per consequens non baptizet; neque etiam poterit dici: nos te baptizamus, cum neuter baptizet; si enim duo sint, quorum unus unam partem libri scribat et alius aliam, non erit propria locutio: nos scripsimus librum istum, sed erit locutio synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

ARTICULUS VII.

Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte.

Pro negativa. = Videtur, quod in baptismo non requiratur aliquis, qui baptizatum levet de sacro fonte.

1. Christus baptizatus non est ab aliquo de fonte susceptus. Ergo nec in aliorum baptismo requiritur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.

Antec. prob., quia Matth. 3. dicitur: *baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua.*

Conseq. prob., quia baptismus noster per baptismum Christi consecratur et ei conformatur.

2. In carnali generatione non requiritur nisi principium activum quod est pater; et principium passivum quod est mater. Ergo in baptismo, qui est spiritualis regeneratio, non requiritur nisi ille qui baptizat, qui tenet locum patris, et aqua quæ tenet locum matris, ut Augustinus dicit in Serm. 1. Dominicæ infra Oct. Ephiph. et per hoc non requiritur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet.

3. Derisorium videtur quod adulti baptizati, qui seipsos sustentare possunt et de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur. Ergo videtur quod non requiratur aliquis, præcipue in baptismo adultorum, qui baptizatum de sacro fonte levet.

Conseq. probat. quia in sacramentis Ecclesiæ nihil derisorium debet fieri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dion. dicit in 2. cap. Eccles. Hierarch. quod *sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptori et duci.*

Determinatio.

Conclusio. In baptismo requiritur

aliquis, qui baptizatum levet de sacro fonte.

Prob. In generatione carnali, parvulus qui nuper est natus, indiget nutrice et pædagogo. Ergo etiam qui nuper nascitur in generatione spirituali, quæ fit per baptismum, requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et pædagogi, informando et instruendo eum, quasi novitium in fide de his quæ pertinent ad fidem et ad vitam Christianam. Ad quod Prælati Ecclesiæ vacare non possunt circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novitii indigent speciali cura, præter communem.

Conseq. probat., quia spiritualis generatio, quæ fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur 1. Pet. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles et sine dolo lac concupiscite.*

Et confirmatur conclusio auctoritate Dion. qui in cap. 7. Eccles. Hierarch. dicit «divinis nostris ducibus (idest Apostolis) «ad mentem venit et visum est «suscipere infantes, secundum istum «sanctum modum quod naturales pueri «parentes traderent puerum cuidam doc«to, in divinis pædagogo et reliquum sub «ipso puer ageret, sicut sub divino pa«tre et salvationis sanctæ susceptore.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Christus enim non est baptizatus, ut ipse regeneraretur, sed ut alios regeneraret; et ideo post baptismum non indiguit pædagogo tamquam parvulus. Ad probat. dicitur quod ex hoc quod baptismus noster per baptismum Christi consecratur, non sequitur quod Christus indiguerit levante, ratione dicta; nec est necesse quod baptismus noster baptismo Christi in omnibus conformetur.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod in generatione carnali, non requiritur ex necessitate, nisi pater et mater; sed ad facilem partum et ad educationem pueri convenientem, requiritur obstetrix, nutrix et pædagogus. Quorum vicem implet in baptismo ille, qui puerum de sacro fonte levat. Unde non est de necessitate sacramenti, sed unus solus potest aliquem baptizare, necessitate imminente.

Ad 3. Negatur anteced. Non enim derisorium est levare adultum de sacro fonte, quia non levatur de fonte per patrinum, quasi careat corporali virtute; sed levatur propter imbecillitatem spiritualem, ut in corp. dictum est.

ARTICULUS VIII.

Utrum ille qui aliquem levat de sacro fonte, teneatur ad ejus instructionem.

Pro negativa. = Videtur, quod ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad ejus instructionem.

1. Admittuntur ad levandum aliquem de sacro fonte aliqui simplices et non instructi. Ergo ille qui suscipit baptizatum de sacro fonte non tenetur ad baptizati instructionem.

Conseq. probat., quia nullus potest instruere, nisi sit instructus. Unde si ille qui admittitur ad levandum, non sit instructus non poterit baptizatum instruere.

2. Si ille qui suscipit baptizatum, teneretur eum instruere, magis esset conveniens quod pater carnalis filium suum de fonte susciperet, quam aliquis alius; quod tamen videtur esse prohibitum, ut habetur 30. quæst. 1. cap. *Pervenit* etc. *dictum est.*

Conseq. prob., quia filius magis potest á patre instrui, quam ab alio extraneo: nam filius habet á patre esse et nutrimentum et disciplinam, ut dicitur 8. Ethic. cap. 12.

3. Si ille qui suscipit aliquem baptizatum, tenetur eum instruere, magis conveniens esset quod plures susciperent quam unus solus; cujus contrarium habetur in decreto Leonis Papæ loc. cit. dicentis: *Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem, quam unus accedant, sive vir sive mulier.*

Conseq. prob., quia plures magis possunt instruere, quam unus solus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Augustinus dicit in quodam sermone Pasch. et refertur de consecr. diist. 4. cap. 204. Vos ante omnia: *vos ante omnia, tam viros quam mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, moneo ut vos cognoscatis fidejusores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.*

Determinatio.

Conclusio. Ille qui aliquem levat de sacro fonte, tenetur ad ejus instructionem, si necessitas immineat.

Probatur primo, deinde declaratur. Probatur hac ratione. Ille qui assumit officium pædagogi, obligatur exequi hoc officium, instruendo eum, respectu cujus assumit hoc officium. Sed ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi, ut artic. præcedenti dictum est. Ergo obligatur ad habendam curam de ipso.

Maior prob., quia unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit.

Declaratur autem conclusio quantum ad illa verba, si necessitas immineat: imminet enim necessitas eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quod á suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur eo modo quo possent, saluti spiritualium filiorum curam impendere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ubi immineret periculum, oporteret esse aliquem doctum in divinis, qui baptizatum de sacro fonte susciperet, ut Dionysius dicit capit. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Sed ubi hoc periculum non imminet, propter hoc quod pueri nutriuntur inter catholicos, admittuntur quicumque ad hoc officium, quia ea quæ pertinent ad christianam vitam et fidem, publice omnibus nota sunt. Non tamen admittitur ad suscipiendum baptizatum de fonte non baptizatus, quia non baptizatus baptizatum levare non potest, ut declaratum est in Concilio Moguntino, et refertur de consecr. dist. 4. c. 101. In baptismate. Et licet possit non baptizatus baptizare, non tamen potest levare, quia persona baptizantis est de necesitate sacramenti, non autem persona levantis, ut dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sicut est alia generatio spiritualis á carnali, ita etiam debet esse alia disciplina, secundum illud ad Hebr. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* Et ideo pater spiritualis debet esse alius á patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.

Ad 3. Neg. conseq. Ad probat. dicitur quod confusio esset disciplinæ, nisi esset aliquis principalis instructor: et ideo in baptismo debet esse unus principalis susceptor: alii tamen possunt admitti, quasi quoadjutores.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 67.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Isidoro; quod non licet ex proprio officio diaconis baptizare. A Papa quidem *Gelasio*, ut *in arg. cont.* ab Isid. autem, de officiis lib. 12. c. 24.

« Constat baptisma á solis sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsis diaconibus explere est licitum, absque episcopo, vel presbytero; nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. » Quæ et recitantur, de consecrat. distin. 4. Ab scripturis vero per illud Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* » etc. Hoc enim dixit solum Apostolis, et discipulis. Cum ergo episcopi in locum Apostolorum, et presbyteri in locum septuaginta discipulorum succedant (ut testatur *Anacletus* Papa in sua epist. 3. de qua in lib. Conciliorum) restat, ut Dominus ibi solis Episcopis, et presbyteris, non autem diaconibus, mandaverit baptizare; id, quod est, diaconibus non convenire ex proprio officio baptismum conferre. Ex prædictis omnibus sequitur intellectus verus dicti Act. 8. quod Philippus diaconus electus ibidem, cap. 6. baptizavit Eunuchum, et cætera, non tamquam ex officio suo, sed absentibus Apostolis, aliisque discipulis baptizabat, et in casu illo necessitatis, et (quod probabile multum est) de licentia sibi, collegisque suis ab Apostolis universaliter data ante, quam contingeret illa dispersio, de qua ibid. cap. 8. dixit, quod ille Philippus ab Hierosolymis dispersus in Samariam erat diaconus: ne putares fuisse Apostolum, quod esset et contra principium ipsius cap. 8. in ly *præter Apostolos*, et contra Divum Thomam, expressissime in 4. distin. 2. quæst. 2. artic. 4. ad 2. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Isidoro, quod baptizare est officium sacerdotum. A scripturis per hoc. quod dicitur Matth. 28. etc. A Papa Gelasio etc. Ab Isidoro etc. De tribus his vide art. 1. append. et bene præsentis proposito applica illa. Item á Papa *Vigilio* per hoc, quod in epistola ad Eutherum dicit. " Si quis episcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; sed in una persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paraclitis, projiciatur de Ecclesia Dei. » In his enim, dum speciatim nominat presbyterum, monstrat, quod non solum episcopis, sed et sacerdotibus simplicibus, convenit ex officio baptizare. Adde etiam concilium *Hilerdense*, dicens, " Omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens solummodo ad baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur.» Hæc illud; quæ et recitantur de consecr. dist. 4. Item illud Divi Ambrosii in lib. de sacramentis: " Venit sacerdos ad fontem, dicit precem, invocat nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; utitur verbis cœlestibus: cœlestia sunt verba, quæ Christi sunt. » Hæc ille, quæ et recitantur de consecra. dist. 4. Ex eo enim, quod præcipitur sacerdoti de vase conveniente ad baptizandum, et ex hoc, quod ad istum fontem ipse baptizandi officium executurus, tamquam auctoritatem habens, venit, patet intentum consideranti. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo* : quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem *Calvinistarum*, qua Papistis (ut ajunt) tamquam erroneum imponunt hoc, scilicet quod viri non designati ad prædicandum verbum Dei, possunt ministrare baptismum (ut patet ex *Calvini* libello contra acta Concilii *Tridentini*.) Nam sanctus Doctor in præsenti articulo tam perspicuis verbis posse fieri illud á laico pro necessitate, non pro solemnitate, nec tamquam ex officio suo, et tantam inde salutem, contraque tantum salutis dispendium, si tunc non baptizaret, provenire docet, ut nulla amplius declaratione opus sit ad demonstrandum, et quod tale dictum de laico nullum penitus errorem continet, et quod prædicta irrisio á *Calvinistis* profecta est plena erroris. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum *Calvinistarum* errorem merito damnari à Christo per locum á simili, Matth. 2. " Non legistis: quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant? Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit; quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Si autem sciretis, quid est: misericordiam volo, et non sacrificium; neque condemnassetis innocentes. » Christus enim in his verbis demonstrat; quod quædam sunt solum sacerdotibus universaliter licita, quæ nihilomi-

nus laicis, alias eis illicita, in casu necessitatis etiam corporalis licita sunt. Itemque declarat, quod ii, qui misericordiam erga proximos nesciunt, ex tali immisericordia moti condemnant innocentes, idest, eos, qui urgente necessitate ad quædam licita sibi, alias illicita, manus extendunt. Ad propositum igitur præsens applicando prædicta, quid clarius, et ad errorem *Calvini* detegendum, atque damnandum, et ad articuli hujus veritatem manifestandam, atque commendandam afferri potest? Certe, si pro salute corporali casus necessitatis facit licitum laicis id, quod solis sacerdotibus, dempto illo casu, est licitum: multo magis utique pro salute spirituali, et tanta, qualem, quantamque concernit baptismus, casus necessitatis de universaliter illicito laicis faciet licitum eisdem, et quod solis sacerdotibus ex officio conveniebat, communicabit pro necessitate laicis. Rursus. Si misericordia placens Deo est, concedere in casu necessitatis corporalis quædam laicis alias non concedenda; et immisericordia displicens Deo est, condemnare in tali casu tum concessionem ipsam tum eamdem concedentes: multo utique magis misericordia placens Deo erit, concedere in casu necessitatis spiritualis baptismum laicis, idest, ut ipsi baptizent alios, et immisericordia displicens Deo erit, condemnare in tanto casu tum concessionem ipsam, tum concedentes eamdem. Catholici ergo (quos pro irrisione vocant Papistas) pro misericordia in tanto casu necessitatis, extensa Deo placent: et *Calvinistæ* prædicti pro immisericordia in eodem casu necessitatis (alioquin irrisione sua, sensum catholicorum non attingerent) ostensa, Deo displicent. Item merito damnari illum errorem per eamdem articuli rationem ostendes, á Papa *Gelasio* et Isidoro, ut *in arg. cont.* Vide art. 1. et 2. ap. Item à D. Aug. ad Fortunatum ut recitatur in de consecr. dist. 4. cap. sanctum est baptisma. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem *Calvinistarum*, qua Papistis (ut ajunt) tamquam erroneum imponunt hoc, scilicet quod mulier potest ministrare baptismum, ut patet ex Calv. libel. cont. act. Concil. Trident. Nam sanctus Doctor in præsenti, etc. Vide a. 3. append. et dic per omnia, ut ibi: excepto, quod et loco laici dicas fœminam, et adde Papam *Urbanum*, secundum quod ponitur *in arg. cont.* Ultimo sequatur. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Armenorum* dicentium: baptizatos ab hæreticis, judæis, vel paganis in forma Ecclesiæ catholicæ, fore rebaptizandos. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concil. Trident. sessio. 7. de bapt. canon. 4. "Si quis dixerit; baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit." Item á Concilio Florent. in Decret. seu constitution. super union. Armenor. "Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, et mulier, immo etiam paganus, et hæreticus babtizare potest: dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia. Quæ et valent ad singulos præmisos articulos hujus quæstionis. Item à D. Aug. ad Fortunatum, et in lib. de unico baptismo, ut recitatur de consecr. distinct. 4. cap. in necessitate, et cap. solet etiam quæri. Quamvis non omnino absolute de mente propia loqui videatur (ut etiam de eo in secundo contra Parmen. dicitur in text. isto) quamvis absolutissime sacro concilio, quandocumque daretur, se remittat semper, magis tamen ex se declinans ad affirmativam, scilicet quod baptismus valeat etiam á non baptizato datus, Item ab Isidoro ut recitatur ibid. distinc. ead. capit. Romanus Pontifex. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concilio, quod plures non possunt simul baptizare unum. Nam Concilium *Lateranense* sub Innoc. III. celebratum dicit in de sum. Trin. et fid. cath. cap. firmiter: "Sacramentum baptismi, quod ad Dei invocationem, et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti consecratur in aqua tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ á quocumque rite collatum, proficit ad salutem." Per hoc enim quod

dicit ly *in forma Ecclesiæ*, et ly *á quocumque* insinuat propositum. Formam siquidem Ecclesiæ plures simul baptizantes servare non possunt (ut ostensum fuit per dicta circa primam conclusionem) et ideo, secundum concilium baptizare simul non possunt. Rursus. Cum intentum ipsius Concilii (ut patet per ly á quocumque) sit, extensissime loqui de ministris, idest assignare omnes, qui possunt sacramentum baptismi conferre, sicut propter hanc suam intentionem assequendam dixit ly á quocumque, idest sive clerico, sive non clerico, sive masculo, sive fœmina, sive baptizato, sive non baptizato, sive hæretico, sive schismatico, sive catholico, sive bono, sive malo, etc. ita propter eamdem rationem adjunxisset ly à quibuscumque, si baptismum per plures simul conferri posse vidisset. Ex ista ergo taciturnitate sua intentioni illi suæ universalissimæ conjuncta denotavit intentum. Ac si apertius dixerit. Ideo baptizaturos non appono in numero plurali: quia plures simul unum baptizare non possunt. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7 habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et conciliis, quod requiritur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte levet. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 28. " Docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. » Ecce: quod, postquam aliquos baptizaverint, tenentur docere eosdem mandata Dei, quæ servent, contra hæreticos, aliquosque alios solum baptismum, absque observatione omnium mandatorum Christi, ad salutem sufficere contendentes. Ex eo enim, quod baptizantes non facile possunt per seipsos exequi hoc, intelligimus, quod Christus in illo præcepto ad Apostolos intendebat, quod ipsi per alios etiam possent exequi illud de doctrina erga jam baptizatos. Hi vero, per quos illud executioni mandare intendunt sacerdotes erga á se baptizatos, vocantur patrini: et hi sunt, qui baptizatum de sacro fonte levant. Ac si ergo ibi ad sacerdotes aperte dixisset Christus. Docete gentes (hic est prævius catechismus) antequam baptizetis eas, et postea easdem baptizatas instruite adhuc eas, sive per vos, sive per patrinos, de doctrina christiana, cui servandæ per baptismum se obligaverunt. A Papa item *Leone* idipsum in principio dictum insinuatur in quodam suo decreto sic. " Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In confirmatione quoque idipsum faciant.» Hæc ibi. Et recitantur de consecr. dist. 4. Item ab Higinio Papa. " In catechismo, et in baptismo, et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana, sed ut semper singulos singuli suscipiant. » Hæc ille: et recitantur de consecr. dist. ead. A Conc. Trident. etiam sess. 24. de reform. matrim. c. 2. " Sancta synodus statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier (juxta sacrorum canonum instituta) vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant. » Et infra. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat; diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, etc. Quod, si alii ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. » Item á Concilio Moguntiensi. In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiorum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. » Hæc illud: et recitantur in de consec. distinc. 4. Item á Concil. Antisiodorensi. Non licet Abbati, vel monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere. » Hæc illud: quæ recitantur in de consecr. distin. ead. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8 habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et August. quod susceptor baptizati de sacro fonte obligatur ad ejus instructionem. A D. Aug. quidem, ut est *in arg. cont.* Ut vero melius á te intelligatur sensus inclusus in ly *fidejussores pro illis*, audi sequentia ex eodem. Subinfert enim Beatus August. mox dicens. " Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, ante omnia symbolum, et orationem dominicam et vos ipsi tenete, et illis, quos accepistis de sacro fonte, ostendite. » Hæc ille, ut recitantur in de consecr. distinct. 4. c. *vos ante omnia*. Hinc, quia suscipiens, scilicet patrinus est fidejussor pro filio spirituali talis, qualem depinxit B. August. et

etiam scriptura sacra (ut nunc dicetur) factum est, ut Ecclesia statuerit, quod non baptizatus, idest qui non est vere fidelis, non suscipiat in filium aliquem in baptismo, seu non sit patrinus. Vide a. 7. app. Concilium *Moguntiense*. Cum enim infidelis, sive sit hæreticus, sive judæus, sive paganus, non teneat symbolum fidei, 2. 2. q. 5. a. 3. quod tamen ante omnia tenentur patrini tempore opportuno docere filios suos spirituales: quomodo poterit infidelis ipse esse talis fidejussor? A scripturis autem insinuatur per hoc, quod tamquam ad patrinos dicitur Matth. 28. *docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis*. Hoc est. A sacerdotibus baptizatos, quos in filios tunc eos de baptismo levantes suscepistis, docet doctrinam christianam. De quo plenius vide eumdem locum Matth. expositum a. 7. app. Ex his omnibus patet esse verissimum illud Concilii Trid. sess. 7. de baptismo, can. 7. "Si quis dixerit; baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri; non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit." Ideo enim patrini ad filios instruendos de prædictis adstricti sunt, quia filii sic per baptismum ad prædicta servanda obligati fuerunt: ita, ut ista sit demonstratio ab effectu ad causam. *Secunda* vides: etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA OCTAVA,

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de suscipientibus baptismum:

Et circa primum quæruntur duodecim.

Primo, utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.

Secundo, utrum aliquis possit salvari sine baptismo.

Tertio, utrum baptismus sit differendus.

Quarto, utrum peccatores sint baptizandi.

Quinto, utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sexto, utrum requiratur confessio peccatorum.

Septimo, utrum requiratur intentio ex parte baptizati.

Octavo, utrum requiratur fides.

Nono, utrum pueri sint baptizandi.

Decimo, utrum pueri Judæorum sint baptizandi invitis parentibus.

Undecimo, utrum aliqui sint baptizandi in maternis uteris existentes.

Duodecimo, utrum furiosi, et amentes sint baptizandi.

ARTICULUS I.

Utrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi.

Pro negativa.=Videtur, quod non teneatur omnes ad susceptionem baptismi.

1. Ante adventum Christi poterant homines salvari sine baptismo. Ergo et post Christi adventum homines sine baptismo possunt consequi salutem.

Conseq. probat., quia per Christum non est hominibus arctata via salutis.

2. Filii baptizatorum non habent peccatum originale. Ergo filii baptizatorum non tenentur ad susceptionem baptismi.

Antec. prob., quia ille qui est baptizatus, cum non habeat peccatum originale, non videtur quod possit illud transfundere in prolem.

Conseq. prob., quia baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis.

3. Illi qui sunt sanctificati in utero per gratiam mundantur á peccato sine baptismo. Ergo sanctificati in utero non tenentur ad suscipiendum baptismum.

Conseq. prob., quia baptismus datur ad hoc quod aliquis per gratiam á peccato mundetur. Ille igitur qui hoc sine

baptismo consequitur, non tenetur baptizari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Joan. 3. dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in libro de Eccles. Dogm. cap. 24. et 74. inter opera D. August. dicitur: *baptizatis tantum iter salutis esse credimus.*

Determinatio.

CONCLUSIO. Omnes ad baptismum tenentur.

Prob. Ad illud sine quo nullus potest salutem consequi, omnes tenentur. Sed sine baptismo nullus consequitur salutem. Ergo ad baptismum omnes tenentur.

Minor prob. Sine eo per quod homines Christo incorporantur, nullus potest consequi salutem. Sed per baptismum homines Christo incorporantur. Ergo sine baptismo nullus consequitur salutem.

Major huius prob., quia nullus potest consequi salutem, nisi per Christum, secundum illud ad Romanos 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*: unde ad consequendam salutem oportet Christo incorparari.

Minor prob., quia ad hoc datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius; unde dicitur ad Gal. 3. *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod numquam homines potuerunt salvari, etiam ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi; quia, ut dicitur Act. 4. «non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;» sed ante adventum Christi homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus, cujus fidei signaculum erat circumcisio, ut dicitur ad Rom. 4. Antequam vero circumcisio instituneretur sola fide, ut Greg. dicit libro 4. Moral. cap. 2. cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post adventum autem Christi homines etiam per fidem Christo incorporantur, secundum illud ad Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* Sed quia alio signo manifestatur præsens et preteritum, et alio futurum; sicut etiam aliis verbis hæc significantur; ideo alio signo fuit significata hæc fides ante Christi adventum, et alio post Christi adventum: nam ante legem significabatur per oblationem sacrificiorum: in lege, per circumcisionem quæ vocatur, signaculum fidei, ab Apostolo: in lege vero gratiæ, per baptismum: et ideo, licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem; fides tamen, cujus sacramentum est baptismus, semper necessaria fuit. Ad antecedens igitur breviter dicitur quod ante adventum Christi poterant homines salvari sine baptismo, non tamen poterant salvari sine fide, cujus baptismus est signum. Tunc negatur consequentia: nam post Christi adventum necesse est suscipere fidei sacramentum, sicut antiquitus oportebat subjici circumcisioni. Ad probationem dicitur quod nullo modo est arctata via, sed potius amplior per Christum fuit parata, quanto facilius est baptizari quam circumcidi.

Ad 2. Negatur anteced. Ad probationem dicitur, quod sicut dictum est 2. q. 81. art. 3. ad 2. illi, qui baptizantur, renovantur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subjectum vetustati peccati, secundum illud Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivit propter justificationem.* Unde et Aug. probat in lib. 6. contra Jul. c. 6. quod *non baptizatur in homine, quicquid in eo est*: manifestum est enim quod homo non

genera generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem; et ideo filii baptizatorum cum peccato originali nascuntur, et inde indigent baptizari.

Ad 3. Negat. conseq. Illi enim, qui sanctificantur in utero, consequuntur quidem gratiam mundantem á peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur; et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur. Ad prob. ergo dicitur, quod baptismus datur etiam ad hoc quod baptizati Christo configurentur per characterem baptismalem.

ARTICULUS II.

Utrum sine baptismo possit aliquis salvari.

Pro negativa.— Videtur, quod sine baptismo nullus possit salvari.

1. Jo. 3. dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo sine baptismo, quo aliquis regeneratur ex aqua et Spiritu Sancto, nullus potest salvari.

Conseq. prob., quia illi soli salvantur qui intrant in regnum Dei.

2. Nullus cathecumenus salvatur. Ergo nullus sine baptismo salvatur.

Maior prob., quia in lib. de Eccles. Dogm. c. 74. quod refertur de Consec. dis. 4. cap. 36. dicitur. «Nullum Cathe- «cumenum, quamvis in bonis operibus «defunctum, vitam æternam habere cre- «dimus, excepto martyrio, ubi tota vir- «tus sacramenti baptismi completur.»

Conseq. prob., quia si aliquis sine baptismo posset salvari, maximè hoc haberet locum in Cathecuminis bona opera habentibus, qui videntur habere fidem per dilectionem operantem.

3. Sine eo, quod est de necessitate salutis, nullus potest salvari. Sed baptismus est de necessitate salutis, ut art. præced. dictum est. Ergo sine baptismo nullus potest consequi salutem.

Maior prob., quia necessarium est, sine quo non potest aliquid esse, ut dicitur 5. Met. t. 6.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit super Levit. q. 84. «In- «visibilem sanctificationem quibusdam «affuisse et profuisse, sine visibilibus «sacramentis: visibilem vero sanctifica- «tionem, quæ fit sacramento visibili, «sine invisibili posse adesse, sed non «posse prodesse.» Ergo sine sacramento baptismi, quod ad visibilem sanctificationem pertinet, aliquis potest salutem consequi per invisibilem sanctificationem.

Determinatio.

Distinctio. Sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno modo et re et voto quod contingit in illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii: alio modo potest sacramentum alicui deesse re, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam baptismum suscipiat.

1.ª Conclusio. Illi, quibus deest baptismus re et voto, salutem consequi non possunt.

Prob. Quia tales nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo per quem solum est salus, incorporantur.

2.ª Conclusio. Ille, cui deest baptismus re, sed non voto, salutem consequi potest, propter desiderium baptismi.

Prob. Quia hujusmodi desiderium procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia sacramentis visibilibus non alligatur.

Et confirmatur, quia Ambr. l. 5. epis. post. epist. 33. de obitu Valentiniani, dicit de Valentiniano qui catechumenus mortuus fuit: *quem regeneraturus eram,*

amisi; veruntamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod aliquis potest regenerari ex aqua et Spiritu Sancto dupliciter: vel corporaliter et spiritualiter, vel saltem spiritualiter. Ille, qui nullo modo est regenaratus, non potest videre regnum Dei. Ille vero qui est regeneratus, saltem corde, potest salvari. Et sic regenerantur, qui baptismum desiderant et morte præventi ipsum re non consequuntur. Sicut enim dicitur 1. Reg. 16. *Homo videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* Unde qui corde desiderat baptismum, corde regeneratur apud Deum: licet non corpore. Sicut Apostol. dicit Rom. 2. quod *circumcisio cordis est in spiritu, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Ad 2. Negatur anteced. Ad prob. dicitur quod nullus pervenit ad vitam æternam nisi absolutus ad omni culpa et reatu pœnæ, quæ quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi et in martyrio, propter quod dicitur quod in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationem á culpa et á pœna. Si quis ergo catechumenus sit habens desiderium baptismi (aliter enim in bonis operibus non moreretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen salvus erit, sic quasi per ignem, ut dicitur 1. Cor. 15.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod pro tanto dicitur sacramentum Baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, quæ apud Deum reputatur pro facto.

ARTICULUS III.

Utrum baptismus sit differendus.

Pro affirmativa.=Videtur quod baptismus sit differendus.

1. Leo Papa Epist. 4. cap. 5. dicit, et habetur de sec. dist. 4. cap. Duo «Duo « tempora,» idest Pascha et Pentecostes « ad baptizandum, á Romano Pontifice le« gitime præfixa sunt, unde dilectionem « vestram monemus, ut nullos alios dies « huic observationi misceatis.» Ergo videtur quod non oporteat statim aliquem baptizare, sed usque ad prædicta tempora baptismum differre.

2. In conc. Agatensi. cap. 25. legitur. « Judæi, quorum perfidia frequenter ad « vomitum redit, si ad leges catholicas « venire voluerint, octo menses inter « Cathecumenos Ecclesiæ limen introëant « et si pura fide venire noscantur, tunc « demum baptismi gratiam mereantur. » Ergo non statim sunt homines baptizandi, sed usque ad certum tempus est differendum baptisma.

3. Si baptismus diu differatur, magis videtur auferri, vel etiam diminui peccatum. Ergo videtur quod baptismus debeat diu differri.

Consequentia prob., quia sicut dicitur Isaiæ 27. *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum.*

Anteced. probat., dupliciter. Primo, quia peccantes post baptismum, gravius peccant, secundum illud Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est,* scilicet per baptismum. Secundo, quia baptismus tollit peccata præterita, non autem futura. Unde quanto magis baptismus differtur, tanto plura peccata tollit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Conversio ad Deum, non est differenda de die in diem. Sed eorum qui regenerantur in Christo per baptismum est perfecta conversio. Ergo baptismus non debet differri de die in diem.

Maior patet, quia dicitur Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.*

Determinatio.

Distinctio. Baptizandi sunt in duplici differentia: quidam sunt pueri: quidam vero sunt adulti.

1.ª Conclusio. Baptisma puerorum non est differendum.

Prob. dupliciter. Primo, quia non expectatur in eis maior instructio, aut plenior conversio. Secundo, propter periculum mortis, quia non potest eis alio modo subveniri, nisi per sacramentum baptismi.

2.ª Conclusio. Adultis non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad certum tempus.

Prob. Primo quia adultis subveniri potest per baptismi desiderium. Secundo, propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur sacramentum ficte accedentibus conferens, secundum illud 1. Jo. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Quæ quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquid temporis spatium eorum fides et mores examinantur. Tertio, quia hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc quod plene instruantur de fide et exercitentur in his quæ pertinent ad vitam christianam. Quarto, quia hoc est necessarium ad quamdam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus præcipuis, scilicet Paschæ et Pentecostes homines ad baptismum admittuntur; et ita devotius sacramentum suscipiunt.

3.ª Conclusio. Dilatio baptismi adultorum aliquando debet prætermitti.

Manifestatur; duplici enim de causa est prætermittenda hujusmodi dilatio. Primo, quando illi qui sunt baptizandi apparent perfecte instructi in fide et ad baptismum idonei. Sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur Act. 8. et Petrus Cornelium, et eos qui cum eo erant, ut habetur Act. 10. Secundo, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa Epist. 4. cap. 6. et habetur de Cons. dist. 4. cap. si qui dicit: « hi, qui necessitate « mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis et naufragii urgentur, omni « tempore debent baptizari. »

Si aliquis morte præveniatur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, salvatur, licet per ignem, ut art. præced. ad 2. dictum est.

Adultus differens accipere baptismum ultra tempus institutum ab Ecclesia, nisi ex causa necessaria et licentia prælatorum Ecclesiæ peccat; hoc tamen peccatum cum aliis deleri potest, per succedentem contritionem, quæ supplet vicem baptismi, ut etiam dictum est in corp.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod illud mandatum Leonis Papæ de observandis duobus temporibus in baptismo, intelligendum est de adultis; excepto tamen periculo mortis quod semper in pueris est timendum, ut dictum est in corp.

Ad 2. Dicitur quod illud de judæis est institutum ad Ecclesiæ cautelam, ne simplicium fidem corrumpant, si non fuerint plene conversi. Et tamen ut ibidem subditur, si infra tempus præscriptum aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.

Ad 3. Negatur anteced. Ad prob. dicitur, quod baptismus per gratiam quam confert, non solum removet peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant; et quia præcipue desiderandum est, ut homines non peccent; secundario vero, ut levius peccent, vel etiam ut eorum peccata mundentur, secundum illud 1. Jo. 2. « Filioli mei: hæc scribo vobis « ut non peccetis; sed et si quis peccave« rit, advocatum habemus apud Patrem, « Jesum Christum justum, et ipse est « propitiatio pro peccatis nostris: » ideo baptismus non debet differri, nisi ut dictum est in corp. Quia scilicet baptizati accipiunt gratiam, qua possunt non

peccare. Quod desiderabilius est, quam levius peccare, vel á peccatis mundari.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatores sint baptizandi.

Pro affirmativa.=Videtur quod peccatores sint baptizandi.

1. Zach. 13. dicitur, « in die illa erit « fons patens domui David et habitanti- « bus Hierusalem, in ablutionem pecca- « toris et menstruatæ » quod intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit etiam peccatoribus exhibendum.

2 Spiritualis medicina est peccatoribus exhibenda. Sed baptismus est spiritualis Christi medicina. Ergo baptismus est peccatoribus exhibendus.

Maior prob., quia Dominus dicit Matt. 9. «Non est opus valentibus medicus, sed « male habentibus,» qui male habentes sunt peccatores, ut ibidem etiam subditur.

3. Nullum subsidium debet peccatoribus subtrahi. Sed baptismus est peccatorum subsidium: ex ipso enim charactere baptismali spiritualiter adjuvantur, cum sit quædam dispositio ad gratiam. Ergo videtur quod sacramentum baptismi non sit peccatoribus subtrahendum, sed exhibendum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Peccator non cooperatur Deo ad propriam salutem, sed magis per voluntatem male dispositam contrarium operatur. Ergo frustra adhibetur sibi baptismus ad justificationem non-disposito.

Conseq. prob. quia Aug. dicit tract. 72. in Joan. *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te.*

Determinatio.

Distinctio. Aliquis potest dici peccator dupliciter. Uno modo propter maculam et reatum præteritum. Alio modo ex voluntate peccandi et proposito persistendi in peccato.

1.ª Conclusio. His, qui peccatores dicuntur solum propter maculam et reatum præteritum, est sacramentum baptismi exhibendum.

Prob. Quia sacramentum baptismi ad hoc est specialiter institutum, ut per ipsum peccatorum sordes mundentur, secundum illud ad Ephes. 5. *Mundans eam* (scilicet Ecclesiam) *lavacro aquæ, in verbo vitæ.*

2.ª Conclusio. Peccatores habentes voluntatem peccandi et propositum persistendi in peccato, non sunt baptizandi.

Prob. tripliciter. Primo: sacramentum per quod homines Christo incorporantur non est hujusmodi peccatoribus exhibendum. Sed baptismus est sacramentum, per quod homines Christo incorporantur, secundum illud Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo baptismus non est peccatoribus habentibus voluntatem peccandi exhibendus.

Maior probat., quia quamdiu aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo conjunctus, secundum illud 2. Cor. 6. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* Unde et August. dicit in lib. de medicina Pœnit. c. 2. *Nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat.*

Secundo. Illi, quibus frustra exhiberetur baptismus, non sunt baptizandi. Sed peccatoribus habentibus peccandi propositum, frustra exhiberetur baptismus. Ergo hujusmodi peccatores non sunt baptizandi.

Maior prob., quia in operibus Christi et Ecclesiæ nihil debet fieri frustra.

Minor prob. Illud quod non pertingit ad finem, ad quem ordinatur, est frustra. Sed peccatores habentes propositum peccandi, non possunt cum tali proposito simul á peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus: hoc enim esset ponere contradictoria simul vera; essent enim peccatores et non peccatores. Ergo exhibere baptismum hujusmodi peccatoribus est frustra.

Tertio: in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Sed si exhiberetur baptismus peccatoribus habentibus voluntatem persistendi in peccatis, esset in signis sacramentalibus falsitas. Ergo non debent peccatores cum tali voluntate admitti ad baptismum.

Minor prob., quia signum falsum dicitur illud cui res significata non respondet: ex hoc autem quod aliquis lavandum se præbet per baptismum, significatur quod se disponat ad interiorem ablutionem: quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod illud verbum prophetæ, intelligendum est de peccatoribus qui habent voluntatem recedendi á peccato.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod spiritualis medicina non est exhibenda omnibus spiritualibus infirmis, sed solum his, quibus prodesse potest et in quibus aliquis motus spiritualis vitæ apparet: sicut etiam corporalis medicina non datur, nisi his in quibus aliquis motus corporalis vitæ ostenditur. Motus autem spiritualis vitæ, qui apparere debet in eo cui danda est spiritualis medicina, est ut voluntas malum fugiat et bonum velit; Christus enim qui est spiritualis medicus, operatur dupliciter: uno modo interius per seipsum; et sic præparat voluntatem hominis, ut bonum velit et malum odio habeat; alio modo operatur per ministros exterius adhibendo sacramenta; et sic operatur perficiendo exterius id quod est interius inchoatum. Sacramentum igitur baptismi non est exhibendum, nisi ei, in quo interioris conversionis aliquod signum apparet. Et isti sunt male habentes, quibus medicus medicinam spiritualem venit exhibere.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod baptismus non est subsidium peccatorum habentium voluntatem peccandi. Est enim baptismus fidei sacramentum; fides autem informis non sufficit ad salutem, nec ipsa est fundamentum, sed sola fides formata, quæ per dilectionem operatur ut August. dicit in lib. de fid. et oper. cap. 6. Unde nec sacramentum baptismi salutem conferre potest cum voluntate peccandi, quæ fidei formam excludit. Igitur loquendo de peccatoribus habentibus voluntatem peccandi, falsa est minor: et ad probationem quæ innitur, dicitur quod non est per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad gratiam, quamdiu in eo apparet voluntas peccandi, quia *Deus neminem ad virtutem compellit*, ut Dam. dicit lib. 2. ortod. fid. cap. 30.

ARTICULUS V.

Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Pro affirmativa.— Videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

1. Ad justitiam Dei pertinere videtur ut pro quolibet peccato aliquis puniatur secundum illud Eccles. ult. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Ergo videtur quod etiam peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

Conseq. prob., quia opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteritorum peccatorum.

2. Ea per quæ peccatores de novo conversi excitantur ad justitiam, et eis subtrahuntur occasiones peccandi, sunt etiam baptizatis injungenda. Sed per opera satisfactoria excitantur peccatores de novo conversi ad justitiam, et subtrahuntur eis occasiones peccandi. Ergo opera satisfactoria sunt etiam peccatoriqus qui baptizantur, injungenda.

Maior prob., quia excitari ad justitiam et subtrahere occasiones peccandi, maxime est necessarium nuper baptizatis.

Minor prob., quia satisfacere est peccatorum causas excidere et peccatis aditum non indulgero.

3. Nuper baptizatis injungendum est

ut satisfaciant proximis, si eos læserint. Ergo etiam est eis injungendum ut Deo per opera pœnitentiæ satisfaciant.

Conseq. prob., quia non minus debitum est ut homo Deo satisfaciat, quam proximo.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambr. super illud Rom. 1. « Sine « pœnitentia sunt dona et vocatio Dei, » dicit « gratia Dei in baptismo non re- « quirit gemitum, neque planctum, vel » etiam opus aliquod, sed solam fidem; et « omnia gratis condonat. »

Determinatio.

Conclusio. Ei, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio injungenda.

Prob. Ei, qui morti Christi incorporatur, non sunt injungenda pro quibuscumque peccatis aliqua satisfactoria opera. Sed ille, qui baptizatur, incorporatur morti Christi per baptismum. Ergo ei non est aliqua satisfactio pro quibuscumque peccatis imponenda.

Maior prob., quia manifestum est ex supradictis quod mors Christi sufficienter satisfactoria fuit pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi, ut dicitur 1. Joan. 2. Et ideo injungere ei qui morti Christi incorporatur, aliqua satisfactaria opera, esset injuriam facere passioni et morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Minor prob., quia Apost. dicit Rom. 6. « Quicumque baptizati sumus in Chris- « to, in morte ipsius baptizati sumus; « consepulti enim sumus ei per baptis- « mum in mortem » quod est morti Christi incorporari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Peccata enim baptizatorum punita sunt in Christo, cujus fiunt membra, qui « vere languores « nostros ipse tulit et dolores nostros ip- « se portavit, » ut dicitur Isa. 53. Sicut enim dicit Aug. in lib. 1. de Bapt. parv. cap. 26. ad hoc baptismus valet, « ut « baptizati Christo incorporentur ut « membra ejus: » et ideo ipsa pœna Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut pœna unius membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri. Ad probationem consequentiæ dicitur quod opera satisfactoria non imponuntur pro quocumque peccato præterito, sed pro his quæ post baptismum committuntur.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod peccatores excitantur ad justitiam, non solum per opera pœnalia, sed etiam per opera non pœnalia: per opera pœnalia excitandi sunt ad justitiam peccatores, qui post baptismum peccaverunt. Nuper vero baptizati excitandi sunt ad justitiam, non per opera pœnalia, sed per opera facilia, « ut quasi quodam lacte « facilis exercitii promoveantur ad per- « fectiora, » ut Glos. ordin. dicit super illud Psalm. 130. « Sicut ablactatus est « super matre sua. » Unde et Dominus discipulos suos de novo conversos á jejunio excusavit, ut patet Matt. 9. Et hoc est quod dicitur 1. Pet. 2. « Sicut modo « geniti infantes lac concupiscite, ut in « eo crescatis in salutem. »

Ad 3. Neg. conseq. Restituere enim male ablata proximis et satisfacere eis de injuriis illatis, est cessare á peccando, quia hoc ipsum quod est detinere aliena et proximum læsum non placere, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum est quod satisfaciant proximis, sicut et quod desistant á peccato; non tamen eis sunt injungenda aliqua satisfactoria opera pro peccatis præteritis contra Deum, vel contra proximum commisis.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri.

Pro affirmativa. = Videtur, quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri.

1. Illi, qui baptizabantur baptismo

Joannis, confitebantur peccata sua ut dicitur Matt. 3. Ergo videtur quod multo magis illi qui sunt baptizandi baptismo Christi, debeant sua peccata confiteri.

Conseq. prob., quia baptismus Christi perfectior est, quam baptismus Joannis.

2. Ad illud, sine quo nullus á Deo misericordiam consequitur, tenentur etiam ad baptismum accedentes. Sed sine confessione peccatorum, nullus á Deo misericordiam consequitur. Ergo ad confessionem peccatorum etiam baptizandi tenentur.

Maior prob., quia ad hoc aliqui baptizantur, ut de peccatis suis misericordiam consequantur.

Minor prob., quia Prov. 28. dicitur: « Qui abscondit scelera sua non dirigetur; « qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.»

3. Ad id, ad quod requiritur pœnitentia, requiritur etiam confessio. Sed ad baptismum requiritur pœnitentia, secundum illud Act. 2. Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum. Ergo ad baptismum requiritur etiam confessio.

Maior prob., quia confessio est pars pœnitentiæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ad illud quod debet fieri cum fletu, non tenentur accedentes ad baptismum. Sed confessio debet fieri cum fletu. Ergo ad confessionem non tenentur accedentes ad baptismum.

Maior prob., quia Ambr. super illud Rom. 11. « Sine pœnitentia sunt dona « Dei,» dicit: «gratia Dei in baptismo non « requirit gemitum, neque planctum.

Minor prob., quia Aug. dicit in lib. de ver. et falsa pœnit. cap. 14. et habetur de pœn. 5. cap. 1. « omnis ista va« rietas confitenda est et deflenda.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est peccatorum confessio, una interior, quæ fit Deo; alia exterior, quæ fit sacerdoti. Confessio interior est, qua homo peccata sua recogitans, de eis dolet propter Deum: confessio vero exterior est, qua postquam homo peccata sua recogitavit, et de eis propter Deum dolet, ea confitetur sacerdoti, ut ab eo absolutionem recipiat.

1.ª Conclusio. Peccatores accedentes ad baptismum tenentur confiteri peccata sua confessione interiori, quæ fit Deo.

Probat. Ad illud, in quo peccatores inchoant novam vitam, necessaria est interior peccatorum confessio. Sed peccatores in baptismo inchoant novam vitam, ergo peccatores ad baptismum accedentes tenentur interius confiteri.

Maior prob., quia nullus peccator potest inchoare novam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, ut Aug. dicit in lib. de medi. pœnit. cap. 2.

2.ª Conclusio. Peccatores accedentes ad baptis. non tenentur ad confitendum peccata sua confessione exteriori.

Prob. tripliciter. Ad id quod pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, non tenentur peccatores accedentes ad baptismum. Sed exterior confessio peccatorum pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, cum personam ministri respiciat. Ergo ad exteriorem peccatorum confessionem non tenentur accedentes ad baptismum.

Maior prob., quia baptismus est janua omnium sacramentorum, ac per hoc nullum sacramentum ante baptismum recipi potest.

2. Illi qui tenentur ad confessionem exteriorem, indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiæ; et eis imponenda sunt opera satisfactoria. Sed accedentes ad baptismum non indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiæ, nec eis imponenda sunt opera satisfactoria. Ergo accedentes ad baptismum non tenentur exterius sua peccata confiteri.

Maior prob, quia confessio exterior quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc quod sacerdos ex vi clavium confitentem ab-

solvat á peccatis et eum liget ad opera satisfactoria.

Minor prob., quia peccatoribus omnia peccata sine aliquo proprio satisfactorio opere in baptismo remittuntur, ut supra dictum est. art. præced.

3. Illi, quibus nullum exterius pœnosum est imponendum, non tenentur ad peccatorum exteriorem confessionem. Sed peccatoribus ad baptismum accedentibus nullum pœnosum exterius est imponendum. Ergo peccatores accedentes ad baptismum non tenentur peccata exterius confiteri.

Maior prob., quia particularis confessio homini facta est pœnosa propter verecundiam confitentis. A baptizatis igitur non requitur specialis confessio peccatorum; sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant satanæ et omnibus pompis ejus. Et hoc modo dicit Glos. ord. Mat. 3. super illud «exibant, ut baptizarentur ab eo,» quod in baptismo Joan. exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata et promittendi meliora.

Si tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Neg. conseq. Ad probat. dicitur quod ex hoc quod baptismus Jo. non erat perfectus, præexigebat confessionem peccatorum; et ex hoc quod baptismus Christi est perfectus, eam non præexigit. «In baptismo enim Jo. «non remitebantur peccata;» sed erat baptismus pœnitentiæ. Et ideo convenienter accedentes ad illud baptisma, confitebantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur. Baptismus autem Christi est sine exteriori pœnitentia; et ideo non prærequirit peccatorum confessionem, nec exteriorem pœnitentiam in baptizando; sed cum sola interiori confessione omnia peccata remittit.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod si sermo sit de confessione exteriori, est falsa: nam sine tali confessione baptizati consequuntur peccatorum remissionem, ut dictum est: si sermo autem sit de confessione interiori, vera est; sed hæc requiritur in baptizandis, ut dictum est, exigitur enim in baptizatis confessio interior Deo facta, et exterior generalis ad hoc quod dirigantur et misericordiam consequantur. Auctoritas autem scripturæ inducta intelligenda est de confessione interiori, vel exteriori: nam his qui post baptismum peccant, necessaria est confessio peccatorum, non solum interior, sed etiam exterior. Baptizatis autem interior tantum et exterior generalis requiritur.

Ad 3. Negat. maior. Ad prob. dicitur quod non omnis confessio est pars pœnitentiæ sacramentalis, sed solum illa, quæ fit exterius sacerdoti, Pœnitentia autem quæ requiritur in accedentibus ad baptismum, non est sacramentum, sed virtus.

ARTICULUS VII.

Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi.

Pro negativa. = Videtur, quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

1. In eo qui in sacramento se habet ut patiens, non requiritur intentio. Sed baptizatus se habet ut patiens. Ergo in baptizato non requiritur intentio.

Maior prob., quia intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis.

2. Non videtur aliquis esse denuo baptizandus ex hoc quod intentionem non habebat suscipiendi baptismum. Ergo non videtur quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat sacramentum.

Antecedens prob. Quia alioquin, cum

de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari, propter intentionis defectum.

Conseq. prob., quia si prætermittatur id quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus, sicut cum prætermittitur invocatio Trinitatis, ut dictum est quæst. 66. art. 6.

3. Baptismus datur contra peccatum originale. Ergo ad baptismum non requiritur intentio ex parte ejus, qui baptizatur.

Conseq. prob., quia originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Secundum ritum Ecclesiæ, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum, per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

Determinatio.

Conclusio. Ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.

Prob. Ille, qui baptizatur, per baptismum moritur veteri vitæ peccati et incipit quamdam vitæ novitatem, secundum illud Rom. 6. "Consepulti sumus "Christo per baptismum in mortem, ut "quomodo Christus surrexit á mortuis "per gloriam Patris, ita et nos in novi- "tate vitæ ambulemus." Ergo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi baptismum.

Conseq. proq. Quia ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundum Aug. lib. de med. penit. c. 2. in habente usum liberi arbitrii, voluntas qua eum veteris vitæ pœniteat; et voluntas qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio baptismi. Ex hoc igitur quod homo, qui baptizatur, moritur antiquæ vitæ et nascitur novæ, requiritur quod habeat intentionem repudiandi veterem vitam et inchoandi novam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod aliquid potest se habere ut patiens dupliciter; uno modo in passione coacta, et in tali non requiritur intentio; alio modo in passione voluntaria; et in tali patiente requiritur intentio. In justificatione, quæ fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria: et ideo requiritur intentio suscipiendi id quod ei datur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc.

Ad 3. dicitur ad antecedens, quod baptismus ordinatur, non solum contra peccatum originale, sed etiam contra peccatum actuale, quod per voluntatem et intentionem causatur.

ARTICULUS VIII.

Utrum fides requiratur ex parte baptizati.

Pro affirmativa.=Videtur quod fides requiratur ex parte baptizati.

1. Christus, á quo sacramentum baptismi est institutum, tradens baptismi formam, fidem baptismo præmittit dicens Mar. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Ergo fides requiritur ad sacramentum baptismi.

2. Secundum ritum Ecclesiæ, ille qui accedit ad baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur, *credis in Deum Patrem*, etc. Ergo videtur quod fides ad baptismum requiratur.

Conseq. probat. Quia nihil frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur.

3. Ad baptismum requiritur intentio recta recipiendi sacramentum. Ergo ille, qui non habet rectam fidem, non potest suscipere sacramentum baptismi.

Conseq. probat. Quia non potest esse quod aliquis sine fide recta habeat intentionem suscipiendi baptismum. Baptismus enim est sacramentum rectæ fidei, per eum enim incorporantur homines

Christo, ut Aug. dicit lib. 1. de peccat. meritis et remiss. cap. 16. Hoc autem non potest esse sine recta fide, secundum illud ad Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*

4. Permanentes in peccato non sunt baptizandi. Sed infideles permanent in gravissimo peccato. Ergo infideles non sunt baptizandi.

Minor prob., quia infidelitas est gravissimum peccatum, ut dictum est 2. 2. quæst. 10. art. 3.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. scribens Quirino episcopo, in Reg. lib. 9. Ep. 61. et habetur de consec. dist. 4. cap. 43. « Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. » Ergo ad susceptionem baptismi, non requiritur recta fides ex necessitate.

Conseq. prob. Quia si recta fides esset necessaria ad susceptionem baptismi, non sufficeret quod baptizati in hæresi reciperentur cum impositione manus, sed essent denuo baptizandi, cujus contrarium Greg. dicit.

Determinatio.

Distinctio. Cum duo efficiantur in anima per baptismum, scilicet character et gratia, ut dictum est q. 66. art. 6. et qæst. 69. art. 4. et 6. dupliciter aliquid ex necessitate requiritur ab baptismum: uno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus sacramenti: alio modo sine quo character imprimi non potest. Unde rectam fidem esse necessariam in baptizando, dupliciter intelligi potest: uno modo, ut sit necessaria ad consequendam gratiam; alio modo ad recipiendum characterem.

1.ª Conclusio. Fides recta requiritur ex necessitate ad hoc quod baptizatus gratiam consequatur.

Probat. Quia Ro. 3. dicitur: *Justitia Dei*, idest gratia per quam quis fit justus, *est per fidem Jesu Christi.*

2.ª Conclusio. Fides recta baptizati non est necessaria ad recipiendum characterem baptismalem, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera quæ sunt de necessitate sacramenti.

Prob. Quia sacramentum non perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur ad antecedens, quod Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum quod perducit homines ad salutem, per gratiam justificantem; quod quidem sine recta fide esse non potest; et ideo signanter dicit: « qui crediderit et « paptizatus fuerit, salvus erit. »

Ad 2. dicitur ad antecedens, quod Ecclesia intendit homines baptizare, ut emundentur á peccato, secundum illud Isaiæ 17. « Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum: » Et ideo quantum est de se, non intendit dare baptismum, nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat accedentes ad baptismum, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illum ad suam salutem. Unde Aug. dicit in lib. 4. de bapt. cont. Donat. " Ecclesia Paradiso " comparata indicat nobis, posse quidem " baptismum ejus homines etiam foris " accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere, vel tenere. »

Ad 3. neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etiam non habens rectam fidem, circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi; et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sa-

cramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit et sicut Ecclesia tradit.

Ad 4. dicitur, quod permanentes in peccatis non sunt baptizandi, si tamen baptizentur secundum Ecclesiæ intentionem, suscipiunt baptismi sacramentum. Permanentes igitur in infidelitate, non sunt baptizandi, quod probat argumentum; si tamen baptizentur, vere baptismum suscipiunt, non quidem secundum effectum gratiæ, sed solum secundum effectum characteris: unde eis non confertur baptismum ad salutem.

ARTICULUS IX.

Utrum pueri sint baptizandi.

Pro negativa. = Videtur, quod pueri non sint baptizandi.

1. In his, qui baptizantur, requiritur intentio suscipiendi sacramentum, ut dictum est artic. 7. Sed pueri non possunt habere intentionem suscipiendi sacramentum. Ergo pueri non sunt baptizandi.

2. Illi, qui sunt baptizati, debent habere fidem. Sed pueri non habent fidem. Ergo pueri non sunt baptizandi.

Maior probat., quia baptismus est sacramentum fidei.

Minor, quia fides consistit in credentium voluntate, ut August. de prædest. sanct. cap. 5. dicit super Joan. quam voluntatem parvuli habere non possunt. Nec potest dici, quod salventur in fide parentum, quia quandoque parentes sunt infideles. Et sic magis per eorum infidelitatem damnarentur.

3. Illi, qui baptizantur, debent habere conscientiam bonam et esse tales, ut interrogari possint. Sed pueri neque conscientiam habent bonam, vel malam, cum non habeant usum rationis; neque etiam convenienter interrogantur, cum non intelligant. Ergo pueri non debent baptizari.

Maior prob. Quia Apost. Petrus dicit. Epist. 1. cap. 3. quod « homnies " salvos facit baptisma, non carnis de- " positio sordium; sed conscientiæ bonæ " interrogatio in Deum. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dyon. dicit 7. c. Eccles. Hier. *Divini nostri duces*, scilicet Apostoli, *probaverunt infantes recipi ad baptismum.*

Determinatio.

Conclusio. Pueri sunt baptizandi.

Prob. Pueri ex peccato Adæ, peccatum originale contrahunt, nec possunt sine baptismo in vita æterna regnare. Ergo pueri sunt baptizandi.

Antecedens quoad primam partem, scilicet quod pueri contrahant originale peccatum

Prob. Quia pueri sunt mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in homines pertransiit, ut Apost. dicit Rom. 5. Quo vero ad secundam partem, scilicet quod pueri sine baptismo in vita æterna regnare non possunt

Probat. Quia Dominus dicit Jo. 3. quod « nisi quis renatus fuerit ex aqua " et Spiritu Sancto, non potest introire " in regnum Dei. »

Conseq. probat. Gratia Christi efficacior est, quam malitia peccati Adæ: dicitur enim Rom. 5. " Si unius delicto " mors regnavit per unum, » scilicet per Adam, « multo magis abundantiam gra- " tiæ et donationis et justitiæ accipien- " tes in vita regnabunt per unum Jesum " Christum. » Sicut igitur pueri per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita necesse eos baptizari, ut per Christum salutem consequantur renascendo.

Et confirmatur concl. Nam fuit conveniens pueros baptizari, ut in pueritia nutriti in his quæ sunt christianæ vitæ, firmius in ea persevorent, secundum illud Prov. 12. « Adolescens juxta viam « suam, etiam cum senuerit, non recedet « ab ea. » Et hanc rationem assignat Dion. in 7. cad. Eccle. Hier.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod est vera de adulteris, non autem de pueris non habentibus rationis usum. In adultis enim necessaria est propria intentio, ad hoc ut sacramentum suscipiant; in pueris autem sufficit intentio matris Ecclesiæ. Generatio enim spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur, ita pueri, nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ, salutem suscipiunt. Unde August. dicit in lib. 1. de peccatorum meritis, et remis. cap. 25. «Mater Ecclesia os maternum parvulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur, «quia non possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem;» Et subdit in capite 19. «Si autem propterea parvuli recte «fideles vocantur, quoniam fidem per «verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo et huic sæculo abrenuntiare monstrentur?» Et eadem ratione pueri possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur et plorent; sed per actum eorum, á quibus offeruntur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod si sermo sit de adultis, debent habere fidem propriam, pueris autem sufficit aliorum fides. Unde August. scribens Bonifacio, Epist. 23. dicit. «In Ecclesia "Salvatoris parvuli per alios credunt, "sicut ex aliis, quæ in baptismo remi"tuntur, peccata traxerunt.» Est igitur in baptismo, qui est fidei sacramentum, necessaria fides, vel propria, ut in adultis; vel aliena, ut in pueris.

Ad id autem quod subditur de parentum infidelitate, dicitur; quod non impeditur parvulorum salus, si parentes sint infideles. Quia ut August. dicit eidem Bonifacio scribens Epist. 23. «offeruntur "parvuli ad percipiendam spiritualem "gratiam, non tam áb eis quorum gestantur manibus (quamvis, et ab ipsis, "si et ipsi boni fideles sunt) quam ab uni"versa societate sanctorum, atque fide"lium. Ab omnibus namque offerri in"telliguntur, quibus placet quod offe"runtur et quorum charitate ad com"munionem Sancti Spiritus adjunguntur» Infidelitas autem propriorum parentum, etiam si eos post baptismum dæmoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet. Quia ut Aug. ibidem dicit, "puer semel generatus per aliorum vo"luntatem deinceps non potest vinculo "alienæ pravitatis obstringi, ubi nulla "sua voluntate consentit, secundum illud "Ezec. 18. sicut anima patris mea est, "ita etiam anima filii: anima, quæ pecca"verit ipsa morietur. Sed ideo ex Adam "traxit quod sacramenti illius gratia "solveretur, quia nondum erat anima "separatim vivens.» Fides autem unius, immo totius Ecclesiæ, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam et bona unius alteri communicat.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de adultis, non autem de pueris. Puer enim cum baptizatur, sicut non per seipsum, sed per alios credit; ita non per seipsum, sed per alios interrogatur; et interrogati confitentur fidem Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer, etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu per gratiam justificantem.

ARTICULUS X.

Utrum pueri judæorum, vel aliorum infidelium sint, invitis parentibus, baptizandi.

Pro afirmativa. = Videtur, quod pueri judæorum, vel aliorum infidelium

sint etiam, invitis parentibus, baptizandi.

1. Puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris filiis infidelium per baptismum contra periculum mortis æternæ, etiam invitis parentibus.

Conseq. prob. Quia magis debet homini subveniri contra periculum mortis æternæ, quam contra periculum mortis temporalis.

2. Filii servorum possunt baptizari, invitis parentibus. Sed judæi et quicumque alii infideles sunt servi regum et principum. Ergo pueri judæorum et quorumcumque infidelium, absque parentum injuria, possunt, etiam parentibus invitis, baptizari.

Maior prob., quia filii servorum sunt servi et in potestate dominorum.

3. Quilibet homo est magis Dei, á quo habet animam quam patris carnalis, á quo habet corpus. Ergo non est injustum, si pueri infidelium parentibus carnalibus auferantur et Deo per baptismum consecrentur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dist. 45. c. de judæis ex conc. Tolet. 4. cap. 55. sic dicitur: Præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.

Determinatio.

Distinctio. Pueri filii infidelium, aut habent usum rationis, aut non habent.

1. Conclusio. Pueri filii infidelium habentes usum rationis, licite possunt moneri et induci ad suscipiendum baptismum, etiam invitis parentibus.

Prob. Quia illi, qui habent usum rationis, jam quantum ad ea, quæ sunt divini juris, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; et ideo propria voluntate invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere.

2.ª Conclusio. Non habet Ecclesiæ consuetudo, quod filii infidelium non habentes usum rationis, invitis parentibus, baptizentur.

Probat., quia pueri ante usum liberi arbitrii et rationis, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu sibi ipsis providere non possunt: unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus, baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus.

Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes.

Habes has rationes formatas 2. 2. q. 10. art. 12. Ubi eadem quæstio proponitur et determinatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced., ut loc. cit. ad 2. dictum est; scilicet quod á morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis, puta si aliquis á suo judice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter á morte eripere. Sic etiam nullus debet irrumpere ordinem juris naturalis, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet á periculo mortis æternæ.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de servis respectu dominorum despoticorum, non autem de servis civilibus. Tunc ad minorem dicitur, quod judæi sunt servi principum servitute civili, quæ non excludit ordinem juris naturalis, vel divini, idem dictum est loc. cit. ad 3.

Ad 3. Negatur conseq. Homo enim ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine in Deum per rationem parentum ordinatur, quorum curæ na-

turaliter subjacet; et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

ARTICULUS XI.

Utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi.

Pro affirmativa.=Videtur, quod pueri in maternis uteris existentes possint baptizari.

1. Pueri in maternis uteris damnantur propter peccatum Adæ. Ergo multo magis salvari possunt per donum Christi, quod fit per baptismum, ac per hoc in maternis uteris positi possunt baptizari.

Conseq. prob., quia efficacius est donum Christi ad salutem, quam peccatum Adæ ad damnationem, ut dicitur Rom. 5.

2. Baptizata matre, baptizatur quicquid est ejus intra ipsam existens. Ergo baptizata matre baptizatur puer in utero ejus existens.

Conseq. probat., quia puer in utero matris existens aliquid matris esse videtur.

3. Mors æterna peior est quam mors temporalis. Ergo si puer in utero matris existens non potest baptizari, melius esset quod mater aperiretur et puer viveductus baptizaretur, quam quod puer æternaliter damnaretur, absque baptismo decedens.

Conseq. probat., quia de duobus malis minus malum est eligendum.

4. Quandoque contingit quod aliqua pars pueri prius egreditur, sicut legitur Gen. 38. in partu Thamar; et in tali casu imminet quandoque mortis periculum. Ergo videtur quod illa pars debet baptizari, puero adhuc in materno utero existente.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nemo renascitur, nisi primo nascatur ut Aug. dicit in Epist. 57. ad Dardanum scribens. Sed puer in utero matris existens adhuc non est natus. Ergo puer in utero matris existens non potest per baptismum renasci.

Determinatio.

Conclusio. Infantes in maternis uteris existentes nullo modo baptizari possunt.

Prob. Illi, qui possunt baptizari, aliquo modo possunt ablui. Sed infantes in maternis uteris positi nullo modo possunt ablui. Ergo infantes in maternis uteris positi nullo modo baptizari possunt.

Maior prob., quia de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur: est enim baptismus ablutio quædam, ut dictum est quæst. 66. art. 1.

Minor ostenditur. Nam posset dici, quod ablutio baptismalis qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Hoc autem esse non potest. Tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati, jam est formatum et per consequens á corpore matris distinctum. Et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem.

Unde Aug. dicit contra Julianum lib. 6. cap. 5. « Si ad matris corpus id, quod “ in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus “ pars imputetur, non baptizaretur in- “ fans, cujus mater baptizata est, aliquo “ mortis urgente periculo. Nunc vero “ cum ipse etiam » scilicet infans « bap- “ tizetur, non utique ad maternum cor- “ pus, cum esset in utero, pertinebat: » ex quibus remanet probata minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod donum Christi quod datur in sacramentis, non datur nisi his qui possunt subjici actioni humanæ, ut per ministros sacramenta recipiant ad salutem, et quia pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant, ideo non possunt subjici humanæ actioni; ac per hoc sacramenta quæ per homi-

num ministerium traduntur, recipere non possunt. Et quia possunt divinæ actioni subjici, ideo aliquo privilegio possunt salutem consequi, ut patet de his qui in utero fuerunt sanctificati. Maior autem efficacia doni Christi non consistit in hoc quod se extendat ad pueros in maternis uteris existentes; sed in hoc quod plura consequimur per donum Christi, quam amiserimus per peccatum Adæ: per donum enim Christi, non solum remittitur peccatum originale quod solum ex Adam contrahimus; sed insuper remittitur peccatum actuale et confertur nobis gratia et virtutes.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod, baptizata matre, baptizatur quicquid ad matrem pertinet, tamquam ejus pars, sive membrum. Tunc ad minorem dicitur, quod puer in utero matris existens non est matris pars, seu membrum; sed solum est aliquid ejus per quamdam colligationem corporum distinctorum, unde non sequitur quod baptizata matre baptizetur puer in ventre matris existens.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*, ut dicitur Ro. 3. et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.

Ad 4. Dicitur ad antecedens quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput ægrediatur in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente; et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit; et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur periculo imminente: quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ, sicut in capite consistit, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma. *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc.

ARTICULUS XII.

Utrum furiosi et amentes debeant baptizari.

Pro negativa.=Videtur, quod furiosi et amentes non debeant baptizari.

1. In eo, qui baptizatur, requiritur intentio suscipiendi baptismum, ut dictum est art. 7. Sed furiosi et amentes non possunt habere hanc ordinatam intentionem. Ergo furiosi et amentes non debent baptizari.

Minor patet, quia furiosi et amentes carent usu rationis.

2. Bruta animantia non baptizantur. Sed furiosi et amentes sunt sicut bruta animantia. Ergo furiosi et amentes non debent baptizari.

Minor prob., quia furiosi et amentes non habent usum rationis, in quo homo alia animalia super excedit, nec in eis expectatur, ut in pueris.

3. Dormientibus non consuevit dari baptismus. Ergo nec amentibus est baptismus dandus.

Prob. conseq. quia magis est ligatus usus rationis in amentibus et furiosis, quam in dormientibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit 4. conf. c. 4. de amico suo, qui *cum desperaretur, baptizatus est nesciens*; et tamen in eo efficaciam habuit. Ergo carentibus usu rationis aliquando baptismus dari debet.

Determinatio.

Distinctio. Furiosi et amentes sunt in quadruplici differentia. Quidam sunt tales á nativitate nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Alii sunt amentes, qui ex sana mente, quam prius habuerunt, in amentiam inciderunt. Quidam vero sunt, qui etsi á nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Quidam tandem sunt, qui

etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare et intelligere sacramenti virtutem.

1.ª Conclusio. Furiosi et amentes qui á nativitate tales sunt nulla habentes lucida intervalla, nec in eis apparet aliquis rationis usus, sunt baptizandi.

Manifestatur, quia de talibus, quantum ad susceptionem baptismi, videtur esse idem judicium, sicut de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, ut dictum est art. 9.

2.ª Conclusio. Furiosi et amentes, qui ex sana mente in amentiam inciderunt, si antequam in amentiam incideret nulla in eis apparuit voluntas suscipiendi baptismum, non sunt baptizandi si vero, dum sanæ mentis essent, apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, in furia, vel amentia constituti debent baptizari, etiamsi tunc actu contradicant.

Manifestatur, quia tales sunt judicandi, secundum voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent.

3.ª Conclusio. Furiosi et amentes, qui lucida habent intervalla, si dum habuerunt lucida intervalla, baptizari voluerunt, baptizari possunt etiam in amentia constituti; et debet eis sacramentum conferri, si periculum timeatur; alioquin melius est, ut tempus, in quo sint sanæ mentis, expectetur, ad hoc quod devotius sacramentum suscipiant.

Quæ conclusio ex se est manifesta et ex dictis.

4.ª Conclusio. Si furiosi et amentes habentes lucida intervalla, dum sanæ mentis extiterunt, nullam voluntatem suscipiendi baptismum ostenderunt, non sunt baptizandi.

5.ª Conclusio. Amentes et furiosi, qui in tantum ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare et sacramenti virtutem intelligere, si voluerint baptizari, debent baptizari; sin autem, baptizandi non sunt.

Manifestatur. Quia de talibus est idem judicium, sicut de his qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes et non inviti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod amentes, qui non habent, nec habuerunt usum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiæ, sicut et ex actu Ecclesiæ credunt et pœnitent, sicut de pueris dictum est art. 9. Illi vero, qui aliquo tempore habuerunt, vel habent usum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerint tempore quo sanæ mentis extiterunt.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod furiosi, vel amentes carent usu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum alicujus organi corporalis, non autem propter defectum animæ rationalis, sicut bruta animalia; et ideo non est de his similis ratio.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat, in quo casu baptizari debent, si prius in eis apparuit voluntas suscipiendi baptismum: sicut et de amentibus dictum est. Talis debuit esse amicus Augustini, qui baptizatus est nesciens propter mortis periculum, quia scilicet prius ostenderat voluntatem suscipiendi baptimum, dum sanæ mentis existeret et vigilaret.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 68.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, hæresim *Brentii* dicentis, baptismum sacramentum esse liberum. Hoc est. Homines non teneri ad suscipiendum illud. Et hæresim *Alascani* dicentis, baptismum esse penitus rejiciendum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari, à Concilio Trid. sess. 7. de baptis. can. 5. " Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit. » Item Joan 3. » Nisi quis renatus, etc. ut *in arg. cont.* Item ab Ecclesiast. dogmat. ut ibidem. Item à Concilio Florentin. " Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et, cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, et Spiritu Sancto renascamur, non possumus (ut inquit veritas) in regnum cœlorum introire. » Item á Marc. 16. " Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. » Hoc est. Qui vero non crediderit, et baptizatus non fuerit; condemnabitur. Unde S. Amb. quasi id exponens, lib. 2. de vocatione gent. c. 8. dicit. " Neque credi fas est; eos, qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium. » Et D. August. quasi eumdem locum interpretatus lib. de origine animæ, scribens ad B. Hierony. ait. " Neque negare fas est nobis, eas, etiam parvulorum, animas, quæ sine Christi sacramento de corpore exierunt, non nisi in damnationem trahi. » Hæc ille. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et in sensu recto intelligas, merito esse insinuatum à scripturis, August., et concilio: quod aliquis potest salvari sine baptismo. A D. August. quidem, ut ponitur *in arg. cont.* A Conc. Trid. quoque quod, postquam dixerat sess. 6. cá. 7. hæc verba. " Sacramentum baptismi est sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contingit justificatio, » deinde ait sess. 7. de sacramentis, can. 4. " Si quis dixerit: sine eis sacramentis, aut eorum voto, per solam fidem homines á Deo gratiam justificationis adipisci: anathema sit. » Item sess. 6. c. 4. fi. Item ibi cap. 14. dicit. " Pœna æterna, vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur. A scripturis item per hoc, quod narratur Act. 10. Cornelium centuriorem cum quibusdam suis recepisse Spiritum Sanctum, quo et linguis loquebatur antequam actualiter baptizaretur á B. Petro, quem ex voto salutis suæ, ideoque ex voto baptismi virtualiter concepto, vocaverat. Item per illud Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Talium enim pauperum, idest humilium, utpote in quorum orationem respicit, et non spernit preces eorum, Psal. 101. est votum, de quo loquimur: et sub hac universali ad particulare nostrum descendendo, est votum baptismi. Dominum autem exaudire desiderium pauperum, sic in particulari loquendo, est homines ex voto baptismi posse consequi salutem. Exauditio siquidem talis desiderii sonat in salutem, juxta illud ad Moysen Exod. 14. " Quid clamas ad me? Loquere filiis etc. Tu autem eleva virgam tuam » etc. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem destruas errorem *Publicanorum* dicentium, baptizandos non esse parvulos, donec intelligibilem, et rationis capacem ætatem attigerint, et *Hamstedii* dicentis: sine baptismo servare infantes ad aliquot annos, liberum esse cuique, nec ullius conscientiam hac in re ad certum tempus adstringi posse. Item *Anabaptistarum* dicentium: quod melius est, omittere baptismum in parvulis quam eos sine fide, id est, non credentes baptizare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hoc merito damnari á dictis art. 2. in coroll. post ad 3. Item á Concilio *Africano;* de quo B. Cyprianus ad Fidum, qui opinabatur. pueros infra secundum, et tertium diem constitutos non debere baptizari, respondet sic. " Longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas faciendum, nemo consentit; sed universi judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, et gratiam denegandam. » Hæc ille. Vide in corpore conciliorum. Item á

Concilio Trident. sess. 7. de baptis. can. 12. " Si quis dixerit: neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit. » Et can. 13. " Si quis dixerit: parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse: ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum baptisma quam eos non actu proprio credentes baptizare in sola fide Ecclesiæ: anathema sit. » Item á dictis in 2. 2. art. num. 912. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod peccatores sunt, et non sunt baptizandi. A scripturis quidem, ut per hoc. quod dicitur Act. 2. " His auditis compuncti sunt corde. et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos; quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos: pœnitentiam inquit agite; et baptizetur unusquisque vestrum; etc. Qui ergo receperunt sermonem, baptizati sunt. » Item Act. 3. Pœnitemini igitur, et convertimini; ut deleantur peccata vestra, etc. » Et c. 4. " Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt: et factus est numerus eorum quinque millia. » Item Act. 10. " Respondit Petrus. Numquid aquam quis prohibere potest; ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt? Item cap. 8. " Ait Eunuchus: ecce aqua. Quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus. Si credis ex toto corde: licet. » Per singula enim hæc loca constat intentum utrumque, scilicet, quod peccatores sunt, et non sunt baptizandi: quoniam, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, secundum Philosophum. Si igitur peccatori, qualis erat Eunuchus credenti ex toto corde licitum esse dare baptismum, dicit Philippus: utique per consequens dicit etiam quod peccatori indisposito ad fidem formatam, quod est, quando manet in voluntate peccandi, non licet conferre baptismum. Vide a. 8. pro bono dictorum captu. Rursus. Si peccatoribus compunctis corde, si pœnitentibus, si recipientibus sermonem salutiferum, si conversis, si ad gratiam Spiritus Sancti dispositis est conferendum baptisma (secundum Apost. Petrum) procul dubio, secundum eumdem, impœnitentibus conferendum non est. A Concil. autem Trid. insinuatur sess. 14. c. 1. "Fuit quidem pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria; illis etiam qui baptismi sacramento ablui petivissent: ut, perversitate abjecta, et eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur. » Et sess. 6. ca. 6. " Propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. » Hoc ultimum dicitur: quia pœnitentia christiani hominis post lapsum multo alia à baptismali est: ut ait Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Conciliis: quod baptizatis nuper non sunt imponenda opera satisfactoria. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Ephes. 5. «Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmododi.» Ex eo enim, quod per tale labacrum, inquit Apostolus, adeo Ecclesiam mundari, ut pro illo tunc non habeat maculam, idest, peccatum mortale, aut rugam, idest, peccatorum veniale, aut aliquid hujusmodi, idest, reatum alicujus pœnæ, demonstrat cuique sapienti: quod noviter baptizatis nulla opera satisfactoria injungenda sunt. Nam, si tota, et culpa, et pena (secundum Apostolum ibi) per baptismum illum relaxatur Ecclesiæ idest baptizatis omnibus: injustum esset, aliquam satisfactionem in poenam tunc baptizato imponere. Pro qua enim vel minima poena tollenda tunc imponetur ei satisfactio: si tota poena jam per baptismum sublata fuit? Imponere ergo aliquod opus satisfactorium recenter baptizato esset dicere factis; quod baptismus non delet totam pœnam simul cum tota culpa: id, quod est falsissimum, utpote contra Concil. nunc adducencum. A Concil. autem *Florent.* idem insinuatur. «Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, et actualis, omnis quoque poenæ, quæ pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro pec-

catis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam commitant; statim ad regnum coelorum, et Dei visionem perveniunt.» Hæc illud in dec. seu constit. super un. Arm. Huic concordat etiam Conc.Trid. sess. 14. c. 2. dicens; quod constat, ministrum baptismi judicem esse non oponere; et quod per baptismum Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem á simili interimas hæreses *Armenorum* dicentium: baptismum non posse alicui conferri, nisi eidem conferatur Eucharistiæ sacramentum. Si enim, antequam babtizetur quis, volunt eidem conferendam esse eucbaristiam, retunduntur ex ratione art., eoquod baptismus est janua sacramentorum: si vero post, adhuc alia ejus ratione rejiciuntur, eoquod non indigent jam baptizati remissione peccatorum, antequam post baptismum peccent. Quod si dicatur, quod indigent aliis effectibus per eucharistiam datis, puta augmento gratiæ, sapore quodam spirituali, etc. respondetur, quod indigent illis, sed non necessario, cum per gratiam per baptismum habitam, et adhuc conservatam possint ad salutem pervenire. Et ista erit ratio Conc. Trident. nunc adducendi. Consequenter ergo non necessitatur quis ad sumptionem eucharistiæ tempore baptismi, ita scilicet, quod non possit baptizari, nisi ante, vel post adhuc in gratia existens eucharistiam sumat. A simili ergo determinavit D. Thomas per hunc articulum contra Armenorum prædictam bæresim: quando per eumdem formaliter determinavit, quod accedentes ad baptismum non tenentur ad sacramentalem confessionem suorum peccatorum. Et sic determinat, quod ad confessionem talem ex eorum devotione possunt admitti cum limitatione in text. fin. super hoc adducta: ita á simili determinasse tunc intelligitur, quod si quis adultus vellet post baptismum ex devotione communicari, posset (si tamen per ætatem liceret, aliisque necessariis concurrentibus, puta jejunio, etc.) ad eucharistiæ sumptionem admitti. *Secundo* habes: quomodo per rationem á simili ostendas, banc merito fuisse damnatam á Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. sic. " Docet sancta synodus, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiæ communionem: siquidem adeptam in baptismo gratiam illa ætate amittere non possunt. » Ecce: ex Concil. ratio supradicta á simili: quod in gratia baptismali constitutus non indiget necessario communicari sacramentaliter, non quia non possit gratiam amittere, si est adultus: sed quia gratia tunc habita sufficit ex se ad salutem. Item ab eodem sess. ead. can. 4. " Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiæ communionem, anathema sit. » Junge dictis id, quod idem Conc. de baptismo parvulorum sanxit; et aperte damnationem erroris Armenorum conspicies. Sic enim in sess. 7. can. 13. de baptismo sit. " Si quis dixerit: parvulos eoquod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse baptizandos: aut præstare, eorum omitti baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: anathema sit. » Ecce Concil. vult, parvulos ante annos discretionis baptizari, et adeo determinare id vult, ut damnet contrarium dicentes: quod tamen Concil. parvulos ipsos baptizatos ad eucharistiam sumendam dicit non esse ulla necessitate adstrictos, contrarium dicentes anathemate percellens. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas merito Conc. Trident. addidisse ly *post baptismum lapsis*, quando de confessionis necessitate loquens sess. 14. cap. 5. ait: " Ex institutione sacramenti poenitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. » Et eadem sessione de poenitentiæ sacramento, cano. 1. " Si quis dixerit; in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere, et proprie sacramentum pro fidelibus; quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis á Christo Domino institutum: anathema sit. » Et cano. 2. " Si quis dixerit, etc. atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit. » Non sine causa enim Conc. quando

poenitentialem confessionem necessariam esse dicit, signanter ponit ly " lapsis post baptismum, vel quoties post baptismum in peccata labuntur, vel hanc secundam post naufragium tabulam. » Innuitur enim ex hoc, quod confessio sacramentalis neque ante, neque post baptismum est necessaria, nisi baptizati denuo lapsi sint. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem *Cathaphrygarum* dicentium, baptizandos esse mortuos. Non enim mortui cadaver habet intentionem suscipiendi baptismum, ut patet. Nec valet pro illo errore sustentando dicere, baptismum conferri debere mortuo in hoc sensu, quod aliquis vivus in demortui locum submissus baptizetur nomine mortui, et sic mortuus intelligatur baptizari, et baptismus ille prosit mortuo. Unde ipsi *Cathapyrygæ*, et *Marcionistæ* dicebant, baptismum conferri debere mortuo ei profuturum, baptizato vivo in demortui locum submisso. Errore itaque hoc ultimo errorem primum excusare, aliqualiter declarando, volebant. Illos siquidem per hunc secundum errorem, opinor, voluisse quasi respondendo dicere; quod intentio vivi pro intentione mortui reputabatur tunc, et sic baptismus baptizato vivo proderat defuncto. Quemadmodum, si dicamus nos, sicut et dicimus, quod intentio aliorum pro puerulo ad baptismum delato reputatur pro intentione pueruli ipsius, atque ei prodest, art. 9. Verum similitudo non tenet; imo distat plurimum: Nam puer est corpus vivum sub coelo, et est ille, qui baptizatur; quorum neutrum est in eorum positione. Neque enim cadaver defuncti baptizatur, sed is vivus, qui in locum defuncti submittitur; neque cadaver illud est vivum sub coelo. Unde intentio repræsentantium pueros ad baptismum potest eis imputari, atque prodesse, quia per aliquid, puta per baptismum actualiter pueris illis collatum, revera eis applicatur. Cum ergo defuncti corpus (etiam abstrahendo ab hoc, quod non est vivum) non tangatur actu per aquam baptismi, intentio illa vivi prædicti non habet, unde re vera possit applicari defuncto. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem cum sua declaratione merito damnari á scripturis 1. Cor. 15. " Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ut quid etiam baptizantur pro illis? Ut quid et nos periclitamur omni hora? In tantum ratam (*inquit Ambros.*) et stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut det exemplum eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret. » Unde subjecit: " Ut quid et baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam sententiam de resurrectione ostendit. Quid et nos periclitamur omni hora? Dicendo, quid et nos periclitamur, discrevit personas, ostendens non catholicos esse, qui pro mortuis baptizantur. Denique supra dixit: ut quid baptizantur pro illis? Numquid dicit, et baptizamur pro illis?» Hæc D. Amb. Ubi vides, quod Apost. in illis laudat unum, de quo ibi ad longum tractabat scilicet, fidem resurrectionis certam, et condemnat aliud, tamquam non catholicum, videlicet vivos baptizari pro mortuis. Ubi etiam nota, quod error hic fuit ab *Cathaphrygis, et Marcionistis* ab inferis revocatus: et ideo attribuitur nunc illis, quoniam tempore Apostoli, qui fuit eis anterior, inveniebatur. Item ab Eccl. 9. «Mortui non habent ultra mercedem, nec partem in hoc sæculo, et in opere, quod sub sole geritur.» Si igitur, secundum scripturam, mortui non habent ultra mercedem, nec partem in opere, quod sub sole geritur, quomodo poterit baptismus mortuo prodesse, qui datur vivo in defuncti locum submisso? Diligenter vero nota, quod hujusmodi scriptura loquitur de mortuis extra Dei gratiam: ideo facit mentionem de mercede, quæ nonnisi habentibus gratiam in cœlo datur, et etiam negat eos habere partem in bono opere, quod sub sole geritur, quia scilicet sunt extra charitatem, quæ facit omnia communia, ita ut existens in ea possit veraciter dicere Domino: *Particeps ego sum omnium timentium te*, Psalm. 118. Hoc dixerim, ne ex illa scriptura male intellecta motus negares, vel dubitares, quod orationes, et pia opera vivorum secundum intentionem S. Ecclesiæ facta, prosunt mortuis in purgatorio, et gaudium afferunt in cœlo existentibus, ita, quod utrique

horum habent partem in bono opere gesto sub sole. Ratio, quia illorum quisque est in charitate. At defunctus sine baptismo non erat, neque est in charitate, et consequenter talis, secundum scripturam præmissam non habet partem in bono opere, quod geritur sub sole. Item á Mar. ult. " Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. » Ecce, quod non baptizatus per se, ita quod baptismus eum tangat, non potest salvari. Item á synodo *Carthaginensi* 3. *in Trullo* confirmata, cap. 6. " Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est enim á Domino: " Accipite, et edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec eucharistiam dari, licitum est. » De eucharistia non danda mortuis concordat Conc. 6. Constantinopol. canon. 3. propter eamdem rationem: Item et Concil. Antisiodorense canon. 12. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse 1 Petr. 3. quod " et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. » Ubi ostenditur, quod intentio in baptizando requiritur. Patet enim, quod interrogatio præsupponit interrogati intentionem, et ut interrogantem audiat, et ut ad interrogationem respondeat. Habes *Quarto*: quomodo per rationem ostendas, recte uti Ecclesiam hoc ritu, ut scilicet accedentes ad baptismum postulent á sacerdote baptizari. Per hanc siquidem suam postulationem designatur, suam ipsorum intentionem requiri ad baptismum, cum ea, quæ sunt in voce, sint earum, quæ sunt in anima, passionum notæ; ut dicit Philos. 1. lib. Perihermenias. Quanti autem æstimandi sint ritus Ecclesiæ tales, conjicies ex anathematismo posito ex Trid. Concil. supra artic. 6. in corollario immediate post probationem tertiæ conclusionis. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Anabaptistarum* dicentium, melius esse omittere baptismum, quam pueros sine fide, idest non credentes, baptizare. Vel sic, præstare prorsus omittere baptismum in parvulis, quam eos baptizare sine fide. Item hæresim *Henricianorum* dicentium, quod baptisma nihil proficit ei, qui id sine prævia fide suscipit. Nam, cum ei imprimat characterem, et aggreget numero fidelium (ut supra et per articulum, et per Concilium Florent. vidimus) aliquid proficit ei. Quod, si intelligeretur per ly *nihil ei proficit*, quod non confert ei indigno gratiam, esset sententia catholica, et non hæresis. At, quia ab Gabriele Prateolo (tit. Henriciani) recensentur inter hæreses: ideo sensum hunc non catholicum, sed erroneum habere, putandum videtur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito has damnari per decretum Eugenii III. sacro approb. Florent. Concil. Ibi enim, cum perfici dicuntur sacramenta tribus, (videlicet materia, forma, et intentione) nulla fit mentio de fide, et consequenter per hoc reprobantur Anabaptistæ, et omnes, qui fidem de necessitate sacramenti requiri in baptizando, contendunt. Pro tanto namque sunt nunc allatæ illorum positiones, pro quanto hoc ipsum includunt, vel dicunt. Item per Concil. Trident. ibi adductum damnari intelliguntur, dum de intentione ad conferenda sacramenta requisita necessario, nulla facta mentione de fide, loquitur. Item per Gregorium Papam III. ad Bonifacium sic. " Quosdam absque interrogatione symboli ab adulteris, et indignis presbyteris fassus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Ecclesiæ, quia quisquis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizari eum minime licet. » Hæc Gregorius.. Ubi vides, non esse reiterandum baptisma, etiam quod sine interrogatione fidei quis baptizatus sit. Papa ergo per hoc decretum innuit, quod fides baptizati ad baptismi characterem imprimendum non concurrit de necessitate, et consequenter damnare contrarium. Item per omnia illa Concilia videntur hujusmodi positiones damnari, per quæ determinatur, quod ab hæreticis, paganis, judæisve (et ut semel dicam) ab infidelibus potest conferri baptismus verus, ut á Nicolao IV. ad consulta bulgarorum, supra qu. 67. art. 5. et á Concil. Trid. sess. 7. de baptismo, can. 4. " Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris,

et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum: anathema sit. » Ratio quod damnetur per hæc, est, quia semper agens est nobilius patiente, et principalius consideratum, quam patiens in materia alicujus rei vere perficiendæ. Unde, si vera fides non requiritur de necessitate sacramenti in agente ad baptismum, sequitur, quod nec in patiente, seu recipiente baptismum requiratur de necessitate tali ad suscipiendum characterem: et consequenter, quod damnans unum, scilicet de agente, damnat et aliud, scilicet de patiente. *Tertio* habes: quomodo per rationem probes, regulas fidei catholicæ, quæ ponuntur á B. Augustino in lib. de fide à Petrum, c. 33. merito dicere. " Firmissime tene, et nullatenus dubites; sacramentum baptismatis non solum apud Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizant, esse posse; sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse. » Applica ex superioribus ad propositum. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses illorum, qui etiam contra puerulos, absque ratione, sed quadam vecordia propria moti sævire non erubuerunt. Hi sunt *Muntzerici* dicentes: baptisma infantum non esse á Deo. Item *Paterni*, ut infra qu. 69. art. 2. Item *Lutherus* (ut Papa Leo X. in bulla sua contra illum refert) dicens: " in puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare. » Item quidam, Direct. Inquisit. 2. par. qu. 7. dicentes, quod baptismus non est communiter tam parvulis, quam adultis perfectum remedium ad salutem. Item *Publicani* dicentes, baptizandos non esse parvulos, donec intelligibilem, et rationis capacem ætatem attigerint. Item *Henriciani* dicentes, baptisma nihil prodesse parvulis usu rationis carentibus, quod fidem habere nequeant rationis expertes. Item *Hamstedii* dicentes, sine baptismo servare infantes ad aliquot annos, liberum esse cuique nec ullius conscientiam hac in re ad certum tempus adstringi posse. Adducitur hic error præsens, pro quanto ex eadem officina, saltem per modum fautoriæ, proficisci videtur. Item *Cathari* dicentes, baptismo non indigere infantes, quod sint sine peccato. Item omnes illi, qui supra art. 8. in append. adducuntur. Ibi enim alia ratione recensentur, et hoc in loco alia (ut consideranti patere potest) recensendi veniunt. Item *Pelagius*, et *Armeni* dicentes, baptismo non indigere pueros ob peccatum originale, quia illud non habent. Item *Balthasar Parcimontanus* dicens, baptizatos parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint; rebaptizandos fore, quia baptismus parvulis non prodest. Item *Anabaptistæ* dicentes, pueros rebaptizandos, sive aqua retingendos. *Secundo* habes: quomodo per rationem demonstres, has omnes pro diversis suis partibus merito damnari ab aliquo sequentium Conciliorum, vel, etc. Ut á Concil. Trident. sess. 7. de baptismo, can. 13. " Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: anathema sit. » Item á Papa Leone X. in bulla sua contra errores Martini Lutheri, quæ incipit: *Exurge Domine*, ubi, hoc prædicto inter multos enarrato, dicit. " De eorumdem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu, ac omnium, et singulorum prædictorum matura deliberatione præhabita, auctoritate omnipotentis Dei, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, et nostra præfatos omnes, et singulos artic. seu errores, tamquam (ut præmittitur) respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, et veritate catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis, et rejectis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus haberi debere, harum serie decernimus, et declaramus. » Hæc ille. Item à Conc. Paris. sub Ludovico, et Lothario lib. 1. c. 9. " Quoniam fides Christi ubique pollet, et parvuli de christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est, ut, quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis discere satagat. Quod, quia ab

usu christianæ religionis propter quorumdam incuriam recessit, quantæ est negligentiæ, quantique discriminis, satis dici non potest. » Ecce: non dixit Concilium, quod hujusmodi parvuli rebaptizentur, aut quod interrogentur, si volunt habere ratum, quod alii vice eorum promiserunt, sed tantum, ut audisti. » Item á Concil. Trident. sess. 7. de bapitismo. can. 14. " Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistia, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit. » Item á Concilio eod. sess. 5. " Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regeneratione necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, unde fit consequens, ut forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera in eis, sed falsa intelligatur: anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod dixit Apostolus: per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Item á Concilio Milevitano c. 2. totidem fere verbis: et ponitur in lib. Decretorum de consecr. dist. 4. cap. *Placuit, ut quicumque parvulos.* Item ab Innocentio I. Papa. Hic enim constituit, ut, qui natus fuisset de christiana denuo nasci deberet per baptismum. Hæc in Conciliis de vita hujus Papæ. Item à Concilio Carthaginensi in Epistola ad Papam Innocentium I. ubi damnat hanc Pelagii hæresim, quod parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt. Dicebat siquidem animarum hic necator Pelagius, quod parvuli habituri essent vitam æternam, etiamsi non baptizarentur. " Ad hoc Concilium rescribit Innocentius, et errorem illum cum ejus auctore Pelagio condemnat. Hæc ex Epistola illa, et rescripto summata sunt, Item á Papa Siricio in Epistola prima ad Himerium Tar. Episcopum. " Infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel bis, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, unda sacri baptismatis omni volumus celeritate succurri: ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo, et regnum perdat, et vitam. » Et infra.. " Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli» Hæc ille. Item á Concilio Africano circa tempora Bonifacii Papæ I. celebrato, cap. 76. ubi iisdem verbis, quibus et Milevitanum, et Tridentinum supra de parvulis recenter ab uteris matrum natis utitur. Item á Concilio Gerundinesi cap. 5. De parvulis, qui nuper é materno utero editi sunt. " Placuit constitui, ut, si infirmi (ut assolet) fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur. » Item à Papa Gregorio, et habetur in libr. Decretorum distinct. 5. cap. *Baptizari autem.* Ubi dicit, quod eadem hora, qua proles gignitur, imminente periculo, baptizetur ne interveniente paululum mora, inveniri non valeat, qui redimatur. Item à Papa Innocentio III. extra, de baptismo, et ejus effectu, can. Majores. Ubi determinat, quod pueris baptizatis non tantum aufertur peccatum originale, sed etiam patet aditus in regnum coelorum. Item à Christo Domino quasi prædictos parvulorum impugnatores increpante Matth. 19. " Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum coelorum. » Scilicet si venerint ad me per baptismi actualem susceptionem ut patet ex prædictis, præcipue á Pontificibus Siricio et Gregorio. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, præmissa

omnia, pro quanto pueros esse baptizandos statuunt, et intelligas, et declares, et probes, atque defendas. Ex quibus præmissis vigilanter quoque notabis: quam derisibilis, atque damnabilis sit Calvinus in irrisione sua, qua scilicet irridet Papistas (sic enim Sedis Apostolicæ filios vocat) de hoc quod dicunt: infantes omnes sine baptismo decedentes privari gloria Dei in perpetuum. Hæc ejus insulsissima irrisio est in ejusdem libello contra act. Concil. Tridentini. Pro firmanda adhuc ista veritate contra Calvinum, vide artic. 2. corollar. post ad 3. et textum cor. ipsius articuli. Ratione enim opus est ad illudendas phantasias irridentium. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per secundæ conclusionis rationem ostendas, merito fuisse dictum á Concil. Tolet. 4. can. 55. vel 56. sic. "De judæis præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult, Deus miseretur, et, quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit; sic (vocante se gratia Dei) propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Qui autem jampridem ad christianitatem venire coacti sunt (sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti) quia jam constat, eos sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam suscepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini, et sanguinis extitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur." Et registrantur in Decretis dist. 45. De judæis. Nec minus facit in proposito, quod loquatur de adultis, quibus et vim (conditionatam scilicet) jampridem fuisse illatam pro baptismi susceptione innuit: hoc, inquam, non minus facit in proposito, quoniam formalitas, ad quam fertur Concilium, est una, videlicet, quod non inferatur vis nec etiam conditionalis alicui in causa baptismi. Vim ergo absolutam magis prohibet Concilium. Cum igitur formalitas principaliter ab ipso intenta de adultis, tam pro seipsis, quam pro filiis baptizandis verificetur, eodem tenore, quo vim etiam conditionalem inhibet fieri adultis pro seipsis baptizandis, cointelligitur et inhibere, inferri vim etiam conditionalem adultis pro suis filiis baptizandis, quod est baptizare filios, invitis parentibus. Per rationem ergo articuli ostendere potes, quod Concilium hoc recte sanxit, filios judæorum non esse baptizandos parentibus invitis absolute, licet Concilium superaddat, quod nec ipsis invitis conditionaliter, de qua re articulus videtur non disputare. *Secundo* habes: quomodo per tertiæ conclusionis rationem ostendas, idem Concilium cano. 58. vel 59. merito dixisse: "judæorum filios, vel filias baptizatos, ne parentum involvantur erroribus ab eorum consortio separari decernimus. Deputandos autem monasteriis, aut christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut in moribus, et fide perficiant." Et recitantur in Decrt. 28. q. 1. *Judæorum filios*. Ob periculum enim subversionis filiorum ne propter affectum paternum (inquit articuli ratio) redirent ad infidelitatem, hunc saluberrimum canonem sanxit Concilium. Et nota, quod non loquitur de filiis baptizatis parentibus invitis (hoc enim tamquam stricte prohibitum, can. 55. vel 56. silentio præteriit) ne ob hoc capitulum de veritate præsentis articuli dubitare incipere. Porro capitulum illud loquitur de filiis judæorum jam baptizatorum, et consequenter non invitis parentibus, sed volentibus, baptizatis. Verum, quia parentes iidem aliquando ad judaismum redibant, ne suos illos filios à fide suscepta per baptismum ad infidelitatem traherent, vel circumciderent eos adhuc parvulos, vel alia hujusmodi circa illos facerent, sacrum Concilium providit, ut supra. Et, quod hic sensus canonis hujus sit ad mentem Concilii verus, patet per ejusdem Concilii canonem immediate præcedentem, ubi legitur sic. "Plerique, qui ex judæis dudum ad christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solum judaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere præsumpserunt. De quibus consultum piissimi, ac religiosissimi Domini nostri Sisenandi regis hoc sanctum decrevit Concilium, ut hujusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti ad christiani dogmatis cultum revocentur, ut, quos voluntas propria

non emendat, animadversio sacerdotalis coerceat; ii autem, quos circumciderunt, si filii eorum sint, à parentum consortio separentur, si servi, pro injuria corporis sui libertati tradantur.» Hæc ibi can. 57. vel 58. et recitantur in Dec. de consec. dist. 4. *Plerique.* Clare igitur perspicere datur, quod propter hos judæos apostatantes á Christo, postea can. sequenti, qui incipit, *judæorum filios,* Concilium decernit, ut jam supra narratum est. Nec mirum, si hoc de filiis dixit, qui propter affectum ad parentes, juxta ar. præsentem magis sunt in periculo, quandoquidem etiam adultis, ne ad infidelitatem relaberentur, accuratissime providit sic. "Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt? Nulla ergo communio ultra sit hebræis ad fidem christianam translatis cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. Quicumque ergo amodo ex his, qui baptizati sunt, infidelium consortia non vitaverint, et hi christianis donentur, et illi publicis cædibus deputentur," Hæc idem Concilium cano. 60. vel 61. et registratur in Decretis 29. q. 1. c. *Sæpe malorum.* Adducti sunt sub disjunctione canones, quoniam exemplaria duo habita non concordabant in numeris; quod, si forte alibi sic contigerit, huic aut simili motivo imperturbatus adscribas. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissas Concilii sententias, pro quanto vel invitis parentibus filios infidelium non baptizandos, vel hoc periculosum dicit, et intelligas, et declares, et probes. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, fuisse merito á Concilio *Neocæsariensi*, cujus canones per Synodum *Constantinopolitanam in Trullo* celebratam probati fuerunt, insinuatum, quod pueri in maternis uteris non possunt baptizari. Dicit enim canon. 6. "Gravidam oportet baptizari, quando voluerit. Nihil enim in hoc, quæ parit, nascenti communicat, propterea quod uniuscujusque suum propositum in confessione declaretur. Hæc secundum editionem primam illius concilii. Et secundum editionem secundam clarius. «De prægnantibus, quod oporteat eas baptizari, quando volunt. Nihil enim in hoc sacramento commune est parituræ, et illi, qui de ejus utero fuerit editus, quia uniuscujusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur. Ecce, quam aperte determinat quod in sacramento baptismi, quo baptizatur mater, nihil communicat infans utero ejus inclusus. Ergo á fortiori innuit Concilium, quod per hoc, quod corpus matris jam baptizatæ lavatur aqua ad baptizandum puerum intus existentem, non attingitur puer ille á sacramento. Si enim sacramentum baptismi collatum matri baptizandæ non pertingit ad puerum baptisandum: multo minus aqua superfusa matri baptizatæ jam, et non baptizans matrem, baptizabit infantem. Nec valet, si recurratur ad intentionem volentem baptizare infantem, non matrem: quoniam loquitur Concilium de re ipsa in se considerata. Si enim vidisset, quod secundum remipsam posset baptismus matris baptizare et inclusum puerum, cur non dixisset: baptizantes vos matrem gravidam habeatis intentionem ad baptizandum etiam simul puerum? Certe hoc dicere facile erat Concilio, et facilius pro salute pueri, si verum esset. Potuisset namque tunc et ipsa confessio matris, qua respondebat, *Credo*, reputari etiam pro puero, sicut et confessio patrini talis computatur nunc pro puero nato baptizando: potuisset et forma baptismi proferri sic, *Ego baptizo vos*, sicut et nunc fieret, quando in necessitate multi simul baptizarentur, quæt. 66. art. 5. ad 4. Cæterum, quia Concilium vidit, baptismum illum secundum rei veritatem non posse attingere prolem inclusam: ideo de intentione tali, hac forma nec verbum fecit: imo patenter aperuit, quod in hoc baptismi sacramento nihil comunionis habet nascitura proles. Eadem ratione motum fuit Concilium ad non dicendum baptizaturis matrem gravidam: Non habeatis intentionem ad baptizandum prolem, sive potius habeatis intentionem, quod non vultis per talem baptismum matris baptizare prolem: et sitis securi, quod tunc proles non erit baptizata. Pro quo sciendum, quod baptizaturi matrem (quantum ex contextu ipso conjicitur) dubitabant, ne per hoc baptizaretur proles. Unde scrupulo conscientiæ agitabantur dicentes: Si postea baptizabimus prolem, erimus rebaptizantes, si autem non, scandalizabitur populus, videndo, puerum nasci ex baptizata, et ad Ecclesiam pro

baptismo recipiendo non portari. Quid juris ergo Domini Patres? Melius est, ut non baptizetur mater, donec emiserit infantem. Sic enim et conscientiæ nostræ ex præmissis tricis liberabuntur, et nihilominus mater, etiamsi mortua prægnans fuerit in voto baptismi salvabitur, et tunc puer é ventre matris aperto extractus ad Ecclesiam portabitur, atque cum ædificatione populi solemniter baptizabitur. Responderunt Patres Concilii ad istos presbyteros, ut supra. Quasi dixissent. Relinquatis vos Plebani istum scrupulum, quod baptizando matrem baptizetis simul et prolem: quoniam hoc omnino falsum est. Baptizanda mater confessione propria symboli fidei per baptismum salvabitur: baptizandus postea puer natus confessione Ecclesiæ de sybolo fidei facta, et ipse per baptismum actu tunc susceptum ab originali mundabitur. Respondit sic Concilium. Poterat vero, si dubitasset de baptizatione pueri in utero existentis, respondere adhuc: ut omnia consona fiant, et conscientiæ vestræ scrupulosæ non lædantur, postea portato puerulo ad Ecclesiam, omnes ceremonias baptismo circumstantes facietis circa illum, excepto, quod eum non baptizabitis, quia, jam baptizata matre, baptizatus fuit, vel si eum baptizare vultis ad cautelam, ne forte tunc non fuerit baptizatus, baptizabitis illum sub conditione hac, scilicet, *si non es baptizatus ego te baptizo.* Denique, quia Concilium sacrum nihil dubitavit de hoc, quod puer ille non baptizatur. baptizata simul matre: ideo cunctis his, sive de intentione, sive de forma, sive de cautela, sive de conditione (ut præfertur) totaliter omissis, stabilem sententiam resolute pro responso dedit, scilicet, quod puer ille nullo modo erat baptizata matre, baptizatus. Item insinuatur idipsum á Concilio Martini Papæ. " Si qua mulier prægnans desideraverit gratiam baptismi percipere, quando voluerit, habeat potestatem: Nam nihil participat in hoc mater infanti, qui nascitur, propterea quod uniuscujusque propria voluntas in confessione monstretur. Et recitantur in Decretis de conse. di 4. c. *Si qua mulier.* Quæ dicta proculdubio cum Concilio *Neocæsariensi* prædicto in sensu omnino conveniunt. Item ab Isid. ut recitatur in Decretis de consecr. di. 4. c. " Qui in maternis sunt uteris, ideo baptizari non possunt, quia, etc. Vide ad hoc propositum aliquid simile, si bene applicetur, dictum á Papa In. II. extra de baptis. et ejus effectu, cap. Non ut apponeres. Hoc dictum Innocentii ponitur verbatim sup. art. 2. coroll. post ad 3. Inde firmam determinationem sumes ad quædam argumenta, quæ in præsentis articuli materia solent fieri á quibusdam in contrarium, quasi pro pietate. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta á Patribus, pro quanto pueros in utero inclusos statuunt baptizari non posse, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Conciliis, quod furiosi sunt, et non sunt baptizandi. Ut a Concilio Arausicano 1. sub Leone I. c. 12. " Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.» Et recitantur in Decr. 27. qu. 6. c. Qui recedunt. Item ab eodem Concilio cap. 13. " Amentibus, quæcumque sunt pietatis, conferenda sunt. » Intellige tu ex concilii ejusdem præmiso ca. conditonem hanc; scilicet si amentes voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habent, quando videlicet erant in lucido intervallo. Alioquin secundum Concilium judica de illis, si numquam habuerunt lucidum intervallum, sicut de pueris. Vide art. 9. Et hæreses ibi narratas de pueris, si ad tales amentes applicentur, per hujus articuli rationem rejice. Et Concilia ibi illas damnantia hæc etiam ratione sustenta. Item idipsum insinuatur á Concilio « Carthaginensi 3. cap. 34. Ægrotantes, si pro se respondere non posunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur. » Hæc ibi. Et recitatur de consecratione, dist. 4. Ecce, quod omnia Consilia ad voluntatem baptizandi, si aliquando usum rationis habuerit, respici aliquo modo statuunt. Unde ex hoc stabilitam agnoscas notationem post *secundæ* conclusionis probationem supra positam, item á Papa *Innoc. III.* extra de baptis. et ejus effectu, cap. *Majores.* Ubi postquam dixerat, quod amentibus, si voluntatem non habuerint suscipiendi baptismum, non

debet conferri: si autem habuerint, baptizandi sunt, concludit, quod tunc sacramentalis operatio imprimit characterem, quando obicem voluntatis contrariæ non invenerit obsistentem. Vide ibi circa finem capituli de ament. et circa post medium de dormientibus, ubi Conciliis præmissis, maxime quad rationem formalem de voluntate baptizandorum consona profert. Pro prædictis juvat etiam videre lib. Decr. de consec. d. 4. c. parvuli alio, et. cap. cum pro parvulis. Secundo habes: qumodo per rationem prædicta Papæ, atque Conciliorum pro quanto amentibus baptismum vel dandum statuunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO SEXAGESIMA NONA,

DE EFFECTIBUS BAPTISMI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus baptismi.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, utrum per baptismum auferantur omnia peccata.

Secundo, utrum per baptismum liberetur homo ab omni pœna.

Tertio, utrum baptismus auferat pœnalitates hujus vitæ.

Quarto, utrum per baptismum conferantur homini gratia, et virtutes.

Quinto, de effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.

Sexto, utrum etiam parvuli in baptismo gratias, et virtutes accipiant.

Septimo, utrum per baptismum aperiatur baptizatis janua regni cœlestis.

Octavo, utrum baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.

Nono, utrum fictio impediat effectum baptismi.

Decimo, utrum recedente fictione, baptismus obtineat suum effectum.

ARTICULUS I.

Utrum per baptismum tollantur omnia peccata.

Pro negativa. = Videtur, quod per baptismum non tollantur omnia peccata.

1. Per generationem carnalem, homo contrahit solum peccatum originale. Ergo per baptismum solvitur solum originale peccatum.

Conseq. probat., quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio; quæ contraponitur generationi carnali.

2. Ante baptismum requiritur in adultis pœnitentia, secundum illud, Act. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

Conseq. probat., quia pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum.

3. Peccatum originale quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati á peccato actuali. Ergo non omnia peccata per baptismum remittuntur.

Conseq. prob., quia diversorum morborum diversæ sunt medicinæ: *non* enim *sanat oculum quod sanat calcaneum*, ut Hieron. dicit super illud Mat. 9. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, etc.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ezech. 36. dicitur: « effundam super « vos aquam mundam; et mundabimini ab « omnibus inquinamentis vestris. »

Determinatio.

Conclusio. Omne peccatum per baptismum tollitur.

Prob. Per sacramentum, per quod homo moritur vetustati peccati et incipit vivere novitati gratiæ, tollitur omne peccatum. Sed per baptismum homo moritur vetustati peccati et incipit vive-

re novitati gratiæ. Ergo per baptismum tollitur omne peccatum.

Maior prob., quia omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde ille, qui moritur pristinæ vetustati, omni peccato moritur.

Minor prob., quia Apost. dicit Rom. 6. «Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus:» et postea concludit; «ita et vos existimate vos quidem mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.» Ex quo patet quod homo per baptismum moritur vetustati peccati et incipit vivere novitati gratiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod baptismus assimilatur quidem generationi carnali, tamen maiorem efficaciam in bonum habet, quam habeat generatio carnalis in malum. Unde, sicut Apost. dicit Rom. 5. peccatum Adæ non tantum potest, quantum potest donum Christi quod in baptismo percipitur: Nam «judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem;» Unde et Aug. dicit in lib. 1. de pecc. merit. c. 15. quod «generante carne, tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante autem spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.»

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod per pœnitentiam non remittuntur actualia peccata, nisi virtute passionis, cujus primo efficimur participes per baptismum. Ad cujus evidentiam est considerandum quod nullius peccati remissio fieri potest, nisi per virtutem passionis Christi; unde et Apost. dicit Heb. 9. quod «sine sanguinis effusione non fit remissio,» et ideo motus humanæ voluntatis, qui est in pœnitente, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi et propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subjiciendo se clavibus Ecclesiæ. Et ideo quando aliquis adultus pœnitens ad baptismum accedit, consequitur remissionem peccatorum omnium ex proposito suscipiendi baptismum: et perfectius eam consequitur ex reali susceptione baptismi. Et breviter ad prob. conseq. dicitur, quod pœnitentia ante baptismum non est causa remissionis peccatorum, nisi quatenus includit voluntatem suscipiendi baptismum; et sic virtute baptismi suscipiendi, et magis suscepti, omnia delentur peccata.

Ad 3. Neg. Conseq. Ad prob. dicitur, quod assumptum est verum de particularibus medicinis; in his enim verum est quod diversi morbi diversis curantur medicinis. Non autem est verum de medicina universali; si enim esset una universalis medicina habens in se omnium particularium medicinarum virtutes, unica medicina omnes infirmitates curarentur. Et quia baptismus operatur virtute passionis Christi, quæ est universalis medicina omnium peccatorum, ideo per baptismum omnia peccata tolluntur.

ARTICULUS II.

Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati.

Pro negativa = Videtur quod per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati.

1. Culpa non ordinatur nisi per pœnam, ut Aug. dicit lib. 1. retract. c. 9. et lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. Ergo reatus præcedentium peccatorum non tollitur per baptismum, sed solum per pœnam.

Conseq. probat., quia quæ á Deo sunt, ordinata sunt. Unde cum remissio sit quædam culpæ ordinatio, ex hoc quod culpa solum per pœnam ordinatur, sequitur quod non possit culpa per baptismum remitti.

2. Effectus sacramenti habet aliquam similitudinem cum ipso sacramento. Sed remissio reatus non habet aliquam similitudinem cum sacramento baptismi. Ergo

remissio reatus non est efectus baptismi.

Maior prob., quia sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant, ut dictum est q. 62. art. 3. Unde quod efficitur per sacramentum, debet habere similitudinem cum sacramento, quod est per sacramentum figurari.

Minor prob. Nam ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculæ, nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus pœnæ.

3. Si per baptismum tollitur reatus pœnæ, injustum esset post baptismum suspendere latronem, qui ante baptismum furtum, vel homicidium, commisit, et ita per baptismum tolleretur rigor humanæ disciplinæ, quod est inconveniens. Ergo per baptismum non tollitur reatus pœnæ.

Conseq. prob., quia sublato reatu pœnæ, aliquis non remanet dignus pœna; latro igitur baptizatus non remaneret dignus pœna, ac per hoc injuste puniretur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambr. dicit super illud Rom. 11. «Si- "ne pœnitentia sunt dona Dei, et voca- "tio. Gratia Dei in baptismo gratis "omnia condonat.»

Determinatio.

Conclusio. Ille qui baptizatur, liberatur á reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.

Prob. Per illud, per quod homo incorporatur passioni et morti Christi, liberatur ab omni reatu pœnæ sibi debitæ pro peccatis suis. Sed per batismum incorporatur ille qui baptizatur passioni et morti Christi. Ergo per baptismum liberatur ille qui baptizatur ab omni reatu pœnæ sibi debitæ pro peccatis suis.

Maior prob., quia passio Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, ut dictum est q. præced. art. 5. Unde ei qui huic passioni incorporatur, communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset.

Minor prob., quia dicitur Rom. 6. *Si mortui sumus cum Christo; credimus, quia simul etiam vivemus cum eo.* Morimur autem cum Christo in baptismo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etiam in eo qui baptizatur, culpa per pœnam ordinatur, non quidem per pœnam propriam, sed per pœnam, quam Christus passus est, quæ communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset: et ideo ejus peccata remanent ordinata per pœnam passionis Christi.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod aqua non solum abluit, sed etiam refrigerat; et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus pœnæ, sicut sua ablutione significat emundationem á culpa.

Ad 3. Neg. conseq. In pœnis enim quæ judicio humano inferuntur, non solum attenditur qua pœna sit homo dignus quoad Deum; sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui læsi et scandalizati sunt per peccatum alicujus. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur á reatu pœnæ, quoad Deum: remanet tamen adhuc obligatus quoad homines, quos justum est edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Princeps tamen pie posset talibus pœnam indulgere.

ARTICULUS III.

Utrum per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ.

Pro affirmativa.= Videtur quod per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ.

1. Per peccatum Adæ mors in hunc mundum intravit, ut Apost. dicit ad Rom. 5. Et per consequens omnes aliæ pœnalitates præsentis vitæ. Ergo multo magis per donum Christi, quod in bap-

tismo percipitur, homo debet á præsentis vitæ pœnalitatibus liberari.

Conseq. probat., quia donum Christi potentius est, quam peccatum Adæ, ut Apost. dicit ad Rom. 5.

2. Baptismus sic aufert culpam actualem, quod etiam liberat ab omni pœnæ reatu consequente actualem culpam. Ergo etiam liberat á reatu consecuente peccatum originale, quæ sunt pœnalitates præsentis vitæ.

3. Per baptismum tollitur causa harum pœnalitatum, scilicet originale peccatum. Ergo per baptismum tolluntur etiam hujusmodi pœnalitates.

Conseq. probat., quia remota causa, removetur effectus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Rom. 6. *Destruatur corpus peccati*, dicit Glos. et Aug. lib. 1. de bapt. parvul. c. 39. « Per baptismum " id agitur, ut vetus homo crucifigatur " et corpus peccati destruatur, non ita, " ut ipso vivente carnis concupicentia re- " pensa et innata repente absumatur et " non sit, sed ne obsit mortuo, quæ " inerat nato. » Ergo pari ratione, nec aliæ pœnalites tolluntur.

Determinatio.

Conclusio. Baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas aufert in præsenti vita; sed ejus virtute auferentur á justis in resurrectione, quando (ut dicitur 1. Cor. 15.) *Mortale hoc induet immortalitatem.*

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter tria: primo per baptismum homo incorporatur Christo et eficitur membrum ejus, ut art. præced. dictum est. Ergo per baptismum non debuit homo liberari á pœnalitatibus præsentis vitæ, nisi in resurrectione.

Consequentia probatur, quia conveniens est ut id agatur in membro incorporato, quod actum est in capitæ, Christus autem á principio suæ conceptionis fuit plenus gratia et veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum; unde et christianus, qui in baptismo gratiam consequitur, quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo cum Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apost. dicit Rom. 8. « Qui suscitavit " Jesum Christum á mortuis, vivificabit " et mortalia corpora nostra propter in- " habitantem spiritum ejus in nobis;» et infra in eodem c. « Hæredes quidem " Dei, cohæredes autem Christi, si ta- " men compatimur, ut et simul conglo- " rificemur. »

Secundo hoc fuit conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet; unde super illud Rom. 6. *Ut destruatur corpus peccati*, dicit Glos. ex Aug. lib. 1. de bapt. parv. cap. 39. " Si post baptismum vixerit homo in " carne, habet concupiscentiam cum " qua pugnet, eamque adjuvante Deo " superet; » In cujus figuram dicitur Judic. 3. « Hæ sunt gentes, quas Do- " minus dereliquit, ut erudiret in eis " Israelem, et postea dicerent filii eorum " certare cum hostibus et habere con- " suetudinem preliandi. »

Tertio, hoc fuit conveniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ; et non propter gloriam vitæ æternæ. Unde et Apost. dicit 1. cor. 15. *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod donum Christi habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas abstulit, quia convenientius fuit eas non omnino auferre, ut dictum est in corpore. « Sicut enim aliquis « capiens hostem atrocissimum, non sta-

« tum interficit eum, sed patitur eum « cum dedecore et dolore aliquantulum « vivere » (ut Glo. ordin. dicit super illud Ro. 60. « Ut ultra non serviamus « peccato) ita et Christus prius pœna « alligavit, in futuro autem perimet;» et in hoc consistit efficacia doni Christi, quod in baptismo datur.

Ad 2. dicitur quod sicut Glo. ordin. dicit super illud ad Rom. 6. *Homo noster simul crucifixus est*, duplex est pœna peccati, gehennalis et temporalis, gehennalem prorsus delevit Christus, ut eam non sentiant baptizati et vere pœnitentes. Temporalem vero nondum pœnitus tulit; manent enim fames, sitis, mors et hujusmdi, sed regnum et dominium ejus dejecit, ut scilicet hæc homo non timeat: et tandem in novissimo hanc temporalem pœnam pœnitus exterminabit. Ad formam igitur argumenti dicitur, quod baptismus liberat ab omni reatu gehennali, non solum peccati actualis, sed etiam originalis: A reatu autem temporali originalis peccati, etsi in præsenti non liberet propter dictas rationes; regnum tamen ejus dejecit, et in futuro pœnitus destruet, ut in sequenti responsione adhuc formalius dicetur.

Ad 3. dicitur, quod originale peccatum hoc modo processit quod persona prius fuit infecta et postea persona infecit naturam et postea natura infecit personam. Hoc est personale peccatum Adæ infecit naturam humanam in Adamo, et natura infecta ex Adam postea propagata, infecit personam eorum qui ex Adam per viam seminalem descenderunt. Christus autem converso ordine processit; prius enim reparat id quod est personæ; et postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam pœnam carentiæ visionis divinæ quæ respiciunt personam, statim tollit ab homine per baptismum; sed pœnalitates præsentis vitæ, sicut sunt mors, fames et sitis et alia hujusmodi, rescipiunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia; et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturæ, per resurrectionem gloriosam. Ad formam igitur dicitur ad antecedens, quod per baptismum non tollitur causa harum pœnalitatum; hujusmodi enim pœnatitates procedunt á principiis naturæ destitutæ originali justitia, unde manet causa harum pœnalitatum, quoadusque sanetur natura, quod fiet in ultima glorificatione.

Ex quibus patet formalior responsio etiam ad secundum: Neg. enim conseq. non enim est eadem ratio de pœnis actualium peccatorum, et de his quæ consequuntur originale peccatum; nam illæ pertinent ad personam, quæ quia per baptismum reparatur, ideo accepto dono Christi, omnis culpa actualis, et pœna consequens remittitur. Pœnæ autem peccati originalis consequuntur infectam naturam; et ideo non tolluntur pœnæ originalis peccati per hoc quod sanatur persona, nisi sanetur etiam natura.

ARTICULUS IV.

Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes.

Pro negativa. = Videtur, quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes.

1. Per ablutionem baptismi significatur emundatio animæ á culpa, non autem informatio animæ per gratiam et virtutes. Ergo videtur quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes.

Conseq. prob., quia sicut supra dictum est q. 60. ar. 2. et q. 62. ar. 3. et q. 68. ar. 2.) sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant. Si ergo baptismus non figurat hanc informationem animæ per gratiam et virtutes, videtur quod eam non efficiat.

2. Aliqui accedunt ad baptismum habentes jam gratiam et virtutes, ut fuit Cornelius, de quo legitur Act. 10.

Ergo per baptismum non conferuntur gratiæ et virtutes.

Conseq. prob., quia illud quod jam aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere.

3. Post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malum, per quod tollitur virtus; et consequitur difficultas ad bonum quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam et virtutes.

Conseq. prob., quia virtus est habitus, ad cujus rationem pertinet, quod sit qualitas dificile mobilis, per quam aliquis faciliter et delectabiliter operetur. Si ergo in baptizatis remanet pronitas ad malum et difficultas ad bonum, videtur quod non adquisierint virtutes per baptismum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit ad Titum 3. «Salvos nos «fecit per lavacrum regenerationis (idest «per baptismum) et renovationis Spiri«tus Sancti, quem effundit in nos abun«de» idest «ad remissionem peccatorum, «et copiam virtutum,» ut Gloss. inter. ibi exponit. Ergo in baptismo datur gratia Spiritus Sancti et copia virtutum.

Determinatio.

Conclusio. Per baptismum conferuntur homini gratia et virtutes.

Prob. Per id, per quod homines incorporantur Christo ut membra ejus, conferuntur gratia et virtutes. Sed per baptismum incorporantur homines Christo, sicut membra ejus, ut Aug. dicit in 1. lib. de bapt. parv. cap. 26. Ergo per baptismum consequuntur illi qui baptizantur, gratiam et virtutes.

Maior prob, quia á capite Christo in omnia membra ejus gratiæ et virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. secunda pars antecedentis; aqua enim baptismi, sicut per suam absolutionem significat emundationem culpæ; et per suum refrigerium significat liberationem á pœna; ita per naturalem claritatem, significat splendorem gratiæ et virtutum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod sicut dictum est quest. præced. art. 2. remissionem peccatorum consequitur aliquis ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto implicite, vel explicite; et tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio, quantum ad liberationem á tota pœna; et sic Cornelius et alii similes consequuntur gratiam ante baptismum et virtutes, per fidem Christi et desiderium baptismi implicite, vel explicite. Postmodum autem in baptismo maiorem copiam gratiæ et virtutum consequuntur. Unde super illud Psal. 22. *Super aquas refectionis educavit me*, dicit Glos. interl. *Per augmentum virtutis et bonæ operationis educavit in baptismo.*

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod difficultas ad bonum et pronitas ad malum, inveniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in baptismo; sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur difficultas ad bonum et pronitas ad malum, ne homo ab his superetur.

ARTICULUS V.

Utrum convenienter atribuantur baptismo quidam actus virtutum.

Pro negativa. = Videtur quod inconvenienter atribuantur baptismo actus virtutum, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio et fecundatio.

1. Nullus baptizatur, nisi jam Christo incorporatus. Ergo incorporari Christo non est effectus baptismi.

Conseq. patet, quia effectus non præcedit causam.

Anteced. prob., baptismus non datur adultero, nisi fideli, secundum illud Mach. ult. *Qui crederit et baptizatus fue-*

rit, salvus erit. Ergo nullus baptitatur, nisi Christo incorporatus.

Conseq. hæc prob., quia per fidem aliquis incorporatur Christo, secundum illud ad Ephes. 3. *Habitare Cristum per fidem in cordibus vestris.*

2. Illuminatio fit per doctrinam. Ergo illuminatio non est effectus baptismi.

Antecedens prob., quia ad Ephes. 3. dicitur. *Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes.*

Conseq. prob., quia doctrina præcedit baptismum in catechismo.

3. Per baptismum regeneratur aliquis spiritualiter. Ergo fœcunditas non est effectus baptismi.

Conseq. prob., quia fœcunditas pertinet ad generationem activam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in 2. lib. de bapt. parv. cap. 26. quod ad hoc valet baptismus, ut baptizati Christo incorporentur. Dion. etiam in 2. cap. Eccles. Hier. atribuit illuminationem baptismo, et super illud Psal. 22. *Super aquam refectionis educavit me*, dicit Glos. Cassiod. *quod anima peccatorum ariditate esterilis fœcundatur per baptismum.*

Determinatio.

Conclusio. Convenienter atribuuntur baptismo incorporatio ad Christum, illuminatio et fœcundatio.

Prob. Sacramento, per quod aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi, convenienter atribuuntur incorporatio ab Christum, illuminatio et fœcundatio. Sed per Sacramentum baptismi, ille qui baptizatur, regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi, secundum illud Gal. 2. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Ergo convenienter atribuuntur baptismo supradicti tres actus virtutum. Maior manifestatur. Nam vita non est, nisi membrorum unitorum capiti, á quo sensum et motum membra suscipiunt. Ille igitur qui ad vitam spiritualem regeneratur, necessario unitur et incorporatur capiti Christo, á quo suscipit spiritualem vitam; et quia capite recipiunt membra sensum, á capite spirirituali Christo recipiunt fideles spiritualem sensum, qui consistit in cognitione veritatis; et ideo illuminantur á Christo circa cognitionem veritatis: et iterum quia á capite recipiunt membra motum; sic á capite Christo recipiunt fideles spiritualem motum, qui est per instinctum gratiæ, secundum illud Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis, et de plenitudine ejus omnes nos accepimus.* Ille igitur; qui ad vitam spiritualem regeneratur, necesse est ut incorporetur Christo capiti á quo hujusmodi vitam spiritualem suscipiat simul cum sensu, qui est cognitio veritatis, et motu qui est per fœcundationem bonorum operum. Illud igitur sacramentum, per quod homo ad talem vitam regeneratur, convenienter ista tria efficere dicitur. Et sic patet maior, quæ erat probanda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob., quod adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter, sed postmodum, cum baptizantur, incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum, sine cujus proposito nec mentaliter incorporari potuissent.

Vel formalius dicitur negando consequentiam. Ad prop. dicitur, quod non incorporatur aliquis Christo per fidem, nisi cum proposito baptismi.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prop. dicitur, quod per doctrinam quæ præcedit baptismum in Cathechismo, fit illuminatio exterius. Deus autem illuminat interius baptizatos, præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, secundum illud Jo. 6. *Est scriptum in prophetis. Erunt omnes docibiles Dei.* Et hæc illuminatio est effectus baptismi.

Ad 3. neg. conseq. Fœcunditas enim quæ est effectus baptismi, non ponitur ea, qua quis per baptismum regeneratur, sed illa, qua quis bona opera per gratiam in baptismo acceptam producit: et qua alios baptizatus in Christo generat; ut dicitur 1. Cor 4. *in Christo Jesu per Evang. ego vos genui.*

ARTICULUS VI.

Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes.

Pro negativa. = Videtur quod pueri in baptismo non consequantur gratiam et virtutes.

1. Pueri non habent fidem et charitatem. Ergo pueri in baptismo non recipiunt gratiam et virtutes.

Anteced. prob., quia *fides consistit in credentium voluntate*, ut Aug. dicit. Epist. 23. Et charitas consistit in diligentium voluntate, cujus voluntatis actum pueri non habent.

Conseq. prob., quia gratia et virtutes non habentur sine fide et charitate.

2. Puer non cooperatur Christo ad suam justificationem, immo quandoque pro posse renittitur. Ergo puer non justificatur per gratiam et virtutes.

Conseq. prob., quia super illud Joan. 14. Maiora horum faciet tract. 72. dicit Aug., quod *ex impio justus fiat in illo, sed non sine illo Christus operatur.* Qui igitur non cooperatur Christo in propria justificatione, non justificatur.

Antec. prob., quia puer non habet usum liberi arbitrii, quo possit Christo cooperari.

3. Ille, qui justificatur per gratiam et virtutes, credit in eum qui justificat impium. Sed puer non est credens in eum qui justificat impium. Ergo puer non consequitur gratiam et virtutes.

Maior prob., quia Rom. 4. dicitur: « ei qui non operatur, credenti autem « in eum qui justificat impium, reputa- « tur fides ejus ad justitiam, secundum « propositum gratiæ Dei. »

4. Pueri quandoque ad baptismum deferuntur carnali intentione, ut scilicet corporaliter sanentur. Ergo pueri sic delati ad baptismum non consequuntur effectum gratiæ et virtutum.

Conseq. prob., quia quod ex carnali intentione agitur, non videtur habere spiritualem effectum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Parvuli in baptismo consequuntur novitatem vitæ. Ergo parvuli in baptismo consequuntur gratiam et virtutes.

Antec. prob., quia August. dicit in Ench. cap. 52. « Parvuli renascendo « moriuntur illi peccato quod nascendo « contraxerunt, ac per hoc ad illos etiam « pertinet quod dicitur: consepulti su- « mus cum illo per baptismum in mor- « tem; subditur autem, ut quomodo « Christus surrexit á mortuis per gloriam « patris; ita et nos in novitate vitæ am- « bulemus. »

Conseq prob., quia novitas vitæ est per gratiam et virtutes.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam antiqui posuerunt, quod pueris in baptismo non datur gratia et virtutes, sed solum imprimitur character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes.

Causa hujus erroris.

Causa autem hujus erroris fuit, quia videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutes habere.

Reprobatio et vera sententia.

Hæc positio remanebit reprobata ex rationibus veræ sententiæ.

Conclusio. Pueri in baptismo consequuntur gratiam et virtutes.

Prob. dupliciter: primo, pueri sicut et adulti in baptismo efficiuntur membra Christi. Ergo necesse est quod á capite Christo recipiant influxum gratiæ et virtutes. Secundo, quia alioquin pueri decedentes post baptismum non per-

venirent ad vitam æternam, quæ per solam gratiam datur, ut dicitur Rom. 6. Et ita non profuisset eis baptismus.

Ad rationem contrariæ positionis.

Motivum autem contrariæ sententiæ ex hoc processit, quia auctores hujus positionis nescierunt distinguere inter habitum et actum. Sunt enim pueri baptizati inhabiles ad actum virtutum, non quidem ex defectu habituum, sed hoc accidit eis ex defectu corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitum virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. Consequuntur igitur pueri in baptismo, non solum characterem, sed etiam habitum gratiæ et virtutum, quarum actus tunc exercere non possunt, propter corporalem defectum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. neg. anteced. Nam etsi pueri baptizati non habeant actum fidei et charitatis, habent tamen habitus harum virtutum.

Ad prob. dicitur, quod ad actum fidei et charitatis requiritur actus voluntatis, qui quia non est in pueris, consequens est quod nec in eis sint harum virtutum actus. Ad habitus tamen harum virtutum sufficit potentia voluntatis, quæ est in pueris. Unde August. dicit Epist. 23 ad Bonif. quod " parvulum etsi nondum illa fides, quæ in " credentium voluntate consistit » (idest actus fidei) " jam tamen ipsius fidei sacramentum » (quod causat habitum fidei) " fidelem facit. »

Ad 2. neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sententia illa Aug. non de parvulis, sed de adultis intelligenda est: sicut etiam quod idem Aug. dicit in lib. de charit. *Nemo ex aqua et Spiritu Sancto renascitur, nisi volens:* hoc enim in parvulis locum habere non potest Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt reluctantur, non eis imputatur, quia *in tantum nesciunt quod faciunt, ut nec facere videantur*, ut August. dicit Epis. 57.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod ille, qui justificatur credit in eum qui justificat impium per seipsum, si sit adultus, vel per alium, idest per Ecclesiam. Tunc ad minorem dicitur, quod pueri credunt, non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur. Unde dicit Aug. « Parvulis mater Ecclesia, « aliorum pedes accomodat ut veniant, « aliorum cor, ut credant, et aliorum lin« guam ut fateantur. » Et hujus fidei vi, conferuntur pueris gratia et virtutes.

Ad 4. neg. conseq. Carnalis enim intentio deferentium pueros ad baptismum, nihil eis nocet, sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat: Unde Aug. dicit Epist. 23. ad Bonif. et refertur de consecr. dist. 4. cap. Mater Eccles. « Non illud te moveat quod qui« dam non ea fide ad baptismum perci« piendum parvulos ferunt, ut gratia « spirituali ad vitam regenerentur æter« nam, sed hoc eos putant remedio cor« poralem retinere, vel recipere sanita« tem. Non enim propterea illi non re« generantur, quia non ab istis hac « intentione offeruntur. » Ex quibus ad prob. dicitur, quod efectus spiritualis non intentione carnali offerentium puerum ad baptismum nascitur, sed ex recta intentione Ecclesiæ.

ARTICULUS VII.

Utrum effectus baptismi sit apertio januæ regni cœlestis.

Pro negativa. = Videtur quod, effectus baptismi non sit apertio januæ regni cœlestis.

1. Illud quod jam est apertum, non indiget apertione. Sed janua regni cœlestis est jam aperta per passionem Christi. Unde Apoc. 4. dicitur. *Post hæc vidi ostium magnum apertum in cælo.* Ergo apertio januæ regni cœlestis non est efectus baptismi.

2. Baptismus ante passionem Christi non habuit effectum aperiendi januam

regni cœlestis. Ergo nec post Christi passionem, hunc effectum habet.

Anteced. prob., quia illis, qui sunt baptizati baptismo Christi ante ejus passionem, de quibus habetur Joan. 3. Si tunc decessissent, introitum cœlestis regni non patuisset, cum nullus ante Christum regnum cœlorum ingredi posset, secundum illud Mich. 2. *Ascendit pandens iter ante eos.*

Conseq. prob., quia baptismus omni tempore, ex quo institutus fuit, habuit suum effectum.

3. Baptizati adhuc sunt obnoxii morti et aliis pœnalitatibus vitæ præsentis, ut art. 3. dictum est. Ergo effectus baptismi non est apertio regni cœlestis.

Conseq. probat., quia nulli est apertus aditus regni cœlestis quamdiu obnoxius est pœnæ: sicut patet de his qui sunt in purgatorio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Luc. 3. *Apertum est cælum*, dicit Glos. ex Beda. cap. 10. *Virtus hic baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni cœlestis ei janua aperitur.*

Determinatio.

Conclusio. Effectus baptismi est apertio januæ regni cœlestis.

Prob. Effectus ejus per quod omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur est apertio januæ regni cœlestis. Sed per baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur, ut art. 1. et 2. ostensum est. Ergo effectus baptismi est apertio januæ regni cœlestis.

Maior prob., quia aperire januam regni cœlestis est amovere impedimentum, quo quis impeditur regnum cœleste introire; hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Illud igitur, per quod tollitur culpa et reatus pœnæ, aperit januam regni cœlestis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod illud quod est jam apertum, non indiget de novo aperiri: tamen opus est, ut ingredi volens fiat particeps ejus per quod facta est apertio: tunc ad minorem, dicitur quod ex hoc quod per passionem Christi apertum est cœlum necessarium est quod volentes ingredi cœlum, fiant participes passionis Christi, quod fit per baptismum, qui intantum aperit baptizato januam regni cœlestis, in quantum incorporat eum passioni Christi, virtutem ejus homini applicando.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januæ apertionem, non quidem in re, sed in spe; baptizati enim tunc decedentes, ex certa spe introitum regni cœlestis expectabant.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod aliquis potest esse obnoxius morti et pœnalitatibus præsentis vitæ dupliciter. Vel propter culpam, vel propter statum naturæ tantum. Illis qui sunt obnoxii his pœnalitatibus propter culpam, non patet aditus regni cœlestis. His vero qui solum propter naturæ statum pœnalitatibus sunt obnoxii, regnum cœleste patet. Baptizatus autem non est obnoxius morti et pœnalitatibus vitæ præsentis propter reatum personæ, sed solum propter statum naturæ. Et ideo non impeditur ab introitu regni cœlestis, quando anima separatur á corpore per mortem, quasi jam persoluto eo quod naturæ debebatur.

ARTICULUS VIII.

Utrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

Pro negativa. = Videtur, quod baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum.

1. Baptismus plura peccata tollit in quibusdam, quam in aliis. Ergo baptismus non habet in omnibus æqualem effectum.

Anteced. prob., quia in pueris tollit solum peccatum originale; in adultis au-

tem etiam peccata actualia, in quibusdam quidem plura, in quibusdam vero pauciora.

Conseq. prob.. quia remotio culpæ est effectus baptismi.

2. Quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam et maiorem perfectionem virtutum, quam alii baptizati. Ergo baptismus non habet æqualem effectum in omnibus.

Conseq. prob., quia effectus baptismi est conferre gratiam et virtutes.

3. In quibusdam baptizatis, etiam pueris, est maior capacitas naturalium, quam in aliis: ergo aliqui maiorem gratiam consequuntur in baptismo, quam alii.

Conseq. prob., quia natura perficitur per gratiam, sicut materia per formam, quæ recipitur in materia secundum materiæ capacitatem.

4. Quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est á lepra; et tamen non omnes salutem corporalem per baptismum consequuntur. Ergo baptismus non habet æqualem effectum in omnibus.

FRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Uniformis causæ est uniformis effectus; sed baptismus est uniformis causa, dicitur enim ad Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.* Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est effectus baptismi. Unus per se et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam. Effectus vero baptismi per accidens est ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur: sicut super illud Rom. 6. *Ut ultra non serviamus peccato*, dicit Glos. ex Aug. lib. 1. de pec. mer. et rem. c. 39. *Non hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili creatoris, ut lex peccati, quæ est in membris, prorsus extinguatur.*

1.ª Conclusio. Baptismus facit æqualem effectum per se in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum.

Manifestatur. Pueri enim qui æqualiter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur, omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum: quidam enim cum maiori, et quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui magis ei appropinquat, licet ignis quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem diffundat.

2.ª Conclusio. Effectus per accidens baptismi, non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum æquali devotione ad baptismum accedant.

Prob. Quia hujusmodi effectus dispensantur secundum ordinem divinæ providentiæ, quæ aliquibus eos confert aliis vero non.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde quod in quibusdam pauciora et in aliis plura peccata solvat, non est propter maiorem vel minorem efficaciam baptismi, sed propter conditionem subjecti; quia in quolibet solvit quodcumque adinvenerit peccatum.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod hoc quod in baptizatis maior vel minor gratia apparet, potest ex duobus contingere: primo quia unus in baptismo percipit maiorem gratiam quam alius, propter devotionem maiorem, ut dictum est in corp. Secundo quia etiamsi æqualem gratiam suscipiant, non æqualiter ea

utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ deest.

Ad 3. Negatur consequentia. Gratia enim non datur hominibus secundum maiorem vel minorem capacitatem naturalium; et ratio est, quia diversa capacitas naturalium in hominibus non est ex diversitate mentis quæ per baptismum renovatur (cum omnes homines ejusdem speciei existentes in forma conveniant) sed ex diversa dispositione corporum. Sicut é contra secus accidit in angelis, qui quia specie differunt, eis dantur dona gratuita secundum diversitatem naturalium.

Ad 4. Dicitur ad conseq. Quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus divinæ providentiæ quod quandoque in baptizatis fit; ex quo nullo modo sequitur inæqualitas effectus baptismi.

ARTICULUS IX.

Utrum fictio impediat effectum baptismi.

Pro negativa.=Videtur, quod fictio non impediat effectum baptismi.

1. Omnes qui baptizantur in Christo suscipiunt effectum baptismi. Sed omnes qui sacramentum baptismi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes qui baptismum suscipiunt, suscipiunt etiam effectum baptismi.

Maior prob., quia dicitur ad Gal. 3. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis quod est suscipere effectum baptismi.*

2. In baptismo operatur divina virtus, quæ potest voluntatem hominis mutare de malo in bonum et de ficta in non fictam. Ergo effectus sacramenti baptismi non impeditur per fictionem accedentis ad baptismum.

Conseq. probat., quia effectus causæ agentis non potest impediri per id quod ab illa causa potest auferri.

3. De multis aliis peccatis, etiam gravioribus, quam sit fictio, non dicitur quod effectum baptismi impediant. Ergo neque fictio effectum baptismi, impedit.

Prob. conseq. Quia cum effectus baptismi sit gratia, cui opponitur peccatum, sicut non impeditur per alia peccata, puta per homicidium, vel aliud simile quod commisum fuit ante baptismum, ita nec per fictionem impeditur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, ut dicitur Sap. 1. Sed effectus baptismi est á Spiritu Sancto. Ergo effectus baptismi impeditur per fictionem suscipientis baptismum.

Determinatio.

Conclusio. Fictio impedit effectum baptismi.

Prob. Illud per quod quis contradicit baptismo, vel ejus effectui, impedit effectum baptismi. Sed per fictionem aliquis contradicit baptismo, vel ejus effectui. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

Maior prob., quia *Deus non cogit hominem ad justitiam*, ut Dam. lib. 2. Ortod. fid. cap. 30. Et ideo ad hoc quod aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum et baptismi effectum. Unde si aliquis contradicat, vel non amplectatur baptismum et ejus effectum, non recipit ipsum baptismi effectum.

Minor prob. Nam secundum August. quatuor modis dicitur aliquis fictus. Uno modo ille, qui non credit, cum tamen baptismus sit sacramentum fidei. Alio modo per hoc quod contemnit ipsum sacramentum. Tertio modo per hoc quod aliter celebrat sacramentum non servans Ecclesiæ ritum. Quarto modo per hoc quod indevote accedit, quibus quatuor modis contradicitur baptismo, vel ejus effectui.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod baptizari in Christo, potest intelligi dupliciter: uno modo in Christo, idest in Christi conformitate: alio modo dicuntur baptizari in Christo, in quantum ac-

cipiunt sacramentum Christi. Qui baptizantur in Christo primo modo conformati ei per fidem et charitatem, induunt Christum per gratiam. Qui vero baptizantur in Christo, secundo modo induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ; et sic ficti baptizantur in Christo et induunt Christum.

Ad 2. Negat. conseq. Deus enim potest facere aliquem de ficto non fictum, non tamen hoc semper facit: hoc enim sacramentum non ordinatur ad faciendum aliquem de ficto non fictum, sed ad hoc, ut non ficte accedens justificetur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod nullum peccatum commissum ante baptismum impedit effectum baptismi dummodo ille qui baptizatur, nolit peccatis inhærere. Si vero accedens ad baptismum velit in aliquo peccato perseverare impeditur baptismi effectus: quia ficte tunc, idest indevote accedit; et quia fictio est nolle á peccato recedere: ideo fictio semper effectum baptismi impedit.

ARTICULUS X.

Utrum fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur.

Pro negativa.=Videtur, quod fictione recedente, baptismus suum effectum non consequatur.

1. Opus quod fit sine charitate, numquam potest vivificari. Sed susceptio baptismi cum fictione, est opus sine charitate factum; ergo tale opus numquam poterit vivificari sic, ut gratiam conferat.

2. Fortius non tollitur á debiliori. Sed fictio est fortior quam baptismus, utpote quæ baptismi effectum impedit. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum; et sic baptismus ficte susceptus non consequitur suum effectum, qui est remissio peccatorum omnium.

3. Contingit quod aliquis ficte accedat ad baptismum, et post baptismum multa peccata committat, quæ tamen per baptismum non tolluntur, quia baptismus tollit peccata præterita, et non futura. Ergo talis baptismus numquam consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 12. «Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.»

Determinatio.

Conclusio. Remota per pœnitentiam fictione, baptismus statim consequitur suum effectum.

Prob. Ille qui naturali sive carnali generatione generatur, simul cum naturali sua forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquod impediens: quo tamen impedimento remoto, forma rei generatæ perficit suum effectum. Ergo quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata, nisi sit impedimentum fictionis; quo tamen remoto, statim consequitur effectus.

Antec. prob. Nam cum corpus grave generatur, simul descendit seorsum, nisi sit aliquid prohibens; quo remoto statim incipit moveri deorsum.

Conseq. probat., quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio, ut dictum est quæstione 66. art. 9.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de opere facto ab homine, non autem de opere Dei, quale est baptismus: et ideo tale opus non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.

Ad 2. Dicitur quod concludit quod baptismus non tollat peccatum fictionis; et hoc verum est; fictio enim non removetur per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem: qua remota, bap-

tismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. Unde Augustinus dicit in libro 1. de baptismo parvul. cap. 12. « Solvitur « hesternus dies, et quicquid superest « solvitur, etiam ipsa hora momentum- « que ante baptismum et in ipso baptis- « mo: deinceps autem continuo reus esse « incipit. » Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrit baptismus et pœnitentia; baptismus quidem sicut causa per se agens; pœnitentia vero sicut causa per accidens, idest removens prohibens.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia vel præterita: et ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum: unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut remittuntur peccata præcedentia baptismum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 69.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Manichæorum* (ut refert Directorium inquisit. 2. par. quæstio 13.) dicentium, baptismum esse quid vanum, et inane. Loco autem baptismi aquæ, ut narratur ibidem, dicebant, esse quemdam spiritualem baptismum, quod est consolamentum spiritus, quod *Manichæi* ipsi conferre gloriabantur manuum impositione ad suam sectam venientibus. Contra hos enim articulus præsens, imo tota quæstio pugnat, dum in singulis articulis aliquem bonum effectum á baptismo, quantum est ex parte sui, fieri demonstrat. Inane siquidem, et vanum esse non potest id, quod aliquem effectum producit. Item illam quorumdam, de quibus in Clementina, de sum. Trin. et fide cath. dicentium, quod baptismus non est communiter tam parvulis, quam adultis perfectum remedium ad salutem. Contra hunc enim errorem determinat præsens articulus, quod baptismus omne peccatum, quod invenit in baptizato, delet, quantum est de se. Item illam *Brentii* dicentis, baptismate, licet peccatum originale dimittatur, non omne tamen peccatum deletur, quia suscepto baptismo adhuc remanet in baptizato carnis concupiscentia, quæ vere peccatum est contra illud, *non concupisces*, etsi á Deo non imputetur. Item illam horrendissimam *Lucæ Sternberger* plusquam blaspheme evomentis, quod baptismate intincti, nonnisi ad tartarum, et sempiternam damnationem baptizantur. Item illam sacrilegio plenam *Svenkfeldii*, ore diabolico effutientis, baptismum esse balneum suillum. Articulus enim, imo tota quæstio bestiam hujusmodi oppugnat, et efficacissime expugnat, dum baptismum esse balneum saluberrimum validissimis rationibus indicat. Item illas *Lutheri*, *et Balthasaris*, quas sup. q. 9. ar. 9. adduximus, ubi in pueris peccatum post baptismum remanere ponunt, vel quod baptismus parvulis non prodest. Sic dicas de aliis hujusmodi, si qui sunt, quocumque nomine vocentur. Noster enim articulus loquitur universaliter de omnibus baptizatis, quod ex illis abraditur omne peccatum quod habent, quod maxime de pueris, utpote non potentibus ponere virtuti baptismali obicem, verificatur. Item illam *Albanensium* dicentium, baptismum nullius esse virtutis. Item illam *Adelphi* dicentis: quod ex baptismo nulla provenit virtus, sed oratio sedula dæmonem vernaculum, et familiarem ejicit. Item *Fulgentii* dicentis, baptismum reis, et peccatoribus nihil conferre. *Secundo* habes: quomodo per rationem has damnatas merito fuisse ostendas á Beato Petro Apostolo 1. Pet. 3. «Expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur arca, in diebus Noe, in qua pauci idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.» Ecce, quod baptismus omne peccatum repertum in baptizato tol-

lit: alioquin non faceret baptizatos salvos. Item ab Ezech. 36. " Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Ista enim aqua munda, de qua Propheta, est baptismi aqua, jam olim semel pro semper mundata per Christum baptizatum tactu suæ mundissimæ carnis. Item ab Zach. 13. « Erit fons patens domui David, 'et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ. Per menstruatam intellige tu culpam originalem, quam videlicet contrahit homo, dum adhuc est in menstruis matris suæ cibatus scilicet illis, atque nutritus, ac in illis habitator effectus: per peccatorem vero intellige peccata actualia, sive potius peccatis actualibus involutum. Item ab Act. 2. *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Loquitur B. Pet. de adultis ibi, et baptismum prodesse illis dicit in remissionem peccatorum, utique actualium etiam, ultra originale. Alioquin nec in remissionem esset peccatorum adultorum, cum illorum, ut sic, sint tantum actualia, quoniam originale, quod habent, contraxerunt, non ut adulti, sed ut infantes in materno utero concepti: imo nec in remissionem esset peccati originalis adultorum ipsorum, quoniam unum mortale, quod utique originale est, non remittitur sine remissione omnium mortalium. Implicaret enim contradictionem, quia tunc per gratiam peccator viveret, dum per gratiam unum mortale esset sibi remissum, et idem peccator simul esset mortuus, et sine gratia, dum unum aliud mortale haberet. Vide supra notationem post conclusionis probationem. Item ab *Inno. III.* in Concilio *Lateran.* extra, de summ. Trinitat. et fid. cath. cap. *firmiter.* « Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ, á quocumque rite collatum proficit ad salutem. Item à Papa Clem. V. in Conc. Viennensi, *ut habetur in Clement. de summa Trinit. et fide cath.* Baptisma unicum omnes in Christo regenerans esse (sicut unus Deus, ac fides unica) ab omnibus fidelibus confitendum, quod celebratur in aqua, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem. » Si adultis est ad salutem remedium perfectum, ergo secundum concilium in adultis omnia etiam actualia peccata delet. Item á, etc. ut supr. q. 68. art. 9. contra *Lutherum*, et *Balthasarem*. Item á Concilio *Florentino*, sive á Papa *Eugenio IV*, sacro ipso approbante Concilio, in Decreto, quod incipit. *Exultate Deo adjutorio nostro.* Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, et actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum, et Dei visionem perveniunt. Quæ partim faciunt ad q. 68. art. 5. et 6. ideo quantum sufficit, illuc applica. Sic faciendum est etiam de dictis aliarum scripturarum, Conciliorum, Summorumve Pontificum, quando ad alias quoque materias articulorum aliquorum, in quibus non allegantur, vel pro toto, vel pro parte, valent: quoniam non omnia in omnibus citari potuerunt, et eadem repetere superfluitas est judicatum, nisi forsan aliquando speciali causa movente. Item à Concilio Trident. sess. 5. " Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, et propriam rationem peccati habet, sed dicit, tantum radi, aut non imputari: Anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. *Et infra.* Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: Anathema sit. » *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Catharorum*, sive *Paterinorum* (inter horum errores et hunc enumerat Cardinalis Turrecremata l. 4. de Ecclesia cap. 35.) dicentium, quod baptizati parvuli non levius punientur æternaliter, quam latrones, et homicidæ. In quantum isti loquuntur de parvulis, possunt recenseri supr. quæst. 68. artic. 9. In quantum autem pœnæ reatum videntur nolle tolli á baptizatis, debent recenseri hic. Item hæreses supra artic. 1. adductas dicentium, baptismum nullius virtutis esse, nihil conferre reis, vel hujusmodi, puta, esse quid vanum. Hi enim, cum negent culpæ, negant etiam pœnæ, in baptismo remissionem fieri: et ideo pro culpa ibi, pro pœna hic adducantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari à Concilio Flor. de effectu baptismi, in Decreto Eugenii supra art. 1. allegato, ubi determinat, quod in tantum omnis pœnæ reatus tollitur, ut si, culpa nova non admissa quis moriatur, statim ad visionem divinæ essentiæ perducatur. Vide ibi formalia verba Eugenii Papæ; ubi notabis etiam signanter illa verba pro limitatione adjungi, scilicet, *quæ pro ipsa culpa debetur*. Non enim dicit Concilium, quod est remissio omnis pœnæ simpliciter, sed cum additione hac, scilicet, *quæ pro ipsa culpa debetur*. Quasi dixerit. Est remissio pœnæ culparum inibi remissarum, ut in foro Dei pœna consideratur, non ut in foro hominum (responsio ad 3. hoc declarat) et ut pœna respicit personam, quæ baptizatur, non ut respicit naturam communem personæ ipsius baptizatæ artic. 3. hoc bene declarat. Item á Concilio Viennensi in Clement. de summa Trin. et fid. cath. ibi allegato, ubi dicit Papa, Conc. ipso approbante, quod baptismus est remedium perfectum ad salutem, si perfectum; ergo reatum omnis culpæ per ipsum remissæ tollit. Alioquin esset quidem remedium perfectum in genere culpæ remissæ, sed non perfectum simpliciter respectu baptizati. Item á, etc. ut ibi art. 1. si qua sunt pro hujusmodi damnatione facientia. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, quod ubique in similibus intelligitur, doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod per baptismum non debuerunt auferri pœnalitates præsentis vitæ. A scripturis quidem, ut per illud Rom. 6. adjuncta Gloss. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Ubi ly *ne obsit* tenetur figurate, per illam scilicet figuram, quæ minus dicendo significat plus. Vult enim ibi significare textus, quod concupiscentia illa non tantum non obest baptizatis, sed etiam prodest, in quantum, scilicet, est materia exercendæ virtutis, et adipiscendæ coronæ æternæ ipsis baptizatis, ut sic, idest qualenus secundum promissionem factam in baptismo vivunt, et viriliter certant. Ibi etiam nota ly *ergo pari ratione nec aliæ pœnalitates per baptismum tolluntur*. Quando concludendum secundum exigentiam quæsiti expectabatur, quod poenalitates non debent per baptismum tolli, aut (quod in idem redit) quod poenalitates per baptismum convenienter non tolluntur: tunc concluditur simpliciter, quod hujusmodi poenalitates per baptismum non tolluntur. Patet utique ad sensum hoc, scilicet, quod poenalitates tales per baptismum non tolluntur; et ideo ex hac etiam parte videtur sanctus doctor frustra laborasse, annitendo videlicet ad probandum id, quod patet expresse. Vitio enim et hoc datur juxta illud tristissimum, quod patet expresse, non est probare necesse. Sciendum igitur, quod aliud in verbis præsefert, aliud in sensu continet conclusio prædicta, scilicet; ergo nec aliæ poenalitates per baptismum tolluntur. Si ad verba superficie tenus inspiciatur, sequuntur illa duo absurda, quæ dicta sunt, videlicet, quod extra quæsiti exigentiam concludat, et quod frustra laboret: si autem sensus sub verbis illis inclusus attendatur (quod hic, et in similibus fecit Divus Thomas,) concluditur optime in titulo quæsitum. Est enim ibi sensus: quod nec aliæ poenalitates per baptismum debuerunt tolli, seu quod convenienter non tolluntur, idest, quod conveniens fuit, ut non tollerentur. Pro quo sciendum universaliter est: quod in factione rerum á Deo idem est dicere, istæ res factæ sunt á Deo, et dicere, istæ convenienter ab ipso factæ sunt. Impossibile siqui-

dem omnino est, quod aliquid á Deo, qui est infinita sapientia, fiat, et quod illud, ut á Deo pendet, non convenienter fiat. Vide pro hujus ampliori notitia 3. de salv. quæstione 55. art. 4. cum inibi citatis. Quia igitur illa, quæ per baptismum fiunt, á Deo baptismi institutore specialiter fiunt, idcirco de necessitate convenienter omnia illa fiunt. Quod et de cæteris omnibus sacramentis eadem ratione verificatur, ita, ut verissime dicamus. Per baptismum tollitur omnis culpa, art. 1. omnis reatus peccati, art. 2. fit incorporatio ad Christum, illuminatio, foecundatio, art. 5. conferuntur gratia, et virtutes, art. 4. etiam pueris, art. 6. aperitur janua coelestis, art. 7. poenalitates vitæ præsentis non tolluntur, art. 3. hoc; ergo singula ista per baptismum convenienter fiunt; pariterque singillatim æquipollent hæc, scilicet istud fit, vel non fit per baptismum, et istud convenienter fit, vel non fit per baptismum. Ecce: quot, et quanta virtualiter docuit textus, in ly *ergo nec aliæ pœnalitates per baptismum tolluntur*. A Concilio autem Trident. idipsum in principio positum insinuatur sess. 5. Decr. de peccat. origin. circa fin. " Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur, et sentit: quæ, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi JESU gratiam repugnantibus, non valet, quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. » Pro quorum clariori accommodatione ad præmissa, recole conclusionem illam, scilicet; ergo pari ratione nec aliæ poenalitates per baptismum tolluntur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, hæsim quorundam (ut refert Directorium Inquisit. 2. part. quest. 7.) dicentium, quod non conferuntur per baptismum gratia, et virtutes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á dictis in quæst. 3. art. 1. append. Ex eo namque, quod sacramenta novæ legis conferunt gratiam, sequitur manifeste: quod baptismus, cum indubitanter sit sacramentum novæ legis, quæst. 65. art. 1. conferat gratiam, et cum gratia non sit sine virtutibus, 1. 2. quest. 65. art. 3. 5. et quæst. 110. art. 3. 4. sequitur, quod conferat etiam virtutes: ideoque, ex quibus scripturis, conciliis, etc. damnatur unum, scilicet dictum contra vim sacramentorum, damnatur simul et aliud, scilicet dictum specialiter contra vim baptismi. Item á *Clemente Quinto* in concilio Viennensi. »Baptismo unicum omnes baptizatos in Christo regenerans est ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, credimus esse perfectum remedium ad salutem. » Hæc in lib. Clement. tit. de summ. trin. et fid. cath. Non enim esset remedium tale, scilicet perfectum, nisi conferret gratiam cum suis virtutibus. Item ab Apostolo ad Titum capitulo tertio, ut cum expositione glossæ ponitur *in argument. cont. Tertio* vides: quomodo ex iis, bene pensatis, et applicatis, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lucæ Sternberger* impiissime dicentis, quod batpismate instincti nonnisi ad tartarum, et sempiternam damnationem baptizantur. Articulus enim præsens, cum baptizatos et incorporari Christo, et illuminari á Christo, et foecundari á Christo, qui est vera beatitudo, demonstret, directe impugnat, expugnatque prædictum hæresim. "Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?» 2. Cor. 6. Hoc est, in proposito. Si (ut verum est) Christo, qui est justitia, et ipsa lux, homines per baptismum tanto amicitiarum glutino conjunguntur: quoniam pacto fieri potest, ut nonnisi ad tartarum, et sempiternam damnationem, loca utique Belial, iniquitatis, ac tenebrarum, baptizentur illi qui baptizantur? *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari à dictis in multis appendicibus supra et in hac, et in aliis quæstionibus. Item á Marc. 16. " Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.» Item á Galat. 3. " Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.» Quod est incorporari Christo. Item ab Apostolo ad Titum cap. 2. " Ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.» Quid autem intelligat per ly *mundaret*, aperit in ad Eph. 5. " Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.» Hoc est, in baptismo dato in no-

mine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Per baptismum ergo, secundum Apostolum, homines fiunt acceptabiles Christo, et sectatores bonorum operum (quod est illa foecunditas, de qua in conclusione). Item à Rom. 6. " Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem: ut, quomodo, etc. ita et nos in novitate vitæ ambulemus. » Et infra ad eosdem baptizatos dicit. « Nunc vero liberati á peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. » Item ad Eph. 5. " Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Idest: vos ante baptismum spiritualiter cæci estis per baptismum illuminati. Quæ omnia (ut patet consideranti) pugnant contra tartarum, et sempiternam damnationem. Constat ergo ex prædictis: quod homines per hoc, quod baptizantur, a tartaro, et sempiterna damnatione, ubi prius per meritum infidelitatis erant, eripiuntur. *Tertio* vides« quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem quorumdam (ut refert Directorium Inquisitorum, 2. p. q. 7.) dicentium, quod parvulis non conferuntur per baptismum gratia, et virtutes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari á D. August. et Rom. 6. *consepulti* etc. ut *in arg. cont.* Item á Papa Innocentio III. " Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur: quin, et ipsis, misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. » Hæc ille: extr. de bap. et ej. ef. cap. *Majores*. Perirent enim, nec ad salutem eis provisum de remedio fuisset, si per baptismum gratia Dei, qua et mors spiritualis tollitur, et vita æterna acquiritur, Rom. 6. ipsis per baptismum non conferretur. Item á Clemente V. in Concilio Viennensi. " Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis sanctorum, et doctorum modernorum theologiæ magis consonam, et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. » Hæc in libro Clem. tit. de sum. Trin. et fid. cath. Item á Conc. Trid. sess. 7. de sacramentis, can. 7. " Si quis dixerit: non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus: anathema sit. » Ubi nota ly *omnibus*, et quod baptismus est sacramentum hujusmodi, idest novæ legis, ut dicitur ibidem can. 1. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam *Augustini Bohemi* (ut refert Lindanus, Dubitantii in dialog. 2.) dicentis: coelum nondum esse reseratum, sed hominibus usque ad extremum diem fore occlusum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Luc. 3. ut cum expositione Glossæ ponitur *in arg. cont.* Item á Papa Benedicto XI. et ab aliis dictis in Addit. art. n. 291. cum Elucid. et in 1. 2. art. n. 29. cum Eluc. et in 3. de sal. q. 39. art. 5. Item q. 49. art. 5. cum Eluc. Item á Conciliis Florentino, et Trident. ut recitantur supra, quæst. 68. art. 5. append. Coelum siquidem jam esse apertum testantur, quæcumque aliquos homines jam in actuali beatitudine ponunt. Quapropter etiam per hoc á tota Ecclesia damnatur per hoc, quod de sanctis in coelo regnantibus festivitates celebrat, ut patet in breviario, adeo quod toties condemnat hæresim prædictam, quoties solemnitatem hujusmodi de singulis facit. Non ergo solum verbis: sed etiam factis ipsis illam hæresim condemnavit, quotidieque condemnat Ecclesia catholica. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem (adjuncta tamen declaratione ad 1.) et ostendas et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, Papa, et Conc. quod baptismus habet et non habet æqualem effectum in omnibus baptizatis. A scripturis quidem, ut Eph. 4. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Galat. 3. " Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. » Item per dictum Romanorum 6. " An ignoratis, quod, quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? » Ex eo enim, quod induere Chris-

tum, et eodem quidem modo, scilicet in morte, dicit aliquid unum idem existens (ut patet ex terminis) constat, quod secundum Apostolum utrobique simul consideratum baptismus, quantum est ex se, habeat eumdem effectum in omnibus. A concilio autem Florentino per hoc, quod definit, baptismi effectum esse deletionem totius culpæ, tum originalis, tum actualis, totiusque pœnæ pro peccatis debitæ. Patet siquidem, his verbis significari propositum, scilicet, quod baptismus, quantum est de se habet æqualem effectum in omnibus. Vide hoc concilium sub Eugenio 4. celebratum sup. a. 1. 2. append. A Papa quoque Innocentio III. extra de baptis. et ejusdem eff. ca. Majores. " Per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricatum culpa remittitur, vitatur periculum, et ad regnum cœlorum etiam pervenitur, etc. Peccatum est duplex, scilicet originale, et actuale: originale, quod absque consensu contrahitur, actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim sacramenti remittitur, actuale vero, quod cum consensu contrahitur, sine consensu minime dimittitur, etc. Is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis (sicut et is qui ficte ad baptismum accedit) characterem suscipit christianitatis impressum. Et ipse tamquam conditionaliter volens (licet absolute non velit) cogendus est ad observantiam fidei christianæ. » Cujus Pontificis ultima sententia, scilicet et ipse, tamquam, etc. facit ad 2. 2. quæst. 10. a. 8. Ita, quod et qui susceperunt voluntate totaliter libera, et qui susceperunt voluntate conditionaliter libera, sacramentum baptismi, ad servandam fidem catholicam sic vel sic in baptismo promissam, compellendi sunt. Cum igitur in his ultimis baptizatis characterem tantum, in illis primis gratiam simul, in mediis vero culpam quandoque solum originalem, quandoque etiam actualem, baptismus causet, constat; quod ipse, juxta Pontificem, non habet æqualem effectum in omnibus. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, fuisse merito insinuatum á scripturis, et Augustino, quod fictio impedit effectum baptismi. A scripturis quidem: ut cum applicatione est *in arg. cont.* A D. Aug. autem dicente. " Iis qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur: aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa iterum per fictionem redeunt, ut etiam illud verum sit, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, et illud, spiritus effugiet fictum disciplinæ, idest, ut induat eum Christo sanctitas baptismi, et exuat eum Christo pernicies fictionis. » Hæc ille, quæ recitantur in decreto de consecr. distin. 4. cap. *quomodo exaudivit.* Ex quibus videre potes; quanta est malignitas fictionis. Ponamus, secundum August. ibi, quod alicui sine fictione baptizato, et consequenter á peccatis emundato subrepat in ipso temporis puncto, idest, mox immediate post illam peccatorum dimissionem, voluntaria fictio: quid fiet? Tunc statim revertentur peccata per vim sacramenti dimissa. De reditu peccatorum dimissorum vide quæst. 29. art. 1. et 2. Fictio igitur adeo secundum Augustinum impedit effectum baptismi, ut si ipsa præcedat, vel concomitetur, faciat, quod effectus baptismi, idest gratia non veniat super sic baptizatum: si autem ipsa é vestigio subsequatur, faciat, quod effectus baptismi præcedens tollatur, idest, quod gratia peccato ipso fictionis mox excludatur. Fictio igitur et ante, et retro impedit principalem baptismi effectum. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod, fictione recedente per pœnitentiam, baptismus consequitur effectum suum: á Div. Aug. quidem, ut patet *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur in Psalm. 84. " Loquetur Dominus pacem in eos, qui convertuntur ad cor. » Et per dictum in Ezech. 18. " Si impius fecerit poenitentiam de peccatis, quæ operatus est; vita vivet. » Ex his enim á fortiori monstratur intentum. Nam, si revertenti peccatori ad cor, et facienti poenitentiam de peccatis suis, Dominus largitur pacem, et vitam, sola poenitentia præsupposita, rationi utique magis consentaneum est, quod simul cum poenitentia, charactere præsupposito, Dominus peccatori

pacem donet, ac vitam. Id, quod tandem aliquo modo redit in hoc, quod character baptismi, recedente fictione interposita, consequitur suum effectum, qui est dare pacem, et vitam animæ per remissionem omnium peccatorum. *Secundo* vides: quomodo ex his, et similibus declaretur, etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA,

DE CIRCUMCISIONE, QUÆ PRÆCESSIT BAPTISMUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præparatoriis ad baptismum: et primo de præparatorio, quod præcessit baptismum idest de circumcisione; secundo de præparatoriis, quæ concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo, et exorcismo.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, utrum circumcisio fuerit præparatoria, et figurativa baptismi.

Secundo, de institutione ipsius.

Tertio, de ritu ejus.

Quarto, de effectu ipsius.

ARTICULUS I.

Utrum circumcisio fuerit præparatoria et figurativa baptismi.

Pro negativa. = Videtur quod circumcisio non fuerit præparatoria et figurativa baptismi.

1. Omnis figura habet similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo circumcisio non fuit præparatoria et præfigurativa baptismi.

2. Apost. dicit 1. Corin. 10. de antiquis patribus loquens, quod *omnes in nube et in mari baptizati sunt*: Non autem dicit quod in circumcisione baptizati sunt. Ergo protectio columnæ nubis, et transitus maris rubri magis fuerunt præparatoria ad baptismum et figurativa ipsius, quam circumcisio.

2. Si circumcisio fuit præparatoria et figurativa baptismi Christi, videtur quod baptismus Joannis, qui fuit præparatorius ad baptismum Christi, ut dictum est quæst. 38. art. 1. 2. et 3. fuerit superfluus, quod est inconveniens. Ergo circumcisio non fuit præparatoria et figurativa baptismi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit ad Coloss. 2. « circumcisi estis circumcisione non manufacta « in expoliatione corporis carnis, sed « circumcisione Christi consepulti ei in « baptismo. »

Determinatio.

Conclusio. Circumcisio fuit præparatoria ad baptismum et præfigurativa ipsius.

Prob. Illud quod in antiqua lege erat protestativum fidei antiquorum et per quod homines aggregabantur collegio fidelium, erat preparatorium ad baptismum Christi et figura ipsius. Sed circumcisio erat quædam protestatio fidei antiquorum; et per ipsam antiqui aggrebabantur collegio fidelium. Ergo circumcisio fuit præparativa ad baptismum et figurativa ipsius.

Maior probat., quia baptismus dicitur sacramentum fidei, in quantum in baptismo fit professio fidei; et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Et quia fides antiquorum et nostra, una est secundum quod dicitur 2. Cor 4. *Habentes eumdem spiritum fidei credimus*: sequitur quod illud quod erat protestativum hujus fidei in antiqua lege et per quod tunc homines fidelium collegio aggregabantur, esse præparati-

vum ad baptismum et præfigurativum ipsus.

Minor quoad primam ejus partem prob. (quo enim ad secundam patet) quia ad Rom. 4. dicitur: Abraham *accepit circumcisionem, tamquam signaculum fidei.*

Et confirmatur concl. quoad secundam partem, quia antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur. 1. Cor. 10. Præfiguravit igitur circumcisio futurum sacramentum fidei, sicut eorum fides erat de futuro, scilicet de Christo nascituro.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Habet enim circumcisio similitudinem cum baptismo, quantum ad spiritualem effectum baptismi. Nam sicut per circumcisionem auferebatur quædam carnalis pellicula; ita per baptismum expoliatur homo á carnali conversatione.

Ad 2. dicitur ad sententiam Apost. Quod protectio columnæ nubis et transitus maris rubri fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare rubrum, et Spiritu Sancto significato per columnam nubis. Non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem. Et ideo prædicta duo erant figuræ, sed non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum præparatorium ad baptismum, minus tamen exprese figurans baptismum quantum ad exteriora, quam duo predicta. Et ideo Apost. potius fecit mentionem de mari et nube, quam de circumcisione.

Ad 3. Negatur conseq. Tam enim baptismus Joannis, quam circumcisio fuerunt præparatoria ad baptismum Christi, et tamen neutrum fuit superfluum, quia fuerunt preparatoria secundum diversum modum. Baptismus enim Joannis fuit præparatorius ad baptismum Christi quantum ad exercitium actus. Circumcisio autem quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, ut in corp. dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta.

Pro negativa. = Videtur quod circumcisio non fuerit convenienter instituta.

1. Illud in quo fiebat fidei professio, debuit institui statim post peccatum primi hominis et non tempore Abrahæ. Sed in circumcisione fiebat quedam fidei professio, ut art. præcep. dictum est. Ergo circumcisio debuit institui statim post peccatum primi hominis et non expectari usque ad tempus Abrahæ.

Maior prob., quia á peccato primi hominis nullus umquam salvari potuit, nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Rom. 3. « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in « sanguine ipsius. » Illud ergo in quo hujusmodi fidei fiebat professio, statim post peccatum debuit institui.

2. Illud in quo homo profitebatur observantiam veteris legis, non debuit institui tempore Abrahæ, sed tempore Moysis, in quo data est lex. Sed in circumcisione homo profitebatur observantiam veteris legis. Unde dicitur ad Gal. 5. « Testificor omni homini circumci- « denti se, quoniam debitor est universæ « legis faciendæ. » Sicut etiam in baptismo profitetur homo observantiam novæ legis. Ergo circumcisio non fuit convenienter instituta tempore Abrahæ.

3. Illud quod fuit prefigurativum baptismi, debuit institui, ut observandum non tantum á populo judeorum, sed ab omnibus populis. Sed circumcisio fuit prefigurativa et præparativa ad baptismum, ut dictum est artic. preced. Ergo circumcisio debuit dari omnibus populis, et non soli populi judeorum.

Maior prob., quia figura figurato debet respondere. Baptismus autem exhibetur omnibus populis, secundum

illud Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.*

4. Spiritualis circumcisio, que fit per Christum, indiferenter convenit utrique sexui. In Christo enim Jesu non est masculus, neque fœmina, ut dicitur ad Gal. 3. Ergo inconvenienter fuit instituta circumcisio, quæ solis masculis convenit.

Conseq. probat., quia carnalis circumcisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato.

POR AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Circumcisio est instituta á Deo, ut legitur Gen. 17. Ergo circumcisio est convenienter instituta.

Conseq. probat., quia Dei perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. 32.

Determinatio.

Conclusio. Circumcisio convenienter fuit instituta in Abraham.

Prob. Professio fidei Christi convenienter fuit instituta in Abraham. Sed circumcisio erat quædam professio fidei Christi, quam nos in baptismo profitemur. Ergo circumcisio convenienter fuit instituta in Abraham.

Maior prob., quia inter antiquos patres primus Abraham promissionem accipit de Christo nascituro, cum dictum est ei Gen. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*; ipse etiam primus se á societate infidelium segregavit, secundum mandatum Dei dicentis sibi: *Egredere de terra tua et de cognatione tua*, ut legitur Gen. 12. Igitur convenienter tempore Abrahæ instituta fuit fidei de Christo nascituro professio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ qui plene fuerat instructus de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahæ diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ, usque ad peccatum contra naturam: et ideo convenienter tunc, et non ante fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem, et muniendum carnalem concupiscentiam.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem quæ innuitur, scilicet quia tempore Moysis data est lex, dicitur quod non est eadem ratio de lege et de circumcisione, quæ erat professio non solum legalis observantiæ, sed fidei Christi venturi: legalis enim observantia non debuit dari nisi populo jam congregato, quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut dictum est 1. 2. quæst. 90. articulo 2. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc quod homines in quacumque religione adunentur, sicut Augustinus dicit libro 19. contra Faustum cap. 11. Et ideo oportuit prius institui circumcisionem, quam lex daretur: illi autem patres qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis per modum paternæ admonitionis: unde et Dominus dicit de Abraham: «Scio quod præcepturus sit filiis «suis, et domui suæ post se, ut cus«todiant viam Domini,» ut legitur Gen. 18.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de baptismo et circumcisione: baptismus enim continet in se perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, juxta illud 1. ad Tim. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri*; et ideo baptismus omnibus populis proponitur: circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam, ut fiendam per Christum, qui erat ex judæorum populo nasciturus: et ideo illi soli populo data est circumcisio.

Ad 4. Negatur consequentia. Non

enim est eadem ratio baptismi et circumcisionis: circumcisio enim instituta est ut signum fidei Abrahæ, qui credit se patrem futurum Christi sibi repromisi: et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, á patre trahitur, non á matre, ut dictum est 1. 2. quæst. 81 art 5. ad 2. Baptismus autem continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium, et remissionis omnium peccatorum. Ad probationem autem dicitur, quod non est necesse quod figura, quoad omnia, figurato respondeat.

ARTICULUS III.

Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens.

Pro negativa. = Videtur, quod ritus circumcisionis non fuerit conveniens.

1. Signum professionis fidei debet fieri in capite, et non in membro generationis. Sed circumcisio est quædam professio fidei, ut in præcedentibus duobus articulis dictum est. Ergo signum circumcisionis debet dari in capite, et non in membro generationis.

Maior prob., quia fides in vi apprehensiva existit, cujus operationes maxime apparent in capite.

2. Ad incidendum, communius, utimur cultello ferreo quam lapideo. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello lapideo.

Conseq. prob., quia ad usum sacramentorum assumimus ea quorum est communior usus, sicut aquam ad abluendum, et panem ad reficiendum.

3. Baptismus non differtur usque ad octavum diem, ne pueris periculum damnationis immineat, propter peccatum originale, si nondum baptizati decedant: quandoque etiam traditur baptismus post octavum diem. Ergo circumcisioni non debuit determinari octavus dies, sed debebant quandoque præveniri, sicut etiam quandoque tardabatur post octavum diem.

Conseq. prob, quia sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circumcisio, sicut Beda dicit in Homilia circumcisionis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glossa ordin. super illud ad Rom. *Et signum accepit circumcisionis*, determinat predictum circumcisionis ritum.

Determinatio.

Conclusio. Ritus circumcisionis fuit conveniens.

Prop. Circumcisio est quoddam fidei signum institutum á Deo, cujus sapientiæ non est numerus, ut dicitur in Psal. 146. Ergo concedendum est quod ritus circumcisionis fuit conveniens.

Conseq. prob., quia determinare convenientia signa est sapientiæ opus.

Formalius. Signum determinatum ab eo, cujus sapientiæ non est numerus, est conveniens. Sed circumcisio est fidei signum determinatum á Deo, cujus sapientiæ non est numerus. Ergo ritus circumcisionis est conveniens.

Maior, quia determinare convenientia signa, est opus sapientiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod signum professionis fidei quod est circumcisio, convenienter fiebat in membro generationis triplici de causa. Prima quia circumcisio erat signum fidei, qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secunda quia circumcisio erat in remedium peccati originalis quod per actum generationis traducitur. Tertia quia circumcisio ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ quæ præcipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum. Simpliciter igitur negatur ipsa maior. Tale enim signum protestativum fidei, quale est circumcisio, convenientius fit in membro generationis, quam in capite. Ad probationem dicitur, quod etsi fides sit in vi apprehensiva tamen fides Abrahæ, quam signabat

circumcisio, erat de Christo ex semine Abrahæ nascituro: et iterum circumcisio erat etiam in remedium originalis peccati quod per actum illorum membrorum traducitur: et iterum circumcisio ordinabatur in remedium carnalis concupiscentiæ, quæ in membris illis viget.

Ad 2. conceditur totum: Cultellus enim lapideus non erat de necessitate circumcisionis, unde non invenitur tale instrumentum præcepto divino determinatum. Neque etiam tali instrumento judæi communiter utebantur ad circumcidendum, sicut nec modo utuntur.

Leguntur tamen aliquæ circumcisiones famosæ cultello lapideo factæ, sicut legitur Exord. 4. Quod « tulit Sephora « petram acutissimam, et circumcidit « præputium filii sui; » et Josue 5. dicitur: « Fac tibi cultellos lapideos, et « circumcide secundo filios Israel.» Per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse fiendam per Christum, de quo dicitur 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus.*

Ad 3. Neg. conseq. Circumcisioni enim determinabatur octavus dies propter duo, scilicet propter mysterium, quia in octava ætate, quæ erit ætas resurgentium, quasi octavo die perficietur per Christum spiritualis circumcisio, cuando auferet ab electis, non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem. Secundo propter teneritudinem infantis ante octavum diem. Unde etiam de aliis animalibus Levit. 22. præcipitur, « bos, obis et capra, cum genita fuerint, « septem diebus erunt sub ubere matris « suæ; die autem octavo et deinceps of- « ferri poterunt Domino. » Erat autem octavus dies de necessitate præcepti, ita quod octavum diem prætermitentes peccabant, etiamsi esset Sabbathum: secundum illud Joan. 7 *Circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur lex Moysi*, non tamen erat de necessitate sacramenti, quia si aliqui omittebant octavum diem, poterant postea circumcidi.

Aliquorum opinio.

Quidam etiam dicunt, quod propter periculum imminentis mortis poterat octavus dies præveniri.

Reprobatio.

Sed hoc nec ex auctoritate scripturæ, nec ex consuetudine judæorum haberi potest.

Vera sententia.

Unde melius dicendum est, sicut etiam Hugo de sanct. vict. lib. 1. de sacram. part. 12. cap. 2. dicit, quod octavus dies nulla necessitate præveniebatur: unde super illud Proverb. 4. *Unigenitus eram coram matre mea*, dicit Glos. ordin. quod alius Bersabee parvulus non computabatur, quia ante octavum diem mortuus est, nominatus non fuit, et per consequens nec circumcisus, quod tamen non fuisset omissum, si octavus dies potuisset præveniri.

ARTICULUS IV.

Utrum circumcisio conferret gratiam justificantem.

Pro negativa. = Videtur, quod circumcisio non conferret gratiam justificantem.

1. Illud quod pertinebat ad observantiam antiquæ legis, non conferebat gratiam justificantem. Sed circumcisio erat quædam obligatio implendæ veteris legis. Ergo circumcisio non conferebat gratiam justificantem.

Maior probat. Si ea quæ pertinebant ad observantiam antiquæ legis, conferebant gratiam justificantem, Christus sine causa et sine aliqua necessitate mortuus fuisset. Quod est magnum inconveniens.

Conseq. hæc prob., quia Apost. dicit ad Gal. 2. Quod *si ex lege justitia, Christus gratis* (idest sine causa) *mortuus est.*

Minor probat., quia Apost. dicit ad Gal. 5. « Testificor omni homini circum- « cidenti se, quoniam debitor est univer- « sæ legis faciendæ. »

2. Ante institutionem circumcisionis

sola fides ad justificationem sufficiebat. Ergo sola fides et non circumcisio parvulos justificabat.

Anteced. probat., quia Greg. dicit 4. Mor. cap. 2. « Quod apud nos valet « aqua baptismatis hoc egit apud vete- « res pro parvulis sola fides. »

Conseq. prob., quia virtus fidei non est imminuta per mandatum circumcisionis.

3. Si per circumcisionem auferebatur peccatum originale, videtur quod omnes, qui in deserto mortui sunt, tam parvuli quam adulti fuerint damnati; et quod pueri, qui moriebantur ante octavum diem circumcisionis, etiam damnarentur, quod est magnum inconveniens. Ergo circumcisio non conferebat gratiam justificantem.

Conseq. prob., quia *populus, qui natus est in deserto per quadraginta annos incircumcisus fuit*, ut dicitur Jo. 5. et octavus dies non poterat prævenìri, ut dictum est.

4. Circumcisi ante passionem Christi, impediebantur ab introitu regni cœlestis. Ergo per circumcisionem homines non justificabantur.

Conseq. prob. quia nihil impedit introitum regni cœlestis, nisi peccatum. Si igitur circumcisi impediebantur ab introitu regni coelestis, sequitur quod non essent á peccato justificati.

5. Nusquam legitur quod per circumcisionem remitteretur peccatum actuale. Ergo neque originale per eam dimittebatur.

Conseq. prob., quia peccatum originale non dimittitur sine actuali, eo quod *impium sit á Deo dimidiam sperare veniam*, ut August. dicit in lib. de ver. et fals. poen. cap. 9.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit ad Valerium contra Julianum lib. de nuptiis et conc. cap. 11. « Ex quo instituta et circumcisio in po- « pulo Dei, quæ erat signaculum fidei « justitiæ Dei, ad sanctificationem pur- « gationis valebat parvulis originalis ve- « terisque peccati; sicut et baptismus ex « illo coepit valere tempore, ad innova- « tionem, hominis, ex quo institutus « est. »

Determinatio.

Distinctio. Nomine justificationis duo significari possunt; primum est remissio peccati: alterum est collatio gratiæ. Si nomine justificationis intelligatur remissio peccati, ab omnibus communiter ponitur quod in circumcisione peccatum originale remittebatur. Si vero nomine justificationis intelligatur collatio gratiæ, diversi diversa senserunt.

Prima positio.

Quidam enim dixerunt quod non conferebatur in circumcisione gratia, sed solum auferebatur peccatum, et hæc fuit positio magistri in prima distinc. 4. lib. sent. dist. 1. et Glos. ordin. super illud Rom. 4. *Signum accepit circumcisionis.*

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, quia culpa non potest remitti sine gratia, secundum illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam*, etc.

Aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectum remissionis culpæ, sed non quantum ad effectus positivos; et hoc posuerunt ne cogerentur dicere quod gratia in circumcisione collata sufficeret ad implendum mandata legis; et ita superfluus fuerit adventus Christi.

Reprobatio.

Sed hæc positio stare non potest. Primo quidem quia per circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Secundo quia priores sunt naturaliter secundum ordinem causæ formalis effectus positivi, quam privativi; licet secundum ordinem causæ materialis sit é converso: forma enim non excludit privationem, nisi in-

formando subjectum. Unde non tollitur peccatum, nisi per gratiam expellentem peccatum.

Tertia positio.

Et ideo alii dixerunt quod in circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus; quia circumcisio non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis. Quæ positio visa est vera sanctissimo Doctori, in 4. sent. dist. 1. quæst. 2. art. 4. quæstion. 3.

Reprobatio.

Sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ et vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti.

Vera positio.

Conclusio. In circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quam in baptismo.

Prima pars hujus conclusionis, patet ex reprobatione prædictarum positionum et præcipue ex reprobatione tertiæ positionis. Secunda autem pars manifestatur ex diferenti modo conferendi gratiam in baptismo et in circumcisione. In baptismo enim confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ; in circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus fidei signum erat circumcisio; ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus per se, vel alius pro parvulis. Unde et Apost. dicit Rom. 4. «Abra« ham accepit signum circumcisionis, sig« naculum justitiæ fidei; » quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante.

Corollarium.

Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi jam perfectæ, non autem circumcisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo; et copiosiorem gratiam confert quam circumcisio; maior enim est affectus rei jam præsentis, quam rei quæ est tantum in spe.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem, negatur conseq. Ea enim quæ pertinebant ad observantiam antiquæ legis, si conferebant gratiam, eam conferebant per fidem passionis Christi futuræ: unde ex hoc non solum non sequitur quod gratis mortuus fuerit, sed quod debuerit mori ad perficiendam gratiam in veteri lege collatam.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo concedendo totum: sicut enim ante institutionem circumcisionis sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam et circumcisione data; sed ante non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus cæperant adunari ad cultum unius Dei. Sola igitur fides justificabat; circumcisio autem justificabat virtute fidei.

Dicitur secundo ad antecedens, probabile esse, quod parentes fideles pro parvulis natis et maxime in periculo mortis existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei, sicut adulti pro seipsis preces, et sacrificia offerebant.

Ad 3. Negatur consequentia. Populus enim in deserto, prætermittens mandatum circumcisionis, excusabatur, tum quia nesciebant quando castra movenda erant. Tum quia ut Dam. dicit in 4. lib. cap. 26. Non necesse erat eos aliquod

signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen ut August. dicit super Josue cap. 6. Inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia ut in Psalm. 104. dicitur *non erat in tribubus eorum infirmus*: sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Ægypto circumcisi, si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de illis et de his qui moriebantur ante institutionem circumcisionis, quod etiam intelligendum est de pueris qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ; remanebat tamen impedimentum intrandi regnum cœlorum ex parte totius naturæ: quod fuit ablatum per passionem Christi; propter quod etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum; sed et circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod adulti quando circumcidebantur, consequebantur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen sic quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 70.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, et D. Bernardo, quod circumcisio fuit præparatoria ad baptismum, ejusque figurativa. A scripturis quidem, ut per dictum ad Coloss. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Ibi enim ex eo, quod baptismum vocat circumcisionem Christi, dat intelligere: quod circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis, quæ fuit circumcisio antiqua, erat præparatoria, et figurativa baptismi, Et quidem satis conveniens fuisse hoc monstratur virtualiter ibi ex terminis: quia scilicet circumcisionis antiquæ, ut sic, est præcedere, tamquam præparatorium quoddam, et figurativum, circumcisionem novam, ut sic. A Divo Bernardo autem per hoc, quod dicit. " Populo duræ cervicis cultellus erat necessarius : et lapideis cordibus merito cultri lapidei debebantur, qualibus à Jesu Nave facta circumcisio memoratur. Noster autem Jesus, tamquam agnus mansuetus, omnem austeritatem abstulit, duritiam cordis, servis congruentem, filiis commutavit in mansuetudinem: ubi rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facile lavet aqua. Nihil ergo mirum, si pro diversitate temporum mutata sunt sacramenta: ut daretur utrisque, quod congruum erat eis. Ipse vero Christus utrumque suscepit, ut tamquam lapis angularis utrique parieti cohaereret : sicut et Pascha figurale ipse complevit: et verum protinus inchoavit. » Haec ille in sermone de circumcisione Domini. Ex quibus optime patet intentum acuto lectori per singula consideranti verba ejus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod circumcisio fuit convenienter instituta Ut per hoc quod dicitur Gen. 17. "Hoc est pactum meum, quod observabitis, etc. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. » Ubi et præmiserat ly *statuam pactum meum*, quod utique etiam secundum litteram, quæ est ly *statuam*, monstrat Deus, se esse institutorem circumcisionis.

Porro Deus est, cui canit Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti*; et cui dicitur á Sapient. 11. *Omnia in pondere numero et mensura disposuisti*, et de cujus operibus, ad designandam illorum magnam perfectionem, scriptum est, Ecclesiast. 3. *Non possumus eis quicquam addere, nec auferre*. Quod si hæc tanta perfectio de rebus naturalibus, quatenus á Deo institutæ sunt, verificatur: multo utique magis de rebus superioris ordinis (qualis est circumcisio, aliaque legis divinae praecepta) verificetur, oportet. Insinuatur quoque illud, si particularis ad propositum fiat applicatio, á dictis in 3. de sal. 5. 55. art. 4. append. cum inibi citatis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod ritus circumcisionis erat conveniens. Ut in Gen. 17. " Circumcidetis carnem praeputii vestri. Infans 8. dierum circumcidetur. » Ly *circumcidetis*, cum dicatur simpliciter, idest nullo addito, denotat, talem incisionem debere fieri per instrumentum pro incisionibus consuetum, idest cultello ferreo. Alioquin, si Deus aliter voluisset intelligi seipsum declarasset: ut fecit Josue 5. dicens, *fac tibi cultros lopideos*. Ex quo dicto intelligi etiam datur, quod communiter non fiebat circumcis. cultris lapideis: quoniam, si hoc fuisset ordinarium, suffecisset dicere. Circumcide filios Israel, et superfluum fuisset determinare instrumentum incisivum, addendo, fac cultros lapideos, ly *carnem præputii* dicit locum incisionis, ad differentiam, quod fiat in capite, etc. ly *infans octo dierum* designat tempus ejusdem. Per hoc enim, quod modum circumcisionis, et quoad instrumentum, et quoad locum, et quoad tempus, Deum determinasse, scripturae narrant: ejusdem circumcisionis ritum á Deo ipso derivatum fuisse commonstrant. Porro idem est dicere: Deus fecit hoc, et dicere: Deus convenienter fecit hoc: quandoquidem impossibile est, sapientiam ipsam, et eo maxime, si infinita sit, et non facere convenienter, et antonomastice quidem, idest convenientissime, quaecumque facit. Ex eo igitur, quod ritum circumcisionis á Deo esse dixerunt, voluerunt notificare nobis praesens intentum, scilicet quod ritus ipse et erat, et non esse non poterat conveniens in summo, idest pro talis status tempore convenientissimus. Ad hujusmodi intentum aperiendum faciunt quoque dicta art. 2. app. ideo vide illic. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Bernardo, et Aug. quod in circumcisione dabatur gratia justificans. A D. Aug. quidem. ut *in arg. cont.* Ubi nota: quod ly *sicut* dicit similitudinem, et quod similitudo non tenet in omnibus. Quasi apertius ibi dixisset Aug. Circumcisio valebat ad deletionem originalis peccati, sicut baptismus: sed non valebat tantum, quantum baptismus. A scripturis vero per dictum Gen. 17. *Masculus, cujus præputii caro*, etc. ut supra ad 5. Et discurre ibidem: ad demonstrandum ex scriptura intentum, scilicet, quod in circumcisione justificabatur homo. Non tamen inde, licet ab appositis dicatur ly *circumcisi masculi anima non delebitur de populo suo*, intelligas, quod omnes circumcisi salvarentur tandem, idest in vitam æternam ingressuri essent. Hoc enim falsum est: dicente Apostolo Roman. 2. " Circumcisio quidem prodest, » scilicet ad vitam æternam acquirendam, " si legem observes, si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. » Hoc est. Tunc circumcisio tua ad coelum obtinendum nihil valet. Quae verba de adultis tantum, quos ibi alloquitur, verificantur. Ut á simili dicamus adultis: baptismus quidem prodest, si legem Evangelicam obverves: si autem legis ipsius praevaricator sis, baptismus tuus factus est ad vitam aeternam obtinendam, ac si non fuisset, ac si tu baptizatus non fuisses. Ex his ergo verus sensus aperitur illius dicti Marc. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Sicuti antiquitus ex Gen. *Qui circumcisus fuerit, salvus erit*. Hoc est de adultis loquendo, si circumcisus legem, cujus faciendae erat debitor, Galat. 6. observabat. A D. Bernardo autem, ut recitatur supra art. 1. append. quod scilicet rubiginem peccati eradebat. Caeterum pro hujus materiae de circumcisione pleniori captu, vide q. 62. art. 6. Et veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 17. concl. 4. *Secundo* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA PRIMA,

DE PRÆPARATORIIS QUÆ SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præparatoriis quæ simul concurrunt cum baptismo.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum catechismus debeat præcedere baptismum.

Secundo, utrum baptismum debeat præcedere exorcismus.

Tertio, utrum ea quæ aguntur in catechismo, et exorcismo, aliquid efficiant, vel solum significent.

Quarto, utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

ARTICULUS I.

Utrum catechismus debeat præcedere baptismum.

Pro negativa. ==Videtur quod catechismus non debeat præcedere baptismum.

1. Illud per quod homo accipit doctrinam, non debet præcedere id per quod homo accipit vitam. Sed per catechismum homo accipit doctrinam, per baptismum vero accipit spiritualem vitam. Ergo catechismus non debet præcedere baptismum.

Maior prob., quia prius homo accipit vitam, quam doctrinam.

Minor prob. Et quoad priorem partem patet, quia catechizare idem est quod instruere. Quo vero ad aliam, quia per baptismum regenerantur homines ad vitam spiritualem.

2. Illud quod exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, non debet præcedere catechismus. Sed baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris. Ergo baptismum non debet præcedere catechismus.

Maior probat., quia pueri non sunt doctrinæ perceptibiles, cum non habeant usum rationis.

3. In catechismo confitetur catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt confiteri suam fidem, nec per seipsos, ut patet; neque etiam aliquis alius pro eis; tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare, tum etiam quia non potest aliquis scire utrum pueri, cum ad legitimam ætatem pervenerint, assentiant fidei. Ergo non debet catechismus præcedere baptismum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Rabanus lib. 1. de institutione Cleric. cap. 25. Dicit: « ante baptismum catechizandi debet hominem prævenire of-« ficium, ut fidei primum catechumenus « accipiat rudimentum. »

Determinatio.

Conclusio. Ante baptismum, convenienter præcedit catechismus. Prob. ante sacramentum christianæ fidei convenienter præcedit catechismus. Sed baptismus est sacramentum christianæ fidei, et quædam ipsius protestatio. Ergo ante baptismum convenienter præcedit catechismus.

Maior prob., quia ad hoc quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruatur, secundum illud Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Igitur catechismus debet præcedere sacramentum fidei.

Et confirmatur conclusio, quia Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens præmittit doctrinam de baptismo dicens, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Matth. ult.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior loquendo de vita gratiæ; qualis est vita, quæ recipitur in baptismo. Vita enim gratiæ præsupponit vitam naturæ rationalis, in qua homo potest esse capax doctrinæ.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod sicut mater Ecclesia ut dictum est quæst. 69. art. 6. ad 3. accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, et aliorum cor ut credant; ita ac-

commodat eis aliorum aures, ut audiant, et intellectum, ut per alios instruantur: et ideo eadem ratione sunt catechizandi, qua sunt baptizandi.

Ad 3. Negatur minor quoad secundam partem. Confitetur enim catechizatus suam fidem per alium. Ad prob. dicitur quod ille, qui pro puero baptizando respondet, *Credo*, non prædicit puerum creditarum, cum ad legitimos annos pervenerit; alioquin diceret: *credet;* sed profitetur fidem Ecclesiæ in persona pueri, cui communicatur, cujus sacramentum ei tribuitur, et ad quam obligatur per alium. Non est enim inconveniens quod aliquis obligetur per alium in his quæ sunt de necessitate salutis; similiter etiam patrinus pro puero respondens promittit se operam daturum ad hoc ut puer credat; quod tamen non sufficeret in adultis habentibus usum rationis.

ARTICULUS II.

Utrum exorcismus debeat præcedere baptismum.

Pro negativa.=Videtur, quod exorcismus non debeat præcedere baptismum.

1. Illud quod ordinatur contra energumenos, non debet præcedere semper baptismum. Sed exorcismus ordinatur contra energumenos, idest arreptitios. Ergo exorcismus non semper debet præcedere baptismum.

Maior prob., quia non omnes baptizandi, sunt energumeni.

2. Illud quod excludit ab homine potestatem dæmonis, non debet præcedere baptismum. Sed exorcismus excludit ab homine potestatem dæmonis. Ergo exorcismi non debent præcedere baptismum.

Maior prob., quia dæmonis potestas non potest ab homine excludi, nisi per baptismum. Et hoc ostenditur, quia potestas dæmonis est in homine, quamdiu homo subjacet peccato, secundum illud Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*; peccatum autem tollitur per baptismum. Ergo per baptismum et non per exorcismos liberatur homo á potestate dæmonis.

3. Ad arcendum dæmonum potestatem introducta est aqua benedicta. Ergo ad hoc non oportebat aliud remedium adhibere per exorcismos.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Cælestinus Papa dicit Epistol. 1. ad Ep. Gal. cap. 12. «Sive parvuli, sive «juvenes ad regenerationis veniant sa«cramentum, non prius fontem vitæ «adeant, quam exorcismis, et exuffla«tionibus clericorum spiritus immundus «ab eis ejiciatur.»

Determinatio.

Conclusio. Convenienter baptizandi exorcizantur, cum insufflatione, benedicuntur cum manuum impositione, sal in os eorum ponitur; aures et nares eorum sputo liniuntur et oleo inunguntur.

Probatur quantum ad primam partem. Ea per quæ removentur impedimenta baptismi et sui effectus, convenienter præcedere debent baptismum. Sed per exorcismos removentur impedimenta baptismi et ejus effectuum. Ergo exorcismi convenienter præcedunt baptismum.

Maior prob., quia quicumque sapienter aliquid opus facere proponit, prius removet impedimenta sui operis: unde dicitur Hierem. 4. *Novate vobis novale et nolite serere super spinas.* Id igitur per quod removetur impedimentum baptismi, baptismum præcedere debet.

Minor prob., quia per exorcismos expellitur á baptizando diabolus hostis humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur, habens potestatem aliquam in homine, ex hoc ipso quod subditur originali vel actuali peccato; diaboli autem ejectio significatur per insufflationem.

Quantum ad alias partes manifest. concl. Nam benedictio cum manus im-

positione, præcludit expulso viam ne redire possit.

Sal in os immissum, et narium et aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os.

Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod energumeni dicuntur quasi interius laborantes ex intrinseca operatione diaboli, et quamvis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo vexentur ; omnes tamen non baptizati potestati dæmonum subjiciuntur, saltem propter reatum originalis peccati.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod in baptismo excluditur per ablutionem peccati potestas dæmonis ab homine, quantum ad hoc quod impedit eum á perceptione gloriæ. Sed exorcismi excludunt potestatem dæmonis, in quantum impedit hominem á perceptione sacramenti.

Ad 3. Neg. conseq. Aqua enim benedicta datur contra impugnationes dæmonum quæ sunt ab exteriori: exorcismus autem ordinatur contra impugnationes dæmonum quæ sunt ab interiori: Unde et energumeni dicuntur quasi interius laborantes, et isti exorcizantur. Vel dicitur quod sicut in remedium peccati post baptismum commisi datur pœnitentia; ita contra impugnationes, quas post baptismum patiuntur fideles, datur aqua benedicta; et sicut contra peccatum ante baptismum datur baptismus; ita contra impugnationes interiores impedientes baptismum, dantur exorcismi.

ARTICULUS III.

Utrum ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant.

Pro negativa. = Videtur, quod ea quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid.

1. Si puer moriatur ante baptismum post exorcismos, non consequitur salutem. Ergo ea quæ aguntur in exorcismo nihil efficiunt; sed solum significant.

Conseq. prob., quia ad hoc ordinatur effectus eorum, quæ in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem: unde et Marc. ult. dicitur: *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*

2. Si ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant, videtur quod singula, quæ aguntur in exorcismo, sint quædam sacramenta: quod tamen non est verum.

Conseq. prob., quia hoc solum requiritur ad sacramentum novæ legis quod sit signum et causa, ut dictum est quæs. 62. art. 1. et 2.

3. Si ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant, sequeretur quod nullus posset consequi effectum baptismi, nisi prius exorcizetur; quod tamen patet esse falsum.

Conseq. prob., quia sic illud quod in exorcismo efficitur ordinaretur ad effectum baptismi, sicut exorcismus ipse ordinatur ad baptismum; et sic id quod exorcismus efficeret esset dispositio ad effectum baptismi; dispositio autem ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma non recipitur nisi in materia disposita; et sic ad recipiendum effectum baptismi esset necessarius exorcismus.

4. Ea quæ post baptismum aguntur, non videntur aliquid efficere. Ergo nec ea quæ ante baptismum aguntur, in exorcismo aliquid efficiunt.

Antecedens probatur, quia secundum hoc effectus baptismi esset imperfectus.

Conseq. probat., quia sicut quædam aguntur in exorcismo ante baptismum; ita etiam quædam aguntur post baptismum. Sicut quod sacerdos baptizatum inungit in vertice.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Parvuli exufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica quæ decipit hominem, ut Aug. dicit in lib. 1. de symb. cap. 1. Ergo per hujusmodi exufflationes hoc agitur, ut dæmonum potestas expellatur.

Conseq. prob., quia nihil agitur frustra per Ecclesiam.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt ea quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Et hanc positionem probant argumenta facta pro negativa.

Reprobatio.

Sed hoc patet esse falsum per hoc quod Ecclesia in exorcismis utitur imperativis verbis ad expellendam dæmonis potestatem, puta cum dicit: *ergo maledicte diabole exi ab eo*, etc.

Vera sententia.

Conclusio. Ea quæ aguntur in exorcismo habent aliquem effectum, differentem tamen ab effectu baptismi.

Manifestatur: nam per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum; per ea vero quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ recipiendæ quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout dæmones hominum salutem impedire conantur; et hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas dæmonis pellitur, ut patet ex inducta auctoritate August. in arg. pro affirmativa; quantum ad hoc quod non præstet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas dæmonis in homine, quantum ad maculam peccati, et reatum pœnæ: quousque peccatum per baptismum tollatur. Et secundum hoc Cyprianus dicit lib. 4. Epist. cap. 7. « Scias diaboli ne-« quitiam posse remanere usque ad aquam « salutarem; in baptismo autem omnem « nequitiam amittere. »

Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria; unde Rab. de institut. cler. lib. 1. cap. 27. dicit, quod « per salivam typicam et sacerdo-« tis tactum, sapientia et virtus divina « salutem catechumeni operatur, ut ape-« riantur ei nares ad percipiendum odo-« rem notitiæ Dei, ut aperiantur ei au-« res, ad audiendum mandata Dei, ut « aperiantur illi sensus in intimo corde « ad respondendum. » Ex quibus patet qui sint effectus exorcismi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Præpositivus dicebat ad antecedens, quod etsi pueri cum solo exorcismo ante baptismum morientes non consequantur salutem, patiuntur tamen virtute exorcismi minores tenebras, quam illi qui etiam exorcismo carent.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verum, quia tenebræ illæ sunt carentia divinæ visionis quæ non recipit magis et minus.

Vera responsio.

Dicitur ergo negando consequentiam: ex hoc enim quod exorcismus non operatur salutem, non sequitur quod nihil efficiat. Exorcizatus enim non consequitur salutem per solum exorcismum, quia per ea quæ in exorcismo aguntur non tollitur culpa; tolluntur tamen impedimenta recipiendi remissionem culpæ per sacramentum; et per hoc exorcismus solus nihil valet post mortem, postquam non potest amplius percipi sacramentum et hæc remotio impedimenti ordinatur ad effectum baptismi.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod de ratione sacramenti novæ legis est quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum: quod non fit per ea quæ in exorcismo aguntur; sed solum impedimenta tolluntur, et ideo non sunt sacramenta sed sacramentalia.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod dispositio sufficiens ad gratiam baptismalem est fides et intentio; vel propria ejus qui baptizatur, si sit adultus; vel Ecclesiæ, si sit parvulus. Ea vero quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta; et ideo sine eo potest aliquis consequi effectum baptismi. Non tamen hæc sunt prætermittenda, nisi in necessitatis articulo, et tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo: nec frustra supplentur post baptismum; quia etiam post baptismum potest ejus effectus impediri.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod ea quæ aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit, puta inunctio quæ fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis. Aliud autem est quod nihil efficit; sed solum significat, sicut quod datur ei vestis candida ad significandum novitatem vitæ.

ARTICULUS IV.

Utrum sit officium sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum.

Pro negativa. = Videtur, quod non sit officium sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum.

1. Habere operationem super immundos pertinet ad officium ministrorum, ut Dion. dicit 5. cap. Eccl. Hier. Sed catechizare et exorcizare est operatio circa immundos. Ergo catechizare et exorcizare pertinet ad officium ministrorum et non sacerdotis.

Minor prob., quia catechumeni qui instruuntur in catechismo computantur inter immundos, ut Dion. ibidem dicit.

2. In Ecclesia Dei, scriptura, per quam catechumeni in fide instruuntur, recitatur per ministros; scilicet per lectores vetus testamentum, et per diaconos novum. « Et ad exorcistam pertinet exor-« cismos memoriter retinere et manus su-« per energumenos et catechumenos im-« ponere, » ut dicit Isid. Episc. ad Ludifred., qui refertur dist. 25. cap. Perfectis. Ergo catechizare pertinet ad lectores et diaconos; et exorcizare ad exorcistas.

3. Docere pertinet ad officium episcoporum. Sed catechizare idem est quod docere. Ergo catechizare pertinet ad officium episcoporum.

Maior prob., quia docere idem est quod perficere; perficere autem ad episcopos pertinet, ut Dion. dicit 5. cap. Eccl. Hier.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Nicolaus Papa, ut refert. dist. 4. de consec. cap. Catechismi, dicit: «Catechis-« mi baptizandorum á sacerdotibus unius-« cujusque Ecclesiæ fieri possunt.» Et Greg. dicit Hom. 29. in Evang. « Sacer-« dotes cum per exorcismi gratiam ma-« nus credentibus imponunt, quid aliud « faciunt, nisi quod dæmonia ejiciunt? »

Determinatio.

Conclusio. Catechizare et exorcizare ad officium sacerdotis pertinent: ad lectorem autem pertinet ministrare sacerdoti in catechismo; et ad exorcistas pertinet idem ministrare in exorcismo.

Prob. Sacerdos est principale agens in collatione baptismi et in præparatoriis ad ipsum; lectores autem et exorcistæ comparantur ad sacerdotem, sicut secundarium et instrumentale ad principale agens. Ergo ad sacerdotis officium pertinet conferre baptismum et dispositiva ad baptismum (quæ sunt catechismus et exorcismus) operari: ad lectorem vero pertinet ministrare in catechismo et ad exorcistam in exorcismo.

Conseq. prob., quia agens secundarium non agit sine principali agente, sed ei cooperatur.

Et confirmatur et magis declaratur conclusio, quia quanto potior est operatio principalis agentis, tanto potioribus indiget instrumentis, seu ministris. Et quia potior est operatio sacerdotis, qua baptismum confert, quam sit operatio,

qua præparatoria operatur; ideo in ipsa collatione sacramenti ministrant supremi ministri, scilicet diaconi; in præparatoriis autem lector et exorcista, ut Isid. dicit: loc. cit. in 2. arg.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ministri habent super immundos spiritus operationem solum ministerialem; et sacerdotes principalem.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod lectores et exorcistæ habent officium catechizandi et exorcizandi, non principaliter, sed ut ministrantes sacerdoti.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod multiplex est instructio. Una conversiva ad fidem; et hanc Dion. in 2. cap. Eccl. Hierar. tribuit episcopo; et potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli. Secunda est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis et qualiter se debeat habere ille qui debet suscipere sacramenta, in susceptione sacramentorum. Et hæc pertinet secundario ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conversatione christianæ vitæ, et hæc pertinet ad patrinos. Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei et perfectione christianæ vitæ, et hæc ex officio pertinet ad episcopos. Est igitur argumentum hoc á superiori ad inferius affirmative quod non valet: non enim sequitur, est animal: ergo est homo, nec in proposito valet; instructio pertinet ad episcopos. Ergo instructio quæ fit in catechismo, pertinet ad episcopos. Nam instructio pertinens ad episcopos ex officio est alia ab ea quæ fit in catechismo ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 71.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Rabano, et conciliis: quod catechismus debet præcedere baptismum. A Rabano quidem, ut *in arg. cont.* A concilio autem Papæ *Martini. Oportet, ut, qui baptizandi sunt, symbolum discant.* Hæc in decret. de consecr. distin. 4. cap. *Non liceat.* Item á Concilio *Bracarensi.* "In quibus viginti diebus omnino symbolum, quod est credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur." Hæc in decret. de consecr. dist. 4. cap. ante 20 dies. A scripturis vero per hoc, quod Apostoli prævia doctrina fidei (ut patet Act. 2. 3. 4. et 10.) baptizabant, et Philippus diaconus dicenti Eunucho Act. 8. *Quis prohibet, me baptizari? respondit, si credis ex toto corde, licet.* Item á Christo per hoc, quod (ut patet Jo. 9.) oculos cæci nati luto facto ex sputo prius linivit, et deinde ad aquas Syloe eum misit. Tali siquidem actione sua (quandoquidem omnis Christi actio nostra est instructio) denotavit, quod baptizandus debet prius de fide incarnationis instrui, et sic postea jam credulus ad baptismum admitti. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem convincas de errore temerariam irrisionem *Calvinistarum*, qua Papistis (sic enim contemptive vocant Sedis Apostolicæ filios catholicos) hoc, tamquam erroneum, imponunt, scilicet quod ad baptismum requiritur exorcismus: et quod adjuratio dæmonum de infantibus, vel aliis bonis creaturis, non est superstitio, et præsumptio, ut patet ex *Calvini* libello contr. act. Concilii Trident. Doctor enim sanctus in isto articulo tam efficaciter probat, et exorcismum baptismalem convenienter contra dæmones prærequiri, et per consequens adjurationem ipsam dæmonum de baptizandis non esse superstitionem, aut præsumptio-

nem, et contrarias illusiones, quæ sunt argumenta contra hanc veritatem tam valide fugat: ut nonnisi pro dæmonibus, adversusque infantes, aliasque bonas creaturas, stare videatur, quicumque præsenti articulo de exorcismo contraponitur. Nec mirum. Prædictis enim omnibus pensatis, quæ Doctor vere Angelicus in textu determinat, videtur is (quisquis ille fuerit) et de ejectione dæmonum, quam exorcismi efficiunt (ut in art. 3.) dolere, et de infantum, aliarumque creaturarum salutis impedimento, quod exorcismi tollunt, gaudere: tamquam diabolorum fautor, et amicus, infantum autem, aliorumque baptizandorum osor, et inimicus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum *Calvinistarum*, quem per risum operantur, errorem damnari merito á multis narratis in quæst. 66. a. 10. append. Item á Papa *Cælestino*, ut *in arg. cont.* Item á D. Aug. ut in art. 3. arg. cont. Item á Concilio *Bracarensi* 2. "Ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi catechumeni currant." Hæc illud: et recitantur de consecrat. distin. 4. Item á Rabano de institutione clericorum. "Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendaverit dominium, et per abrenunciationem prioris possessoris se alienaverit servitio, exsufflatur ab eo potestas sæva: ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui Sancto cedat fugiens malignus spiritus." Hæc ille, et recitantur ibid. de consecra. *Tertio* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt. Á D. Aug. quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Ubi pro semper vigilantissime contra hæreticos præsertim, et alios insensatos notabis ly *nihil agitur frustra per Ecclesiam*. A scripturis vero idem per locum á simili insinuatur 1. Reg. 16. "Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus." Porro tu ex his scripturæ verbis sensum á simili facientem ad hoc propositum elicias, dicendo: si ad sonum cytharæ á David pulsatæ efficiebatur hoc, quod spiritus malus á vexatione Saulis cessabat, et ab eo recedebat: utique, et multo magis equidem ad lectionis exorcismum devotum sonum á sancta matre Ecclesia per ministros editum, spiritus malus, idest diabolus à vexatione hominis baptizandi cessabit, et ab eo recedet, ut patet recte consideranti. Plus enim est sonus exorcismi, quam sonus cytharæ, et sancta Dei Ecclesia, quam David. Ideo dictum est ly *multo magis equidem*. Quod si contendas, id non esse omnino à fortiori; saltem sit á puro simili. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scrip., Papa, et Greg., quod catechizare et exorcizare est principaliter sacerdotis. A Papa Nicolao quidem, et B. Greg, ut est *in arg. cont.* De principali enim agente, respectu catechizandi, et exorcizandi, loquuntur. A scripturis vero per hoc, quod Dominus ad discipulos dixit, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Nam ly *docete* catechismum ante baptismum denotat, cum præponatur huic, scilicet *baptizantes*; et loquitur Christus ad sacerdotes. In suprema enim cœna, quæ narratur Matth. 26. Luc. 22. ipsi jam ordinati fuerant sacerdotes ab ipso Domino. Docet hoc namque Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. et can. 2. "Si quis dixerit: illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; anathema sit." Hæc in canone: et in capitulo prædixerat, quod hoc, scilicet eos per verba illa fuisse novi testamenti sacerdotes institutos, Ecclesia catholica semper intellexit, et docuit. Item de exorcismo insinuatur intentum per hoc, quod idem Dominus septuaginta duobus discipulis dixit Luc. 10. "Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici." Exorcizandi enim tunc eis fuisse á Christo datum officium, intelligimus: quando ipsis ejiciendi dæmones ab hominibus contulit facultatem. Nec mirum. Nam ad expulsionem dæmonum, ne hominibus noceant, ordinantur principaliter exorcismi. Porro discipulos septuaginta duos repræsentasse sacerdotes, nemo est, qui ambigat: si epistolam ter-

tiam *Anacleti*, qui fuit Papa Tertius á Petro, legerit dicentis: quod presbyteri discipulorum septuaginta locum tenent in testamento novo. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA,

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de sacramento confirmationis.

Et circa hoc quæruntur duodecim.

Primo, utrum confirmatio sit sacramentum.

Secundo, de materia ejus.

Tertio, utrum sit de necessitate sacramenti quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum.

Quarto, de forma ipsius.

Quinto utrum imprimat characterem.

Sexto, utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismalem.

Septimo, utrum conferat gratiam.

Octavo, cui competat recipere hoc sacramentum.

Nono, in qua parte.

Decimo, utrum requiratur aliquis qui teneat confirmandum.

Undecimo, utrum hoc sacramentum per solos episcopos detur.

Duodecimo, de ritu ejus.

ARTICULUS I.

Utrum confirmatio sit sacramentum.

Pro negativa. = Videtur, quod confirmatio non sit sacramentum.

1. Sacramenta sunt instituta á Christo. Sed confirmatio non legitur instituta á Christo. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Maior prob., quia sacramenta ex divina institutione efficaciam habent, ut dictum est quæst. 64. art. 2.

2. Sacramenta novæ legis fuerunt præfigurata in veteri testamento: sed confirmatio non fuit præfigurata in veteri testamento. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Maior probat., quia Apost. dicit 1. Cor. 10. Quod « omnes in Moyse bap- « tizati sunt in nube et in mari, in quo « præfiguratus fuit baptismus et omnes « eamdem escam spiritualem manducave- « runt, et eumdem potum spiritualem « biberunt in quo præfiguratum fuit sa- « cramentum Eucharistiæ. »

3. Illud sine quo homines consequuntur salutem, non est sacramentum. Sed sine confirmatione possunt homines salvari. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Maior prob., quia sacramenta ordinantur ad hominum salutem.

Minor probat., quia pueri baptizati sine confirmatione salvantur.

4. Per omnia sacramenta Ecclesiæ homo conformatur Christo qui est sacramentorum auctor. Sed per confirmationem homo non conformatur Christo. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Minor prob., quia Christus non legitur confirmatus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Melchiades Papa scribit in Epist. tomo 1. Conciliorum hispaniarum episcopis, et habetur de consec. dist. 5. cap. 3. de his, dicens: « de his super quibus « rogastis vos informari, utrum majus « sit sacramentum manus impositio epis- « coporum, an baptismus; scitote utrum- « que magnum esse sacramentum. »

Determinatio.

CONCLUSIO. Confirmatio est speciale sacramentum.

Prob. Illud per quod confertur specialis effectus gratiæ, est speciale sacramentum. Sed per confirmationem confertur specialis gratiæ effectus. Ergo confirmatio est speciale sacramentum.

Maior prob., quia sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus; et ideo ubi occurrit specialis aliquis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum.

Minor manifestatur ex his quæ in vita corporali aguntur; sensibilia enim et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem; ideo ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus quid in vita gratiæ speciale existat.

Manifestum est autem quod in vita corporali specialis quædam perfectio est quod homo ad perfectam ætatem perveniat et perfectas actiones hominis agere possit. Unde Apost. dicit 1. Cor. 13. *Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Et inde est quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem.

Sic etiam homo accipit vitam spiritualem per baptismum qui est spiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Et hic est specialis effectus gratiæ, qui confertur per confirmationem. Unde Melchiades Papa in eadem Epistol. dicit: « Spiritus Sanc- " tus qui super aquas baptismi salutifero " descendit lapsu, in fonte plenitudinem " tribuit ad innocentiam. In confirma- " tione augmentum præstat ad gratiam. " In baptismo regeneramur ad vitam, " post baptismum confirmamur ad pug- " nam: in baptismo abluimur, post bap- " tismum roboramur. »

AD ARGUMENTA.

Quorumdam responsio ad primum.

Ad 1. Quidam dixerunt, quod hoc sacramentum non fuit institutum á Christo, nec ab Apostolis: sed postea processu temporis in quodam concilio. Alii vero dixerunt quod fuit institutum ab Apostolis. Unde secundum eos qui sic opinabantur, neganda erat maior argumenti.

Reprobatio.

Sed neutrum horum stare potest, quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ quæ competit soli Christo.

Vera responsio.

Dicendum est ergo ad argumentum aliter negando minorem: Christus enim instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan. 16. « Si non abiero, paraclitus non " veniet ad vos; si autem abiero mittam " eum ad vos; » et hoc ideo: quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, et ascensionem, secundum illud Joan. 7. " Nondum erat spi- " ritus datus, quia Jesus nondum erat " glorificatus. » Instituit ergo Christus hoc sacramentum, quando promisit Apostolis se missurum Spiritum Sanctum.

Ad 2. Negatur maior: non enim omnia sacramenta novæ legis fuerunt præfigurata in antiqua lege, sed tantum quatuor, scilicet baptismus, eucharistia, ordo, et pœnitentia, ut ostensum est 1. 2. quæst. 102. artic. 5. ad 3. Ratio autem quare alia sacramenta non fuerunt præfigurata, habetur ibidem; sed in speciali quare sacramentum confirmationis non habuerit sacramentum figurativum sui, est quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, et quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur ad Heb. 7. et ideo non potuit hoc sacramentum habere aliquod respondens in veteri testamento.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod etsi omnia sacramenta ordinentur ad salutem, non tamen omnia sunt æqualiter ad salutem necessaria, ut dictum est supra quæst. 65. art. 4. ad 3. Sed quædam sunt, sine quibus non est salus; quædam vero sunt quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis: quamvis sine ea possit esse salus,

dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti.

Ad 4. Negatur minor. Illi enim qui confirmationem accipiunt quæ est sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, in quantum ipse in primo instanti suæ conceptionis fuit *plenus gratiæ et veritatis*, ut dicitur Joan. 1. Quæ quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus Sanctus descendit corporali specie super eum. Unde et Luc. 4. dicitur: quod *Jesus plenus Spiritu Sancto, regressus est á Jordane.* Unde etsi ille qui recipit sacramentum confirmationis, non conformetur Christo in receptione hujus sacramenti; non enim conveniebat quod Christus qui est auctor sacramentorum á sacramentis gratiæ plenitudinem acciperet: conformatur tamen Christo in effectu hujus sacramenti.

ARTICULUS II.

Utrum chrisma sit conveniens materia hujus sacramenti.

Pro negativa.=Videtur quod chrisma non sit conveniens materia hujus sacramenti.

1. Christus qui instituit sacramentum confirmationis in promissione, quam Apostolis fecit se missurum Spiritum Sanctum, misit Spiritum Sanctum, absque omni chrismatis unctione: ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem absque chrismate, dicitur enim Act. 8. Quod *Apostoli imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo chrisma non est materia hujus sacramenti.

Conseq. probat., quia materia est de necessitate sacramenti.

2. Materia baptismi est simplex elementum. Ergo non est conveniens materia confirmationis chrisma quod conficitur ex oleo et balsamo.

Conseq. probat., quia cum confirmatio perficiat quodammodo sacramentum baptismi, debet ei conformari, sicut perfectio perfectibili.

3. Quolibet oleo potest fieri unctio, puta oleo quod fit ex nucibus, amigdalis, lini semine et similibus. Ergo non solum oleum olivarum, sed quodlibet aliud oleum potest assumi ad hoc sacramentum.

Conseq. prob., quia oleum assumitur in materia hujus sacramenti, ad inungendum.

4. Illud quod assumitur in materiam sacramenti, debet de facili ubique inveniri. Sed oleum olivarum non de facili ubique invenitur, et multo minus balsamum. Ergo chrisma quod ex oleo et balsamo conficitur, non convenienter assumitur in materiam confirmationis.

Maior prob., quia supra quæst. 66. art. 5. dictum est quod aqua assumitur, ut materia in baptismo, quia ubique de facili invenitur.

POR AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. dicit in lib. 3. Reg. cap. 9. *Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non præsumant.* Ergo chrisma est materia hujus sacramenti.

Determinatio.

Conclusio. Chrisma est conveniens materia sacramenti confirmationis.

Probatur. Illud quod significat gratiam Spiritus Sancti et communicationem operationum propriarum ad alios, est conveniens materia sacramenti confirmationis. Sed chrisma significat gratiam Spiritus Sancti et communicationem propriarum operationum ad alios. Ergo chrisma est conveniens materia sacramenti confirmationis.

Maior probat., quia sicut dictum est art. præced. In hoc sacramento datur gratia Spiritus Sancti ad robur spirituale quod competit perfectæ ætati: homo autem, cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare operationes suas ad alios; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Illud igitur

quod hæc duo significat, est conveniens materia hujus sacramenti.

Minor prob. Et quod gratia Spiritus Sancti in oleo designetur, ostenditur quia Christus dicitur esse *unctus oleo lætitiæ* propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit: balsamum autem quod oleo in chrismate admiscetur, propter fragantiam odoris quæ redundat ad alios; signat bonarum operationum ad alios communicationem, secundum illud Apost. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo*, etc. Et licet multa alia sint odorifera tamen præcipue assumitur balsamum, propter hoc quod habet præcipuum odorem, et quia etiam incorruptionem præstat. Unde Eccles. 24. dicitur: *quasi balsamum non mixtum odor meus.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ex hoc enim quod Christus dedit Apostolis plenitudinem Spiritus Sancti sine chrismate, non sequitur quod chrisma non sit materia hujus sacramenti. Christus enim ex potestate excellentiæ, quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem hujus sacramenti, idest plenitudinem Spiritus Sancti, sine sacramento; eo quod *ipsi primitias Spiritus Sancti acceperunt*: sicut dicitur Rom. 8. Et licet collatio plenitudinis Spiritus Sancti facta Apostolis, non fuerit facta cum chrismate: nihilominus tamen aliquid conforme materiæ hujus sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensibiliter, quando fuerunt Spiritu Sancto repleti. Descendit enim super eos Spiritus Sanctus in specie ignis, quod ad eamdem significationem refertur, ad quam refertur oleum; nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem habet vim passivam, in quantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat: nam per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. Super Apost. etiam Spiritus Sanctus descendit in figura linguæ quod ad idem significandum refertur quod significat balsamum, scilicet ad communicationem ad alterum, nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem, quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto, ut fidei doctores; alii autem fideles, ut operatores eorum quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Ex quibus patet quod ex prima parte antecedentis, scilicet ex hoc quod Christus sine chrismate dedit Apostolis plenitudinem Spiritus Sancti, non sequitur quod chrisma non sit hujus sacramenti materia. Tum quia Christus habebat plenitudinem potestatis in sacramentis; tum etiam, quia aliquid chrismati simile fuit Apostolis exhibitum, quod habuit eamdem significationem, et quod hoc rationabiliter factum est ad significandum quod Apostolis excellenter gratia Spiritus Sancti fuit collata.

Ex altera vero antecedentis parte, scilicet ex hoc quod Apostoli absque chrismate dabant gratiam Spiritus Sancti, non sequitur quod chrisma non sit hujus sacramenti materia; quia cum ad impositionem manus Apostolorum visibiliter descenderet Spiritus Sanctus super fideles sub visibilibus signis, sicut á principio super ipsos Apostolos descenderat, ut dicitur Act. 11. quod "cum "Petrus cœpisset loqui, cecidit Spiritus "Sanctus super eos;" non erat necessaria materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose divinitus exhibebantur.

Communiter tamen Apostoli utebantur chrismate in exhibitione hujus sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dion. 4. cap. Eccles. Hier. *Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri* (idest Apost.) *chrismatis hostiam nominant.*

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de baptismi materia, et de materia confirmationis. Baptismus enim datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam; et ideo competit illi sa-

cramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad consequendam plenitudinem Spiritus Sancti, cujus est multiformis operatio, secundum illud Sap. 7. «Est enim illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex:» et 1. Cor. 12. dicitur: «divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus;» et ideo convenienter materia hujus sacramenti est composita.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod oleum assumitur non solum propter inunctionem, sed etiam propter significationem. Proprietates autem olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde et ipsa oliva semper frondibus virens virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum et maxime habetur in usu ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor, ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum. Et ideo oleum olivarum solum assumitur in usum hujus et quorumdam aliorum sacramentorum.

Ad 4. Negatur maior. Non enim est necesse ut materia cujuslibet sacramenti de facili et ubique inveniatur. Ad probationem dicitur, quod baptismus est sacramentum absolutæ necessitatis, et ideo ejus materia debet inveniri ubique. Ad materiam autem sacramenti confirmationis quod non est tantæ necessitatis, sufficit quod possit de facili ad omnia terrarum loca deferri.

ARTICULUS III.

Utrum de necessitate sacramenti confirmationis sit quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum.

Pro negativa. = Videtur, quod non sit de necessitate hujus sacramenti, quod chrisma, quod est ejus materia, fuerit prius per episcopum consecratum.

1. Sanctificatio quæ adhibetur aquæ ante baptismum, non est de necessitate sacramenti. Ergo non est de necessitate sacramenti confirmationis quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum.

Antecedens prob., quia illa sanctificatio quæ adhibetur aquæ baptismali ante baptismum, in articulo necessitatis potest prætermitti.

Consequentia prob., quia baptismus, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficaciæ quam sacramentum confirmationis.

2. Materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti, per formam verborum, qua confertur sacramentum: unde Aug. dicit super Joan. tract. 80. *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Ergo non debet prius chrisma consecrari, quam tradatur hoc sacramentum.

Consequentia probat., quia idem non debet bis consecrari.

3. Illud cui adhibetur consecratio, est capax gratiæ. Sed chrisma non est capax gratiæ. Ergo chrismati non debet aliqua consecratio adhiberi.

Maior probat., quia omnis consecratio quæ fit in sacramentis, ad consecutionem gratiæ ordinatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Innocentius Papa dicit, et habetur de consecr. dist. 4. cap. Presbyt. "Presbyteris, cum baptizant chrismate baptizatos inungere liceat quod ab episcopo fuerat consecratum, non tamen, frontem ex eodem oleo signare quod solum debetur episcopis, cum tradunt paraclitum," quod quidem fit in hoc sacramento. Ergo ad hoc sacramentum requiritur chrisma per episcopum consecratum.

Determinatio.

Conclusio. Chrisma et oleum infirmorum, prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti.

Prob. Materia corporea sacramentorum, quibus non usus est Christus, ne-

cessario prius benedicitur, quam ad usum sacramentorum adhibeatur. Sed chrisma et oleum infirmorum sunt materia corporalis sacramenti confirmationis et extremæ unctionis, et eis non est usus Christus. Ergo chrisma et oleum infirmorum debent benedici et consecrari, antequam adhibeantur ad usum horum sacramentorum.

Maior prob. Ex differentia quæ est inter sacramenta habentia corporalem materiam, quibus usus est Christus et ea quæ habent corporalem materiam, et non est usus Christus. Pro quo est considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus usus est, scilicet baptismo et eucharistia: et ideo ex ipso usu Christi, á quo tota sacramentorum sanctificatio derivatur, materiæ horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti, unde Chrysost. dicit et refertur de consecr. dist. 4. cap. 10. Numquam, quod "numquam aquæ "baptismi purgare peccata credentium "possent, nisi tactu Dominici corporis "sanctificatæ fuissent." Et similiter ipse Dominus accipiens panem benedixit, similiter et calicem, ut habetur Matth. 26. et Luc. 22. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non ad necessitatem. Materiæ igitur sacramentorum quibus usus est Christus, non est necesse ut aliqua alia benedictio adhibeatur. Et é contra, materia corporalis sacramentorum quibus non est usus Christus, est benedicenda et consecranda.

Minor probat. Nam Christus non est usus visibilibus unctionibus, ne fieret injuria unctioni invisibili, qua est unctus præ consortibus suis; et ideo tam chrisma, quam oleum sanctum infirmorum, prius benedicuntur, quam ad usum sacramenti adhibeantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de materia baptismi et confirmationis, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod idem non debet bis consecrari consecrationibus, quæ ad idem referantur; potest tamen idem bis sanctificari sanctificationibus quæ ad diversum finem referuntur. Sicut enim instrumentum dupliciter virtutem instrumentalem acquirit, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur á principali agente ad effectum; ita materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per unam quarum fit propria materia sacramenti, per aliam vero applicatur ad effectum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod illud quod consecratur, debet esse capax gratiæ, vel subjective, vel saltem instrumentaliter, ut scilicet possit esse instrumentum gratiæ. Tunc ad minorem dicitur, quod chrisma non est capax gratiæ, quasi gratiæ subjectum, sed solum sicut gratiæ instrumentum, ut dictum est quæst. 62. art. 1. 2. et 3. de materia corporali in genere. Et ad hoc materia sacramenti consecratur vel ab ipso Christo, vel ab episcopo qui in Ecclesia gerit personam Christi.

ARTICULUS IV.

Utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti, consigno te signo crucis, etc.

Pro negativa. = Videtur, quod hæc non sit conveniens forma sacramenti confirmationis: *Consigno te signo crucis: Et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti*, Amen.

1. Usus sacramentorum á Christo et ab Apostolis derivatur, sed hanc formam nec Christus instituit, nec Apostoli. Ergo hæc non est conveniens hujus sacramenti forma.

2. Hac forma non omnes utuntur.

Ergo hæc non est conveniens hujus sacramenti forma.

Antecedens probat., quia quidam dicunt: *confirmo te chrismate sanctificationis.*

Consequentia prob., quia sicut sacramentum est idem apud omnes; ita et forma debet esse eadem; quia quælibet res habet unitatem sicut et esse á sua forma.

3. Hæc forma non conformatur cum forma baptismi. Ergo non est conveniens.

Consequentia prob., quia sacramentum confirmationis debet conformari baptismo, sicut perfectio perfectibili, ut dictum est quæst. 65. art. 4. et art. 2. hujus quæst. arg. 2.

Antecedens prob. In forma enim baptismi non fit mentio de consignatione characteris, nec etiam de cruce Christi, cum tamen per baptismum homo commoriatur Christo, ut dicitur Rom. 6. Nec etiam fit mentio de effectu salutis, cum tamen baptismus sit de necessitate salutis; in forma etiam baptismi ponitur unus actus tantum, et exprimitur persona baptizantis, cum dicitur: *Ego te baptizo*, cujus contrarium apparet in forma prædicta, in qua fit mentio de duobus actibus, nec exprimitur persona confirmantis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est auctoritas Ecclesiæ quæ hac forma communiter utitur.

Determinatio.

Conclusio. Forma conveniens sacramento confirmationis est, *consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Prob. Continens quicquid pertinet ad speciem sacramenti confirmationis, est ejus conveniens forma. Sed prædicta forma continet quicquid pertinet ad speciem sacramenti confirmationis. Ergo prædicta forma est conveniens sacramento confirmationis.

Maior prob., quia sicut forma rei naturalis dat ei speciem; ita forma sacramenti debet continere quicquid pertinet ad speciem sacramenti.

Minor manifestatur. In hoc enim sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnæ; et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis quæ est Sancta Trinitas quæ exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris*, etc. Secundum est ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis ad salutem; quod quidem tangitur, cum dicitur: *confirmo te chrismate salutis.* Tertium est, signum quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur; et quantum ad hoc dicitur, *consigno te signo crucis*: in quo scilicet rex noster triumphavit, ut dicitur Col. 2. Continet igitur hæc forma, quicquid ad speciem hujus sacramenti pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Apostoli dederunt effectum hujus sacramenti, scilicet plenitudinem gratiæ, dupliciter quando quidem quibusdam visibilibus signis miraculose effectis á Deo, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre; et tunc non erat necessaria materia, nec forma sacramenti, ut dictum est artic. 2. Quandoque vero tamquam ministri sacramentorum hoc sacramentum præbebant; et tunc sicut materia, ita et forma ex mandato Christi utebantur: nec est necessarium quod hoc in scriptura legatur: nam multa servabant Apostoli in sacramentorum collatione quæ in scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dion. dicit cap. 7. Eccles. Hierarch. "Con-"summativas invocationes," idest, verba, quibus perficiuntur sacramenta, «non "est justum scripturas interpretantibus, "neque mysticum earum, aut in ipsis "operatas ex Deo virtutes, ex occulto,

"ad communc adducere; sed nostra sa-"cra traditio sine pompa," idest occulte eas edocet: unde et Apost. dicit 1. Cor. 11. De celebratione Eucharistiæ loquen. *Cætera, cum venero, disponam.* Est igitur falsa minor: hæc enim forma fuit á Christo instituta, et ea Apostoli usi sunt, quando hoc sacramentum fidelibus tradebant.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod sanctitas est salutis causa; et ideo in idem reddit quod dicitur chrisma salutis et sanctificationis.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est necesse quod forma hujus sacramenti in omnibus conformetur formæ baptismi, quia baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo vivit in seipso, et ideo non ponitur in forma baptismi, nisi unus actus pertinens ad sanctificandum ipsum hominem, qui actus est ablutio quæ exprimitur, dum dicitur: *Ego te baptizo.* Sacramentum autem confirmationis non solum ordinatur ad hoc, quod homo sanctificetur in seipso, sed etiam exponitur cuidam pugnæ exteriori. Et ideo in forma hujus sacramenti, non solum fit mentio de interiore sanctificatione, cum dicitur: *Confirmo te chrismate salutis.* Sed etiam consignatur homo exterius, quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem quod significatur, cum dicitur: *Consigno te signo crucis.* Et quia in hoc verbo, confirmo, non intelligitur materia quæ est chrisma; nec effectus, sacramenti qui est salus; sicut utrumque horum intelligitur in verbo baptizo, in quo intelligitur aqua quæ ad abluendum communiter assumitur, et effectus, qui est emundatio á peccato quæ non est sine gratia quæ est salutis causa; propterea non satis fuit dicere: *confirmo te;* sicut sufficit dicere: *baptizo te,* etc. Sed oportuit ponere, et materiam, scilicet chrisma, et effectum, qui est salus. Illud autem verbum, ego, non est de necessitate sacramenti, ut dictum est quæst. 66. art. 5. ad 1. Et ideo non est necessario ponendum. Ponitur tamen in forma baptismi ad exprimendam intentionem ministri: non ponitur in forma confirmationis, quia hoc sacramentum non confertur, nisi ab excellenti ministro, ut art. 11. dicetur.

ARTICULUS V.

Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem.

Pro negativa.=Videtur quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem.

1. Per sacramentum quod imprimit characterem, distinguitur homo qui sacramentum suscipit ab infidelibus, ut fit in sacramento baptismi; vel ab aliis quibusdam fidelibus, ut fit in sacramento ordinis. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, neque ab aliis fidelibus. Ergo hoc sacramentum non imprimit characterem.

Maior prob., quia character importat quoddam signum distinctivum.

Minor probat., non enim confirmatio distinguit ab infidelibus, quia hoc fit per baptismum; nec á fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem quæ omnibus fidelibus indicitur.

2. Per sacramentum imprimens characterem confertur virtus, sive potestas activa, vel passiva. Sed per sacramentum confirmationis non confertur potestas activa, nec passiva. Ergo hoc sacramentum non imprimit characterem.

Maior prob.; quia character est quædam potentia spiritualis activa, vel passiva, ut dictum est quæst. 63. art. 2.

Minor prob., quia potentia activa in sacramentis confertur per sacramentum ordinis: potentia vero passiva, sive receptiva, per sacramentum baptismi.

3. In sacramento, in quo imprimitur character corporalis, non imprimitur character spiritualis. Sed in sacramento confirmationis imprimitur character cor-

poralis, dum homo signatur chrismate signo crucis in fronte. Ergo in hoc sacramento non imprimitur aliquis spiritualis character.

Maior probat., quia in circumcisione quæ erat character corporalis, non imprimebatur aliquis character spiritualis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In sacramento quod non iteratur, imprimitur character. Sed sacramentum confirmationis, non reiteratur. Ergo in sacramento confirmationis imprimitur character.

Minor prob., quia Greg. dicit, et refertur de conf. dist. 5. cap. 9. *De homine qui á Pontifice confirmatus fuerit, denuo talis iteratio prohibenda est.*

Determinatio.

Conclusio. In sacramento confirmationis imprimitur character.

Probatur. Sacramentum per quod datur homini spiritualis potestas, imprimit characterem. Sed per sacramentum confirmationis confertur homini quædam spiritualis potestas. Ergo in sacramento confirmationis imprimitur character.

Maior probat., quia character est aliqua spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata, ut dictum est quæst. 63. art. 3.

Minor manifestatur. Dictum est enim supra art. 1. hujus quæst. quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam; ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam: manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ quod alia est actio hominis statim nati, et alia est actio quæ competit ei cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo: nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit: in confirmatione autem accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet in exemplo Apostolorum qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianæ: et hæc est spiritualis operatio, ad quam datur potestas in sacramento confirmationis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor quoad secundam ejus partem. Ad probationem dicitur, quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit: sed contra hostes visibiles; idest contra persecutores fidei pugnare nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum qui jam sunt conducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur 1. Joan. 2. *Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis et verbum Dei in vobis manet et vicistis malignum*; et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non fidelium ab infidelibus, sed spiritualiter provectorum, ab his quibus dicitur; sicut modo geniti infantes 1. Pet. 2.

Ad 2. Negatur minor. Confertur enim per confirmationem potestas activa publice profitendi fidem Christi verbis, quasi ex officio, sicut baptizatus accipit per baptismum potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de circumcisione quæ est sacramentum veteris legis, et de sacramentis novæ legis. Sacramenta enim veteris legis dicuntur *justitiæ carnis*, ut patet Hebr. 9. Quia scilicet interius nihil efficiebant; et ideo in circumcisione imprimebatur character solum in corpore, non autem

in anima. Sed in sacramento confirmationis cum charactere corporali imprimitur simul character spiritualis, eo quod hoc est sacramentum novæ legis.

ARTICULUS VI.

Utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismi.

Pro negativa. = Videtur quod character confirmationis non præsupponat ex necessitate characterem baptismi.

1. Multi ante baptismum fidem Christi publice confessi sunt, sanguinem pro fide fundentes; ad quod confirmatio ordinatur. Ergo character confirmationis non præsupponit ex necessitate characterem baptismalem.

2. De Apostolis non legitur quod fuerint baptizati, præsertim cum dicatur Joan. 4. Quod ipse Christus non baptizabat, sed discipuli ejus, et tamen postea fuerunt confirmati per adventum Spiritus Sancti: ergo etiam alii possunt confirmari, antequam baptizentur.

3. Act. 10. dicitur quod «adhuc loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus «super eos qui audiebant verbum, et «audiebant eos loquentes linguis;» et postea Petrus jussit eos baptizari. Ergo pari ratione possunt alii, priusquam baptizentur, confirmari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Raban. dicit in lib. 1. de instit. Cler. cap. 31. Et habetur de consecr. dist. 5. c. 5. «Novissime á summo sacerdote «per impositionem manus paraclitus «traditur baptizato, ut roboretur per «Spiritum Sanctum ad prædicandum.»

Determinatio.

Conclusio. Character confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem; ita scilicet quod si aliquis non baptizatus confirmaretur nihil reciperet; sed oporteret iterato confirmari post baptismum.

Prob. Sacramentum per quod homo perducitur ad perfectam ætatem spiritualem necessario præsupponit sacramentum, per quod homo spiritualiter nascitur. Sed per sacramentum confirmationis homo perducitur ad perfectam ætatem spiritualem; per baptismum vero homo spiritualiter nascitur. Ergo character confirmationis præsupponit characterem baptismalem.

Maior prob., quia nullus potest promoveri in perfectam ætatem, nisi primo fuerit natus.

Minor prob., quia confirmatio se habet ad baptismum, sicut augmentum ad generationem, ut dictum est art. 1.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Quia enim virtus divina non est alligata sacramentis, potest conferre homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis, sicut etiam remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto; ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius quod votum potest haberi etiam ante baptismum. Potest igitur effectus confirmationis præcedere actualem susceptionem baptismi, non tamen potest præcedere baptismi votum et ejusdem effectum. Ipsum autem confirmationis sacramentum nullo modo baptismum præcedere potest, sed semper eum præsupponit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod etsi non legatur Apostolos fuisse baptizatos; tamen sicut August. dicit ad Seleucianum, Epist. 108. Ex hoc quod Dominus dicit Joan. 13. «Qui lotus est «non indiget nisi ut pedes lavet, intelli«gimus Petrum et alios Christi discipu«los fuisse baptizatos, sive baptismo «Joannis, ut nonnulli arbitrantur, sive «(quod magis credibile est) «baptismo «Christi ab ipso Christo: neque enim «tenuit ministerium baptizandi, ut ha«beret baptizatos servos, per quos cæ«teros baptizaret.» Ad id autem quod dicitur: quod ipse Christus non baptizabat, respondetur quod communiter qui-

dem non baptizabat, baptizavit tamen discipulos suos.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod audientes prædicationem Petri acceperunt effectum confirmationis, scilicet gratiam et robur miraculose; non tamen receperunt confirmationis sacramentum: dictum est enim in corp. Quod effectus confirmationis, potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis; sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi, qui est justificatio; ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

ARTICULUS VII.

Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

Pro negativa. = Videtur quod, per hoc sacramentum non conferatur gratia gratum faciens.

1. Sacramentum per quod confertur gratia gratum faciens, ordinatur contra culpam. Sed sacramentum confirmationis non ordinatur contra culpam. Ergo per hoc sacramentum non confertur gratia.

Maior prob., quia gratia gratum faciens ordinatur contra culpam.

Minor prob., quia hoc sacramentum non exhibetur nisi baptizatis qui sunt á culpa mundati.

2. Sacramentum confirmationis non confertur hominibus in peccato existentibus. Ergo hoc sacramentum non confert gratiam.

Conseq prob., quia cum peccatores maxime indigeant gratia gratum faciente, si hoc sacramentum eam conferret, maxime hominibus existentibus in peccato esset conferendum.

3. Per sacramentum quod confertur tantum ei qui jam habet gratiam gratum facientem, non confertur hujusmodi gratia. Sed sacramentum confirmationis non confertur, nisi ei qui jam habet gratiam gratum facientem. Ergo per hoc sacramentum non confertur gratia.

Maior prob., quia duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto, gratia autem gratum faciens non differt specie: unde non possunt duæ gratiæ gratum facientes esse simul in eodem subjecto.

Minor prob., quia hoc sacramentum non exhibetur, nisi baptizatis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Melchiades Papa Epist. ad Episc. Hisp. to. 1. Concil. dicit: «Spiritus «Sanctus in fonte baptismi plenitudinem «tribuit ad innocentiam, in confirma«tione augmentum præstat ad gratiam.»

Determinatio.

Conclusio. In sacramento confirmationis confertur gratia gratum faciens.

Probatur. In sacramento in quo datur Spiritus Sanctus, datur gratia gratum faciens. Sed in sacramento confirmationis datur Spiritus Sanctus. Ergo in hoc sacramento datur gratia gratum faciens.

Maior probat., quia missio, seu datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente, ut ostensum est 1. par. quæst. 43. art. 3.

Minor probat. Quia in hoc sacramento datur jam baptizato Spiritus Sanctus ad robur, ut dictum est art. 1. 2. et 3. hujus quæst. sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, ut legitur Act. 2. Et sicut dabatur baptizatis per impositionem manuum Apostolorum ut legitur Act. 8.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Non enim est universaliter vera. Ad probationem dicitur, quod primus effectus gratiæ gratum facientis est remissio culpæ, habet tamen etiam alios effectus ad quos ordinatur: nam gratia debet esse sufficiens ad hoc quod promoveat hominem per omnes gradus usque ad vitam æternam, secundum illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna:* unde et Paulo dictum est 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea;* et ipse de

se dicit 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Et ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum et firmitatem justitiæ; et ad hoc confertur in hoc sacramento.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi peccatores indigeant gratia gratum faciente ad delenda peccata; tamen in hoc sacramento non datur gratia ad hunc effectum, sed eam præsupponit. Sicut enim ex ipso nomine apparet hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit; et ideo non debet dari his qui non habent gratiam: et propter hoc, sicut non datur non baptizatis; ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi concilio, et refertur de consec. dist. 5. cap. Ut jejuni. « Ut jejuni ad confirmationem ve« niant, ut moneantur confessionem fa« cere prius, ut mundi donum Spiritus « Sancti valeant accipere, » et tunc per sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, sicut et baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur pœnitens pleniorem remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet vel si etiam non perfecte contritus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequitur remissionem peccatorum.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut dictum est in quæst. 62. art. 2. Gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quem ordinatur sacramentum. Gratia igitur sacramentalis quæ in hoc sacramento confertur, potest considerari dupliciter: uno modo quantum ad id quod est commune gratiæ gratum facienti; et sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per baptismum sit collata; sed quæ prius inerat, augetur. Alio modo quantum ad speciale quod superadditur, et sic non est ejusdem speciei cum ipsa. Probatio igitur currit de gratia primo modo considerata.

ARTICULUS VIII.

Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.

Pro negativa.=Videtur quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum.

1. Id quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus. Sed hoc sacramentum ad quamdam excellentiam datur, ut dictum est art. 2. et 4. Ergo hoc sacramentum non est omnibus exhibendum.

2. Sacramentum, per quod augetur aliquis ad perfectam ætatem, non debet omnibus exhiberi. Sed per confirmationem augetur homo, qui confirmatur ad perfectam ætatem. Ergo hoc sacramentum non est omnibus exhibendum.

Maior prob., quia perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo saltem pueris non est tale sacramentum exhibendum.

3. Sacramentum quod ordinatur ad pugnam, non est omnibus exhibendum. Sed sacramentum confirmationis ordinatur ad pugnam. Ergo hoc sacramentum non est omnibus exhibendum.

Maior prob., quia pugna non convenit mulieribus, propter debilitatem sexus. Ergo saltem mulieribus non debet hujusmodi sacramentum exhiberi.

Minor prob., quia Melchiades Papa Epist. cit. art. præced. dicit: *post baptismum confirmamur ad pugnam.*

4. Melchiades Papa Epist. cit. dicit, et refertur de consec. dist. 5. cap. Spiritus Sanctus, quod « quamvis continuo " transituris sufficiant regenerationis " beneficia, victuris tamen confirmationis " auxilia necessaria sunt, quia confirma" tio armat et instruit ad agones mundi " hujus et prælia reservandos. Qui au" tem post baptismum cum acquisita in" nocentia immaculatus pervenerit ad " mortem, confirmatur morte, quia jam non potest peccare post mortem. » Ergo

statim morituris non debet hoc sacramentum conferri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Act. 2. Dicitur quod *Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum* (per quam significatur Ecclesia) et postea subditur quod *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Ad quam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo hoc sacramentum est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum confirmationis debet omnibus exhiberi.

Probatur. Sacramentum per quod promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam, est omnibus baptizatis exhibendum. Sed per sacramentum confirmationis promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam, ut art. 1. dictum est. Ergo hoc sacramentum est omnibus baptizatis exhibendum.

Maior manifestatur: quia sicut est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat, licet hoc quandoque impediatur propter corruptibilitatem corporis quod morte prævenitur; ita et multo magis est de intentione Dei omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat: unde Deut. 32. dicitur: *Dei perfecta sunt opera*; et quia anima ad quam pertinet spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio; immortalis est; sicut potest tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem. Quia hujusmodi corporales ætates in hoc animæ non præjudicant. Sacramentum igitur, per quod hæc Dei intentio impletur, per quod scilicet nati spiritualiter ad perfectam perducuntur spiritualem ætatem, est omnibus spiritualiter natis exhibendum: et sic patet maior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquid potest pertinere ad excellentiam dupliciter: uno modo, unius hominis ad alium; et hoc modo gratiæ gratis datæ, officia, gradus, dignitates, et hujusmodi ad excellentiam pertinent: alio modo, unius hominis ad seipsum, sicut vir perfectus existens habet excellentiam respectu suiipsius, quando erat puer: et sic debita quantitas potest dici ad excellentiam pertinere unius, respectu suiipsius. Tunc ad maiorem dicitur, quod est vera de excellentia unius hominis ad alterum: quod enim sic ad excellentiam pertinet, non datur omnibus. Sed tunc est falsa minor: confirmatio enim non sic pertinet ad excellentiam; sed sacramentum ordinis ad talem excellentiam pertinet. Si vero sermo sit de excellentia secundo modo accepta, falsa est ipsa maior: id enim quod ad excellentiam ejusdem ad seipsum pertinet, omnibus est exhibendum.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod ut in corpore dictum est, ætas corporalis non præjudicat animæ. Unde etiam in ætate puerili homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata*; et inde est quod multi in pueruli ætate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, fortiter usque ad sanguinem certaverunt pro Christo.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut Chrysostomus dicit in Homilia de Machabæis: "In "mundanis agonibus, ætatis ac formæ, "generisque dignitas requiritur; et ideo "servis ac mulieribus, senibus ac pueris "ad eos aditus denegatur: in cœlestibus "autem (agonibus) omni personæ, æta"ti ac sexui indiscreta facultate stadium "patet." Et Homilia 6. inter 16. Homilias de militia spirituali dicit: "Apud "Deum fœmineus etiam militat sexus. "Multæ namque fœminæ animo virili "spiritualem militiam gesserunt: quæ"dam enim interioris hominis virtute,

" viros æquaverunt in agonibus marty-
" rum: quædam enim fortiores viris ex-
" titerunt: » et ideo etiam mulieribus ex-
hibendum est sacramentum quod ordi-
natur ad pugnam.

Ad 4. Dicitur quod auctoritas Mel-
chiadis intelligenda est de necessitate:
morituris enim non est necessarium hoc
sacramentum propter periculum præsen-
tis pugnæ; ita ut sine eo salvari non pos-
sint: tamen, quia, ut dictum est, anima
ad quam pertinet spiritualis ætas, im-
mortalis est: propterea etiam morituris
hoc sacramentum dandum est, ut in re-
surrectione perfecti appareant, secun-
dum illud ad Ephes. 4. " Donec occur-
" ramus omnes in virum perfectum, in
" mensuram ætatis plenitudinis Christi.»
Et ideo Hugo de Sancto Victore dicit
libro 2. de Sacr. par. 7. cap. 3. " Om-
" nino periculosum esset si ab hac vita
" sine confirmatione migrare contingе-
" ret, » non quia damnaretur, nisi forte
propter contemptum; sed quia detrimen-
tum perfectionis pateretur. Unde etiam
pueri confirmati decedentes maiorem
gloriam consequuntur, sicut et hic maio-
rem obtinent gratiam.

ARTICULUS IX.

*Utrum hoc sacramentum sit conferen-
dum homini in fronte.*

Pro negativa.=Videtur, quod sa-
cramentum confirmationis non sit con-
ferendum homini in fronte.

1. Sacramentum quod est perfecti-
vum baptismi, non debet dari homini in
fronte, sed in toto corpore. Sed sacra-
mentum confirmationis est perfectivum
baptismi, ut dictum est quæst. 65. art.
4. Ergo hoc sacramentum non debet
conferri solum in fronte.

Maior prob., quia baptismus confer-
tur homini in toto corpore.

2. Sacramentum quod datur ad spiri-
tuale robur, debet conferri homini in
corde, et non in fronte. Sed hoc sacra-
mentum datur ad spirituale robur, ut
artic. 1. dictum est. Ergo hoc sacra-
mentum debet dari in corde, et non in
fronte.

Maior probat., quia spirituale robur
maxime consistit in corde.

3. Sacramentum quod datur homini
ad hoc quod libere fidem Christi confi-
teatur, debet dari in ore, et non in fron-
te. Sed hoc sacramentum datur homini
ad hoc quod fidem Christi libere confi-
teatur. Ergo hoc sacramentum magis
debet conferri circa os, quam in fronte.

Maior prob., quia *ore fit confessio ad
salutem*, ut dicitur ad Rom. 10.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Rabanus dicit libro 1. de instruct.
cleric. c. 30. «Signatur baptizatus chris-
" mate in summitate capitis per sacer-
" dotem, per pontificem vero in fronte.»

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum confirma-
tionis convenienter confertur per hoc,
quod baptizatus signatur chrismate sig-
no crucis in fronte.

Probatur dupliciter. Primo, sacra-
mentum per quod homo accipit Spiritum
Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut
fortiter etiam inter adversarios fidei,
Christi fidem confiteatur, convenienter
datur per hoc, quod signatur signo cru-
cis cum chrismate in fronte. Sed in sa-
cramento confirmationis datur homini
Spiritus Sanctus ad robur spiritualis
pugnæ, ut fortiter etiam inter adversa-
rios fidei, Christi fidem confiteatur. Er-
ge hoc sacramentum convenienter con-
fertur in fronte.

Maior manifestatur: nam quando ali-
quis accipit Spiritum Sanctum ad robur
spirituale pugnæ, efficitur quasi miles
Christi. Unde debet recipere signum
Christi, sicut miles signum ducis, quod
est crucis signum: et quia signum ducis
debet deferri á milite patenter et mani-
feste, et inter omnia loca corporis hu-
mani maxime frons manifesta est, quæ
quasi numquam obtegitur; ideo linitur
confirmatus chrismate in fronte, ut in

manifesto demonstret se esse christianum, sicut et Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant.

Secundo probatur conclusio. Sacramentum quod datur ad hoc quod homo libere Christi nomen confiteatur, convenienter datur in fronte. Sed sacramentum confirmationis datur ad hoc quod homo libere Christi nomen confiteatur. Ergo hoc sacramentum convenienter datur in fronte.

Maior prob. Nam aliquis impeditur á libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem et propter verecundiam: utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, tum propter propinquitatem imaginationis, tum etiam propter hoc quod spiritus á corde directe ad frontem ascendunt: unde *verecundati erubescunt*; *timentes autem pallescunt*, ut dicitur 4. Ethic. cap. ult. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de baptismo et confirmatione: per baptismum enim regeneramur ad vitam spiritualem, quæ ad totum hominem pertinet; et ideo baptismus datur in toto corpore; in confirmatione autem roboramur ad pugnam, cujus signum ferendum est in fronte, quasi in evidenti loco.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod principium fortitudinis est quidem in corde; sed signum fortitudinis apparet in fronte: unde dicitur Ezech. 3. *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum*. Et propter hoc sacramentum Eucharistiæ, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor, secundum illud Psal. 103. *Panis cor hominis confirmet*. Sed ad sacramentum confirmationis requiritur signum fortitudinis ad alios, et ideo exhibetur in fronte.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod confessio nominis Christi fit ore, et ad hanc confessionem aptatur homo per baptismum; ad confessionem autem liberam requiritur quod homo passiones impedientes liberam confessionem dominetur, scilicet verecundiam et timorem, quæ quia in fronte apparent, propterea non in ore, sed in fronte, hoc sacramentum quod ad liberam confessionem ordinatur, confertur.

ARTICULUS X.

Utrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

Pro negativa.=Videtur quod ille qui confirmatur non debeat teneri ab alio.

1. Ille qui potest per seipsum stare non debet teneri ab alio. Sed ille qui confirmatur, potest per se stare. Ergo ille qui confirmatur, non debet teneri ab alio.

Maior prob., quia ridiculum est quod ille qui potest per se stare, ab alio teneatur.

Minor prob., quia hoc sacramentum, non solum pueris, sed etiam exhibetur adultis qui per seipsos stare possunt.

2. Ille qui liberum habet accesum ad Ecclesiæ Principem qui est Episcopus, non est necesse ut ab alio præsentetur. Sed ille qui confirmatur habet liberum accessum ad Ecclesiæ Principem. Ergo ille qui confirmatur non debet ab alio præsentari Ecclesiæ Principi.

Minor probatur. Ille qui jam est de Ecclesia, habet liberum accessum ad Ecclesiæ Principem. Sed ille qui confirmatur est jam de Ecclesia: ille enim, cui hoc sacramentum confertur, debet esse baptizatus (ut dictum est). Ergo ille qui confirmatur habet liberum accesum ad Ecclesiæ Principem.

3. Hoc sacramentum dàtur ad spirituale robur quod magis viget in viris, quam in mulieribus, secundum illud Prov. ult. *Mulierem fortem quis inveniet?*

Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Innocentius Papa ad Exuper. Toletan. dicit, et habetur 30. quæst. 4. cap. Si quis. *Si quis ex conjugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit, etc.* Ergo sicut requiritur quod aliquis levet baptizatum de sacro fonte; ita debet aliquis teneri ad sacramentum Confirmationis accipiendum.

Determinatio.

Conclusio. Ille qui confirmatur, debet teneri ab alio.

Probatur. Primo, illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, á quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Sed illi qui confirmantur assumuntur ad pugnam spiritualem. Ergo illi qui confirmantur, debent ab alio teneri, á quo possint instrui in his quæ pertinent ad spiritualem pugnam.

Maior probatur á simili dupliciter. Primo, quia sicut aliquis de novo natus, indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundum Heb. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores; et reverebamur eos*: ita illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus in his quæ ad pugnam pertinent. Secundo, quia propterea in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quod alii gubernentur; et hoc idem in spirituale bello agere necesse est.

Secundo probatur conclusio. Per sacramentum confirmationis, confertur homini perfectio spiritualis ætatis, sicut art. 2. 4. et 5. dictum est. Ergo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer.

Aliter formatur prima ratio. Illi qui assumuntur ad pugnam spiritualem, debent ab alio teneri, quasi in pugna spirituali erudiendi. Sed qui confirmantur, ad spiritualem pugnam assumuntur. Ergo debent ab alio teneri.

Maior prob., quia illi qui ad spiritualem pugnam assumuntur, indigent eruditoribus, á quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis, sicut etiam homo de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundum illud Hebr. 12. *Patres quidem carnis*, etc. Sicut etiam in bellis materialibus et corporalibus instituuntur duces et centuriones, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod ille qui confirmatur potest stare, et est adultus corporaliter, non tamen est adhuc adultus et stare potens spiritualiter; et ideo indiget ab alio teneri.

Ad 2. Negatur minor. Ad minorem probationem dicitur, quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ nondum tamen est ascriptus militiæ christianæ; et ideo Episcopo, tamquam duci exercitus, per alium christianæ militiæ ascriptum, exhibetur (qui enim nondum est confirmatus, non debet alium ad confirmationem tenere.)

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem quæ innitur, negatur assumptum, scilicet quod mulieri robur spirituale non competat; sicut enim dicitur ad Coloss. 3. *In Christo Jesu non est masculus, nec fœmina*; et ideo non differt, utrum masculus, vel fœmina teneat aliquem ad confirmationem. Ad sententiam autem scripturæ, in quantum obstare proposito posset, dicitur quod ibi est sermo ad literam de corporali fortitudine quæ competit mulieri in gubernatione domestica.

ARTICULUS XI.

Utrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit.

Pro negativa. = Videtur quod non

solus Episcopus sacramentum confirmationis conferre possit.

1. Hoc sacramentum ad vitandum scandalum, potest conferri etiam á presbyteris. Ergo non est de necessitate sacramenti quod ab Episcopo conferatur.

Conseq. prob., quia illud quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est immutandum propter vitandum scandalum.

Antec. prob., quia Greg. in lib. 3. Epist. 26. Scribens Januario Episcopo, dicit: « pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros tangere eos qui baptizati sunt chrismate prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostræ Ecclesiæ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbiteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. »

2. Simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi; et in necessitate quilibet etiam non ordinatus potest baptizare. Ergo multo minus est de necessitate sacramenti confirmationis quod ab Episcopo conferatur.

Conseq. probat., quia sacramentum baptismi videtur maioris efficaciæ quam sacramentum confimationis, quia per baptismum fit plena remissio peccatorum quantum ad culpam et quantum ad pœnam quod non fit in sacramento Confirmationis.

3. Simplex sacerdos potest chrismate ungere baptizatos in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte quod pertinet ad hoc sacramentum.

Conseq. prob., quia summitas capitis ubi secundum medicos est locus rationis particularis quæ dicitur cogitativa, est nobilior quam frons, ubi est locus imaginativæ virtutis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Eusebius Papa Epist. 4. ad Episc. Tusciæ et Campan. ut habetur de consecr. dist. 5. cap. Manus quoque dicit: « Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est quod ab aliis perfici non potest, nisi á summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, umquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur et vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. » Ergo est de necessitate hujus sacramenti quod ab Episcopo tradatur.

Determinatio.

Conclusio. Collatio sacramenti confirmationis solis Episcopis reservatur.

Prob. Sacramentum quod est quasi ultima consummatio fidelium Christi, á solis Episcopis conferri debet. Sed hoc sacramentum est quasi quædam ultima consummatio fidelium Christi. Ergo collatio hujus sacramenti solis Episcopis reservatur.

Maior ostenditur. Nam in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti, aut virtuti reservatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior dat formam; supremus autem est, ad quem pertinet usus qui est finis artificiatorum; et epistola quæ á notario scribitur, á Domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis*; sunt etiam quasi quædam *Epistola spiritu Dei scripta*, sicut dicitur 2. Cor. 3. Episcopi autem summam potestatem in Ecclesia obtinent. Igitur conferre sacramentum quod est ultima fidelium consummatio, ad solos reservatur Episcopos.

Minor manifestatur: nam sacramentum confirmationis est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi; ita scilicet quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur

quasi quædam spiritualis epistola; et per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti; et quasi epistola conscripta signatur signo crucis.

Et confirmatur conclusio. Primo, quia in primitiva Ecclesia per impositionem manus tantum Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act. 8.

Secundo confirmatur, quia Urbanus Papa 1. Epist. ad omnes Christ. dicit, et habetur de consec. dist. 5. cap. Omnes fideles: « Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad Episcopalem potestatem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Greg. Papa Epist. 26. lib. 1. Epist. quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. Negatur igitur consequentia. Ex hoc enim quod simplices sacerdotes ex comissione Summi Pontificis hoc sacramentum conferri possunt, non sequitur quod ex officio non conveniat solis Episcopis: sicut ex hoc quod sacerdotes ex commissione summi Pontificis possunt conferre minores ordines, non sequitur quod collatio ordinis, non conveniat solis Episcopis. Nec per hoc summus Pontifex mutat ministrum sacramenti; sed ex plenitudine suæ potestatis facit sacerdotem simplicem, idoneum ministrum.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod, sacramentum baptismi est efficacius, quam sacramentum confirmationis ad remotionem mali, eo quod sit spiritualis generatio quæ est mutatio de non esse in esse: hoc tamen sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum; et ideo hoc sacramentum á digniori ministro confertur.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sicut dicit Rab. in lib. 1. de instructione Cler. cap. 31. Et refertur de consecr. dist. 5. cap. 5. « Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem; per Pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et virtutis venire in hominem declaretur. » Non ergo propter digniorem partem: sed propter potiorem effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.

ARTICULUS XII.

Utrum ritus hujus sacramenti sit conveniens.

Pro negativa. = Videtur, quod ritus hujus sacramenti non sit conveniens.

1. Baptismo deputantur certa tempora, scilicet Pascha et Pentecostes. Ergo multo magis huic sacramento aliquod certum tempus in quo conferendum esset, deberet assignari.

Conseq. probat., quia sacramentum baptismi est maioris necessitatis, quam sacramentum confirmationis: unde si non obstante baptismi necessitate statuuntur determinata tempora baptizandi solemniter, multo magis debuit determinari aliquod tempus, in quo daretur hoc sacramentum.

2. In sacramento baptismi non requiritur quod á jejuniis suscipiatur, vel conferatur; ergo inconvenienter videtur statutum in Conc. Aurelialensi cap. 3. *ut jejuni ad confirmationem veniant.* Et in Con-

cil. Meldensi cap. 6. *Ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant*, ut habetur de consec. dist. 5. cap. Ut jejuni, et cap. ut Episcopi.

Conseq. prob., quia sicut hoc sacramentum requirit devotionem dantis et recipientis; ita etiam hoc requirit sacramentum baptismi.

3. Chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus Sancti, ut dictum est art. 2. Ergo chrisma debet confici in die Pentecostes et non in die cœnæ Domini.

Conseq. prob., quia plenitudo Spiritus Sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut dicitur act. 2.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia quæ á Spiritu Sancto regitur, hunc ritum hujus sacramenti observat; ergo est conveniens.

Determinatio.

Conclusio. Ritus quos Ecclesia servat, in hoc et in aliis sacramentis sunt convenientes.

Probatur. Dominus promisit fidelibus suis Matth. 18. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; et ideo firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur, secundum sapientiam Christi.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur totum: determinatur enim certum tempus ad solemnem collationem hujus sacramenti. Sicut enim dicit Melchiades Papa Epist. ad Epist. Hisp. et habetur de consec. dist. 5. cap. de his; *ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta*, scilicet baptismi et confirmationis *ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non possit*: et ideo eadem tempora sunt præfixa baptismo solemniter celebrando et huic sacramento. Quia tamen hoc sacramentum á solis Episcopis datur qui non sunt semper præsentes, ubi presbyteri baptizant, oportuit quantum ad communem usum sacramentum confirmationis, etiam in alia tempora diferri.

Ad 2. Dicitur ad consequens, quod ubi congrue observari potest, conveniens est ut hoc sacramentum á jejuniis detur et accipiatur, propter reverentiam hujus sacramenti in quo plenitudo gratiæ confertur. Tamen propter multitudinem fidelium et propter pericula imminentia, sustinetur quod hoc sacramentum quod non nisi ab Episcopis datur, etiam á non jejuniis detur et accipiatur: quia unus Episcopus, præcipue in magna diœcesi, non sufficeret ad confirmandos tot homines, si ei tempus arctaretur. Negatur autem ad formam argumenti consequentia: non enim est eadem ratio de confirmatione, et baptismo. Nam in hoc sacramento datur maior gratiæ plenitudo: et ideo cum maiori debet dari et susci-pi reverentia, ad quam jejunium pertinet.

Ad 3. Negatur consequentia: nam sicut ex concilio Martini Papæ habetur, omni tempore licebat chrisma conficere, ut habetur de consec. dist. 4. c. Omni tempore. Quia tamen solemnis baptismus, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, congrue ordinatum est, ut per biduum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, ut possit per diœcesim destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, ut dictum est qu. 65. ar. 3.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 72.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Pauperum de Lugduno, et Lutheri* dicentium: confirmationem non esse sacramentum, sed meram ceremoniam, et ritum quemdam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concil. Trident. sess. 7. de sacramentis, can. 1. " Si quis dixerit, novæ legis sacramenta non fuisse omnia á Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum: anathema sit. » Et sess. ead. de Confir. can. 1. " Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit. » Item á Papa Melchiade; ut *in arg. cont.* Item á Concil. Florent. " Novæ legis septem sunt sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, » etc. Hæc illud in constit. super union. Arme. Item ab Eusebio Papa, et martyre. " Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est. » Hæc ille in Epistola ad Episcopos Campaniæ, et Tusciæ. Per manus autem impositionem intelligit confirmationem. Item á Clemente I. Papa et Martyre. " Cum quis regeneratus per aquam fuerit, postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo confirmetur: quia aliter perfectus esse christianus nequaqam poterit, ut á B Petro accepimus, et cæteri Sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. » Hæc ille in Epist. 1. ad discipulos suos. Item á D. Aug. lib. 2. c. 4. contra litteras Petiliani Donatistæ. " Confirmationem inquit, esse sacramentum chrismatis: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Quod sacramentum contulisse feruntur Petrus, et Joannes Samaritanis per manus impositionem. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Novatianorum*, et quorumdam, hæret. de qua Lindanus, Dubitantii sui dialog. 2. sic inquit. *Novatiani negant, confirmationem habere olei sacri illinitionem.* Sic nunc Lutherus, Calvinus, Bucerus, aliique omnes nostri temporis Evangelici. Videatur hic etiam (si commodum est) Theodoritus, in fabulis hæreticorum. Pro tanto autem hic adducitur prædicta hæresis, et ab articulo isto exploditur: pro quanto implicite dicit, quod chrisma non est conveniens materia sacramenti confirmationis. Unde et in hoc sensu ipsam esse damnatam intelligitur adduci in sequentibus. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concilio Florent. sub Eugenio IV. in constit. super unio. Armen. " Secundum sacramentum est confirmatio: cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedictum. » Item á Concilio Trident. per hoc, quod dicit sess. 7. de confirmat. can. 2. " Si quis dixerit: injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit. » Quæ et juvant articulum 7. sicut etiam illa Florentini juvant art. 3. Item á S. Fabiano Papa, et martyre per hoc, quod in sua Epist. 2. ad Episcopos orientales ait. " In illa die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes (sicut á Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur, et confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, et vetus chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista á sanctis Apostolis, et eorum successoribus accepimus; vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, et Antiochena á tempore Apostolorum custodit; hæc Hierosolymorum, et Ephesianorum tenet: in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt: et vetus chrisma

incendi, et non amplius, quam uno anno, uti permiserunt. » Ex quibus consideranti patet intentum, et necessaria circa intentum. Propterea hic, et alibi plerumque auctoritates Patrum fusius adducimus, ut abundantior habeatur intellectus occurrentis articuli cum circumstantiis suis. Cæterum contra osores, et contemptores hujus materiæ, idest, sancti chrismatis, ut plenius instructus sis; in ipsorum justissimam damnationem, vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 30. conclus. 4. et cap. 40. concl. 1. Item Levit. 29. concl. 1. Item numer. 4. concl. 1. et cap. 18. concl. 2. Item. Addition. art. num. 128. cum Elucid. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, á summis Pontificibus, et Conciliis, quod chrisma confirmationis sacramenti materia debet de necessitate benedictum esse per Episcopum. A summo quidem Pontifice Innocentio: ut *in arg. cont.* Item á papa Gel. " Presbyteros ultra suum modum conscendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem. » Hæc ille: et recitantur in Decret. distinct. 95. A Conciliis autem Flor. ut refertur supra art. 2. append. Item á Concilio Hispalensi 2. cap. 7. " Siquidem nec benedicere eis (scilicet presbyteris) Ecclesiam, nec altaria consecrare, neque per impositionem manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizandorum frontem signare. » Hæc illud, et, ut contextus edocet his verbis, talia officia esse reservata Episcopis, intendit. A scripturis vero, tamquam à figuris ad figurata procedendo (quod juxta doctrinam Concil. Hispalensis 2. c. Licet) insinuatur idem per hoc, quod ad Moysen, qui pro tunc pontificem repræsentabat, dicitur á Domino Exod. 30. " Faciesque oleum sanctum, etc. Nec juxta compositionem ejus facietis illud, » etc. Pro cujus captu, et applicatione, atque expulsione errorum dignissima, vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 30. concl. 4. 5. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, et concilio, quod hæc forma confirmationis, scilicet, *consigno te signo crucis, et confirmo te*, etc. est conveniens. A scripturis quidem per hoc, quod de Ecclesia sancta, sub nomine mulieris stabilis, dicitur Eccl. 26. *Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Hujuscemodi enim verbis universaliter ostenditur inconcussa veritatis, et convenientiæ firmitas reperta in Ecclesia, et consequenter in rebus, quibus Ecclesia communiter utitur. Cum igitur utatur communiter forma prædicta, ut dicit *arg. cont.* constat per illud scripturæ dictum sic allegorice, ut decet, explicatum, quod forma ipsa confirmationis est conveniens. De maximo auctoritatis Ecclesiæ pondere, atque ordinatissimo, ac sanctissimo, vide 2. 2. qu. 10. ar. 12. corp. Unde non mirum, si D. Thom. et hic *in arg. cont.* et alibi ubique ad talem illius auctoritatem se remittat. A Conc. autem Florent. " Secundum sacramentum est confirmatio, cujus forma est; consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Hæc in const. super union. Armen. Vide dicta in Elucid. ad 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, nullum sacramentum, et consequenter nec confirmationem (cum re vera, quamvis ipse neget, sit sacramentum ar. 1.) imprimere characterem. *Secundo* habes: quomodo per rationem (pro quanto agitur de confirmatione) ostendas, illam merito damnari á Concil. Florentino, et Tridentino, supra qu. 4. 1. 6. append. Item á Papa Greg. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item á Conc. Mogun. cui addas tu similem discursum argumenti cont. pro applicatione clariori ad intentum. Recitatur illud Gregor. in Decr. de conse. de 5. cap. de homine: et istud Concil. ibid. cap. dictum est nobis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, conciliis, et Pontificiis decretis, quod character confirmationis de necessitate præsupponit characterem baptismalem. A scripturis quidem per hoc, quod nar-

ratur, Act. 19. Apostolum voluisse eos, quos apud Ephesum invenit, baptizari prius baptismo Christi, quam ipsis per impositionem manuum (cujus loco confirmatio est, art. 4.) daret Spiritum Sanctum. Tali enim suo facto, baptismum ante confirmationem requiri, declaravit. A conciliis autem per hoc, quod uno ore omnia de baptismo tractantia profitentur hanc veritatem, quod baptismus est omnium aliorum sacramentorum janua. Ac si apertius dicerent. Et ante cætera sacramenta primo baptismus suscipi debet, et sine illo suscepto neque licite, neque re vera potest quis ullum aliorum sacramentorum suscipere. Quod, si sic, ergo nec ullum characterem sacramentalem sine prævio charactere baptismi. A Pontificiis vero decretis, extra de presbyter. non baptizat. Ubi Innocentius III. Ferrariensi Episcopo dicit: "Lator præsentium nobis exposuit; quod, cum ad gradum sacerdotii ascendisset, comperit tandem, quod non fuerit secundum formam Evangelii baptizatus. Unde nos eum rite fecimus baptizari. » Et infra. " Quia in Concilio apud Compendium legitur constitutum quod, si quis in presbyterum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures, et permittas eum in sacerdotio ministrare. » Hæc ibi in cap. *veniens*. A simili ergo, quod facile est, argue tu efficaciter ad propositum articuli hujus. Cæterum in prædicto Innocentii Pontificis decreto vigilanter annotare curato ly *secundum formam Evangelii baptizatus*, et ly *eum rite fecimus baptizari*. Ex his enim annotatis patefiet magis, sanctum doctorem, q. 65. ar. 6. et vera determinasse dicendo, quod in nomine Christi non potest nunc quis baptizari; et ibidem ad 3. conformiter ad Sedem Apostolicam intellexisse dictum illud Nicolai primi. Ratio horum duorum est, quia Innocentius tertius illum latorem, qui secundum formam Evangelii, idest, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, non fuerat baptizatus, constanter non esse baptizatum definivit: et eum rite baptizari dicit se fecisse, quando secundum formam Evangelii prædictam ejusdem jussu baptizatus est. Convertuntur ergo, secundum Innocentium, duo hæc, tum affirmative, scilicet, baptizari secundum formam Evangelii, et baptizari rite; tum negative, scilicet, non baptizari secundum formam Evangelii, et non baptizari rite. Quod si addideris, Innocentium illum doctrina insignem, ut legitur in vita sua ex conciliis, fuisse á multis annis successorem Nicolai, et consequenter ipsius prædictum responsum ad consulta Bulgarorum considerasse (utpote qui etiam concilii apud compendium consideravit decretum, tantique æstimavit) facillime in sententiam hanc declinabis: quod Innocentius interpretatus est mentem Nicolai, scilicet quod nonnisi in speciali casu temporibus Apostolorum simili se locutum esse intelligi volebat ibi. Nec mirum. Nam Papa unus numquam in rebus fidei (licet forsan quandoque in aliis) est contra alium, si recte ipsorum decreta percipiantur: sed omnes unanimiter (hoc faciente spiritu veritatis, qui per diversitatem linguarum multarum gentes in unitatem fidei congregavit) dicunt idipsum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, hæresim *Lutheri* dicentis. Confirmationem non conferre gratiam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á conciliis Flor. et Trid. quatenus de confirmatione loquuntur, secundum quod recitantur supra qu. 62. ar. 2. 3. appen. Item specialiter á Concil. Flor. de sola confirmatione sic dicente. " Effectus hujus sacramenti est: quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur (sicut datus est Apostolis in die Pentecostes) ut christianus audacter Christi confiteatur nomen. » Hæc illud in const. super unio. Armen. " Charitas autem Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Rom. 5. hoc est, cum Spiritu Sancto datur simul gratia gratum faciens Deo. Item á Papa Melchiade: ut est *in arg. cont.* Item á Papa Urbano. «Omnes fideles per manuum impositiones Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent: ut pleni christiani inveniantur.» Hæc ille: et recitantur in Decr. distin. 5. Ubi per impositionem manuum intelligitur confirmatio: quoniam loco ejus datur, ar. 4. ad 1. ex Conc. Flor. Item á Rabano: " Signatur baptizatus per Pontificem in fron-

te: ut Spiritus Sancti septiformi gratia cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis veniret in hominem declaretur. » Hæc ille: et recitantur in Decr. dist. 5. c. Novissime. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Papa, quod omnibus exhibenda est confirmatio. A scripturis quidem, ut per hoc, quod dicitur Act. 2. secundum quod ponitur cum expositione *in arg. cont.* ubi fit vis in ly *totam*, et ly *omnes*. Ubi quoque nota, quod allegorica expositio, 1. q. 1. a. 10. qua ibi D. Thom. utitur ad mores informandos, atque fidem, valet secundum Apostolum Gal. 4. adducentem, duos filios Abrahæ per allegoriam significasse duo testamenta, et ex tali allegoria multa elicientem. Ad Apostoli igitur imitationem sumito ea, quæ hic allegorice in textu dicuntur, concludere intentum artic. A Papa autem Urbano, ut per hoc, quod dicit ly *omnes fideles*. Vide ar. 7. append. Item á Melchiade papa per hoc, quod de baptismo, et confirmatione loquens ait. « Ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari. » Hæc ille, quæ recitantur in Decret. de consecr. d. 5. c. De his vero. Ex quibus patet, quod omnes, cum possint, universi etiam parvuli, qu. 68. art. 1. 0. et debeant baptizari (ut etiam ex conciliis patet ibi in Elucid.) possunt, et debent confirmari, nec ulli, nisi morte præveniente, impediuntur in hoc. *Secundo* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 9 habes *primo*: qnomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, Rabano, et Concilio, quod confirmatio debet conferri in fronte. A Rabano quidem, ut *in arg. cont.* A Papa autem Greg. ut in art. 11. arg. 1. Nam in illa ejus auctoritate dicitur ly *in frontibus chrismate tangere*. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Apoc. 7. " Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus: quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. » Hac enim locutione, scilicet signare in frontibus, denotat; quod servis ipsis dabitur fortitudo spiritualis ad viriliter pugnandum contra eos, qui quærunt, seu desiderant nocere hominibus. A Concilio quoque Flor. quod, postquam dixit, quod in sacramento confirmationis datur Spiritus Sanctus ad robur, ut christianus audacter Christi confiteatur nomen, subdit immediate. " Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur; ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus: quæ judæis est scandalum, gentibus autem stultitia : propter quod signo crucis signatur. » Ex quibus tum concilii verbis, tum articulo præsenti patet, quam sit insana, et detestanda hæresis *Raymundi Lulli*, ut refert. Directorium inquisit. 2. p. q. 9. dicentis, quod per confirmationis sacramentum tollitur peccatum originale. Non enim effectus confirmationis confundendus est cum effectu baptismi: cujus est hoc munus proprium, scilicet tollere originale, ut millies visum est. Vide supra ar. num. 59. 67. 1. 72. De istius Raymundi condemnatione patet legenti art. 8. ad 4. Eluc. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á summis Pontificibus, et Conciliis: quod ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio ad confirmationem. A summis quidem pontificibus, ut ab Higinio. " In catechismo, et baptismo, et confirmatione unus patrinus fieri potest: non est tamen consuetudo romana, sed per singulos singuli suscipiant. » Hæc ille: et recitantur de consecr. ad 4. Item á Leone. " Non plures ad suscipiendum de baptismo accedant, quam unus; sive vir, sive mulier; in confirmatione quoque idipsum faciant. » Hæc ille: et recitantur ibidem. A conciliis autem; ut á Moguntiensi. " In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. » Hæc illud: et recitantur ibi. Item á Concilio Trid. sess. 24. Decr. de reform. matr. c. 2. " Cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem, non egrediatur. » Nam per ly *tenentem* habetur intentum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo* : quomodo per rationem destruas errorem *Joannis Wicleff.* (ut refertur in Concilio Constantiensi sess. 8.) dicentis: confirmationem juve-

num reservari Papæ, et Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis. Qui error alium de se parturit errorem (ut patet discurrenti) scilicet, quod confirmatio potest conferri á quolibet sacerdote: si enim reservatur, non de jure (secundum illum Jo.) Episcopis: constat, quod secundum eumdem, conferri de jure poterit á quolibet sacerdote. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illos damnari á conc. eod. ibi. Quam damnationem vide, Addit. q. 1. ar. 1. appen. et qu. 20 art. 3. append. Item a Conc. Trid. sess. 7. de confirmatione can. 3. "si quis dixerit: sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: anathema sit.» Et sess. 23. can. 7. "si quis dixerit: Episcopos non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem: anathema sit.» Item á Conc. Flor. "Confirmationis ordinarius minister est Episcopus, et cum cæteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis (quorum vicem tenent Episcopi) legitur, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse confirmationis sacramentum.» Hæc illud in decr. seu constitut. super union. Arm. Vide art. 4. ad 1. in Elucid. Item á Papa Eusebio, ut ponitur *in arg. cont.* Item á Conc. Carthag. 2. Quod confirmatum fuit in 6. Synodo generali in Trullo celebrata, cap. 3. Ut chrisma, et reconciliatio publica pœnitentium á presbyteris non fiant. Vide in decr. 26. q. 6. c. *Si jubet sanctitas. Tertio* vides: etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod ritus ecclesiæ in confirmationis sacramento observatus est conveniens. A scripturis quidem per hoc quod dicitur Eccl. 26. Columnæ, etc. ut sup. art. 4. app. usque ad ly se remittat. Vide, et applica ad hoc particulare intentum. Item á 1. Timotth. 3. et á Joan. 14. et á Prov. 8. secundum quod omnia hæc explicantur supra q. 66. ar. 10. app. A Concilio autem Trid. sess. 7. de sacramentis can. 13. Si quis dixerit: receptos, etc. ut in q. 66. art. 10. app. Quam appendicem valde notabis pro mille locis de convenientia rerum Ecclesiasticarum, ut sic, tractantibus: applicando postea ibi dicta ad singula pro varietate subjectarum in particulari materiarum. *Secundo* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA TERTIA,

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, SECUNDUM SE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiæ, et primo de ipso sacramento; secundo de materia; tertio de forma; quarto de effectibus; quinto de recipientibus hoc sacramentum; sexto de ministro; septimo de ritu.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum Eucharistia sit sacramentum.
Secundo, utrum sit unum, vel plura.
Tertio, utrum sit de necessitate salutis.
Quarto, de nominibus ejus.
Quinto, de institutione ipsius.
Sexto, de figuris ejus.

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum.

Pro negativa. = Videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum.

1. Illud quod ordinatur ad effectum alterius sacramenti, non est sacramentum. Sed Eucharistia ordinatur ad effectum alterius sacramenti. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

Maior probat., quia ad idem non debent ordinari duo sacramenta. Unumquodque enim sacramentum efficax est ad suum effectum producendum.

Minor prob., quia ut Dion. dicit 4. cap. Eccles. Hier. Eucharistia ordinatur ad perfectionem, ad quam ordinatur etiam confirmatio quæ est sacramentum, ut quæst. præced. dictum est art. 1.

2. In quolibet sacramento novæ legis, id quod visibiliter subjicitur sensui, efficit invisibilem effectum sacramenti: sicut ablutio aquæ causat characterem baptismalem et ablutionem spiritualem, ut dictum est, quæst. 62. et 65. art. 1. Sed species panis et vini quæ subjiciuntur sensui in sacramento Eucharistiæ, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, neque corpus mysticum, quod in Eucharistia est res tantum. Ergo Eucharistia non est sacramentum novæ legis.

3. Sacramenta novæ legis habentia materiam perficiuntur in usu materiæ. Sed Eucharistia non perficitur in usu materiæ, sed in consecratione ipsius. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

Maior probat. Nam baptismus perficitur in ablutione; et confirmatio in consignatione quæ fit cum chrismate.

Minor probat., quia forma sacramenti Eucharistiæ sunt verba quæ in consecratione materiæ dicuntur, ut dicetur infra quæst. 78. ar. 1.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia in collecta dicit de Eucharistia. *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.*

Determinatio.

Conclusio. Eucharistia est sacramentum.

Prob. Spiritualis vitæ alimentum est sacramentum. Sed Eucharistia est spiritualis vitæ alimentum. Ergo Eucharistia est sacramentum.

Maior manifestatur. Nam baptismus qui est spiritualis vitæ generatio, est sacramentum; et similiter confirmatio quæ est spiritualis vitæ augmentum. Ergo etiam id quod est spiritualis vitæ nutrimentum, debet esse sacramentum.

Minor ostenditur. Sacramenta enim ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali, quæ vitæ corporali conformatur; eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerant. Ad vitam autem corporalem requiritur generatio quæ in vita spirituali fit per baptismum: et augmentum quod in vita spirituali fit per confirmationem; et alimentum quod in spirituali vita fit per Eucharistiam, ut in art. 1. quæst. 65. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Omne enim sacramentum habet proprium effectum. Ad probationem dicitur, quod duplex est perfectio: una quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum, et hæc perfectio competit confirmationi: alia est perfectio quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, indumenti, vel alicujus hujusmodi. Et hæc perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio.

Ad 2. Neg. minor. Species enim panis et vini efficiunt aliquid non quidem propria virtute, sed virtute corporis Christi veri: sicut nec aqua baptismi efficit aliquid, nisi virtute Spiritus Sancti in aqua existente. Unde Chrys. dicit Homil. 35. in Joan. super illud Joan. 5. *Angelus Domini secundum tempus*, etc. *In baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritus Sancti susceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata.* Se habet igitur virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, sicut corpus Christi verum ad species panis et vini in Eucharistia.

Ad 3. Dicitur quod maior non est universaliter vera, est quidem vera in sacramento Eucharistiæ, non autem in aliis sacramentis habentibus sensibilem ma-

teriam. Nam cum sacramentum dicatur ex eo, quod continet aliquod sacrum; potest sacramentum continere aliquod sacrum dupliciter, scilicet absolute, et in ordine ad aliud. Sacramentum Eucharistiæ continet sacrum absolute, scilicet ipsum Christum; alia vero sacramenta continent sacrum in ordine ad aliud; sicut baptismi aqua continet virtutem sanctificandi hominem; sic et confirmatio et alia sacramenta: et ideo Eucharistiæ sacramentum perficitur in ipsa consecratione materiæ; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Et ex hoc etiam sequitur alia differentia: nam in sacramento Eucharistiæ, id quod est res et sacramentum est in ipsa materia, id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quæ confertur. In baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character qui est res, et sacramentum, et gratia remissionis peccatorum quæ est res tantum; et eadem ratio est de aliis sacramentis.

ARTICULUS II.

Utrum Eucharistiæ sacramentum sit unum vel plura.

Quod sit plura. — Videtur quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura.

1. In collecta, propter Eucharistiæ sumptionem dicitur: *purificent nos quæsumus Domine sacramenta quæ sumpsimus.* Ergo sacramentum Eucharistiæ non est unum, sed plura.

2. Sacramentum in quo sunt plura signa, non est unum, sed plura. Sed in Eucharistia sunt plura signa, scilicet panis et vinum. Ergo Eucharistia, non est unum, sed plura signa.

Maior probatur. Multiplicato genere, multiplicatur necessario species. Non potest enim aliquid esse unus homo et plura animalia. Sed in sacramento, in quo sunt plura signa, multiplicatur genus, scilicet signum quod est genus sacramentorum. Ergo sacramentum in quo sunt plura signa, non est unum, sed plura.

3. In hoc sacramento est duplex consecratio materiæ. Ergo Eucharistia est duplex sacramentum.

Conseq. prob., quia hoc sacramentum conficitur in consecratione materiæ, ut articulo præcedenti ad 3. dic. est.

Quod sit unum.

Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis est unum. Sed Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ unitatis. Ergo est unum.

Maior prob., quia sacramentum similitudinem gerit rei cujus est sacramentum.

Minor prob., quia 1. ad Cor. 10. dicitur: *unus panis et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus.*

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ est unum perfectione.

Quæ conclusio prius declaratur, deinde probatur: sicut enim dicitur 5. Metaph. tex. 9. unum dicitur, non solum quod est indivisibile sicut punctus, vel quod est continuum sicut linea; sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus et unus homo: si enim domus habeat plures partes, et similiter homo, tamen quia omnes illæ partes concurrunt ad perficiendum unum totum, illud totum dicitur unum, idest perfectum: et hoc modo dicitur in conclusione, quod sacramentum Eucharistiæ est unum.

Probatur igitur conclusio. Illud sacramentum in quo sunt plura ordinata ad unum, est unum perfectione. Sed in sacramento Eucharistiæ sunt plura ordinata ad unum. Ergo sacramentum Eucharistiæ est unum perfectione.

Maior patet, quia jam dictum est quod unum perfectione dicitur, quando plura ad unius perfectionem ordinantur.

Minor manifestatur: nam Eucharistia ordinatur ad spiritualem refectionem, quæ refectioni corporali conformatur:

ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus qui est alimentum siccum, et potus qui est alimentum humidum: et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Est ergo sacramentum hoc multa quidem materialiter, sed unum formaliter et perfective.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod in eadem collecta, et pluraliter dicitur primo, *purificent nos sacramenta quæ sumpsimus*; et postea singulariter subditur, *hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*: ad ostendendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa; simpliciter autem est unum, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sacramentum in quo sunt plura signa formaliter, quæ scilicet non ordinantur ad significandum aliquod unum, non est unum, sed plura: si autem in eo sint plura signa materialiter tantum, est quidem multa materialiter, formaliter autem unum. Tunc ad minorem dicitur, quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectio.

Ad 3. Dicitur, ad antecedens, quod ex hoc quod est duplex consecratio hujus sacramenti, non aliud concluditur quam quod hoc sacramentum materialiter sit multa.

ARTICULUS III.

Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis

Pro affirmativa.=Videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis.

1. Sacramentum in quo manducatur caro Christi, et bibitur ejus sanguis, est de necessitate salutis. Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, et bibitur ejus sanguis. Ergo hoc sacramentum est de necessitate salutis.

Maior prob., quia manducare carnem et bibere sanguinem Christi, est de necessitate salutis; dicit enim Dominus Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Unde sacramentum, in quo Christi caro manducatur et ejus sanguis bibitur, est necessarium ad salutem.

2. Alimentum spirituale est de necessitate spiritualis salutis, sicut alimentum corporale est de necessitate porporalis salutis. Sed sacramentum Eucharistiæ est quoddam spirituale alimentum. Ergo sacramentum Eucharistiæ est de necessitate salutis.

3. Sacramentum dominicæ passionis est de necessitate salutis. Sed sacramentum Eucharistiæ est sacramentum dominicæ passionis. Ergo sacramentum Eucharistiæ est de necessitate salutis.

Maior prob., quia sine sacramento dominicæ passionis non est salus; unde et baptismus, qui est sacramentum dominicæ passionis, est necessarius ad salutem.

Minor prob., quia Apost. dicit 1. Cor. 11. «Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem «Domini annunciabitis, donec veniat.»

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

August. lib. 4. cont. 2. Epist. Pelagii cap. 22. scribens Bonifacio contra Pelagian. dicit: «nec illud cogitetis parvulos vitam habere non posse, qui sunt «expertes corporis et sanguinis Christi.»

Determinatio.

Distinctio. In sacramento Eucharistiæ est duo considerare: primum est ipsum sacramentum; alterum vero est res sacramenti.

1.ª Conclusio. Res sacramenti Eucharistiæ est de necessitate salutis.

Prob., quia res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua unione non potest esse salus, et hoc quia nulli

patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noë, quæ significat Ecclesiam, ut habetur 1. Pet. 3.

2.ª Conclusio. Perceptio ipsius sacramenti Eucharistiæ, secundum se non est de necessitate salutis.

Prob. Ante perceptionem hujus sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum, sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut dictum est quæst. 68. artic. 2. Ergo perceptio ipsius sacramenti Eucharistiæ, secundum se non est necessaria ad salutem.

Conseq. prob., quia ad salutem est necessaria ipsa res sacramenti Eucharistiæ, ut dictum est in præcedenti conclusione, quæ res est ipsa unitas corporis mystici; sacramentum autem ad receptionem ipsius rei ordinatur, unde habita ipsa re sacramenti Eucharistiæ ante sumptionem ipsius sacramenti, non est amplius, secundum se, necessaria ad salutem actualis sumptio ipsius sacramenti.

Anteced. prob., quia res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti ex ipso voto sacramentum percipiendi, ut dictum est quæs. 68. artic. 2.

Sed ne propter hæc, quæ dicta sunt, credatur eamdem esse necessitatem baptismi et sacramenti Eucharistiæ; et baptismum non esse majoris necessitatis; ideo assignatur duplex differentia inter necessitatem utriusque sacramenti. Prima quidem est quia baptismus est principium spiritualis vitæ et janua sacramentorum, Eucharistia autem est quasi consummatio spiritualis vitæ et omnium sacramentorum finis, ut dictum est quæst. 65. art. 3. Per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam; et ideo susceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc ut simpliciter habeatur, sed sufficit ad hanc vitæ spiritualis perfectionem in voto habere susceptionem sacramenti, sicut finis habetur in desiderio et intentione. Actualis igitur perceptio baptismi est secundum se necessaria ad salutem; ex aliquo tamen extrinseco impedimento potest absque actuali baptismo aliquis consequi salutem, sicut quando quis baptizari voluit, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam baptismum suscipiat, ut dictum est quæst. 68. art. 2. Ipsa autem actualis perceptio Eucharistiæ hanc necessitatem, secundum se non habet ratione dicta.

Alia diferentia est: quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; et sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam; et per consequens recipiunt rem hujus sacramenti. Ad baptismum autem non ordinantur pueri per aliud præcedens sacramentum; et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti, qui tamen tenentur, remoto impedimento, ad baptismi susceptionem: unde pueri non possunt rem sacramenti baptismi suscipere absque actuali susceptione ipsius.

Est igitur differens necessitas susceptionis horum duorum sacramentorum tum in adultis, cum in pueris. Adulti enim non consequuntur salutem absque actuali susceptione baptismi, cessante impedimento, si enim impedimentum adsit, sufficit votum. Ad consequendam autem rem sacramenti Eucharistiæ, sufficit votum per se loquendo.

Pueri autem salutem non consequuntur sine actuali susceptione baptismi, eam autem consequi possunt sine actuali susceptione Eucharistiæ; et ideo hoc sacramentum non eo modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod sicut Aug. tract. 26. in Joan. exponens dicta verba Joannis 6. dicit: « Hunc cibum et potum, » scilicet carnis suæ et sanguinis: « societatem vult " intelligi corporis et membrorum suo- " rum, quod est Ecclesia in prædestina- " tis et vocatis et justificatis et glorifi- " catis sanctis et fidelibus ejus. » Unde sicut ipsemet dicit in Epist. ad Bonifac. et refertur de consec. dist. 4. c. Nulli, " nulli est aliquatenus ambigendum, " tunc unumquemque fidelium corporis " sanguinisque Domini participem fieri, " quando in baptismate membrum cor- " poris Christi efficitur, nec alienari ab " illius panis, calicisque consortio, etiam " si antequam panem illum comedat et " calicem bibat, de hoc seculo in uni- " tate corporis Christi constitutus abs- " cedat. » Igitur illa Domini verba intelligenda sunt de spirituali manducatione corporis et sanguinis sui, quæ fit in baptismate, quando aliquis efficitur membrum corporis Christi.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod hæc est differentia inter alimentum corporale et spirituale quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus qui nutritur: et ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur: alimentum autem spirituale convertit hominem in seipsum, secundum illud quod August. dicit in lib. 7. de conf. cap. 10. quod quasi audivit vocem Christi dicentis sibi: *nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Potest autem aliquis in Christum mutari et ei incorporari voto mentis, etiam sine sacramenti perceptione. Verum est igitur quod alimentum spirituale est necessarium, sicut etiam corporale, sed non eodem modo: alimentum enim corporale necesse est sumi actu corporaliter: alimentum autem spirituale potest sumi per receptionem sacramenti in voto.

Ad 3. Dicitur, quod aliquid potest dici sacramentum dominicæ passionis dupliciter. Uno modo quia per ipsum homo regeneratur in Christo virtute passionis ejus: alio modo quia per ipsum homo perficitur in unione ad Christum pasum. Primo modo baptismus est sacramentum dominicæ passionis. Secundo modo Eucharistia. Tunc ad maiorem dicitur, quod est vera de sacramento dominicæ passionis, juxta primum modum, non autem juxta secundum. Et ad minorem dicitur, quod Eucharistia est sacramentum dominicæ passionis tantum juxta secundum modum. Unde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ; ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ut dicitur ad Coloss. 3.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum Eucharistiæ pluribus nominibus nominetur.

Pro negativa. = Videtur, quod inconvenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur.

1. Sacramentum quod est unum, inconvenienter pluribus nominibus nominatur. Sed hoc sacramentum est unum, ut dictum est art. 2. Ergo inconvenienter pluribus nominibus nominatur.

Maior prob., quia nomina debent respondere rebus.

2. Nomina quæ significant ea, quæ sunt communia omnibus sacramentis novæ legis, non aptantur convenienter speciali sacramento novæ legis. Sed nomina quibus sacramentum hoc nominatur, significant ea quæ sunt communia omnibus sacramentis novæ legis. Ergo hujusmodi nomina non sunt specialiter huic sacramento Eucharistiæ, quod est speciale sacramentum novæ legis, accommodanda.

Maior probat., quia species non notificatur convenienter per ea quæ sunt communia toti generi.

Minor prob., nam omnibus sacra-

mentis est commune quod in eis confertur gratia, quod significat nomen Eucharistiæ quod idem est quod bona gratia; omnia etiam sacramenta remedium nobis afferunt in via præsentis vitæ quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquod sacrum quod pertinet ad rationem sacrificii. Et per omnia sacramenta sibi invicem communicant fideles, quod significat hoc nomen synaxis in græco, vel communio in latino. Significant igitur omnia dicta nomina aliquod commune omnibus sacramentis.

3. Hoc sacramentum non proprie dicitur sacrificium. Ergo nec proprie dicitur hostia.

Conseq. probat., quia hostia videtur esse idem quod sacrificium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Usus fidelium habet quod hoc sacramentum diversis nominibus nominetur.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ convenienter pluribus nominibus nominatur, scilicet sacrificium, communio, vel synaxis, viaticum, Eucharistia et metalepsis.

Prob. Sacramentum quod habet multiplicem significationem convenienter pluribus nominibus nominatur. Sed hoc sacramentum habet multiplicem significationem. Ergo hoc sacramentum convenienter pluribus nominibus nominatur.

Maior patet., quia multiplex significatio non potest, nisi per diversa nomina designari.

Minor prob., habet enim hoc sacramentum triplicem significationem, unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, ut dicitur est quæst. 48. art. 3. Et secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet, respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum: et secundum hoc nominatur communio, vel synaxis. Dicit enim Dam. lib. 4. ortod. fid. cap. 14. quod hoc sacramentum dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo; et quia participamus ejus carne et deitate; et quia communicamus et unimur adinvicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria; et secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Dicitur etiam Eucharistia, idest bona gratia, quia *gratia Dei vita æterna*, ut dicitur Rom. 6. Vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in græco metalepsis, idest assumptio, quia ut Damas. dicit 4. lib. ortod. fid. cap. 14. per hoc filii deitatem assumimus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Illud enim quod est unum, sed habet plures proprietates vel effectus, potest pluribus nominibus, secundum pluralitatem effectuum vel proprietatum nominari. Tunc ad minorem dicitur, quod sacramentum Eucharistiæ est quidem unum, sed quia habet plures proprietates et effectus, ut in corpore dictum est, ideo pluribus nominibus nominatur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod etsi ea quæ sacramento Eucharistiæ attribuuntur, sint aliquo modo aliis sacramentis communia; attribuuntur tamen huic sacramento antonomastice, propter hujus sacramenti excellentiam.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. negatur assumptum: non enim eadem ratione dicitur hostia et sacrificium: dicitur enim sacrificium in quantum repræsentat passionem Christi. Hostia autem dicitur in quantum continet ipsum Christum, qui est salutaris hostia ut dicitur ad Ephes. 5.

ARTICULUS V.

Utrum institutio sacramenti Eucharistiæ fuerit conveniens.

Pro negativa. = Videtur, quod non fuerit conveniens institutio hujus sacramenti.

1. Per baptismum spiritualiter nutrimur. Ergo non fuit necessarium instituere sacramentum Eucharistiæ, quasi spirituale nutrimentum.

Antecedens prob. Per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, ut Dion. dicit 2. cap. Eccles. Hier. Ergo per baptismum etiam nutrimur.

Conseq prob., quia ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, ut dicit Phil. 2. de generatione, tex. 50.

2. Institutio sacramenti, per quod homines Christo uniuntur, sicut membra suo capiti, non debuit differri usque ad cœnam Domini. Sed per sacramentum Eucharistiæ homines uniuntur Christo, sicut membra capiti. Ergo institutio hujus sacramenti non debuit differri usque ad cœnam Domini.

Maior prob., quia Christus est caput omnium hominum, etiam eorum qui fuerunt ab initio mundi, ut dictum est quæst. 8.

3. Sacramentum quod dicitur esse memoriale Dominicæ passionis, non debuit ante Dominicam passionem institui. Sed hoc sacramentum dicitur esse memoriale Dominicæ passionis. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Dominicam passionem.

Maior prob., quia memoria est præteritorum; unde memoriale passionis Dominicæ post passionem Dominicam debuit institui.

Minor probat., quia Luc. 22. dicitur *hoc facite in meam commemorationem.*

4. Baptismus institutus fuit post Christi passionem et resurrectionem, ut patet Matth. ult. Ergo etiam Eucharistia debuit post Christi passionem institui, ac per hoc non convenienter in cœna instituta fuit.

Conseq. prob., quia per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quæ non nisi baptizatis dari debet. Unde baptismi institutio institutionem Eucharistiæ præcedere debet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hoc est institutum á Christo. Ergo convenienter fuit institutum.

Conseq. prob., quia de Christo scriptum est Marc. 7. *Bene omnia fecit.*

Determinatio.

Conclusio. Convenienter sacramentum Eucharistiæ institutum fuit á Christo in cœna, in qua cum suis discipulis ultimo fuit conversatus.

Prob. tripliciter. Primo ratione continentiæ hujus sacramenti. Continetur enim in Eucharistia ipse Christus, sicut in sacramento. Et ideo quando ipse Christus in propria specie á discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda ejus imago: unde Eusebius Emissen. hom. 4. in Pasch. dicit ut habetur de consecr. dist. 4. c. Quia corpus. Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium. Quæ ratio sic formatur, sacramentum in quo continetur ipse Christus, convenienter institutum fuit, quando Christus erat ab hominibus discessurus. Sed in Eucharistia continetur Christus, ut in sacramento. Ergo convenienter instituta fuit in die cœnæ, quando Christus erat ab hominibus discessurus.

Maior probat., quia in absentia imperatoris exhibetur ejus imago veneranda: et in absentia Christi debuit exhiberi sub sacramento ejus corpus venerandum.

Et confirmatur auctoritate Eusebii, jam citat.

Secundo prob. conclusio. Sacramentum quod debebat esse repræsentativum passionis Christi præteritæ, convenienter institutum fuit, imminente ipsa passione, quod fuit in die cœnæ. Sed sacramentum Eucharistiæ debebat esse repræsentativum peractæ passionis Christi. Ergo sacramentum Eucharistiæ convenienter institutum est in die cœnæ, quando passio Christi imminebat.

Utraque præmissa manifestatur. Quia cum sine fide passionis Christi numquam potuerit esse salus, secundum illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentativum Dominicæ passionis. In veteri quidem testamento præcipuum sacramentum repræsentativum passionis Christi fuit Agnus Paschalis; unde et Apost. dicit 1. cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Successit autem ei in novo testamento Eucharistiæ sacramentum, quod est rememorativum præteritæ passionis, sicut illud fuit præfigurativum futuræ: et propterea conveniens fuit, ut imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueretur. Unde Leo Papa Serm. 7. de pass. Domini dicit: *ut umbræ cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento, Hostia in Hostiam transit, Sanguine Sanguis aufertur, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur.*

Tertio probatur eadem conclusio, quia ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur: quia ut B. Alexander Papa I. Epist. ad omnes orthodoxos tomo 1. Concil. dicit, nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus et sanguinis Christi, nec ulla oblatio hac potior est: ideo ut in maiori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo á discipulis hoc sacramentum instituit, et hoc est quod August. dicit in lib. responsionum ad Januarium Epist. 118. cap. 6. « Salvator, quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriæ discipulorum, á quibus ad passionem digressurus erat.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem negatur consequentia. Ad cujus probationem dicitur, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo: nam ea ex quibus sumus, adveniunt nobis per generationem; eadem autem, in quantum ex eis nutrimur, adveniunt nobis per manducationem. Unde sicut per baptismum regeneramur in Christo; ita per Eucharistiam manducamus Christum.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod Eucharistia est sacramentum perfectum Dominicæ passionis, tamquam continens ipsum Christum passum; et ideo non potuit institui ante incarnationem; sed tunc habebant locum sacramenta, quæ erant tantum præfigurativa Dominicæ passionis: per quæ sacramenta homines ante Christi passionem Christo incorporabantur.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sacramentum istud fuit institutum in cœna, non quod tunc esse deberet memoriale passionis Dominicæ; sed ut esset ejusdem passionis memoriale futurum, ea perfecta: unde signanter Dominus dicit: *hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, in futuro loquens.

Ad 4. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod institutio respondet ordini intentionis: unde ex hoc quod homo per baptismum ordinatur ad Eucharistiam, prius debuit Eucharistia institui. Vel dicitur secundo ad antecedens, quod baptismus fuit aliqualiter

institutus ante Christi passionem et ante Eucharistiam, scilicet quando Christus fuit baptizatus: unde et jam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut dicitur Joan. 3.

ARTICULUS VI.

Utrum Agnus Paschalis fuerit præcipua figura hujus sacramenti.

Pro negativa = Videtur quod Agnus Paschalis non fuerit præcipua figura sacramenti Eucharistiæ.

1. Christus dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, propter hoc quod Melchisedech gessit figuram sacrificii Christi, offerens panem et vinum. Ergo videtur quod oblatio Melchisedech fuerit potissima figura hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia expressio similitudinis facit quod unum ab alio denominetur.

2. Immolatio Agni Paschalis præcessit transitum maris rubri, qui præfiguravit baptismum, secundum illud 1. ad Cor. 10. *Omnes baptizati sunt in nube et in mari*, quem transitum subsequutum est manna, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura hujus sacramenti, quam Agnus Paschalis.

3. Potissima virtus hujus sacramenti, quæ est quod nos in regnum cœlorum introducit sicut quoddam viaticum, maxime præfigurata fuit in sacramento expiationis, quando pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum, sicut Apostolus probat ad Hebr. 9. Ergo videtur quod illud sacrificium fuerit expressior figura hujus sacramenti, quam Agnus Paschalis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Determinatio.

Conclusio. Agnus Paschalis fuit præcipua figura sacramenti Eucharistiæ.

Prob. Illud quod præfiguravit sacramentum Eucharistiæ, quantum ad id quod in eo est sacramentum tantum, et quantum ad id quod in eo est res et sacramentum, et quantum ad id quod in eo est res tantum, est præcipua figura hujus sacramenti. Sed Agnus Paschalis fuit figura Eucharistiæ, quantum ad id quod est sacramentum tantum, quantum ad id quod est res et sacramentum, et quantum ad id quod est res tantum. Ergo Agnus Paschalis est præcipua figura hujus sacramenti.

Utraque præmissa simul declaratur. Sciendum est igitur quod in sacramento Eucharistiæ tria considerare possumus, scilicet id quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum; et id quod est res et sacramentum, et hoc est corpus Christi verum; et id quod est res tantum, et hoc est effectus hujus sacramenti, qui est gratia et gloria. Figura igitur quæ præfiguravit hoc sacramentum quantum ad hæc tria, fuit præcipua hujus sacramenti figura. Et sic patet maior. Minor ostenditur: nam potissima figura hujus sacramenti, quantum ad id quod est sacramentum tantum, fuit oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum, ut dicitur Genes. 18. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti, et præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum: quantum vero ad effectum, qui est res sacramenti, præcipua ejus figura fuit manna quod *habebat in se omnis saporis suavitatem*, ut dicitur Sap. 16. Sicut gratia hujus sacramenti, quantum ad omnia, reficit mentem.

Agnus autem Paschalis præfigurabat, quantum ad hæc tria simul, hoc sacramentum: quantum enim ad primum, quia Agnus Paschalis comedebatur cum panibus azymis, secundum illud Exod. 12. *Edent carnes et azymos panes*: quantum vero ad secundum, quia Agnus

Paschalis immolabatur ab omni multitudine filiorum Israël quartadecima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus: quantum vero ad effectum, quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israël á devastante Angelo, et sunt educti de Ægyptiaca servitute. Quia igitur Agnus Paschalis præfiguravit hoc sacramentum, quantum ad hæc omnia, aliæ autem figuræ tantum unum horum respective figuraverunt; propterea Agnus Paschalis fuit hujus sacramenti præcipua figura.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est quod oblatio Melchisedech fuit præcipua figura hujus sacramenti, quantum ad id quod in eo est sacramentum tantum.

Ad 2. Similiter dicitur, quod manna fuit figura hujus sacramenti, quantum ad effectum tantum: quod autem Agni Paschalis immolatio fuerit peracta ante transitum maris rubri, quæ fuit figura baptismi, non officit, quia Eucharistia, quantum ad ordinem intentionis, præcedit etiam baptismum, ut art. præced. ad 4. dictum est.

Ad 3. Dicitur, quod expiationis sacramentum præfiguravit Eucharistiam quantum ad id quod est in ea res et sacramentum, scilicet Christi Passionem.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 73.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium, Eucharistiam, sacramentum altaris, nihil esse. Per hoc enim, quod dicunt, sacramentum altaris esse nihil, videtur velle apertius dicere sic: illud, quod ab aliquibus solet vocari sacramentum altaris, non est vere sacramentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á supradictis in q. 75. 1. 2. app. ex Conciliis Florentino, et Trid. in quo Trid. nota ly *vere*, ly *proprie*. Item ab eodem Trident. sess. 13. multis in locis per hoc, quod ibi frecuenter Eucharistiam vocat sacramentum. Item ab Ecclesia in collecta festi corporis Christi dicente: « Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti. » Et in hymno. « Tantum ergo sacramentum veneremur cernui.» Item á Papa Urbano dicente. « Salvator noster Christus Dominus in memoriam mortis suæ instituit summum, et magnificum sui corporis, et sanguinis sacramentum. » Hæc ille, ut recitatur in clem. de reliq. et vener. sanctor. c. 1. Vide pulcherrimum de isto sacramento capitulum. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Ecclesia, Papa, et Concilio, quod Eucharistiæ sacramentum est, et non est unum. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur 1. Corinth. 10. *Unus*, etc. ut cum discursiva applicatione ponitur *in arg. cont.* A Papa autem *Alexandro* per hoc, quod dicit. " In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, panis, et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur » Hæc ille et recitantur in decreto de consecrat. dist. 2. A conc. quoque Martini Papæ. " Non oportet aliud aliquid in sacramento offerri, præter vinum, aquam, et panem. « Hæc illud, et recitatur ibidem. Item ab eodem ibidem. « In sacramento corporis, et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, et vinum aqua mixtum. » Ab Ecclesia vero in collecta de vivis, et mortuis. " Sumpta sacramenta, quæsumus Domine; omnia crimina nostra detergant. » Et in collecta de Sancto Basilio. " Sacramenta salutis nostræ suscipientes, » etc. Hæc illa. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, concilio, et Aug. quod sacramentum Eucharistiæ non est de necessitate salutis. A D. Aug. quidem per hoc, quod dicit: *nec illud*, etc. ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod Dominus dicit Matth. 9. " sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum. » Patet enim, quod parvulis non inest capacitas ad dijudicandum corpus Domini (quam tamen exigit Apostolus 1. Cor. 11. in sumentibus Eucharistiam) idest ad discernendum cibi hujus spiritualis differentiam ab aliis cibis, et consequenter patet, quod parvuli etiam baptizati non sunt de necessitate communicandi, idest sacramento Eucharistiæ cibandi: quod et per usum Ecclesiæ sanctæ manifestum est; et tamen bis post baptismum, secundum testimonium veritatis prædictum, datur regnum coelorum, si moriantur, scilicet in illa parvulina ætate innocenti. Loquitur siquidem formaliter Dominus noster. A Conc. autem Trid. sess. 21. c. 4. " sancta synodus docet: parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. » Et in can. 4. " Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit. » Ex quibus patet intentum, quod quærebatur. *Secundo* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod hoc sacramentum nominibus pluribus convenienter nominatur. Ut per id, quod contra quosdam litigiosos de convenientia faciendi, vel non faciendi aliquas res dicit Apostolus 1. Corinth. 11. " Nos talem consuetudinem non habemus; sed neque Ecclesia Dei. » Per hoc enim, quod ad contentiosos de talibus respondet sic, dat intelligere istam regulam, scilicet quod in controversiis convenienter sedandis magnam habet vim consuetudo Ecclesiæ Dei: ita, quod illud convenienter fit, vel non fit, quod secundum talem consuetudinem est, vel non est. Quanti autem facienda sit ista regula, monstravit facto suo D. Thomas, quando hanc, tamquam fundamentum determinandæ veritatis, amplexus est, 2. 2. q. 10. a. 12. ubi de pueris infidelium baptizandis, vel non baptizandis, invitis parentibus, tractabat. Quod et monstravit Concilium Tridentinum sess. 7. de sacramentis, can. 13. ubi de ritibus approbatis per consuetudinem Ecclesiæ definivit. Hanc igitur regulam Apostolicam, ad imitationem eorum, secuti et nos in præsenti materia dicimus, quod ex scriptura illa primæ Corinthiorum undecimo, insinuatur propositum. Ratio est: quia consuetudo Ecclesiæ, seu (ut verba textus argumenti contrarii adducam) usus fidelium habet hoc, scilicet quod vocat pluribus nominibus hoc sacramentum. Porro conveniens esse aliquid ex eo, quod sic Ecclesia consuevit, jam ad literam Apostolus edocuit. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod conveniens fuit institutio sacramenti Eucharistiæ. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur de Christo universaliter Marc. 7. *Bene omnia fecit.* Descende tu ad particularia (ut alias docuimus) sub ista universali, et maxime ad hoc propositum. Maxime, inquam, eo, quod, si omnia alia fecit bene: oportet dicere, quod multo magis illa, quæ ad seipsum immediate pertinent (ut est sacramentum istud) fecit bene, idest cum omnibus circumstantiis tantæ rei convenientibus. Item per hoc, quod dicitur Prov. 9. " Sapientia ædificavit sibi domum, immolavit victimas suas miscuit vinum, et proposuit mensam suam. » Ex eo enim, quod scriptura attribuit sapientiæ tantum opus, patet abundantissime, quod ipsum opus convenienter factum est. Sapientiæ siquidem est, recte ordinare, immo non posse non recte ordinare (cum sit sapientia) ipsius est nullam, vel minimam inordinationem in agendo committere, immo nec possumus committere (cum sit nomen abstractum) ipsius est non solum recte, sed et rectissime non solum ordinate, sed et ordinatissime: non solum aliquando, et in aliquibus rebus, sed etiam semper, et in omnibus procedere (cum

sit sapientia divina) maxime vero in supernaturalibus tantas suæmet largitatis divitias ineffabiliter concernentibus, quale est hoc sacramentum. Quod autem illa auctoritas Prov 9. loquatur de hoc sacramento, patet per Ecclesiam, quæ tamquam exponens illam in festo sacratissimi corporis Christi canit: " Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam. » Quod vero sit quoddam supernaturale continens ineffabiles divinæ largitatis divitias, patet per Urbanum Papam dicentem. " Volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit: et transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis, et admiranda liberalitas: ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore. Quam larga, et prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum ! Dedit igitur se nobis in pabulum; ut, quia per mortem homo corruerat, et per cibum ipse relevaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis: in illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum: illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem, gustus sauciavit, et gustus sanavit. Vide quia, unde vulnus est ortum prodiit et medela, et unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur, quacumque die comederis, morte morieris: de isto vero legitur, si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. » Hæc ille: et recitantur in lib. Clementinar. de reliquiis et vener. sanct. c. *si sanctis*. Ex quibus Urbani verbis non tantum largitatis divinæ (ut promiseramus) inexcogitabiles divitiæ manifestantur: sed et ineffabilis sapientia, præcipue in tribus ultimis ejus sententiis depingitur. Consequenter ergo etiam auctoritas ipsa Urbani ostendit directe intentum, scilicet quod institutio sacramenti Eucharistiæ fuit conveniens, idest convenienter facta. Item de talibus in universali convenientiis, postea à te ad propositum hoc particulare, prout expediens fuerit, applicandis, vide scitu dignissima, 3. par. de sal. qu. 41. art. 1. Elucid. Item q. 55. art. 4. append. Item 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et qu. 140. a. 1. append. et qu. 179. art. 2. append. Adhuc vide et 1. 2. qu. 68. art. 4. append. A Concilio autem Trident. sess. 13. cap. 2. idipsum insinuatur dicente. " Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem; donec ipse ad judicandum mundum veniat. » Quæ non solum convenientiam, de qua articulus est, ostendunt simpliciter: sed et convenientiæ talis duplicem, vel triplicem rationem assignant; ut verba ipsa consideranti, articulique hujus textui corporis coaptanti patet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia; quod præcipua figura sacramenti Eucharistiæ fuit Agnus Paschalis. A scripturis quidem, per hoc, quod dicitur 1 Cor. 5. *Pascha*, etc. ut *in arg. cont. Pascha*, inquit, *nostrum* idest Agnus Paschalis noster, *est Christus immolatus*. Ideo enim magis dicit hoc, quam manna nostrum, vel oblatio Melchisedech nostra, immolatus est Christus: ut ex hac prælectione locutionis designet intentum, quod hic quæritur. Ab Ecclesia vero per hoc, quod ipsa alloquens Eucharistiam in Missarum solemniis immediate ante communionem dicit. " Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, etc. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. » Ac si apertius huic sacramento dicat. Te voco agnum magis, quam manna, vel panem, ac vinum, quia tu plenius es figuratus ab agno Paschali, quam á reliquis figuris. In cujus certitudinis signum non contentatur Ecclesia, semel agni nomine vocasse Eucharistiam, sed secundo, et tertio idipsum facit. Tali enim facto suo vult certificare nos de duobus. Unum est, quod agnus Paschalis pro certo figuravit magis sacramentum Eucharistiæ, quam aliæ figuræ veteris testamenti. Alterum est, quod Agnus Paschalis figuravit Eucharistiæ sacramentum, quantum ad tria. De quibus tribus patet in corpore. *Secundo* vides: quomodo ex iis etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA QUARTA,

DE MATERIA EUCHARISTIÆ QUANTUM AD ESPECIEM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti: et primo de specie materiæ; secundo de conversione panis, et vini in corpus Christi; tertio de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento; quarto de accidentibus panis, et vini, quæ in hoc sacramento remanent.

Circa primum quæruntur octo.

Primo, utrum panis, et vinum sint materia hujus sacramenti.

Secundo, utrum ad materiam hujus sacramenti requiratur determinata quantitas.

Tertio, utrum materia hujus sacramenti sit panis triticeus.

Quarto, utrum sit panis azymus, vel fermentatus.

Quinto, utrum materia hujus sacramenti sit vinum de vite.

Sexto, utrum sit admiscenda aqua.

Septimo, utrum aqua sit de necessitate hujus sacramenti.

Octavo, de quantitate aquæ quæ apponitur.

ARTICULUS I.

Utrum materia hujus sacramenti sit panis et vinum.

Pro negativa.=Videtur, quod materia sacramenti Eucharistiæ non sit panis et vinum.

1. Materia sacramenti quod perfectius debet repræsentare passionem Christi quam sacramenta veteris legis, non debet esse panis et vinum; sed potius carnes animalium. Sed sacramentum Eucharistiæ debet representare passionem Christi perfectius, quam representaverint sacramenta veteris legis. Ergo materia sacramenti Eucharistiæ magis debent esse carnes, quam panis et vinum.

Maior prob., quia carnes animalium, quæ erant materia sacramenti veteris legis, expressius repræsentant passionem Christi, quam panis et vinum.

2. Materia sacramenti quod est ubique celebrandum, non debet esse panis et vinum. Sed hoc sacramentum est ubique celebrandum. Ergo panis et vinum non sunt conveniens materia hujus sacramenti.

Maior prob., quia in multis terris non invenitur panis triticeus; et in aliquibus non invenitur vinum.

3. Sacramentum quod competit non solum sanis, sed etiam infirmis, non habet pro convenienti materia vinum. Sed hoc sacramentum competit sanis et infirmis. Ergo conveniens materia hujus sacramenti non est vinum.

Maior probat., quia vinum nocet quibusdam infirmis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Alexander Papa 1. Epist. ad omnes orthod. tomo 1. Concil. dicit « in sacra« mentorum oblationibus, panis tantum « et vinum aqua permixtum, in sacrifi« cium offerantur.

Determinatio.

Diversorum errores.

Circa materiam hujus sacramenti, aliqui multipliciter erraverunt. Quidem enim qui dicuntur Artotyritæ, ut Aug. dicit in lib. de hæres. cap. 28. offerunt panem et caseum in hoc sacramento, dicentes á primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuisse celebratas.

Alii autem scilicet Cataphrygæ et Peputiani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes.

Quidam vero qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt.

Reprobatio omnium horum errorum.

Sed omnes hi errores et similes excluduntur, per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, ut patet Matth. 26. et Marc. 14. et Luc. 22.

Vera sententia.

Conclusio. Panis et vinum sunt conveniens materia sacramenti Eucharistiæ.

Probatur primo. Conveniens materia sacramenti, cujus usus est manducatio, est panis et vinum. Sed usus sacramenti Eucharistiæ est manducatio. Ergo conveniens materia sacramenti Eucharistiæ est panis et vinum.

Maior probat., quia sicut in sacramento baptismi, cujus usus est ablutio, assumitur aqua, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus comuniter homines reficiuntur, assumuntur in sacramento, cujus usus est manducatio, ad usum spiritualis manducationis.

Secundo prob. conclusio: conveniens materia sacramenti quod est memoriale Dominicæ passionis, est panis et vinum. Sed sacramentum Eucharistiæ est memoriale Dominicæ passionis. Ergo conveniens materia hujus sacramenti est panis et vinum.

Maior prob., quia in passione Christi sanguis est á corpore separatus, et ideo in sacramento quod est memoriale Dominicæ passionis, convenienter seorsum assumitur pro materia panis, ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis.

Tertio, prob. conclus. Sacramentum quod valet ad tuitionem animæ et corporis, convenienter habet pro materia panem et vinum. Sed sacramentum Eucharistiæ valet ad tuitionem animæ et corporis, ut Ambr. dicit super illud 1. Cor. 11. Hoc poculum novum testamentum etc. Ergo in sacramento Eucharistiæ convenienter assumitur pro materia, panis et vinum.

Maior prob., quia corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur. Anima enim in sanguine est, ut dicitur Levit. 17.

Quarto prob. conclusio. In sacramento cujus efectus est unio plurium fidelium in uno corpore quod est Ecclesia, convenienter assumitur pro materia panis et vinum. Sed efectus sacramenti Eucharistiæ, respectu totius Ecclesiæ, est unio fidelium in uno corpore quod est Ecclesia, in qua multi unum corpus sumus. Ergo in hoc sacramento conveniens materia est panis et vinum.

Maior prob., quia sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis; ita ex multis fidelibus constituitur corpus Ecclesiæ.

Conveniens igitur materia hujus sacramenti est panis et vinum; tum ratione usus hujus sacramenti, qui est manducatio; tum respectu passionis Christi, cujus est memoriale; tum respectu effectus, quem causat in unoquoque fidelium, qui est tuitio animæ et corporis; tum tandem ratione effectus, quem causat respectu totius Ecclesiæ, qui est unio fidelium in unum mysticum corpus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod in hoc sacramento, non solum debet attendi representatio, sed etiam usus. Unde etsi carnes animalium occisorum expressius repræsentent Christi passionem, tamen minus competunt ad communem usum hujus sacramenti et ad ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod licet in omnibus terris non nascatur triticum et vinum; tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus sacramenti. Nec propter defectum unius horum es unum tantum sine altero consecrandum; quia non esset perfectum sacramentum.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur,

dupliciter. Primo, quod vinum in modica quantitate sumptum non potest multum ægrotanti nocere. Dicitur secundo, quod si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi, etiam sanguinem accipiant, ut dicetur infra, q. 80. art. 12.

ARTICULUS II.

Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini, ad materiam hujus sacramenti.

Pro affirmativa.= Videtur quod requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam sacramenti Eucharistiæ.

1. *Omnium natura constantium positus est terminus et ratio magnitudinis et augmenti*, ut dicitur in 2. de ani. tex. 41. Ergo multo magis in hoc sacramento, quod dictur Eucaristia, idest bona gratia, requiritur determinata quantitas panis et vini.

Conseq. prob, quia effectus gratiæ non sunt minus ordinati, quam effectus naturæ.

2. Ministris Ecclesiæ non est á Christo data potestas, ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei et sacramentorum ejus. Ergo sacramentum Eucaristiæ habet determinatam materiam.

Anteced. quia 2. Cor. 10. dicitur: *secundum potestatem, quam dedit nobis Deus ad ædificationem et non ad destructionem.*

Conseq. prob., quia si hoc sacramentum non haberet determinatam quantitatem materiæ, sacerdos posset consecrare totum panem qui venditur in foro, et totum vinum quod est in cellario, quod pertinet ad irrisionem sacramenti.

3. Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi, sed solum illa qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis et vini consecrari potest.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nulla est ita parva quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna quantitas panis et vini, quæ consecrari non possit.

Conseq. probat., quia multum opponitur pauco, et magnum parvo: unde idem est de utroque judicium.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis aut vini, puta totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio.

Reprobatio, et vera sententia.

Sed hæc positio non videtur esse vera; et ratio erit quæ adducetur in probatione conclusionis veræ sententiæ.

Conclusio. Quantitas materiæ sacramenti Eucaristiæ non est determinata.

Prob. Materia sacramenti cujus finis non est aliquid determinatum secundum quantitatem, non est determinata. Sed finis sacramenti Eucharistiæ non est aliquid determinatum secundum quantitatem. Ergo materia sacramenti Eucaristiæ non est determinata.

Maior manifestatur, quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia seræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Minor ostenditur: nam finis sacramenti Eucharistiæ est usus fidelium: unde oportet quod quantitas hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium: non potest autem esse, quod determinetur per comparationem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute; numerus autem fidelium absolute indeterminatus est: et propterea etiam materia hujus sacra-

menti est indeterminata secundum quantitatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ratio enim quare quælibet res naturalis habet materiam determinatam, est quia cujuslibet rei naturalis est determinata forma ad cujus comparationem determinatur materia. Numerus autem fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus: et ideo nec ejus materia est secundum quantitatem determinata. Ad probationem dicitur, quod materia cujuscumque rei est bene ordinata, quando proportionatur fini vel formæ cujus est materia.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur: primo quidem ad effectum proprium: secundo ad finem effectus. Sicut potestas sacerdotis ordinatur ad consecrandum corpus Christi; et hunc effectum potest sacerdos ordinare ad bonum vel ad malum finem, puta ad communicandum illud fidelibus, vel ad beneficia facienda: et licet sacerdos pec cet si intendat malum finem, perficit tamen sacramentum. Ex hoc ergo quod sacerdos potest ex consecratione causare irrisionem vel scandalum ex perversa ejus intentione, non sequitur quod non perficiat sacramentum.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem utriusque sacramenti ratio: baptismus enim perficitur in usu materiæ; et ideo per formam baptismi non plus sanctificatur de aqua, quam quanta venit in usum. Hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiæ; et ideo consecratur tota materia quam consecrans consecrare intendit.

ARTICULUS III.

Utrum requiratur ad materiam sacramenti Eucharistiæ, quod sit panis triticeus.

Pro negativa. = Videtur, quod non requiratur ad materiam hujus sacramenti, quod sit panis triticeus.

1. Materia sacramenti, quod est rememorativum dominicæ passionis, non debet esse panis tritriceus, sed potius hordeaceus. Sed sacramentum Eucharistiæ est rememorativum dominicæ passionis. Ergo materia hujus sacramenti non debet esse panis triticeus, sed potius hordeaceus.

Maior probat., quia magis videtur esse consonum dominicæ passioni panis hordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam Christus pavit turbas in monte, ut dicitur Joan. 6. quam panis triteceus.

2. Quædam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut far et spelta, de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum hujus sacramenti. Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti.

Conseq. probat., quia figura est signum speciei in naturalibus rebus.

3. Vix invenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat, nisi forte de electis granis studiose fiat. Ergo non videtur, quod panis triticeus sit propria materia hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia permixtio speciem solvit.

4. Aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui jam non videtur esse panis triticeus, Ergo videtur, quod talis panis non sit propria materia hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia illud quod est corruptum, videtur esse alterius speciei.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat Joan. 12. Ergo panis frumenti est materia hujus sacramenti.

Determinatio.

Conclusio. Propria materia sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus.

Prob. Materia sacramenti cujus usus est manducatio, est panis triticeus. Sed usus sacramenti Eucharistiæ est manducatio, ut art. 1. dictum est. Ergo propria materia sacramenti Euchristiæ est panis triticeus.

Maior prob., quia ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit, ut in baptismo assumitur aqua quæ communius assumitur ad abluendum; in chrismate oleum, quo communius utuntur homines ad ungendum, et sic de aliis. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo; nam alii panes videntur esse introducti in defectum triticei panis. Et propterea materia sacramenti, cujus usus in manducatione consistit, panis triticeus esse debet.

Et confirmatur conclusio, quia Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse.

Et confirmatur secundo, quia panis triticeus magis confortat hominem, et ita convenientius significat effectum hujus sacramenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod panis hordeaceus competit ad significandam, tum duritiem veteris legis propter panis duritiem; tum etiam quia, ut Agust. dicit in lib. 83. quæst. quæst. 61. « Hordei « medula, quæ tenacissima palea tegitur, « vel ipsam legem significat, quæ ita data erat ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur, vel ipsum populum nondum « expoliatum carnali desiderio, quod « tamquam palea cordi ejus inhærebat. » Hoc autem sacramentum pertinet ad suave jugum Christi et ad veritatem jam manifestatam et ad populum spiritualem: unde non esset panis hordeaceus materia conveniens hujus sacramenti.

Ad 2. Neg. conseq. Generans enim generat sibi simile in specie, fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ. Et ideo si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt, sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo; panis confectus ex tali frumento potest esse materia hujus sacramenti: quod tamen non videtur habere locum in ordeo, in spelta, neque in farre, quod inter omnia est grano tritici similius.

Ad prob. autem consequentiæ, dicitur quod similitudo figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei. Sicut ex similitudine figuræ manifestatur quod canis et lupus sunt propinquæ speciei non autem ejusdem. Unde ex granis quæ nullo modo possunt ex semine frumenti generari, non potest confici panis qui sit debita materia hujus sacramenti.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod permixtio, si sit modica, non solvit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo absumitur á plurimo. Et ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis qui est materia hujus sacramenti; si vero sit magna permixtio, puta ex æquo vel quasi ex æquo, talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam quod aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis, sicut cum continuitas solvitur et sapor et color et alia accidentia mutantur; unde ex tali materia non potest confici corpus Christi; aliquando vero non est tanta corruptio quæ speciem solvat; sed est aliqua dispositio ad corruptionem quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi; sed peccat conficiens, propter irreverentiam sacramenti.

Ex quo sequitur quod ex amido quod

est ex tritico corrupto si fiat panis non poterit consecrari; quamvis quidam contrarium dicant.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum Eucharistiæ debeat confici ex pane azymo.

Pro negativa. = Videtur quod, hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo.

1. Christus videtur instituisse hoc sacramentum in pane fermentato. Ergo et nos debemus hoc sacramentum in pane fermentato celebrare.

Conseq. prob., quia nos debemus in hoc sacramento imitari institutionem Christi.

Antecedens prob. quia, sicut legitur Exo. 12. Judæi secundum legem incipiebant úti azymis in die Paschæ quod celebrátur decima quarta Luna. Christus autem instituit hoc sacramentum in cœna, quam celebravit *ante diem festum Paschæ*, ut habetur Joan 13.

2. Legalia non sunt observanda in tempore gratiæ. Sed uti azymis fuit quædam legalis ceremonia, ut patet Exo. 12. Ergo non debemus uti azymis in hoc sacramento.

3. Sacramentum charitatis non est in azymis, sed in fermentato celebrandum. Sed sacramentum Eucharistiæ est sacramentum charitatis, sicut baptismus est sacramentum fidei, ut dictum est q. 73. 3. ad 3. Ergo hoc sacramentum non in azymis, sed in fermentato debet celebrari.

Maior prob., quia fervor charitatis significatur per fermentum, ut patet in glos. interl. super illud Matth. 13. *simile est regnum cælorum fermento.*

4. In materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiam accidentium aquæ, puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo neque in hoc sacramento debet adhiberi aliqua decretio, utrum panis sit azymus vel fermentatus.

Conseq. probat., quia azymum et fermentatum sunt accidentia panis non variantia ejus speciem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Extra de celeb. Miss. lib. 3. decret. tit. 41. cap. Per literas punitur sacerdos qui *in pane fermentato, ac scypho ligneo, missarum solemnia celebrare præsumpsit.*

Determinatio.

Distinctio. Circa materiam hujus sacramenti duo possunt considerari. Primum quid sit necessarium. Secundum quid sit conveniens. Et tertium addi potest, quid sit convenientius.

1.ª Conclusio. Necessarium est quod panis ex quo hoc sacramentum conficitur, sit triticeus.

Hæc probata est art. præced. sine pane enim triticeo non conficitur sacramentum.

2.ª Conclusio. Non est de necessitate sacramenti quod panis sit azymus vel fermentatus.

Manifestatur, quia in utroque confici potest, ut patebit.

3.ª Conclusio. Conveniens est quod unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in hujus sacramenti celebratione.

Manifestatur. Nam circa hoc sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines; dicit enim Beatus Greg. in registro, « Romana Ecclesia offert azymos panes, « propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed Græcæ « Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo « quod Verbum Patris indutum est carne, « sicut fermentum miscetur farinæ.» Unde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccat Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum.

4.ª Conclusio. Consuetudo Ecclesiæ romanæ celebrandi in azymo est rationabilior.

Prob. Est enim hæc consuetudo rationabilior propter tria.

Primo, propter institutionem Christi qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum, ut habetur Matth. 26. et Mar. 14. et Luc. 22. qua die nihil fermentatum in dominus judæorum esse debebat, ut habetur Exo. 12.

Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius, ut infra quæst. 76. art. 1. patebit. Unde magis debet significare puritatem corporis Christi, quam unionem divinitatis cum carne quod signatur in fermentato.

Tertio. Quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis, et veritatis.*

5.ª Conclusio. Consuetudo græcorum habet aliquam rationem.

Manifestatur. Habet enim significationem, quam tangit Gregorius loc. cit. et in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Evangelio miscebant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antecedens. Sicut enim legitur Exodi 12. "Solemnitas Paschalis incipiebat in vesperis quartædecimæ lunæ; et tunc Christus post immolationem agni Paschalis hoc sacramentum instituit. Unde á Joanne hæc dies dicitur præcedere diem Paschæ; et á tribus aliis evangelistis dicitur *prima dies azymorum* quando fermentatum in domibus judæorum non inveniebatur, ut in corp. dictum est. Et de hoc plenius dictum est supra, quæstio. 46. art. 9. ad 1.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod conficientes in azymo, non intendunt ceremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi; et ideo non judaizant; alioquin celebrantes in pane fermentato judaizarent, quia judæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod fermentum significat quidem charitatem propter aliquem ejus effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem et maiorem. Sed tamen ex ipsa ratione suæ speciei corruptionem significat.

Ad 4. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de materia baptismi et Eucharistiæ in proposito. Ad prob. dicitur quod fermentatum est quidem accidens panis, significat tamen et causat corruptionem panis; posset enim esse tanta corruptio fermenti quod in eo non posset confici: non enim conficitur Eucharistia in pane corrupto, ut dictum est. Accidentia autem aquæ non significant corruptionem; et ideo magis circa panem attenditur differentia azymi et fermentati, quam circa aquam baptismi differentia calidi et frigidi.

ARTICULUS V.

Utrum vinum vitis sit propia materia sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa.=Videtur quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.

1. In qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo in quolibet vino puta malorum granatorum, vel mororum, vel hujusmodi potest confici hoc sacramentum; et præsertim cum in quibusdam terris non crescant vites.

Conseq. prob., quia sicut aqua est materia baptismi, ita vinum est materia hujus sacramenti.

2. In aceto non potest confici hoc sacramentum. Sed acetum est quædam species vini quod de vite sumitur, ut Isid. lib. 20. Etym. cap. 3. dicit. Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.

3. In agresta et musto non videtur posse confici hoc sacramentum. Ergo non videtur quod vinum sit propria materia Eucharistiæ.

Anteced. prob. quia in sexta Synodo can. 18. et habetur de consec. dist. 2. c. didicimus, legitur: «didicimus quod

« in quibusdam Ecclesiis sacerdotes sa-« crificio oblationis conjungant uvas, et « sic simul utrumque populo dispensant; « præcipimus igitur quod nullus sacer-« dos hoc ulterius faciat. » Et Julius Papa 1. decret. 7. in 10. decret. reprehendit quosdam, qui expressum vinum in sacramento dominici calicis offerunt.

Conseq. prob., quia sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita etiam agresta et mustum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Solus panis frumenti est materia hujus sacramenti, ut dictum est artic. 3. Ergo solum vinum de vite est propria ejusdem sacramenti materia.

Conseq. probat., quia sicut Dominus se comparavit grano frumenti, ita se comparavit viti, dicens, Jo. 15. *Ego sum vitis vera.*

Determinatio.

Conclusio. De solo vino vitis potest confici Eucharistiæ sacramentum.

Prob. Christus instituit hoc sacramentum in vino vitis. Ergo vinum solius vitis est propria hujus sacramenti materia.

Anteced. prob., quia Matth. 26. dicit Christus: *non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

Secundo. Proprie dicitur vinum illud quod de vite sumitur, alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis. Ergo in solo vino vitis potest confici Eucharistia.

Conseq. prob., quia ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie et communiter habet talem speciem.

Tertio. Vinum vitis, magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis lætitia: scriptum est enim quod *vinum lætificat cor hominis.* Psal. 103.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. quod in quolibet vino potest hoc sacramentum confici, dummodo sit vere vinum, sicut etiam in qualibet aqua, quæ vera est aqua, fit baptismus. Vinum autem malorum granatorum, et alii hujusmodi liquores non sunt vere vinum, sed vinum dicuntur secundum aliquam similitudinem ad vinum vitis quod solum est vere vinum, sicut aqua rosacea non est vere aqua, propter quod in ea non potest fieri baptismus.

Ad id autem quod subditur quod vites non ubique crescunt, dicitur quod potest vinum vitis ad terras illas, in quibus vites non crescunt, deferri quantum sufficit ad hoc sacramentum.

Ad 2. Negat. minor; vinum enim fit acetum per corruptionem, unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8. Metth. tex. 14. Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec in aceto. Potest tamen confici de vino acescenti sicut de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens, ut art. 3. ad 4. dictum est.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod agresta est in via generationis; et ideo nondum habet speciem vini; et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum; mustum autem jam habet speciem vini; nam ejus dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio á naturali calore, ut dicitur lib. 4. Meteor. cap. 3. et ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent uvæ integræ hoc sacramento misceri, quia jam esset ibi aliquid præter vinum.

Prohibetur autem etiam, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti; potest tamen in necessitate fieri, dicitur enim ab eodem Julio Papa 1. ibid. decreto 7. ex 10. decret. *Si necesse fuerit, botrus in calice prematur*, ut habetur de consecr. dist. 2. cap. Cum omne crimen. 8. in Concil. 1. Brac. cap. 1.

ARTICULUS VI.

Utrum aqua sit vino in sacramento Eucharistiæ permiscenda.

Pro negativa. = Videtur quod vino in hoc sacramento non sit aqua permiscenda.

1. Melchisedech, per cujus oblationem fuit præfiguratum sacrificium Christi, non legitur obtulisse, nisi panem et vinum, ut patet Gen. 14. Ergo videtur quod in hoc sacramento non debeat adjungi aqua.

2. Aqua est materia baptismi. Ergo aqua non debet assumi ad materiam Eucharistiæ.

Conseq. probat., quia diversorum sacramentorum diversæ sunt materiæ.

3. Pani, qui est materia hujus sacramenti, nihil adjungitur. Ergo nec vino aliquid adjungi debet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Alexander Papa 1. epist. ad omnes fidel. tomo 1. Concil. scribit « in sacra« mentorum oblationibus, quæ inter mis« sarum solemnia Domino offeruntur, « panis tantum et vinum aqua permix« tum in sacrificium offerantur. »

Determinatio.

Conclusio. Vino quod offertur in sacramento Eucharistiæ debet aqua misceri.

Prob. primo. Quia probabiliter creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ, unde et Prov. 9. dicitur, *Bibite vinum quod miscui vobis.*

Secundo. Quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ passionis. Unde dicit Alex. Papa in loco mox cit. « Non « debet in calice Domini aut vinum so« lum aut aqua sola oferri, sed utrum« que permixtum; quia utrumque ex la« tere ejus in passsione sua profluxisse « legitur. »

Tertio, quia hoc convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Unde Julius Papa dicit, ut habetur dist. 2. cap. Cum omne crimen. « Videmus « in aqua populum intelligi, in vino vero « ostendi sanguinem Christi; ergo cum « in calice vino miscetur aqua, Christo « populus adunatur. »

Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Unde Ambr. dicit in lib. 5. de sacramen. c. 1. *Redundat aqua in calicem et salit in vitam æternam.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod sicut Ambr. dicit in lib. 5. de sacram. cap. 1. sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech; ita etiam significatum est per aquam, quæ in eremo fluxit de petra; secundum illud 1. Cor. 10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.*

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non inconvenit ad duo sacramenta assumi eadem res pro materia, secundum tamen diversa; in baptismo assumitur aqua ad usum ablutionis: in hoc vero sacramento assumitur ad usum refectionis, secundum illud Psal. 22. *Super aquam refectionis educavit me.*

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod panis ex aqua et farina conficitur. Et ideo vinum cum aqua miscetur, ut neutrum sine aqua existat.

ARTICULUS VII.

Utrum permixtio aquæ sit de necessitate sacramenti Eucharistiæ.

Pro affirmativa.=Videtur quod permixtio aquæ sit de necessitate hujus sacramenti.

1. Admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione admixtio aquæ ad vinum.

Conseq. probat. Quia dicit Cyprianus lib. 2. Ep. Epist. 3. ad Cæcilium: " Sic " calix Domini non est aqua sola et vi" num solum, nisi utrumque misceatur, " quomodo nec corpus Domini potest

"esse farina sola, nisi utrumque," scilicet farina et aqua "fuerit adunata."

2. Vinum quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate hujus sacramenti. Ergo et aqua est de necessitate ejusdem.

Conseq. prob., quia in passione Domini, cujus hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere ejus exivit sanguis, ita et aqua; unde sicut est de necessitate hujus sacramenti vinum, ita et aqua quæ significat aquam quæ ex Cristi latere manavit

3. Si aqua non esset de necessitate hujus sacramenti, non referret quæcumque aqua huic sacramento apponeretur: et ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcumque alia hujusmodi aqua; quod tamen non habet usus Ecclesiæ. Ergo aqua est de necessitate hujus sacramenti.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Cyprianus dicit lib. 2. Epist. 3. "Si "aliquis de antecessoribus nostris vel "ignoranter vel simpliciter non obser- "vavit," ut scilicet vino aquam misceret in sacramento, "potest simplicitati ejus "venia concedi:" quod fieri non posset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum, vel panis. Non ergo aquæ admixtio est de necessitate sacramenti.

Determinatio.

Conclusio. Appositio aquæ non est de necessitate sacramenti Eucharistiæ.

Probat. Illud quod significat id quod non est de necessitate sacramenti; sed aliquid consequens ad ipsum Eucharistiæ sacramentum non est de necessitate ipsius sacramenti. Sed appositio aquæ in sacramento Eucharistiæ non significat id quod est de necessitate ipsius sacramenti; sed tantum aliquid consequens ad ipsum sacramentum. Ergo appositio aquæ non est de necessitate hujus sacramenti.

Maior prob., quia judicium de signo sumendum est ex eo quod significat, ita quod si id quod significatur sit de necessitate sacramenti, et ipsum signum ad necessitatem sacramenti pertinebit; sin autem, neque signum.

Minor manifestatur. Appositio enim aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem hujus sacramenti á fidelibus quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est art. præc. Sed et hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur; quia per aquam significatur ablutio peccatorum quæ fiebat per passionem Christi. Et quia hoc sacramentum, ut dictum est quæst. præceden. artic. 1. ad 3. perficitur in consecratione materiæ usus fidelium non est de necessitate sacramenti, sed aliquid ad ipsum consequens, ac per hoc aqua, quæ usum hunc significat, non erit de necessitate hujus sacramenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod verbum illud Cypriani est intelligendum secundum quod dicitur illud esse non posse quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id quod debet fieri: sicut enim debet misceri farinæ aqua, ita vino, non autem attenditur quantum ad necessitatem sacramenti, nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod non est eadem ratio de sanguine et de aqua quæ de latere Christi exivit; effusio enim sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem; est enim naturale corpori humano vulnerato, quod ex eo profluat sanguis; effusio autem aquæ non fuit de necessitate passionis; sed ad demostrandum effectum passionis, qui est ablutio á peccatis et refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur á vino in sacramento, sicut vinum seorsum offertur á pane. Sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur

quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tamquam de ejus necessitate existens, aqua autem secundum quod adjungitur vino.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam. Quod quia admixtio aquæ ad vinum, non est de necessitate sacramenti, non refert, quantum ad sacramenti necessitatem, quæcumque aqua misceatur vino, sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea. Unde quantum ad hoc conceditur quod infertur. Peccat tamen qui aquam artificialem vino in hoc sacramento miscet, quantum ad convenientiam; quia de latere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat vere ex quatuor elementis compositum, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur quod erat compositum ex quatuor humoribus ut Innocentius III. dicit in quadam decretali lib. 3. tit. 41. cap. 8. Quia vero admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti, utpote constituens substantiam panis; si farinæ admisceretur aqua rosacea, non posset ex ea confici sacramentum, quia non esset verus panis.

ARTICULUS VIII.

Utrum aqua in sacramento Eucharistiæ debeat in magna quantitate apponi.

Pro affirmativa.=Videtur quod oporteat aquam in magna quantitate apponi.

1. Aqua debet esse sensibiliter in hoc sacramento. Ergo aqua debet apponi in magna quantitate.

Anteced. prob., quia sicut sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita et aqua, ut dicitur Jo. 19.

Conseq. prob., quia aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quantitate poneretur.

2. Non licet in sacramento nihil de aqua apponere. Ergo non licet apponere parum de aqua.

Conseq. prob., quia parva aqua multo vino admixta corrumpitur; quod autem corruptum est, jam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua et nihil apponere.

3. Si sufficeret parum aquæ apponere esset sufficiens quod gutta aquæ in totum dolium projiceretur quod videtur ridiculum. Ergo non sufficit quod parva quantitas apponatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Extra de celeb. Miss. lib. 3. tit. 41. c. Perniciosus, dicitur. « Perniciosus in tuis « partibus inolevit abusus, videlicet quod « in maiori quantitate de aqua in sacri- « ficio ponitur, quam de vino, cum se- « cundum rationabilem consuetudinem « Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de « vino quam de aqua ponendum.

Determinatio.

Conclusio. Semper tutius est in sacramento Eucharistiæ parum de aqua apponere, et præcipue si vinum sit debile.

Prob. Aqua quæ apponitur in hoc sacramento, debet converti in vinum. Ergo semper tutius est parum de aqua apponere, ut possit converti in vinum; et præcipue si vinum sit debile.

Conseq. probat., quia si multum apponeretur de aqua, non posset converti in vinum; antecedens manifestatur præmittendo quod circa aquam adjunctam vino, sicut Innocentius III. dicit de celeb. Miss. cap. cum Matt. §. quæsivisti, triplex est opinio; quidam enim dicunt quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem.

Sed hæc opinio stare non potest, quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est, nisi corpus et sanguis Christi; alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. Unde dicit Ambros. in lib. de off. ca. 9. et habetur de consecrat. dist. 2. capit. 40. *Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur.*

Et ideo alii dixerunt quod sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua

convertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit.

Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc aqua seorsum deberet consecrari á vino, sicut vinum seorsum consecratur á pane; et deberet dici: hic est calix aquæ, quæ de latere meo fluxit.

Et ideo sicut ipse dicit: aliorum opinio probabilior est qui dicunt aquam converti in vinum et vinum in sanguinem. Et hoc est antecedens quod erat probandum.

Et confirmatur conclusio, quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum, et ideo tutius est parum de aqua apponere, ne solvatur species vini ex multa aqua.

Et confirmatur eadem conclusio. Quia ut habetur de consecrat. distin. 2. cap. Cum omne crimen. Julius Papa reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, et in tempore sacrificii aqua partem ejus lavant, et sic offerunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod sufficit ad sacramenti hujus significationem quod sentiatur aqua cum apponitur vino, non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem.

Ad 2. Negatur conseq. Si enim aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio; sed cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur. Unde non apponitur ibi aqua, ut maneat aqua; sed ut significet incorporationem populi Christo per hoc quod ipsa in vinum convertitur.

Ad 3. Negatur maior conditionalis: si enim aqua apponeretur in dolio, non sufficeret ad significationem hujus sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi in ipsa celebratione sacramenti.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 74.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses et in text. narratorum, atque *Manichæorum* dicentium: quod sacramentum Eucharistiæ ex pane confici non potest, eo quod panis sit creatura diaboli. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Concilio Martini Papæ: ut patet supra qu. 73. art. 2. append. Item á Julio Papa, qui post errorum multorum enarrationem dicit. " Manifestum est, et evidens exemplum veritatis Evangelicæ illuxit, quod præter panem, et vinum, in sacrificando aliud offerri non licet. " Hæc ille quæ cum aliis multis contra errores prænarratos recitantur in decret. de consecrat. distinct. 2. cap. *cum omne crimen*. Item á Concilio Florentino in constitutione super union. Armenor. " Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite. " Item á Marci 15. et Luc. 22. et 1. Corinth. 11. ubi panem consecratum, ac vinum ab ipso Domino testantur. Cæterum contra illam partem hæresis prædictæ, scilicet eo quod panis sit creatura diaboli, vide 1. p. qu. 65. a. 1. et qu. 92. a. 4. cum Elucid. Item veritates aureas super totam legem veterem Genes. 1. concl. 5. Damnato enim (ut expresse ibi fit) quod diabolus sit creator corporum, cointelligitur necessario condemnari, quod panis sit creatura diaboli. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod materia sacramenti Eucharistiæ non est determinata, ita scilicet, quod sacerdos non possit consecrare materiam, nisi in tali numero, et non supra. Insinuatur autem per hoc, tamquam per locum á simili, quod legitur Matth. 19. et

Mar. 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ac si dicat in proposito. Quod Deus absolute, seu indeterminate concessit, homo non restringat: porro Deus (ut patet in Evangelio) concessit absolute potestatem consecrandi sacerdotibus, non determinando illam ad tantam præcise, et non majorem, materiam consecrandam: ergo homo non debet restringere hanc potestatem, dicen. videlicet: quod sacerdos non habet potestatem consecrandi materiam, nisi in tanto numero, non plus existentem: dixi ly *ut patet in Evangelio*: quia dicit Christus Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quo sane dicto discipulos constituit sacerdotes, ipsisque, et aliis sacerdotibus in novo testamento futuris consecrandi panis, et vini potestatem absolute condonavit. Hoc enim docet Concilium Tridentinum sessione 22. capit. 1. dicens: " Deus, et Dominus noster sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit: ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem, ut semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit." Hæc ibi, et canone 2. " Si quis dixerit; illis verbis : hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum: anathema sit. " Et sessione 23. cap. 1. " Novum, visibile, et externum sacerdotium á Salvatore nostro institutum esse ; atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi corpus, et sanguinem ejus, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. " Quod et canone 1. anathematizat contrarium dicentes. " Prædicta verba, quamvis multa, ponunt ne ullam limitationem circa potestatem datam de materia consecranda, ut paucam, et non plurimam, sacerdotes materiam consecrare possint? Non. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod panis, qui est materia sacramenti Eucharistiæ, debet necessario esse triticeus. A scripturis quidem per hoc, quod Christus, qui se panem dicit Joa. 6. comparat se grano frumenti. Joan. 12. *Nisi granum*, etc. ut *in arg. cont.* Item per hoc, quod Matth. 26. et Marc. 14. et Luc. 22. *accepit* JESUS *panem, benedixit*, etc. *dicens, hoc est corpus meum.* Regula enim est etiam apud Philosophum, qui dicit: *Simpliciter dico, quod nullo addito dico.* Unde, cum ibi ly *panem* dicatur nullo addito, idest, sine aliqua limitatione, seu specificatione, oportet dici, quod intelligatur de pane simpliciter dicto. Constat vero, quod panis simpliciter dictus non est, nisi panis triticeus. Cæteri enim panes cum additamento communiter vocantur: ut puta, panis speltæ, panis hordei, farris, milii, etc. Adde, quod non tantum communiter, idest, in communi locutione hominum, sic vocantur; sed etiam in sacro usu Evangelistarum, ut Jo. 6. *panes hordeaceos.* Quod si instetur, quod Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. dicunt simpliciter panes, quoniam non adunt ly *hordeaceos*; cum tamen essent hordeacei, quoniam est idem miraculum ibi ab omnibus narratum, ut apparet ex collatione circumstantiarum ejusdem litteræ miraculum ipsum de panibus narrantis. Si sic, inquam, instetur, magis confirmatur veritas prædicta circa regulam illam, et usum loquendi Evangelistarum. Nam et Matthæus, et Marcus, et Lucas (stante identitate miraculi cum Joanne) intelliguntur addidisse ly *hordeaceos*, etsi expresse verbatim non addiderint Ratio est, quia, nisi juxta regulam usitatam hominum additio illa ad ly *panes* non fuisset subintellecta ab ipsis, Joannes post illoscribens non adderet ly *hordeaceos*: quoniam tunc suos coevangelistas de falsitate taxaret si eosdem panes vocatos panes simpliciter, etiam in sensu ipsorum, videns ab aliis, diceret non fuisse panes simpliciter, sed tantum cum additamento, scilicet hordeaceos. Cum igitur nulla vel minima falsitas sit, imo nec esse possit, in canonicis scriptoribus, præcipue in Evangelistis, juxta firmam doctrinam S. Thom. idest *quæst.* 60. *art.* 8. *ad* 2. oportet dicere, et quod alii tres Evangelistæ, dicendo ly *panes*, su-

bintellexerunt, quod erant panes solum cum additamento: et quod Joannes Evangelista quatrus, dicendo ly *hordeaceos*, exprimere voluit additamentum illud, quod illos suos prædecessores in sensu tantum continuisse, cognoverat. Unde multa bona sic loquendo nobis aperuit: *primum*, quod panes simpliciter accepti sunt panes triticei. *Secundum*, quod illi quinque panes non fuerunt simpliciter accepti ab aliis Evangelistis, licet fuissent simpliciter dicti, idest, ab eis prolati. *Tertium*, quod mos canonicorum scriptorum est, ut unus exprimat illud, quod alius subintelligendo tacuit. Quod quidem tertium etiam sanctus doctor, quasi á simili docens, dixit 1. quæst. 1. art. 9. " Ea, quæ in uno loco scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis expresius exponuntur: » et art. 10. " Non tamen ex hoc deperit aliquid sacræ scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat. » Hæc ille. Secundum ergo doctrinam hanc per locum á simili datam, et secundum morem Evangelistarum ad ly *accepit* JESUS *panem*, etc. *dicens*, *hoc est corpus meum*, debuerat ab aliquo addi ly *hordeaceum*, vel aliquid hujusmodi, si per ly *panem* non debuisset absolute intelligi panis simpliciter, idest, triticeus: maxime cum tunc ageretur de re necessaria ad fidem pro confectione continua tanti sacramenti. Si enim tam solicitus fuit Evangelista unus pro zelo manifestandæ veritatis, ut supra in re minoris momenti ad explicandum ly *hordaceos*, ne fieret error intelligendo ly *panes*, ab aliis Evangelistis simpliciter prolatos, quomodo non magis fuisset solicitus aliquis ipsorum ad exponendum per additionem aliquam ly *panem*, cum simpliciter dictum sit in ly *accepit* JESUS *panem*, nisi quilibet illorum firmiter cognovisset, quod, sicut ibi ly *panem* simpliciter proferebatur, ita et simpliciter intelligebatur? Pro constanti ergo per hoc denotare unanimiter omnibus legentibus voluerunt, quod panis á Domino nostro consecratus fuit panis sine additione dictus, idest panis triticeus. Sed adhuc audi vocem, et expositionem Ecclesiæ. A Concilio igitur Florentino, ubi doctissimi Patres, et orientales, et occidentales, pro declaranda dogmatum fidei veritate non sine Spiritus Sancti ducatu, et assistentia convenerunt, insinuatum fuit intentum in principio hujus appendicis dictum, et ideo expositum, quemnam sensum habeant Evangelistæ, ubi de sacramento Eucharistiæ loquentes dicunt ly *accepit panem*. In decreto itaque Armenis dato, seu, ut alicubi prætitulatur, in constitutione Concilii Florentini, super unione Armenorum, cum venitur ad sacramentum hoc, dicitur. " Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus. » Et infra. " Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc sacramentum confecit. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi convertitur. » Ubi ex serie plana contextus ejus vide expositionem supradictam. Ecce. Postquam præmiserat ly *panis triticeus*, subdit: quod Salvator confecit sacramentum verbis, idest, quod virtute verborum suorum substantia panis in corpus Christi conversa est. Unde didicit concilium, quod Christus pro conficiendo sacramento habuit panem? Ab Evangelio utique. Hunc ergo panem, quem tunc excepisse Christum, videt in Evangelio, concilium ipsum interpretatur fuisse triticeum. Clara sunt omnia, et adeo, ut ampliori declaratione non egeant. Hoc solummodo pro ipsorum, similiumque in te firmiori tenacitate recolendum fore pro semper advertito, quod dixit Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de edition. et usu sacror. libror. " Nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione scripturarum sanctarum, scripturam ipsam interpretari audeat. » Quæ cum, supradictis, sicut etiam aliis quibuscumque, ubique, quandocumque dictis, vel dicendis, in omnibus conferas, et attende, ut ab Ecclesia norma numquam alicubi, vel ungue lato, discedas. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem *Græcorum*, et *Armenorum* dicentium: quod Eucharistiæ sacramentum non potest confici in pane azymo, sed solum in fermentato. *Secundo* vides: quomodo per rationem ostendas, er-

rorem illum merito damnari á Concilio Florent. sess. ultim. in liter. sanct. union. " Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem. » Ubi notato maximam vim veritatis, quæ est hæc: quod ipsimet græci seorsum á latinis, tunc enim erant absentes, positi in domo imperatoris sui ex lectione suorum adstricti fuerunt ad præmissæ veritatis amplexionem. Qua postmodum re notificata latinis ex communi utrorumque consensu veritas illa et fuit definita, et in litteris sanctæ unionis collocata. Error ergo, qui de azymo excludendo á græcis profectus irrationabiliter fuerat, ab eisdem postea rationabiliter correctus est. Vide illam sess. ult. parum ante litteras san. unionis. Ex prædicta sacrosancti concilii definitione patet, erroneam esse, et ab Ecclesia damnatam illam positionem Scoti, ut refert frater Joseph Angles Valentinus ordinis Minorum, in lib. 1. Flores Theolog. quæst. de Eucharistia artic. 4. definitione 1. dicentem, græcos fortassis peccare conficientes in fermentato. Consequenter ergo erroneam magis, atque damnatam esse patet positionem Alphonsi de Castro, in lib. suo adversus hæreses. tit. Euchar. 2 dicentis idipsum sine fortassis: hoc est, dicentis absolute, quod græci peccant eo quod conficiunt in fermentato. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Aquariorum* dicentium: pro calicis consecratione non apponendum esse vinum, sed solam aquam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concilio Carthaginensi 3. cap. 24. " In sacramentis corporis, et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum. Nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis et frumentis. » Hæc illud, quod quidem confirmatum fuit á sexta Synodo in Trullo celebrata. Vinum enim de uvis est vinum de vite, sicut panis de frumentis est panis de tritico. Item ab ipsa Christi institutione facta in propria persona; ut narrant Evangelistæ. Nam ea, quæ instituta sunt á Domino in sacramentorum perfectione, sunt de necessitate ipsorum, q. 64. art. 2. 3. Quod tamen, ut absque errore intelligas, vide hic not. post ad 1. Item á Concilio Florent. expressis verbis asserente, quod materia hujus sacramenti est vinum de vite, ut in art. 1. append. videre potes. Ubi nota, quod Concilium hoc in loco sufficit ad exponendum vinum dictum ab Evangelistis Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. narrantibus consecrationem factam á Domino, etiam quod ipsi tres Evangelistæ non expressissent (ut expresserunt) quod illud vinum erat de generatione vitis. Ratio, quod sufficeret Concilium ad sic exponendum est dicta in art. 13. append. á ly *simpliciter dico*, *quod nullo addito dico*, etc. usque ad finem. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6 habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem *Græcorum* et *Armenorum* discentium: aquam cum vino in calice non esse miscendam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, ipsum merito damnari á Papa *Alexandro*, secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item á Concilio *Florent.* de sacramento Eucharistiæ sic definiente: « Cujus materia est etc. vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admiseri debet. Aqua autem ideo admiscetur: quoniam, juxta testimonium sanctorum Patrum, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc convenit dominicæ passionis representationi, inquit enim B. Alexander Papa I. á B. Petro edoctus: In sacramentorum oblationibus, quæ intra missarum solemnia Domino afferuntur, panis tantum, et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque idest, sanguis, et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum; qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: aquæ multæ populi multi. Et Julius Papa I. post. B. Sylvestrum ait: calix Dominicus, juxta canonum præceptum, vino, et aqua permixtus debet offerri: quia videmus, in aqua

populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum, et aqua miscetur, Christo populus adunatur: et fidelium plebs, in quem credit, copulatur, et jungitur. « Hæc illud in constitut. Concil. Flor. super union. Armen. Item á Concilio 6. generali celebrato Constantinopoli in Trullo, canon. 32. « Quoniam novimus in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerre aquam illi non miscentes. qui incruentum sacrificium peragunt, prætexentes Ecclesiæ Doctorem, Joannem Chrysostomum, in interpretatione Matthæi hoc afferentem, ut jam nunc ab ignorantia liberentur; illius patris mentem orthodoxe aperimus. Cum enim antiquam Hydroparastarum hæresim, qui pro vino sola aqua in sacrificio usi sunt, subverteret; illam orationem composuit, in qua aquæ in sacrificio missæ adjunctionem amovere illi existimant: cum tamen non doceat sanctus, per solum vinum oblationem fieri. Quandoquidem et suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, cuando incruentum peragi sacrificium oportet: et in omni etiam Ecclesia, ubi spiritualia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam et Jacobus frater Domini, et Basilius Cæsariensis Archiepiscopus (cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit) mystico nobis in scripto tradito sacrificio, ita peragendum in sacro ministerio ex aqua, et vino sacrum poculum: ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt, sancti Patres ita aperte tradiderunt. Si quis ergo Episcopus, el presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit deponatur. » Ex quibus hanc regulam perpetuo memorandam etiam notabis, scilicet quod inspicienda est intentio scribentium Doctorum juxta subjectam materiam, de qua tunc loquuntur, ut de eorum mente sanum intellectum habere possimus. Errarunt enim *Armeni* in legendo D. Chrysostomum, quia non servarunt hanc regulam: ut constat ex concilio illo, quod hac regula innixum, Spiritu Sancto rectore, mentem veram Doctoris prædicti in eadem lectura et attigit, et nobis manifestavit. Item à concil. Trid. sess. 2. cap 7. « Monet sancta Synodus: præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum ita fecisse credatur, tum quia è latere ejus simul cum sanguine exierit (quod sacramentum hac mixtione recolitur) et cum aquæ populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Cypriano, et Concilio, quod aquæ permixtio in calice non est de necessitate sacramenti. A D. Cypriano quidem, ut *in arg. cont.* Ubi notabis, quod ex facilitate veniæ condonandæ in hoc peccantibus monstratur, ipsum Cyprianum non judicasse, aquæ permixtionem esse de necessitate sacramenti. Zelo siquidem admodum majore excanduisset sanctus ille contra hujusmodi, sciens, quod secundum mensuram delicti debet quoque mensurari plagarum modus: Deuteronom. 25. et quod ignorantia, vel simplicitas sufficiens ad excusandum in re minori, non sufficit ad excusandum in re majori (ut de se patet, et ex 1. 2. quæst. 76. art. 3. 4.) A Concil. item Florent. idipsum insinuatur, dicente, quod *materia*, etc. *est vinum de vite, cui aqua admisceri debet* (ut refertur art. 6. append.) Non enim dixit (ut contextus prior exposcere videbatur *materia*, etc est panis, et vinum, et aqua, sed tamquam ex phrasi locutionis utriusque diversa innuens aliquam differentiam illorum priorum ab aqua per respectum ad esse materiam, prælegit interjecto obliquo dicere, *cui aqua admisceri debet*. Ac si per istum loquendi modum clarius dixisset. Panis, et vinum sunt Eucharistiæ materia directa, idest necessaria, aqua vero admixta vino est materia quodammodo obliqua, idest non sic necessaria. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Concilio, quod aqua non in magna, sed in parva quantitate, debet apponi in calice. A Papa quidem *Honorio III.* extra de celebr. Miss. *Pernitiosus error*, et ut *in arg. cont.* Ratio autem, quod talis error sit perniciosus, constat ex supradictis in probat. concl. et ex art. 6. á Conc. autem Flor. ut supra in

exam. post ad 2. et art. 6. append. per ly paululum, et ly modicissima. Ex quibus verbis patet etiam cæcutientibus, et quod Concilii mens est, quod aqua mixta convertatur in vinum, et quod hoc ideo præcipit (sicut etiam *Honorius* sub.) ut aqua infallibiliter converti possit, atque convertatur in vinum. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Joan. 1. « Pater sancte serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Non pro his rogo tantum, sed pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut et ipsi in nobis unum sint. » Per hæc enim verba Salvatoris nostri Christi, si ad materiam præsentem (ut potest, et debet) applicentur, instruimur, quod aqua vino mixta in vinum convertenda est, et quod ideo in modicissima quantitate est apponenda ipsi. Dixi ly *ut potest, et debet*: quia Innocent. III. sic facto suo nos docuit: dum ait extra, de celebratione missarum, c. « cum Marth. Inter opiniones predictas illa probabilior judicatur, quæ aferit aquam cum vino in sanguinem transmutari. Nam, cum aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati, qui seminant super aquas; ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur. Per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, et accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur: ut qui est unum cum patre per ineffabilem unitatem; fiat unum nobiscum per admirabilem unionem, ac per hoc, ipso comumniter mediante, cum patre unum efficimur. Pater, inquit, sancte serva eos, quos dedisti mihi etc. » ut supra. Ubi expone ly *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, idest vinum, qnod sibi aquam incorporavit, idest in quod aqua jam est conversa. Non enim duo transeunt in sanguinem, sed unum tantum, idest vinum prædictum. Nam, quia in vinum conversio aquæ facta veraciter præsupponitur á Papa, dum solum vinum postea in sanguinem convertitur, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ab ipso dicitur. Hinc fit, quod, stante atiam veritate istius dicti summi Pontificis, prout declarata est, numquam legis in decisionibus fidei factis postea, puta á Conciliis Viennensi. Florentino, Tridentino, quod aqua convertatur in sanguinem, sed tantum, quod vinum convertatur in illum. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA QUINTA,

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS, ET SANGUINEM CHRISTI IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de conversione panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo.

Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis, et vini post consecrationem.

Tertio, utrum substantia panis, vel vini post consecrationem hujus sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur.

Quarto, utrum panis possit converti in corpus Christi.

Quinto, utrum in hoc sacramento post conversionem remaneant accidentia panis, et vini.

Sexto, utrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

Septimo, utrum ista conversio fiat in instanti.

Octavo, utrum hæc sit falsa: *ex pane fit corpus Christi.*

ARTICULUS I.

Utrum in sacramento Eucharistiæ sit totus Christus, secundum veritatem.

Pro negativa. = Videtur, quod in hoc sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo.

1. Ubi est corpus Christi solum spiritualiter, non est secundum veritatem, sed tantum sicut in signo. Sed in sacramento Eucharistiæ est corpus Christi tantum spiritualiter. Ergo in sacramento Eucharistiæ non est corpus Christi secundum veritatem, sed solum sicut in signo.

Maior patet: quia ubi est corpus secundum veritatem, est non solum spiritualiter sed corporaliter.

Minor prob., quia Joan. 6. dicitur quod cum dixisset Dominus. « Nisi man- " ducaveritis carnem filii hominis et bi- " beritis ejus sanguinem,» etc. multi ex discipulis ejus audientes dixerunt: « du- " rus est hic sermo,» quibus ipse Dominus dixit: " spiritus est qui vivificat, " caro non prodest quicquam,» quasi diceret, secundum expositionem Augustini super Psal. 98. « Spiritualiter " intelligite quod locutus sum: non hoc " corpus, quod videtis, manducaturi estis, " et bibituri illum sanguinem, quem fu- " turi sunt qui me crucifigent; sacra- " mentum autem quod vobis commendavi, " spiritualiter intellectum vivificavit vos " caro autem non prodest quicquam: » est igitur corpus Christi in hoc sacramento spiritualiter tantum.

2. Dominus dicit Matth. ult. " Ecce " ego vobiscum sum omnibus die- " bus usque ad consummationem seculi.» Quod exponens August. ut refertur de consecr. dist. 2. cap. 45. dicit. " Donec " sæculum finiatur, sursum est Dominus, " sed tamen et hic nobiscum est veritas " Domini; corpus enim in quo resurre- " xit, in uno loco oportet esse, veritas " autem ejus ubique diffusa est.» Non ergo corpus Christi est in hoc sacramento secundum veritatem, sed ut in signo.

3. Corpus Christi est in cœlo, secundum veritatem. Ergo corpus Christi non potest esse secundum veritatem in hoc sacramento.

Conseq. probat., quia nullum verum corpus potest simul esse in pluribus locis, cum nec Angelo hoc conveniat. Si enim corpus posset esse simul in pluribus locis, posset esse etiam ubique.

4. In sacramento quod ordinatur ad utilitatem fidelium, non est Christus secundum corporalem præsentiam. Sed sacramentum Eucharistiæ, sicut etiam alia sacramenta, ordinatur ad utilitatem fidelium. Ergo in hoc sacramenta non est Christus secundum corporalem præsentiam.

Maior prob., quia præsentia corporalis Christi videtur fidelium utilitati obesse. Nam secundum Greg. Hom. 28. in Evangel. Regulus reprehenditur, quia quærebat corporalem Christi præsentiam. Apostoli etiam impediebantur recipere Spiritum Sanctum propter hoc quod affecti erant ad ejus presentiam corporalem, ut Aug. dicit tract. 94. super illud Joan. 16. *Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hilarius dicit lib. 8. de Trin. « de " veritate carnis et sanguinis Christi " non est relictus ambigendi locus; nunc " enim et ipsius Domini professione et " fide nostra caro ejus vere est cibus et " sanguis ejus vere est potus. » Et Ambros. dicit lib. 6. de sacramentis, capit. 1. " Sicut verus Dei filius est Dominus " Jesus Christus, ita vera Christi caro est " quam accipimus, et verus sanguis ejus " est potus.»

Determinatio.

Quorumdam hæretica positio.

Quidam posuerunt corpus et sanguinem Christi esse in hoc sacramento solum sicut in signo, et hoc propter argumenta inducta pro negativa; et præcipue propter primum.

Reprobatio.

Positio hæc est tamquam hæretica, abjicienda, quia est contraria verbis Christi dicentis Luc. 22. *Hoc est corpus meum.* Unde et Berengarius, qui primus hujus erroris auctor fuerat, postea coac-

tus est suum errorem revocare et veritatem fidei confiteri, ut habetur de consecra. distin. 2. c. Ego Berengarius.

Vera, et catholica sententia.

1.ª Conclusio. In sacramento Eucharistiæ sub specie panis et vini est corpus et sanguis Christi non solum sicut in figura vel signo, sed secundum veritatem.

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter tria.

Primo quidem propter perfectionem novæ legis. Sacrificia namque veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*; et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novæ legis á Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate.

Et confirmatur convenientia ex hoc capite, quia ex hoc quod sacramentum Eucharistiæ continet realiter ipsum Christum, est perfectivum (ut Dion. dicit in 3. cap Eccles. Hierar.) omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi solum participatur.

Secundo est conveniens quod in hoc sacramento contineatur corpus et sanguis Christi secundum veritatem, quia hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiæ est convivere amicis, ut dicitur libr. 9. Ethicorum capite 4. sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens Matth. 24. *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* Interim tamen, nec sui præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit; sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit Jo. 6. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maximæ charitatis signum et nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos.

Tertio hoc est conveniens, quia competit perfectioni fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud Joan. 14. *Creditis in Deum, et in me credite*; et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo.

Convenit igitur quod verum Christi corpus et sanguis sit in hoc sacramento secundum veritatem, quia competit perfectioni novæ legis, charitati qua Christus nos dilexit, et fidei perfectioni.

2.ª Conclusio. Verum corpus et sanguinem Christi esse in hoc sacramento, neque sensu, neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur, tenetur.

Manifestatur, quia super illud Luc. 22. dicit Cyrilus: « non dubites, an hoc « verum sit; sed potius suscipe verba « Salvatoris in fide; cum enim sit veri« tas, no mentitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod ex hac auctoritate prædicti hæretici occasionem errandi sumpserunt male verba August. intelligentes; cum enim August. dicit: *non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis:* non intendit excludere veritatem corporis Christi: sed intendit quod corpus Christi non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur; per hoc autem quod subdit: « sacramentum quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos,» non intendit quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem; sed spiritualiter dicit, idest « invisibiliter et per virtutem Spiritus Sancti.» Unde idem Aug. tr. 27. in Joan. exponens id quod dicitur, *Caro non prodest quicquam*, dicit; « sed quomodo illi intellexerunt:

« carnem quippe sic intellexerunt mandu-
« candam, quomodo in cadavere dilania-
« tur, aut in macello venditur, non quo-
« modo spiritu vegetatur. Accedat spiri-
« tus ad carnem, et prodest plurimum:
« nam si caro nihil prodesset, Verbum
« caro non fieret, ut habitaret in no-
bis.»

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod verbum illud August. et omnia similia, sunt intelligenda de corpore Christi, secundum quod videdur in propria specie, ut etiam ipse Dominus dicit Matt. 26. *Me autem non semper habebitis.* Invisibiliter tamen sub speciebus hujus sacramenti est ubicumque hoc sacramentum perficitur.

Ad 3. Negatur consequentia. Corpus enim non est in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento. Per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo (licet sacramentum sit in genere signi) sed intelligimus corpus Christi hic esse secundum modum proprium huic sacramento. Ad prob. autem dicitur, quod nullum verum corpus potest simul esse in pluribus locis per suas dimensiones et tamquam in loco; potest tamen corpus Christi per suas dimensiones esse in uno loco, et esse secundum prædictum ineffabilem modum ubicumque perficitur Eucharistiæ sacramentum,

Ad 4. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ratio illa procedit de præsentia corporis, Christi, prout est præsens per modum corporis, idest prout est in sua specie visibilis, non autem prout est spiritualiter, idest invisibili modo et virtute Spiritus Sancti. Unde August. dicit super Joan. tract. 27. " Si intellexisti
" spiritualiter verba Christi de carne
" sua, spiritus et vita sunt tibi: si in-
" tellexisti carnaliter, etiam spiritus et
" vita sunt, sed tibi non sunt.

ARTICULUS II.

Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem.

Pro affirmativa. = Videtur, quod in sacramento Eucharistiæ remaneat substantia panis et vini, post consecrationem.

1. In sacramento, in quo pani et vino conjugatur divinitas, est substantia panis et vini. Sed in sacramento Eucharistiæ pani et vino post consecrationem conjugatur divinitas. Ergo in sacramento Eucharistiæ post consecrationem remanet substantia panis et vini.

Maior probat., quia conjugatio est rerum actu existentium.

Minor probat., quia Dam. dicit in 4. lib. cap. 14. quod " quia consuetudo
" est hominibus, comedere panem et
" vinum bibere, conjugavit eis Deus di-
" vinitatem et fecit ea corpus et sangui-
" nem suum; et ita panis communicatio-
" nis, non panis simplex est, sed unitus
" divinitati. »

2. In aliis Ecclesiæ sacramentis, manet substantia materiæ, sicut in baptismo manet substantia aquæ; ergo in sacramento Eucharistiæ debet manere substantia materiæ, scilicet panis et vini.

Conseq. prob., quia inter sacramenta Ecclesiæ debet esse conformitas.

3. Panis et vinum assumuntur in sacramento Eucharistiæ, in quantum significant ecclesiasticam unitatem, prout *unus panis fit ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis*, ut Aug. dicit tract. 26. in Joan. in lib. de Symb. Ergo in hoc sacramento remanet substantia panis et vini.

Conseq. prob., quia fieri ex multis granis pertinet ad substantiam panis; et fieri ex multis racemis, ad substantiam vini.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambros. dicit in lib. 4. de sacramen.

cap. 4. et lib. 6. ca. 1. et refertur de consert. dist. 2. cap. omnes: « licet figura panis et vini videatur, tamen nihil aliud quam caro Christi et sanguis « post consecrationem credenda sunt. »

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam posuerunt post consecrationem, substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere; et eorum rationes esse poterant, quæ in arguendo inductæ sunt.

Reprobatio, et vera sententia.

Sed hæc positio stare non potest propter quatuor. Quæ etiam erunt quatuor rationes probantes conclusionem, quæ est.

Conclusio. In sacramento Eucharistiæ, post consecrationem non remanet substantia panis et vini.

Prob. Primo: si post consecrationem remaneret in hoc sacramento substantia panis et vini, tolleretur veritas hujus sacramenti, ad quam pertinet, quod in eo sit verum corpus Christi. Si enim ibi remaneret substantia panis et vini, non posset ibi existere vere corpus Christi.

Consequentia ostenditur. Nam non potest aliquid esse, ubi prius non erat, nisi uno altero horum modorum, scilicet per loci mutationem, vel per alterius mutationem in ipsum. Sicut in aliqua domo de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur per conversionem alicujus alterius in ignem. Si igitur corpus Christi debeat de novo esse in hoc sacramento; necessarium est ut ibi sit vel per motum localem, ut scilicet localiter moveatur descendendo de cœlo in terram, vel per hoc quod substantia panis in ipsum convertitur.

Non potest autem Christi corpus ibi de novo esse per motum localem propter tria.

Primo, quia sequeretur quod desineret esse in cœlo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem.

Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media quod hic dici non potest. Non enim corpus Christi prius est in cœlestibus sphæris puta lunæ, et in sphæra ignis, et in aere, quam in hoc sacramento.

Tertio, quia impossibile est quod unus motus corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacamento simul esse incipiat. Et ideo relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum. Et quia quod convertitur in aliquid, facta conversione, non manet, relinquitur quod salva veritate hujus sacramenti, substantia panis, post consecrationem manere non possit.

Secundo prob. conclusio, et reprobatur dicta positio; quia dicere quod in hoc sacramento post consecrationem remaneat substantia panis et vini; contrariatur formæ hujus sacramenti, in qua dicitur, « Hoc est corpus meum: hic « est calix sanguinis mei: » non enim hoc verum esset, si substantia panis ibi remaneret; numquam enim substantia panis et corpus Christi et substantia vini est sanguis Christi; sed potius esset dicendum, *Hic est corpus Christi*; *Hic*, idest in calice, *est sanguis Christi*.

Tertio, quia contraria positio contrariatur venerationi hujus sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari.

Quarto, quia dicta positio contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi; cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam. Unde hæc positio vitanda est tamquam hæretica; et conclusio suscipienda est tamquam catholica.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod

Deus conjugavit divinitatem suam, idest divinam virtutem pani et vino, non ut remaneant in hoc sacramento; tunc enim efficax esset probatio; sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum.

Ad 2. Negatur consequentia: in aliis enim sacramentis non est ipse Christus realiter sicut in hoc sacramento; et ideo in aliis sacramentis manet substantia materiæ, non autem in isto.

Ad 3. Negatur conseq. Species enim quæ remanent in hoc sacramento, sufficiunt ad significationem hujus sacramenti; nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ.

ARTICULUS III.

Utrum substantia panis, vel vini post consecrationem sacramenti Eucharistiæ annihiletur.

Pro affirmativa. = Videtur, quod substantia panis post consecrationem hujus sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur.

1. Substantia panis, quæ est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento, ut art. præced. dictum est, nec etiam est dare aliquem locum, in quo sit. Ergo substantia panis non est aliquid post consecrationem, ac per hoc est annihilata, vel in præjacentem materiam resoluta.

Conseq. prob., quia quod est aliquid corporale, oportet alicubi esse.

2. Illud quod est terminus á quo, in qualibet transmutatione non remanet, nisi forte in potentia materiæ. Sicut cum ex aere fit ignis, forma aeris non manet, nisi in potentia materiæ. Sed in sacramento Eucharistiæ substantia panis, aut vini se habet sicut terminus á quo; corpus autem vel sanguis Christi sicut terminus ad quem. Ergo, facta consecratione, substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

Minor prob., quia Ambros. dicit in lib. de offic. c. 9. et habet dist. 2. cap. *Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur.*

3. Hæc est falsa, *facta consecratione, substantia panis vel vini est aliquid.* Ergo hæc est vera, *substantia panis vel vini, facta consecratione, est nihil.*

Conseq. prob., quia oportet alterum contrariorum esse verum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. 83. Qq. q. 21. *Deus non est causa tendendi in non esse.* Sed hoc sacramentum divina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis et vini.

Aliter: in sacramento quod divina virtute perficitur, nihil annihilatur. Sed sacramentum Eucharistiæ divina virtute perficitur. Ergo in sacramento Eucharistiæ nihil annihilatur.

Maior probat., quia *Deus non est causa tendendi in non esse,* ut August. dicit. loc. cit.

Determinatio.

Quorundam positio.

Quidam impossibile reputantes quod substantia panis vel vini in corpus vel sanguinem Christi convertatur; et cum ex altera parte substantia panis vel vini non maneat in hoc sacramento post consecrationem, posuerunt quod substantia panis et vini, facta consecratione resolvitur in præjacentem materiam, vel quod annihiletur.

Reprobatio.

Sed hæc positio non potest stare propter duo.

Primo, quia præjacens materia in quam corpora mixta resolvi possunt, sunt quatuor elementa; non enim potest fieri resolutio in materiam primam, ita quod sine forma existat, quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem nihil sub speciebus sacramenti remaneat, nisi corpus et sanguis Christi, oportebit dicere quod elementa in quæ resoluta est substantia panis et vini, inde discedant per motum

localem quod non fit, quia sensu perciperetur elementorum discessus.

Secundo, quia substantia panis vel vini manet usque ad ultimum instans consecrationis. In ultimo autem instanti consecrationis jam est ibi substantia corporis et sanguinis Christi, sicut in ultimo instanti generationis jam est forma rei generandæ; unde non est dare aliquod instans, in quo sit ibi præjacens materia. Non enim potest dici quod paulatim substantia panis vel vini resolvatur in præjacentem materiam, vel successive egrediatur de loco specierum, quia si hoc inciperet fieri in ultimo instanti consecrationis, simul sub aliqua parte hostiæ esset corpus Christi cum substantia panis, quod est contra ea quæ dicta sunt modo, et in art. præced. scilicet quod peracta consecratione ibi non est nisi substantia corporis Christi. Si vero hoc incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquod tempus, in quo sub aliqua parte hostiæ neque erit substantia panis, neque erit corpus Christi quod est inconveniens: quæ ratio videtur convicisse auctores dictæ positionis.

Aliorum opinio.

Alter positionis modus, propter quod alii possuerunt sub disjunctione, scilicet quod materia panis et vini, vel annihiletur, vel in præjacentem materiam resolvatur.

Reprobatio.

Sed nec sic prædicta positio stare potest, propter duo.

Primo. Quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum, quæ quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiæ panis, vel resolutione in præjacentem materiam. Si enim substantia panis annihilatur, vel resolvitur in præjacentem materiam, non potest converti in corpus Christi, ac per hoc non erit in hoc sacramento corpus Christi, cum non adveniat per localem motum.

Secundo. Quia non est dare, unde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramento causetur: effectus enim sacramenti significatur per formam: neutrum autem horum significatur per hæc verba formæ, *hoc est corpus meum*. Unde patet prædictam positionem esse undequaque falsam.

Vera sententia.

Ex quibus habetur conclusio responsiva cum suis probationibus.

Conclusio. Substantia panis, vel vini post consecrationem non annihilatur, nec resolvitur in præjacentem materiam.

Prob. primo. Quia non potest resolvi in elementa, ut ostensum est in prima ratione inducta contra positionem contrariam.

Secundo, quia non est dare aliquod instans, in quo ibi sit præjacens materia, cum ante consecrationem ibi sit substantia panis; et in ultimo instanti consecrationis corpus Christi: nec potest dici quod successive inde egrediatur substantia panis, ut etiam ostensum est in secunda ratione.

Tertio, quia tunc non esset dare aliquem modum, quo corpus Christi esset in hoc sacramento, ut etiam monstratum est.

Quarto, quia non potest assignari aliqua causa hujus resolutionis, vel annihilationis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Substantia enim panis et vini, facta consecratione, neque sub specie sacramenti manet, neque alibi; non tamen sequitur quod annihiletur vel quod resolvatur in præjacentem materiam, sed convertitur in corpus Christi, sicut non sequitur ex hoc quod aër ex quo generatus est ignis, non est ibi vel alibi, quod sit annihilatus, sed sequitur solum hoc quod non sit amplius aër, sed ignis. Ad prob. dicitur, quod corporale, si in aliud non convertatur, est alicubi; si au-

tem in aliud convertatur, non potest dici quod sit alicubi, cum jam non sit quod erat prius.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera, de transmutatione alicujus subjecti de forma in formam; in hujusmodi enim transmutatione una forma non fit alia, sed una alteri succedit; et ideo forma præcedens non remanet, nisi in potentia materiæ, non autem est vera dicta maior de transmutatione, in qua una substantia in aliam convertitur. In hujusmodi enim transmutatione non remanet id quod prius erat in potentia materiæ, sed manet id, in quod hujusmodi substantia est conversa. Et quia in proposito substantia panis non transit de forma panis ad formam corporis Christi sed tota panis substantia in corpus Christi convertitur, propterea non remanet substantia panis, vel ejus forma in potentia materiæ, sed remanet corpus Christi, in quod substantia panis conversa est.

Ad 3. Neg. conseq. Nam substantia panis et vini, facta consecratione, non est aliquid ejus quod erat prius; idest non est amplius substantia panis; est tamen aliquid, idest corpus Christi, in quod est conversa. Ad probat. dicitur, quod hæc duo non sunt contradictoria, substantia panis non est aliquid ejus quod erat, et est aliquid in quod est conversa; unde possunt simul esse vera.

ARTICULUS IV.

Utrum panis possit converti in corpus Christi.

Pro negativa. = Videtur, quod panis non possit converti in corpus Christi.

1. In omni mutatione oportet esse aliquod subjectum quod prius sit in potentia et postea in actu: quia *motus est actus existentis in potentia*, ut dicitur in 3. Phys. tex. 6. Sed conversio est quædam mutatio. Ergo in omni conversione alicujus in aliquid, oportet esse aliquod subjectum quod prius sit in potentia ad illud in quod transmutatur et postea in actu. Sed non est dare aliquod subjectum substantiæ panis et corporis Christi cum de ratione substantiæ sit non habere subjectum, ut dicitur in Prædicamentis cap. de substant. Ergo non potest esse quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi.

2. Forma illius, in quod aliquid convertitur, de novo incipit esse in materia ejus quod in ipsum convertitur. Sicut quando aer convertitur in ignem prius non existentem, forma ignis incipit de novo esse in materia aeris. Et similiter, quando cibus convertitur in hominem, forma hominis incipit esse de novo in materia cibi. Sed in materia panis non potest de novo esse forma corporis Christi. Ergo panis non convertitur in substantiam corporis Christi.

3. Ea, quæ sunt secundum se diversa, numquam unum eorum fit alterum. Sicut albedo numquam fit nigredo, sed solum subjectum albedinis fit nigrum, ut dicitur in 1. Phys. text. 42. Sed substantia panis et substantia corporis Christi sunt diversæ. Ergo substantia panis non potest converti in substantiam corporis Christi.

Minor ostenditur. Quia sicut duæ formæ contrariæ sunt secundum se diversæ, utpote formalis differentiæ principia existentes, ita duæ materiæ signatæ sunt secundum se diversæ, utpote existentes principia materialis distinctionis. Materia igitur signata panis; et materia signata corporis Christi, erunt secundum se diversæ; et per hoc una non poterit fieri altera.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Eusebius Emissen. hom. 10. dicit: *Novum tibi et impossibile esse non debet quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur.* Refertur de consecr. dist. 2. cap. 35. Quia corpus, etc.

Determinatio.

1.° Conclusio. Panis in sacramen-

to Eucharistiæ convertitur in corpus Christi.

Prob. In sacramento Eucharistiæ est verum corpus Christi, ut art. 1. dictum est. Et non incipit ibi esse per motum localem, cum corpus Christi non sit ibi, sicut in loco, ut art. 2. dictum est. Ergo necesse est dicere quod corpus Christi incipiat esse in hoc sacramento per conversionem substantiæ panis in ipsum corpus Christi.

2.ª Conclusio. Conversio substantiæ panis in hoc sacramento non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis sola Dei virtute effecta.

Prob. prior pars auctoritate Amb. dicentis in lib. de sacram. c. 9. "Liquet quod præter naturæ ordinem "virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid ergo quæris naturæ ordinem in Christi "corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine?» Et super illud Jo. 6. "verba, quæ ego "locutus sum vobis» (scilicet de hoc sacramento) «spiritus et vita sunt:» dicit Chrysost. Hom. 46. in Joan. «Idest "spiritualia sunt, nihil carnale habentia, neque consequentiam naturalem, "sed eruta sunt ab omni tali necessitate, quæ in terra, et á legibus, quæ "hic positæ sunt.» Ex quibus auctoritatibus patet prior conclusionis pars, scilicet quod hæc conversio non sit similis conversionibus naturalibus, sed supernaturalis.

Altera conclusionis pars, scilicet quod hæc conversio sit á Deo effecta, et tota conclusio simul probatur hac ratione. Conversio totius substantiæ in totam substantiam potest fieri solum per divinam potentiam. Sed in hoc sacramento fit conversio totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi. Ergo hæc conversio potest fieri solum per divinam potentiam.

Maior propositio, cum contineat dictionem exclusivam (solum) habet duplicem exponentem, scilicet negativam, quæ est; nulla creata potentia hoc efficere potest; et affirmativam, quæ est, quod divina potentia hoc efficere potest, et ideo primo probatur exponens negativa hoc modo.

Agens quod est determinatum in suo actu, non potest facere conversionem totius substantiæ alicujus in totam substantiam alterius. Sed omne agens creatum est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei. Ergo nullum agens creatum totalem conversionem efficere potest. Maior hujus manifestatur: nam actio agentis determinati in suo actu necesse est quod feratur super aliquem determinatum actum: determinatio autem cujuslibet rei in esse actuali est per ejus formam. Unde nullum tale agens potest agere, nisi mutationem formæ; et propter hoc omnis conversio, quæ fit secundum leges naturæ, est formalis: unde agens naturale non potest transmutare totum in totum, sed tantum potest materiam de una forma in aliam transmutare. Et sic patet exponens negativa.

Affirmativa vero exponens ostenditur, quia Deus est actus infinitus, ut dictum est 1. par. quæs. 7. artic. 1. et q. 25. art. 2. Unde ejus actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur potest solum perficere conversionem formalem, ut scilicet diversæ formæ sibi in eodem subjecto succedant, sed etiam conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius. Et sic patet tota maior assumpta. Minor principalis rationis, scilicet quod in hoc sacramento fiat conversio totius in totum, manifestatur: nam hæc conversio non est formalis, sed substantialis; nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transsubstantiatio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera de

mutatione formali, quia formæ proprium est in materia vel subjecto esse. Non autem est vera in conversione totius substantiæ; unde cum hæc conversio substantialis importet quemdam ordinem substantiarum, quarum una convertitur in alteram, est hujusmodi conversio, sicut in subjecto in utraque substantia, sicut ordo est in rebus ordinatis, et numerus in rebus numeratis.

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera de conversione formali, seu de mutatione, quia oportet formam esse in materia vel in subjecto. Non autem habet locum in conversione totius substantiæ, cujus non est accipere aliquod unum subjectum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod est vera de potentia finita, non autem de potentia infinita; per potentiam enim finitam non potest forma in formam mutari; nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri; utrique enim formæ, et utrique materiæ est communis natura entis; et id quod est entitatis *in* una, potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.

ARTICULUS V.

Utrum in sacramento Eucharistiæ remaneant accidentia panis et vini post consecrationem.

Pro negativa.=Videtur, quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis et vini post consecrationem.

1. Remota substantia panis et vini non possunt remanere eorum accidentia. Sed facta consecratione, non remanet substantia panis et vini. Ergo facta consecratione, non possunt remanere accidentia panis et vini.

Maior prob. Remoto priori non remanet posterius. Sed substantia est naturaliter prior accidente, ut prob. 7. Met. text. 4. Ergo remota substantia panis et vini, non remanent panis et vini accidentia.

2. Ea quæ in hoc sacramento causarent deceptionem, non debent in eo remanere. Sed si post consecrationem, remota substantia panis et vini, remanerent accidentia, possent facere deceptionem. Ergo facta consecratione, non remanent in hoc sacramento accidentia.

Maior probat., quia in sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio.

Minor prob., quia per accidentia judicamus de substantia. Unde videtur quod decipiatur humanum judicium, si remanentibus accidentibus substantia panis non remaneat.

3. Illud quod est contra rationem, non est in hoc sacramento asserendum. Sed quod accidentia remaneant, non remanente substantia, est contra rationem. Ergo non est asserendum quod in hoc sacramento, non remanente substantia panis et vini, remaneant utriusque accidentia.

Maior prob. Quia quamvis fides nostra non sit subjecta rationi, non tamen est contra rationem. Sed supra ipsam, ut dictum est 1. part. quæst. 1. artic. 1. et 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 1.

Minor probat. Illud quod est contra sensum, est contra rationem. Ratio enim nostra habet ortum á sensu. Sed quod remaneant accidentia, non remanente substantia, est contra sensum: est enim contra sensum, dum sensus judicat esse panem, et fides credit esse substantiam corporis. Ergo dicere quod remaneant accidentia panis, non remanente substantia, est contra rationem.

4. Illud quod manet, conversione facta, videtur esse conversionis, seu mutationis subjectum. Sed accidentia non possunt esse mutationis subjectum, cum accidentis non sit accidens. Ergo in hoc sacramento non possunt manere panis et vini accidentia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. sent. Prosp. et refertur de consecrat. dist. 2. c. Nos autem. "Nos autem in specie panis et "vini, quam videmus, res invisibiles, » idest carnem et sanguinem "honora- "mus. »

Determinatio.

CONCLUSIO. Accidentia panis et vini manent in sacramento Eucharistiæ post conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi; et hoc rationabiliter per divinam providentiam fit.

Prima pars hujus conclusionis patet, quia sensu apparet, facta consecratione, ibi remanere panis et vini accidentia.

Altera vero pars prob. Propter tria enim hoc convenienter fit.

Primo quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere et sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda, sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini.

Secundo, ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus.

Tertio, ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod per creatam potentiam non potest, remoto priore, remanere posterius; hoc tamen fieri potest per increatam potentiam. Sicut enim habetur in lib. de causis, prop. 1. effectus plus dependet á causa prima, quam á causa secunda. Et ideo virtute Dei quæ est infinita et prima causa omnium, potest fieri ut remaneant posteriora, prioribus sublatis.

Ad 2. Negatur minor. Non enim est in hoc sacramento aliqua deceptio, cum ibi secundum rei veritatem sint accidentia, quæ sensibus dijudicantur. Ad prob. dicitur quod intellectus, cujus proprium objectum est substantia, per fidem á deceptione præservatur.

Ad 3. Negatur minor. Ad cujus prob. negatur etiam minor; non enim hoc quod est remanere accidentia, non remanete substantia, est contra sensum, cum vere sint ibi accidentia; sed est supra sensum; et sic fides non est contra rationem, nec contra sensum, sed est de eo quod nec sensus attingit, nec ratio videt.

Ad 4. Dicitur quod maior est vera de conversione formali, quæ scilicet est de forma in formam, non autem est vera de conversione totius in totum, qualis est conversio panis in corpus Christi: hæc enim proprie non habet subjectum; sed tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquam similitudinem subjecti, quatenus scilicet remanent eadem in utroque termino transmutationis.

ARTICULUS VI.

Utrum facta consecratione remaneat in sacramento Eucharistiæ forma substantialis panis.

Pro affirmativa.=Videtur quod facta consecratione remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

1. Facta consecratione remanent accidentia. Ergo facta consecratione remanet forma panis.

Conseq. probat., quia cum panis sit quoddam artificiale, etiam forma ejus est accidens.

2. Non potest dici quod forma substantialis panis convertatur in animam Christi. Ergo forma substantialis panis facta consecratione, non convertitur in aliquid aliud, sed remanet.

Conseq. prob., quia forma corporis Christi est anima. Unde si forma substantialis panis non remanet, convertitur in animam; quod esse non potest.

3. Remanente propria operatione formæ, remanet ipsa forma. Sed facta consecratione, remanent propriæ operatio-

nes formæ substantialis panis. Ergo facta consecratione, remanet forma substantialis panis.

Maior prob., quia propria operatio sequitur formam substantialem, cujus est operatio.

Minor prob., quia illud quod remanet in hoc sacramento, nutrit et omnem operationem facit, quam faceret panis existens.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Substantia panis facta consecratione non manet, sed convertitur in corpus Christi. Sed forma substantialis panis est de substantia panis. Ergo forma substantialis panis non manet in hoc sacramento, sed convertitur in corpus Christi.

Determinatio.
Quorumdam positio.

Quidam posuerunt quod facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis ejus. Et rationes poterant esse argumenta, quæ pro affirmativa inducta sunt et præcipue tertium.

Reprobatio, et vera sententia.

Sed hæc positio stare non potest propter tria, quæ erunt etiam rationes probantes veram conclusionem, quæ est.

CONCLUSIO. In sacramento Eucharistiæ facta consecratione, non remanet substantialis forma panis.

Prob. Primo: quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi, nisi sola materia; et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum quod erat panis; sed solum materia panis in materiam corporis Christi, quod repugnat formæ sacramenti, qua dicitur, hoc est corpus meum.

Secundo, si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut remaneret á materia separata. Primum non potest esse, quia aut remaneret in materia panis; et hoc non, quia tunc tota substantia panis remaneret post consecrationem; aut remaneret in alia materia, et hoc etiam esse non potest, quia propria forma non est nisi in propria materia. Secundum etiam non potest esse, quia si forma panis remaneret á materia separata, jam esset forma intelligibilis in actu, et etiam intelligens: omnes enim formæ á materia separatæ sunt actu intelligibiles et intelligentes; quæ de forma panis dicere est absurdum.

Tertio, inconveniens esset huic sacramento, si remaneret forma panis. Nam accidentia panis ideo remanent, ut sub eis videatur corpus Christi, et non sub propria specie; ad quod forma panis non confert aliquid.

Ex quibus remanet probata conclusio et reprobata contraria positio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum, scilicet quod forma panis sit accidens. Ad prob. quæ innuitur, scilicet, quia panis est quoddam artificiale dicitur quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cujus forma non est accidens, sed forma substantialis. Sicut arte possunt produci ranæ et serpentes; talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum; et hoc modo ars producit formam substantialem panis, scilicet virtute ignis decoquentis materiam ex farina et aqua confectam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod forma panis convertitur in animam Christi, non quidem secundum quod anima Christi dat corpori Christi esse perfectum, scilicet corporeum animatum, sensibile et rationale; sed secundum quod dat esse corporeum.

Ad 3. Negatur maior in proposito. Nam hujusmodi operationes quæ sunt propriæ accidentium panis et vini, remanent in hoc sacramento, non propter formam, sed ratione accidentium rema-

nentium, ut est operatio immutandi sensum, operationes vero quæ consequuntur formam vel materiam panis, miraculose conferuntur hujusmodi accidentibus remanentibus, ut nutrire, etc.

ARTICULUS VII.

Utrum conversio panis et vini in sacramento Eucharistiæ fiat in instanti.

Pro negativa. = Videtur, quod ista conversio non fiat in instanti, sed successive.

1. Illud quod fit in duobus instantibus, non fit simul, sed successive. Sed ista conversio fit in duobus instantibus. Ergo ista conversio non fit simul, sed successive.

Maior probat., quia inter quælibet duo instantia est tempus medium.

Minor prob. In hac conversione prius est substantia panis, et postea substantia corporis Christi, unde datur ultimum instans, in quo est panis, et primum instans, in quo est ibi corpus Christi.

2. Fieri et factum esse non possunt esse simul, sed oportet quod successive fiant. Sed in hac conversione, sicut et in quacumque alia, est fieri et factum esse. Ergo in hac conversione est prius et posterius; et sic non est instantanea, sed successive.

Maior prob., quia quod fit, non est; quod autem factum est, jam est; et ideo prius est fieri, deinde est factum esse.

3. Illud quod sermone conficitur, fit successive. Sed istud sacramentum *sermone Christi conficitur*, ut dicit Ambr. lib. 4. de sacramen. cap. 4. Ergo conversio hujus sacramenti fit successive.

Maior prob., quia sermo successive profertur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Conversio quæ perficitur virtute infinita, est in instanti. Sed hæc conversio perficitur virtute infinita. Ergo ista conversio est in instanti.

Maior prob., quia virtutis infinitæ est subito operari.

Determinatio.

Conclusio. Conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi in sacramento Eucharistiæ fit in instanti.

Prob. Conversio, cujus terminus non suscipit magis et minus, et in qua non est aliquod subjectum quod successive præparetur, et quæ agitur virtute infinita, fit in instanti. Sed terminus hujus conversionis non suscipit magis et minus, nec in ea est aliquod subjectum quod successive præparetur, et agitur virtute infinita. Ergo hæc conversio fit in instanti.

Maior manifestatur. Quod enim aliqua transmutatio sit, vel non sit in instanti, ex uno horum trium potest provenire.

Primo quidem ex parte formæ quæ est mutationis terminus; si enim sit aliqua forma, quæ recipiat magis et minus, successive acquiritur in subjecto, sicut sanitas; si autem non recipiat magis et minus, fit mutatio in instanti.

Secundo ex parte subjecti quod quandoque præparatur ad succesionem formæ, propter quod aqua successive calefit: quando vero ipsum subjectum est in ultima dispositione ad formam, subito recipit ipsam, sicut diaphanum subito illuminatur.

Tertio ex parte agentis, qui si sit infinitæ virtutis, statim potest materiam ad formam disponere, sicut dicitur March. 7. quod cum Christus dixisset «Ephetha «quod est, adaperire, statim apertæ «sunt aures hominis, et solutum est vin«culum linguæ ejus.» Si autem potentia agentis sit limitata, et materia indigeat successive disponi, jam mutatio erit successiva.

Minor patet, quia ista transmutatio habet pro termino substantiam corporis Christi, quæ non suscipit magis et minus; nec est in ea aliquod subjectum quod indigeat disponi, aut præparari successive; et agitur virtute divina, quæ est infinita, et propterea in instanti fit.

AD ARGUMENTA.

Quorumdam responsio.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. quidam negant assumptum; non enim simpliciter concedunt quod inter quælibet duo instantia sit tempus medium; nam dicunt quod hoc habet locum in duobus instantibus qui referuntur ad eumdem motum, non autem in duobus instantibus, quæ referuntur ad diversa; unde inter instans quod mensurat finem quietis, et aliud instans quod mensurat principium motus, non est tempus medium.

Reprobatio.

Sed sic dicentes decipiuntur in hoc quod unitas temporis et instantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secundum quoscumque motus, sed secundum primum motum cœli, qui est mensura omnis motus et quietis. In tali autem tempore non est dare instans, quod immediate sequatur aliud instans; sed semper est tempus medium inter ipsa.

Aliorum responsio.

Et ideo alii concedunt hoc in tempore mensurante motum cœli et motum á moto cœli dependentem; non autem hoc concedunt in tempore mensurante motum non dependentem á motu cœli. Sunt enim quidam motus ex motu cœli non dependentes, nec ab eo mensurati, sicut 1. part. quæst. 53. artic. 3. de motu Angelorum dictum est. Unde inter duo instantia illis motibus respondentia non est tempus medium. Et tale dicunt esse tempus mensurans hanc transmutationem.

Reprobatio.

Sed hoc non habet locum in proposito, quia quamvis ista conversio non habeat ordinem secundum se ad motum cœli: consequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu cœli mensurari; et ideo necesse est inter quælibet duo instantia circa istam conversionem signata, esse tempus medium.

Aliorum responsio.

Quidam ergo dicunt quod instans in quo ultimo est panis, et instans in quo primo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata, sed sunt unum per comparationem ad tempus mensurans; sicut cum duæ lineæ se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum, unum autem punctum ex parte loci continentis.

Reprobatio.

Sed hoc non est simile, quia instans et tempus in particularibus motibus, non est mensura intrinseca, sicut linea et punctus in corporibus; sed solum extrinseca, sicut locus est mensura corporum.

Quorumdam aliorum responsio.

Unde alii dicunt quod instans mensurans hanc conversionem est idem re, sed aliud ratione.

Reprobatio.

Sed secundum hoc sequeretur quod realiter opposita essent simul: nam diversitas secundum rationem non variat aliquid ex parte rei.

Vera responsio.

Et ideo aliter dicendum est ad probationem minoris negatæ quod hæc conversio perficitur per verba Christi, quæ á sacerdote proferuntur; ita quod ultimum instans prolationis verborum est primum instans, in quo est in sacramento corpus Christi; in toto autem tempore præcedente est ibi substantia panis; cujus temporis non est accipere aliquod instans proximo præcedens ultimum, quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, ut prob. 6. Phys. á Text. 1. ad 10. Et ideo est quidem dare primum instans, in quo est corpus Christi; non est autem dare ultimum instans, in quo sit substantia panis, sed est dare ultimum tempus quod etiam fit in transmutationibus naturalibus, ut patet 8. Phys. t. 72. Non fit igitur hæc conversio in duobus instantibus, sed in uno tantum instanti quod

est ultimum instans temporis in quo erat ibi substantia panis.

Ad 2. Negatur maior. In mutationibus enim instantaneis simul est fieri et factum esse, sicut simul est illuminari et illuminatum esse; dicitur enim in talibus factum esse secundum quod jam est; fieri autem secundum quod ante non fuit.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dic. quod ista conversio fit in instanti ultimo prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis; et ideo licet sermo sit successivus, ultimum tamen instans prolationis non est successivum, ac per hoc nec id quod fit in ultimo instanti prolationis verborum.

ARTICULUS VIII.

Utrum hæc sit falsa. Ex pane fit corpus Christi.

Pro affirmativa.— Videtur quod hæc sit falsa. Ex pane fit corpus Christi.

1. Non est verum dicere quod panis fiat corpus Christi. Ergo neque est verum quod ex pane fiat corpus Christi.

Anteced. prob., quia panis non est subjectum factionis, sed magis est terminus á quo.

Conseq. prob., quia omne id, ex quo fit aliquid, est id quod fit; sed non convertitur: dicimus enim quod ex albo fit nigrum et quod album fit nigrum: et licet dicamus quod homo fiat niger, non tamen dicimus quod ex homine fiat nigrum, ut patet 1. Phys. c. 5. Si ergo verum esset quod ex pane fit corpus Christi, verum esset dicere quod panis fit corpus Christi

2. Hæc numquam est vera: *panis est corpus Christi*, vel *panis est factus corpus Christi*; vel *panis erit corpus Christi*. Ergo videtur quod nec etiam ista sit vera: *ex pane fit corpus Christi*.

Conseq. prob., quia fieri terminatur ad esse, vel ad factum esse.

3. Hæc videtur esse falsa; *panis convertitur in corpus Christi*. Ergo videtur quod etiam hæc sit falsa, *ex pane fit corpus Christi*.

Antecedens prob., quia hæc conversio videretur esse miraculosior, quam creatio mundi, in qua tamen non dicitur quod non ens convertatur in ens.

Conseq. prob., quia omne id, ex quo fit aliquid, convertitur in id quod fit ex eo.

4. Hæc est falsa, *panis potest esse corpus Christi*. Ergo etiam hæc est falsa. *ex pane fit corpus Christi*.

Conseq. prob., quia illud, ex quo fit aliquid, potest esse illud quod fit: sicut farina potest esse panis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Amb. dicit lib. 4. de Sacram. c. 4. *Ubi accedit consecratio, ex pane fit corpus Christi.*

Determinatio.

Conclusio. Hæc propositio: ex pane fit corpus Christi, est vera et propria.

Manifestatur ex convenientia et differentia quæ est inter hanc transmutationem quæ fit in hoc sacramento, et transmutationem quæ fit in creatione et in mutatione naturali, et ex diversitate modi loquendi in illis et in ista. Est igitur considerandum quod conversio panis in corpus Christi quantum ad aliquid convenit cum creatione et cum transmutatione naturali; et quantum ad aliquid differt ab utroque: istæ enim tres transmutationes, scilicet creatio, transmutatio naturalis, substantialis, vel accidentalis et transubstantiatio habent aliqua, quæ sunt omnibus his transmutationibus communia, et quædam quæ sunt singulis propria. Communia omnibus sunt duo. Primum est ordo terminorum, scilicet ut post hoc sit hoc: in creatione enim est esse post non esse: in transubstantiatione est corpus Christi post esse panis, et in transmutatione naturali substantiali est ignis post aerem; et nigrum post album, in transmutatione accidentali. Alterum commune est quod dicti termini

non sunt simul, ut ex se patet.

Creationi autem proprium est quod in ea non est aliquod commune subjectum utrique extremorum. Non enim est aliquod subjectum commune enti, et non enti, quæ sunt termini creationis.

Transmutationi vero naturali duo propria sunt. Primum est quod in ea unum extremorum transit in aliud, sicut aer in ignem, quod non est in creatione: non ens enim non transit in ens. Alterum est quod in naturali transmutatione semper remanet aliquid idem sub utroque termino, sicut in transmutatione substantiali remanet eadem materia, et in accidentali idem subjectum.

Transubstantio autem convenit cum creatione, quia sicut in creatione non est accipere aliquid idem subjectum utrique extremo, sic in transubstantiatione non est accipere commune aliquid subjectum substantiæ panis et corporis Christi. Convenit autem cum transmutatione naturali in illis duobus, per quæ naturalis transmutatio á creatione differt; et primo quidem quia sicut in transmutatione naturali unum transit in aliud, sicut aer in ignem; sic in hac transmutatione substantia panis transit in corpus Christi. Aliter tamen hoc accidit utrobique. Nam in hoc sacramento tota substantia panis in corpus Christi; in transmutatione autem naturali non transit totum in totum, sed materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo convenit hæc transmutatio cum transmutatione naturali, quia utrobique remanet aliquid idem quod non est in creatione, ut dictum est art. 5.: differenter tamen; nam in transmutatione naturali remanet eadem materia vel subjectum: in hoc autem sacramento remanent tantum eadem accidentia.

Conveniunt igitur transmutationi huic sacramentali quinque.

Primum est ordo terminorum.

Secundum est quod termini non sint simul; et in his duobus convenit hæc transmutatio cum creatione et cum transmutatione naturali.

Tertium est quod non manet aliquid idem sub utroque termino; et in hoc convenit hæc transmutatio cum creatione, et differt á naturali mutatione.

Quartum est quod unum transit in aliud, idest totum in totum; et in hoc differt á creatione, in qua unum non transit in aliud, et differt etiam á naturali mutatione, in qua totum non transit in totum.

Quintum est quod manet aliquid idem in utroque termino, scilicet eadem accidentia, in quo etiam differt á creatione, in qua non est aliquid idem sub utroque termino, et á naturali mutatione, quia ibi manet materia vel subjectum, hic accidentia tantum.

Ex quibus potest accipi, quam differenter in talibus loqui debeamus: quæ differentia modi loquendi per sequentes propositiones ostenditur.

Prima propositio. Non potest dici, quod panis sit corpus Christi.

Manifestatur: quia hæc transmutatio habet commune cum creatione et naturali transmutatione, quod extrema non sint simul; et ideo in nulla harum mutationum potest unum extremum de altero prædicari per verbum substantivum præsentis temporis. Unde sicut non dicimus quod non ens sit ens, vel aer est ignis; ita non possumus vere dicere quod panis sit corpus Christi.

Secunda propositio. Possumus vere dicere quod panis convertitur in corpus Christi.

Manifestatur á dissimili et á simili: á dissimili quidem, quia ex hoc quod in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in ea uti verbo conversionis: non enim dicimus non ens convertitur in ens. Unde quia in hoc sacramento unum transit in alterum, possumus dicere quod panis convertitur in corpus Christi. A simili vero, quia si-

cut in transmutatione naturali uti possumus verbo conversionis, quia unum in aliud transit; ita in hac sacramentali mutatione uti possumus conversionis verbo; quia tamen convertitur totum in tatum, ideo hæc transmutatio transubstantiatio dicitur.

Tertia propositio. Non est dicendum, quod panis possit esse corpus Christi.

Quarta propositio. Non est dicendum, de pane fit corpus Christi.

Quinta propositio. Non est dicendum, panis erit corpus Christi, vel panis fit corpus Christi.

Manifestantur omnes simul: quia enim hujus conversionis non est accipere aliquod subjectum, ea quæ verificantur in conversione naturali, ratione subjecti, non sunt concedenda in hac conversione: et quia potentia ad oppositum consequitur subjectum, ratione cujus dicimus quod album potest esse nigrum, et aer potest esse ignis, licet hæc non sit ita propria, sicut prima: nam subjectum albi, in quo est potentia ad nigredinem, est tota substantia albi, non autem albedo est pars ejus; subjectum autem formæ aeris est pars ejus: unde cum dicitur, aer potest asse ignis, verificatur ratione partis per synecdochen. In hac autem conversione, sicut nec in creatione, quia nullum est subjectum, non dicitur quod unum extremum possit esse aliud: unde sicut non dicimus quod non ens possit esse ens; ita nec dicimus quod panis possit esse corpus Christi.

Et eadem ratione, quia hæc præpositio, de, significat causam consubstantialem, quæ quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in subjecto.

Unde sicut non possumus dicere quod de non ente fiat ens, nec dicere possumus quod de pane fiat corpus Christi.

Et simili ratione non conceditur quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens; quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subjecti, puta cum dicimus quod album fit nigrum.

Sexta propositio. Secundum quamdam similitudinem possunt concedi in hac sacramentali conversione aliquæ dictarum locutionum. Scilicet quod panis fit corpus Christi, vel quod panis erit corpus Christi, vel quod de pane fit corpus Christi.

Probatur, quia in hoc sacramento facta conversione aliquid idem remanet, scilicet accidentia panis et vini. Declaratur. In his autem locutionibus, nomine panis non intelligenda est substantia panis, sed in universali hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi.

Ex quibus manifeste patet quod hæc propositio: ex pane fit corpus Christi, est vera, quia scilicet illa præpositio, ex, denotat ordinem unius post alterum, qui ordo invenitur in transubstantiatione, sicut etiam in creatione et naturali mutatione.

Patet etiam quæ locutiones in hac materia sint simpliciter falsæ, et quomodo aliquo modo possint esse veræ; et hæ sunt.

Panis est corpus Christi.
Panis potest esse corpus Christi,
De pane fit corpus Christi.
Panis erit corpus Christi
Panis fit corpus Christi.

Omnes etiam hujusmodi locutiones simpliciter loquendo falsæ sunt: quarum tamen aliquæ secundum aliqualem similitudinem possunt dici veræ, et sunt istæ.

Panis fit corpus Christi.
Panis erit corpus Christi.
De pane fit corpus Christi.

Hæ autem duæ, scilicet: panis convertitur in corpus Christi, et ex pane fit corpus Christi, sunt simpliciter veræ.

Quorum omnium rationes jam dictæ sunt.

AD ARGUMETA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod quandoque illud, ex quo aliquid fit, importat simul subjectum cum uno extremorum transmutationis, sicut cum dicitur, ex albo fit nigrum, et in his potest dici: hoc fit illud, idest album fit nigrum. Quandoque vero importat solum oppositum, vel extremum; sicut cum dicitur. Ex mane fit dies; et in his non conceditur quod hoc fiat illud; idest quod mane fiat dies. Et quia, cum dicitur ex pane fit corpus Christi, ly ex pane, non importat aliquod conversionis subjectum, sed solum unum extremum, scilicet terminum á quo; ideo non proprie dicitur quod panis fit corpus Christi; sed est vera tantum secundum quamdam similitudinem, ut in fine corp. dictum est; hæc autem, ex pane fit corpus Christi, est simpliciter vera.

Ad 2. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de illis locutionibus et de hac de qua loquimur: quando enim præpositio, ex, denotat extremum et subjectum; sequitur quod si hoc fit ex hoc, quod etiam sit verum dicere, hoc est hoc, et hoc fit hoc: non autem hoc verum est quando ly, ex, non denotat nisi extremum; et ad probationem, dicitur, quod fieri terminatur ad esse vel formæ in eodem subjecto, vel alterius extremi tantum. Primum fit in transmutationibus naturalibus; alterum autem est in creatione et in transubstantiatione.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod in hac conversione panis in corpus Christi sunt plura difficilia quam in creatione, in qua hoc solum difficile est quod aliquid fit ex nihilo; quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ in agendo nihil præsupponit. Sed in hac coversione, non solum est hoc difficile quod hoc totum convertitur in aliud totum, ita quod nihil prioris remaneat, quod non pertinet ad comunem modum productionis alicujus causæ, sed etiam habet hoc difficile quod accidentia remaneant corrupta substantia, et multa alia, de quibus in sequentibus agetur quæst. 77. Tamen verbum conversionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, ratione dicta in corp.

Ad 4. Negatur consequentia. Sicut enim dictum est, potentia pertinet ad subjectum, quod non est accipere in hac conversione, et propter hoc non conceditur quod panis possit esse corpus Christi: non enim fit hæc conversio per potentiam aliquam passivam, sed solum per potentiam activam Dei. Ad probationem dicitur quod illud, ex quo fit aliquid, si ly ex, denotat subjectum, potest esse illud quod fit, ut de farina et pane patet. Si vero ly ex, denotet solum extremum non est verum quod illud ex quo fit aliquid, possit esse illud, ut accidit in hoc sacramento.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 75.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Berengarii* dicentis: in Eucharistiæ sacramento carnem Filii Dei non vere, sed tantum in signo, et figura contineri. Item addentis. *Hoc est corpus meum*, sic esse intelligendum, ut Paulus intelligit illud, *Petra erat Christus*. Et Oecolampadii, ac Joannis Wicleff. dicentium: in Eucharistiæ sacramento non esse Christum identice, et realiter in propria

persona. Et Albigensium dicentium: in Eucharistiæ sacramento non aliter esse corpus Christi, quam in alia qualibet re. Et Anabaptistarum dicentium: in Eucharistiæ sacramento non esse realem Christi præsentiam. Et Energicorum dicentium: in Eucharistia non ipsum corpus, sed virtutem corporis esse. Et Calvini hoc, tamquam erroneum, Papistis (ut injuriose ait) imponentis, atque abjurantis: videlicet, quod transubstantiatio sit in pane, et vino, ita, ut ipsemet Christus sit ibi in carne, sanguine, et ossibus (ut de Calvini hoc risu patet ex suo libello contra acta Concilii Trident.) *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas hæreses merito condemnari á Concil. Florent. in const. super unio. Armenor. " Totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini. Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, et vini consecrati (separatione facta) totus est Christus. » Item á Concil. Lateran. maximo sub Innocentio III. in de sum. Trin. et fide cath. cap. *firmiter credimus*. " Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus: cujus corpus, et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur; transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina. » Item á Papa Urbano IV. " Alia, quorum memoriam agimus spiritu, menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione Jesus Christus sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. » Hæc ille: quæ recitantur á Papa Clemente V. in Concilio Viennensi, et consequenter ab eisdem solemniter acceptantur: ut patet in lib. Clementinarum de reliq. et vener. sanct. cap. *si Dominum*. Vide tu totum illud capitulum, quoniam memoratu per omnia dignissimum est: et ad multa D. Thom. in supra, et infra, articulis pluribus dicta confirmanda facit. Item á Concilio Constantiensi per hoc, quod sess. 8. postquam hæresim illam Joannis Wicleff recitaverat, pronunciat ipsum hæreticum, ejusdemque memoriam condemnat, et mandat exhumari ossa ipsius, atque cremari, ut ibi patet. Item á Concilio Trid. sess. 13. c. 1. " Docet sancta synodus et aperte, ac simpliciter profitetur: in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento post panis, et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, atque hominem vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Ita majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt: hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus, ac sanguinem illis præbere disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba á sanctis Evangelistis commemorata, et á D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt, iudignissimum sane flagitium est, á quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios, et imaginarios tropos, quibus veritas carnis, et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ, tamquam columna, et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica, detestata est, grato semper, et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens. » Et can. 1. " Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit. » Item á Concil. Ephesino 1. quod cum aliis tribus primis, scilicet Nicæno 1. Constantinopolitano, et Chalcedonensi, veneratur B. Gregorius, ut quatuor Evangelia, dist. 15. c. *sicut*. In quadam enim Epistola inter acta ipsius Concilii, cui vice summi Pontificiis præsidebat Cyrillus, legitur sic. " Religioso, ac Deo amabili consacerdoti Nestorio Cyrillus, et quicumque sunt apud Ephesi Synodum. » Et infra. " Ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes facti corporis, et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti; non ut communem carnem percipientes, quod absit, ne-

que ut viri sanctificati, et verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem: sed vere vivificatricem, et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut Deus, existens, quia proprie carni unitus est; vivificatricem eam esse professus est. Et ideo, quamvis dicat ad nos: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem: non tamen eam ut hominis unius ex nobis, existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse poterit caro hominis? Sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis est factus, et vocatus. » Ubi et universaliter damnantur hæreses prædictæ, dicendo, carnem Christi vere esse in sacramento altaris, et specialiter damnatur hæresis Nestorii, dicendo, carnem Christi ibi esse non tamquam hominis justi conjuncti Deo solum per dignitatem, vel inhabitationem, sed tamquam hominis, et veri Dei. Quod, ut melius intelligas, recordare; quod Nestorius ponebat in Christo duas personas, unam divinam, alteram humanam, tamen, ut hominis inter homines antonomastice justi. Cujus hæreticam phantasiam, et ejus damnationem, diffusius vide in 3 de Salv. articulorum num. 111. 144. cum Elucidat. Cæterum, quod ad Calvinum attinet, ultra prædictas ejus temeritatis hæreticalis damnationes á tota Christi vera Ecclesia sæpius factas vide specialiter ejus vitam in Addit. q. 68. ar. 4. app. recitatam; quæ hujus rei, scilicet ipsum tantarum, et amplius, damnationum, esse dignissimum, testis est gravissimus. Ex eadem vita etiam percipies, quam optime Calvino irridenti applicetur illud Prov. 10. *quasi per risum stultus operatur scelus;* et illud Prov. 26. *Sapientior sibi stultus videtur, septem viris loquentibus sententias*; et illud Moysi ad Chore, et ad omnem globum ejus sacerdotium sibi injustissime vendicantem, et stantem contra Dominum Num. 16. *Multum eriqimini filii Levi;* et illud 2. Pet. 3. Venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes: et illud Judæ 1. In novissimis temporibus venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes; et tandem illud Prov. 3. *Dominus ipse deludet illusores. Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Joan. Wicleff.*, ut refertur in Concil. *Constantiensi* sess. 8 dicentis: quod in sacramento altaris remanet substantia materialis panis, et vini. Et Lutheri dicentis: in Eucharistia post consecrationem remanere panem, et vinum: nihilominus veras esse has propositiones. " Panis est corpus Chrisli, vinum est sanguis Christi: nullam enim, inquit, transubstantionis mentionem fecerunt Evangelistæ. » Et Carlostadii dicentis: in Eucharistia post consecrationem substantiam panis, et vini remanere. Et Adessenariorum; ex quibus alii dicunt, quod corpus Domini est cum pane; alii, quod in pane: alii, quod circa panem: alii, quod sub pane, ut pillulæ in ovo reconditæ, et farina sub pastillo. Unde etiam hi hæretici ultimi vocantur pastillarii. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Concilio Lateran. sub Innocentio III. ut patet ar. 1. append. Impossibile enim cum sit, rem transubstantiatam in aliud remanere in seipsa, constat manifeste: quod, dum Concilium illud explicite dicit, ly *transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem*, simul necessario dicit implicite, quod substantia panis et vini materialis nec remanet, nec remanere potest. Mentitur vero non minus impudentissime, quam imprudentissime Lutherus, dicendo: quod nullam transubstantionis mentionem fecerint Evangelistæ, quoniam implicitam ipsius mentionem et fecerunt, et necessario fecerunt. Per hoc siquidem, quod asserunt: Christum acceptis, et benedictis pane, et vino dixisse: *Hoc est corpus meum*: et *Hic est sanguis meus*: per hoc, inquam, assertum simul de necessitate virtualiter asserunt quod ibi, scilicet inter panem, et corpus Christi, inter vinum, et sanguinem Christi, fuit transubstantiatio. Alioquin intelligibile esse non posset; quomodo panis porrectus discipulis existente corpore Christi localiter in alio loco, puta ad mensam recumbendo, sit corpus Christi; et vinum, existente sanguine Christi localiter in alio loco, puta in corpore ejus recumbente ad mensam, sit sanguis ipsius. Nunc autem, idest

posita transubstantione ab Evangelistis necessario cointellecta, et panis in corpus Domini, et vini in sanguinem ejus, non est impossibile intelligere verum esse ly *Hoc est corpus meum*: ly *Hic est sanguis meus*; etiam dum Christus actu localiter esset ad mensam recumbens. Non enim implicatur illa contradictio in hoc intellectu, scilicet quod corpus Christi sit localiter in uno loco tantum, et dum localiter ibi est, sit sacramentaliter, idest per transubstantiationem prædictam in aliis pluribus locis, ut patet art. 1. ad 3. cum Elucid. usque ad 4. cum tamen contradictio, et maxima quidem, implicetur in intellectu isto, scilicet, quod corpus Christi sit localiter in uno loco, et dum localiter ibi est sit vel etiam possit esse in aliquo alio loco localiter, idest quod incipiat alibi esse per motum localem, et per consequens, quod propriis suisdimensionibus loco illi de novo acquisito commensuretur, ut patet in text. cor. á principio usque ad ly "impossibile, quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca.» Cæterum in eo, quod addit Lutherus, scilicet quod, remanentibus pane et vino, veræ sunt hæ propositiones: *Panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi*, demonstrat, se aut loqui hic per tropos; id, quod flagitiosissimum est, art. 1. app. ex Concil. Trident. aut esse de numero insensatorum illorum, qui secundum Philos. in Metaph. opposita primorum principiorum possunt ore proferre, licet corde concipere non possint. Inconceptibilia enim sunt et hæc, sicut et illa: Panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi, nisi transubstantiatione data, ut supra, de Evangelistis loquendo, diximus. In Luthero igitur uno, tamquam in exemplo, vide: si non omnia hæreticorum phantasiata dogmata sunt, et monstra; et, ut ait Concilium Nicænum 2. can. 9. puerilia, ludicra, furiosaque dicta, ac scripta. Item merito damnari á Concil. Flor. in constitut. super uni. Armenor. dicente: "Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur.» Discurre hinc, ut supra ad propositum: et aperte cognosces quod Concilium hoc in illo á se explicato fidei dogmate subintellexit necessario et hoc aliud, scilicet substantia materialis panis, et vini non remanet. Ad virtutem enim illorum verborum, qua virtute conversio illa fit, consequitur de infallibili necessitate: quod panis, et vini substantia post consecrationem nec remaneat, nec remanere possit; immo nec fingi, nisi apud insensatos, terminorumque penitus ignaros, quod remaneat. Item merito damnari á Concilio Tridentino sess. 13. canon. 2. "Si quis dixerit: in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi: anathema sit.» Item á D. Ambrosio, ut *in arg. cont. Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim (hæc á quibusdam atrribuitur Scoto 4. dist. 11. q. 3. licet vix crediderim ergo, virum talem habuisse hunc erroneum sensum in verbis illis. Quando tamen de viris hujusmodi sic agitur recolendum semper videtur esse illud B. Aug. *Errare possum, sed hæreticus non ero*) dicentem: quod substantia panis, et vini annihilatur. Si enim in corpus, et sanguinem Christi realiter convertitur (ut verissimum est) et non solum nominaliter, substantia panis, et vini: ipsa utique tendit ad esse reale, quod (in proposito) est corpus Christi, et sanguis: non autem tendit ad non esse. Impossibile igitur est, quod substantia illa, conversione prædicta manente, annihilata sit: quandoquidem annihilari est tendere ad non esse, imo consequenter esse non esse, idest est tendere in nihil, imo consequenter esse nihil. Tantum vero abest, quod substantia panis, et vini post conversionem illam sit nihil: ut magis tunc sit aliquid, quam prius quanto esse realius, seu præstantius est corpus Christi, quam panis, et sanguis Christi, quam vinum ut patet. Taceo, quod et per rationem universalem, qua nihil omnino in nihilum redigitur, 1. q. 140. art. 4. posset convinci; quod eo magis in tanto sacramento falsum est, substantiam panis, ac vini annihilari. Restat ergo manifestum ex ratione sancti Doctoris tum speciali, scilicet in hoc art. tum universali, scilicet in illo primæ partis articulo: quod positio in principio appendicis dicta est erronea. Dicis itaque mihi. Substantia panis post consecrationem: estne aliquid? Est aliquid, et non

est aliquid: non tamen est nihil. Est aliquid idest est illud, in quod conversa est: non est aliquid idest non est illud, quod erat prius: non autem est nihil; quia illud, in quod conversa est, non est nihil. Ut virtualiter dicitur ad 3. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari ab omnibus Conciliis, quæ ponunt conversionem præmissam in consecratione panis, et vini. In idem enim redeunt de necessitate duo hæc scilicet panis, ac vini substantiam converti in corpus, ac sanguinem Christi; et panis, vinique substantiam non annihilari, ut supra declaratum est. Per hoc ergo quod Concilia Lateran. sub Innocentio III. et Florentinum, et Trid. definiverunt, conversionem talem esse in consecratione panis, et vini; cointelliguntur de necessitate etiam definire: quod substantia panis, et vini non annihilatur. De Conc. Later. et Flor. vide ar. 1. app. et ar. 2. app. De Tridentino autem vide art. 4. app. Item merito damnari ab Evangelistis: quia enim Evangelistæ ponunt inibi talem conversionem, ut ar. 2. app. monstratum est: ideo etiam ipsi per hoc asserunt, et quod substantia panis, ac vini non annihilatur, et quod dicere contrarium est dicere contra Evangelium. Item á D. Ambrosio, ut pulcherrime legitur, et recitatur de consec. dist. 2. c. *panis est in altari*, et cap. *revera mirabile est*. Mutationem enim seu conversionem illam ipse esse hic testatur aperte: et per hoc ex consequenti necessario substantiæ panis, et vini annihilationem abhorret. Non solum igitur positio illa principio dicta est hæresis, sed etiam est ab initio nascentis Ecclesiæ, et deinceps adeo condemnata, ut nulli, vel mediocriter in sacra theologia docto, sit relictus de opposito ambigendi locus. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Anticalvinianorum* dicentium: in sacramento Eucharistiæ (licet asserant, contra Calvinum, esse realem corporis Christi præsentiam in cœna) non fieri transelementationem, seu transsubstantionem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Conciliis Lateranensi, et Florentino, immo et ab Evangelistis: secundum quod narratur in appendicibus art. 1. 2. Item á Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. " Quoniam Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter, et proprie á sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata. » Et can. 2. " Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Christi; negaritque mirabilem illam, et singularem conversionom totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit. » Ex quibus (ut patet) damnata relinquitur etiam hæresis Berengarii dicentis; quod Eucharistiæ sacramentum nullam continet carnem, in quam convertatur panis præexistens: cum nulla ibi fiat conversio. *Tertio* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 5 habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et August. quod accidentia panis, et vini debent remanere, idest, convenienter remanent in sacramento Eucharistiæ. A D. Aug. quidem per hoc, quod dicit in lib. etc. secundum quod ponitur *in arg. con.* Non enim intendit principaliter ibi demostrare id, quod manifeste patet ad sensum, scilicet, quod accidentia illa remaneant: sed id, quod non tam omnibus patens est, scilicet, quod ipsa convenienter ibi remanent; seu (quod in idem redit) quod convenienter datur nobis velato modo, idest, sub accidentibus panis, et vini, caro, et sanguis Domini. Id, quod et Divi Thomæ fuit principale intentum in hoc articulo quærere, et determinare: licet in titulo superficialiter considerato videatur de re illa manifestissima velle inquirere, non autem de tali, quam nunc diximus, convenientia. A scripturis vero ipsum, scilicet, quod non debuerat sub accidentibus dari velatus, seu (quod idem importat)

quod convenienter accidentia post consecrationem erant remansura, insinuatur per hoc: quod tantum in hujus rei figuram, dicitur Tobiæ cap. 12. *sacramentum regis abscondere bonum est.* Antonomastice enim sacramentum regis est Eucharistia, ubi Rex regum, et Dominus dominantium residet absconditus. Item per hoc dicitur num. 4. quod Aaron debebat involvere, ne ab aliis discooperta viderentur, et arcam testimonii, et mensam propositionis panum, et (breviter loquendo) sanctuarium, atque omnia vasa ejus. Vide totum illud capitulum per te: et scias, quod *omnia hæc in figura contingebant illis.* Quod videlicet summus sacerdos figuratus Aaron, idest, Christus seipsum, qui est arca testimonii, etc. velaturus erat his accidentibus, tamquam cooperturis quibusdam, in sacramento altaris existentem, ne ab aliis videretur. Et hoc propter rationes dictas in text. corp. hujus articuli. Item per hoc, quod tanquam præsens mysterium pulcherrime figurando, dicitur Genes. 37. « Senuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat. » Lege totum capitulum per te: et invenies ibi ista omnia, scilicet Isaac, Rebeccam, Esau, Jacob; benedictionem datam, vestes, etc. Scito igitur ad propositum figuratum illa applicando, quod prædictarum quatuor personarum Isaac, et Rebecca, tamquam masculus et fœmina, significant duas naturas in nobis, idest corpus, et animam. Masculus, quoniam solet magis esse manifestus, et exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, scilicet corpus cum suis sensibus: fœmina, quoniam domi residet, et familiam regit, significat interiorem hominem, idest animam, quæ salutis suæ, et aliorum gerit curam. Alia persona, scilicet Jacob bonus, et formosus, quem Rebecca, idest anima fidelis diligit, significat verum corpus Christi. Alia persona, scilicet Esau, quem Isaac, idest corpus amabat, eo quod de cibis suis vescebatur, significat substantiam panis cum suis accidentibus, scilicet colore, sapore, etc. Dum itaquæ Isaac, quasi homo exterior, idest sacerdos, benedicere debet, idest, consecrationis verba dicit, recedit Esau, idest substantia panis: sed tamen similitudo Esau, scilicet vestes cum odore, pelles pilosæ, cibus cum sapore, idest accidentia panis (quæ sunt quænam similitudo panis) scilicet color, sapor, odor, durities, remanent circa Jacob, idest circa corpus Christi; et propter hoc Isaac, qui videre non potest, idest sensus corporis nostri, qui ad tantam rem attingere non possunt, falluntur. Ibi fallitur visus Isaac caliginosus, idest infirmus visus corporis: quia putat præ oculis habere Esau, idest panem, et tamen non habet, nisi vestes ejus, idest speciem, idest similitudinem panis, quæ sunt accidentia ipsius: sub qua similitudine, idest sub quibus accidentibus, latet Jacob, idest corpus Christi. Ibi fallitur gustus: quia putat comedere cibos Esau, idest panem: et tamen gustat tantum similitudinem ejus, comedens revera cibum Jacobi, idest corpus Christi. Ibi fallitur olfactus, quia putat sentire odorem Esau, idest substantiæ panis: et tamen, cum vere non sit ibi, sentit solummodo odorem vestimentorum ejus, idest accidentium panis, quibus vestitus est Jacob, idest corpus Christi. Ibi fallitur tactus dicens ly *Manus sunt manus Esau*: quia putat tangere Esau, idest panem, et tamen non tangit, nisi similitudinem panis, idest duritiem, sub qua latet velatus Jacob, idest, corpus Christi. Porro Isaac solo auditu non fallitur, dicens ly *vox quidem vox Jacobi est*, quia homo exterior solo sensu auditus veritatem tanti mysterii agnocere potest, dum scilicet audit á Christo vocem istam: *Hoc est corpus meum* Vide not. 1. 2. 3. *post ad secundum.* Ubi advertes etiam: quod sensus non decipitur, quantum est ex parte rei sibi ad extra objectæ, sed decipitur ex seipso, in quantum scil. exit proprios terminos, quod est non stare præcise in judicio de accidentibus, puta, quod hoc sit albedo, sit sapor, sit odor, sit quantum, sit rotundum, sit rubeum, etc. Cæterum, quod á figuris ad figurata in hujusmodi Theologicis liceat, et expediat procedere (dummodo singula recte et intelligantur, et applicentur) docuit factis ipsis Concilium *Hispalense* 2. ut alias annotavimus. Vide illud recitatum, pro quanto sufficit, in Veritatibus aureis super legem veterem, Levitic. 8. conclus. 2. *Secundo* vides: quommodo ex iis bene pensatis et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses prænarratas in art. 2. append. In substantia enim panis continetur non tantum materia panis, sed et forma substantialis ejus. Verum (ut alias pro locis multis annotavimus) ideo S. Doctor aliquos articulos, jam virtualiter in aliis tractatos, ac determinatos, noviter postea in speciali movet propter speciales de illis aliorum opiniones, vel difficultates, ut hic fit, et patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á dictis in præcitati articuli append. Item á Concilio Trid. sess. 13. cap. 4. et can. 2. per ly *totius substantiæ* Si enim forma substantialis vel panis, vel vini, consecratione facta, remaneret, manifestissime utique constaret; quod per consecrationem non fuisset facta conversio totius substantiæ panis, et totius substantiæ vini. Quomodo enim vel intelligi posset esse facta: si de ratione totius est non solum materia, sed etiam substantialis forma? Idem ergo est dicere, tunc conversionem fieri totius substantiæ panis, et vini: quod est dicere, tunc neque materiam, neque substantialem formam panis et vini remanere: et consequenter anathematizare contrarium illius primi dicti est anathematizare simul contrarium hujus secundi. Item ab eodem concilio ibidem cap. 5. et canone 6. Latriæ siquidem cultum, qui vero Deo debetur, sanctissimo Eucharistiæ sacramento exhibendum esse, utrobique decernit. Tali autem venerationi hujus sacramenti contrariaretur (ut patet art. 2. corp.) si aliqua substantia esset ibi, quæ non posset adorari adoratione latriæ. Quod utique tunc esset; si forma substantialis, quæ procul dubio aliqua substantia est, post consecrationem in sacramento ipso remaneret. Pro eodem igitur accipiendum est hoc, scilicet: Eucharistiæ sacramentum est cultu latriæ adorandum, et illud scilicet, neque materia, neque substantialis forma panis, et vini remanent in hoc sacramento. Anathematismi ergo contra negantes adorationem talem cointelliguntur de necessitate esse etiam contra ponentes, aut materiam, aut substantialem formam panis, seu vini remanere in sacramento illo. Quæ omnia clara sunt. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio; quod conversio, quæ fit in Eucharistiæ sacramento, fit in instanti. A Concilio quidem Florentino. Per hoc enim, quod dicit (supra artic. 1. 2. append.) quod verborum Christi á sacerdote prolatorum virtute convertitur substantia panis in corpus, et substantia vini in sanguinem Christi, significat: quod ista conversio est instantanea. Nam virtus Christi est infinita; cujus est subito operari (ut dicitur *in arg. cont.* et monstratur in corp. ex Marc. 7.) A scripturis autem, tamquam per locum á simili, ut Luc. 1. *Ecce ancilla Domini*: *fiat mihi secundum verbum tuum*. Sicut enim in ultimo instanti prolationis horum verborum unigenitus Deus in utero B. Virginis carnem induit, et homo factus est: ita in ultimo instanti prolationis verborum sacramentalium unigeniti Dei corpus, et sanguis per conversionem toties præmissam in hoc sacramento fiunt: et horum unum, scilicet, incarnatio Christi, fuit quædam á simili insinuatio alterius, scilicet conversionis sacramentalis hujus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses prærecitatas art. 2. 4. et 6. app. Ex eo enim, quod vere, et proprie verificatur propositio hæc, sc. Ex pane fit corpus Christi, sequitur manifeste apud penetrantes terminos, et quod substantia panis post consecrationem non remanet, et quod transubstantiatio hic datur, et quod forma substantialis panis non manet: quæ tria erant pro hæresibus ibi supra narrata. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á conciliis, etc. ibi relatis. Per hoc enim, quod hic sc. ex pane fit corpus Christi, importatur ordo terminorum, et extremum sine subjecto (ut declaravit prob. concl. 2. 3.) constat quod reprobantur jure opposita istorum trium quod utique ab ipsis conciliis fit: dum in sensu proferunt propositionem hanc, sc. Ex pane fit corpus Christi. Nam si sensus Concilii *Lateran.* in ly *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem*, penetretur (ut decet) videmus per hæc verba significari

et ordinem terminorum. scil. quod post panem fit corpus, post vinum sanguis; et extrema mutationis, scil. panis, vinum (ut termini á quibus) corpus, sanguis (ut termini ad quos) et nullum subjectum commune mutationis, sc. sub utroque extremo existens: alioquin non diceretur ly *transubstantiatis*. Si enim hoc totum convertitur in illud totum (id, quod importat transubstantio ar. 4.) quomodo potest vel intelligi, quod aliquid prioris, tanquam subjectum posterioris, remaneat? Patet ergo, singulis verborum concilii præmissi consideratis, quod ipsum dicendo ly *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem*, dixit sententialiter hoc, sc. Ex pane vere, et proprie fit corpus Christi, et ex vino vere, et proprie fit sanguis ejusdem. *Tertio* vides: qnommodo etc.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SEXTA,

DE MODO, QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo, quo Christus existit in hoc sacramento.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundo, utrum totus Christus sit sub utraque specie sacramenti.

Tertio, utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quarto, utrum dimensiones corporis Christi totæ sint in hoc sacramento.

Quarto, utrum corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sexto, utrum corpus Christi moveatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.

Septimo, utrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Octavo, utrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, quando miraculose apparet sub specie pueri, vel carnis.

ARTICULUS I.

Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento.

Pro negativa. = Videtur quod non totus Christus contineatur in hoc sacramento.

1. Christus non potest esse in hoc sacramento secundum divinitatem et secundum animam. Ergo Christus non continetur totus in hoc Eucharistiæ sacramento.

Anteced. prob., quia panis et vinum per quorum conversionem Christus incipit esse in hoc sacramento, ut quæst. præced. art. 4. dictum est, non possunt converti in divinitatem, neque in animam Christi.

Conseq. probat., quia Christus existit ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima et corpore, ut dictum est quæst. 2.

2. Christus competit refectioni fidelium, solum secundum carnem et sanguinem. Ergo Christus est in hoc sacramento solum secundum carnem et sanguinem. Ergo Christus etiam secundum corpus non est totus in hoc sacramento.

Antecedens prob., quia ipse Dominus dicit Jo. 6. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Prima conseq. prob., quia Christus est in hoc sacramento, secundum quod competit refectioni fidelium, ut dictum est quæst. 74 art. 1. Secunda conseq. prob., quia multæ aliæ sunt partes corporis Christi præter carnem et sanguinem, puta nervi ossa et hujusmodi.

3. Corpus maioris quantitatis non potest contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed propria mensura corporis

Christi est multo maior, quam sit mensura panis et vini consecrati. Ergo non totum corpus Christi potest contineri sub hoc sacramento.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Amb. dicit in lib. de Off. cap. 9. et refertur de consecr. dist. 2. cap. Ante benedictionem. *In illo sacramento Christus est.*

Determinatio.

Distinctio. Christum esse totum in hoc sacramento potest intelligi dupliciter: uno modo ex vi sacramenti; alio modo ex naturali concomitantia. Termini hujus distinctionis patebunt in probationibus conclusionum.

1.ª Conclusio. Omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam quod totus Christus sit in hoc sacramento.

Hæc conclusio relinquitur per se manifesta. Nam de consecr. dist. 2. fere per totam, habetur hæc veritas.

2.ª Conclusio. In sacramento Eucharistiæ, ex vi sacramenti, non est totus Christus, sed solum corpus et sanguis.

Manifestatur. Nam ex vi sacramenti est tantum sub speciebus hujus sacramenti id, in quod directe convertitur præexistens panis et vini substantia, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in cæteris mutationibus. Hæc autem sunt tantum caro et sanguis Christi: dicitur enim: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Unde ex vi formæ in hoc sacramento est solum caro et sanguis Christi.

3.ª Conclusio. In sacramento Eucharistiæ ex naturali concomitantia est non solum corpus et sanguis Christi, sed etiam anima et divinitas.

Manifestatur. Est enim ex naturali concomitantia in hoc sacramento omne illud quod realiter est conjunctum ei in quod prædicta conversio terminatur quod est caro et sanguis. Si enim aliqua sint adinvicem conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet esse et aliud; sola enim operatione animæ discernuntur ea quæ realiter sunt conjuncta. Et quia anima et divinitas Christi sunt realiter conjuncta corpori et sanguini Christi; necesse est quod ubicumque est corpus Christi, ibi sit ejus anima et divinitas.

AD ARGUMENTA.

Ad primum negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod probat divinitatem et animam non esse in hoc sacramento ex vi sacramenti; cum quo tamen stat quod sit ibi divinitas et anima ex naturali concomitantia. Quia enim conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem, nec ad animam Christi, consequens est quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti. Sed quia divinitas corpus assumptum numquam deposuit, necesse est ubicumque est corpus Christi, esse ejus divinitatem; et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi concomitantem ejus corpus. Unde in symbolo Concilii 1. Ephes. Epist. ad Nestor. legitur et refertur de conc. dist. 2. cap. Necessariæ. « Participes efficimur corpo-« ris et sanguinis Christi, non ut commu-« nem carnem percipientes, nec ut viri « sanctificati, et Verbo conjuncti secun-« dum unitatem dignitatis; sed vere vi-« vificatricem et ipsius Verbi propriam « factam; » anima vero realiter separata fuit á corpore per mortem, ut dictum est quæst. 50. art. 3. et 4. Ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, ut dicitur Rom. 6. anima ejus semper est ejus corpori realiter unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti, anima autem est in eo ex reali concomitantia.

Ad 2. Negatur secunda consequentia.

Ad probationem dicitur, quod ex vi sacramenti continetur in hoc sacramento sub specie panis, non solum caro, sed totum corpus Christi et omnes ejus partes, scilicet ossa et nervi, venæ et hujusmodi alia: et hoc apparet ex forma hujus sacramenti, in qua non dicitur: *hæc est caro mea*, sed *hoc est corpus meum*: et ideo cum Dominus dixit Joan. 6. *Caro mea vere est cibus*: caro ponitur pro toto corpore, quia caro secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accomodata quam ossa, prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus vel aliis hujusmodi.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de eo quod est in aliquo vel alicubi per modum quantitatis, non autem de eo quod est in aliquo vel alicubi tantum per modum substantiæ. Tunc ad minorem dicitur, quod etsi quantitas corporis Christi maior sit quam quantitas panis, tamen quia corpus Christi est in hoc sacramento tantum secundum modum substantiæ ex vi sacramenti, ideo potest contineri sub quacumque magna vel parva quantitate. Quod autem corpus Christi sit in hoc sacramento ex vi sacramenti solum per modum substantiæ ostenditur: nam facta conversione panis in corpus Christi, et vini in sanguinem; accidentia utriusque manent, ut dictum est quæstione præcedenti art. 5. Unde dimensiones panis et vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam; et sic substantia corporis Christi vel sanguinis est sub hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Ex quo patet quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ et non per modum quantitatis. Et quia propria totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva vel magna quantitate, sicut tota natura aëris in parvo vel magno aëre, et tota natura hominis in parvo vel magno homine: ideo tota substantia corporis et sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem ibi tota substantia panis et vini continebatur.

ARTICULUS II.

Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa. = Videtur, quod sub utraque specie hujus sacramenti non contineatur totus Christus.

1. Si totus Christus continetur sub utraque specie, ita quod nihil contineatur sub una, quod non contineatur in alia; sequitur quod altera illarum in hoc sacramento superfluat.

Conseq. prob., quia cum hoc sacramentum ordinetur ad fidelium salutem, et hanc operetur, non virtute specierum, sed ejus quod continetur sub ipsis; si totum continetur in una, superflua erit alia.

2. Si sanguis continetur sub specie panis, sicut continentur in eo aliæ partes corporis Christi, non deberet seorsum vinum consecrari, quod est contra Christi institutionem. Ergo sub specie panis non continetur sanguis.

Conseq. prob., quia sicut dictum est articulo præcedenti, non consecrantur seorsum aliæ partes corporis Christi, puta ossa et nervi, eo quod nomine carnis intelliguntur, cum sint partes humani corporis; sed omnes in specie panis continentur; ita cum sanguis sit etiam humani corporis pars, non deberet seorsum ab aliis partibus consecrari, si sub specie panis contineretur.

3. Corpus Christi jam incepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest fieri quod de novo incipiat esse per consecrationem vini; et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, et per consequens nec totus Christus continetur sub utraque specie.

Conseq. probat., quia quod jam factum est, iterum fieri non potest.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud 1. Cor. 11. (*et calicem*) dicit Glos. ordin. *Sub utraque specie*, scilicet panis et vini *idem sumitur*. Ergo sub utraque specie est totus Christus.

Determinatio.

Conclusio. Certissime tenendum est quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus; aliter tamen et aliter.

Declaratur quoad ultimos terminos; nam ipsa conclusio ex auctoritate inducta ex dictis art. præced. et ex dicendis, ut manifesta relinquitur: nam sub speciebus panis est corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis vero ex reali concomitantia, sicut art. præced. dictum est de anima et divinitate Christi: sub specie autem vini est sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas; quia nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus, sicut fuit tempore passionis et mortis ejus.

Coroll. Si tempore mortis Christi fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus sine sanguine, et sub speciebus vini sanguis sine corpore.

Probat. quia tunc corpus et sanguis erat in rei veritate separata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra, et hoc propter tria. Primo quidem hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis á corpore separatus: unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione.

Secundo hoc est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum.

Tertio quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est, quæst. 74. art. 1. quod corpus exhibetur pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ; et sic sub utraque specie operatur fidelium salutem.

Ad 2. Negat. consequentia. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de sanguine Christi, et de aliis ejus corporis partibus: in passione enim Christi, cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem separatæ, sicut sanguis; sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exod. 12. *Nec os illius confringetis*, et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis á corpore, non autem aliqua alia pars.

Ad 3. Negatur consequentia: corpus enim Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia, et ideo per consecrationem vini non fit corpus Christi per se, sed concomitanter; et ad prob. dicitur quod id quod per se factum est, potest iterum concomitanter fieri.

ARTICULUS III.

Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis et vini.

Pro negativa. = Videtur, quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis et vini.

1. Si totus Christus esset sub qualibet parte prædictarum specierum, sequeretur quod infinities esset Christus in hoc sacramento, quod est inconveniens.

Conseq. probat., quia species illæ dividi possunt in infinitum.

Inconveniens probat. Quia infinitum repugnat non solum naturæ, sed etiam gratiæ.

2. Corpus Christi habet partes determinate distantes. Ergo non potest esse quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

Antecedens prob., quia corpus Christi est organicum: est enim de ratione organici corporis determinata distantia sin-

gularum partium ab invicem, sicut oculi ab oculo, et oculi ab aure.

Conseq. prob., quia si totus Christus esset sub qualibet hostiæ parte, non posset esse hæc determinata partium distantia, sed quælibet pars esset sub qualibet parte, et ita ubi esset una pars, esset etiam alia.

3. Corpus Christi semper retinet veram corporis naturam, nec umquam mutatur in spiritum. Ergo non potest esse quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Conseq. probat., quia de ratione corporis est ut sit quantitas positionem habens, ut dicitur in prædicamentis. Ad rationem autem hujus quantitatis pertinet quod diversæ partes in diversis partibus loci existant.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in Serm. et refertur de consec. dist. 2. cap. Singuli. « Singuli « accipiunt Christum Dominum, et in « singulis portionibus totus est, nec per « singulas minuitur, sed integrum se « præbet in singulis. »

Determinatio.

Conclusio. Totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, non solum dum frangitur; sed etiam hostia integra manente.

Prob. Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ; idest per modum, quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, idest non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci. Ergo totus Christus est sub qualibet parte specierum panis.

Anteced. probat., quia in hoc sacramento est substantia corporis Christi ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiæ, ut ex dictis patet.

Conseq. prob., quia manifestum est quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris; et sub qualibet parte panis est tota natura panis.

Et quia substantia tota indifferenter est sub qualibet parte dimensionum, sive dimensiones sint actu divisæ, sicut cum aër dividitur, vel panis frangitur, sive sint actu indivisæ, et divisibiles in potentia tantum; ideo totus Christus est sub qualibet speciei panis particula, non solum quando est divisus, sed etiam hostia integra manente.

Cujusdam erroris exclusio.

Unde perperam quidam dixerunt quod totus Christus non est sub qualibet parte hostiæ, si hostia maneat integra; ponentes exemplum de imagine apparente in speculo, quæ apparet una in speculo integro, in speculo autem fracto apparent singulæ in singulis partibus. Hoc enim non est omnino simile, quia multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto, propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; hic autem non est, nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento. Unde sicut facta hostiæ consecratæ divisione, in qualibet parte est totus Christus; ita ante fractionem est totus Christus in tota hostia et totus in qualibet ejus parte.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Numerus enim divisionem sequitur; et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi est pluries sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties et in quot partes actu dividitur. Ad prob. dicitur quod species illæ non possunt actu in infinitum dividi, sed in potentia tantum.

Ad 2. Negatur antecedens de corpore Christi, secundum quod est in hoc sacramento. Ad prob. dicitur, quod illa determinata distantia partium in cor-

pore organico fundatur super quantitate dimensiva ipsius; ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensivam. Et quia conversio substantiæ panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cujus substantiæ modum proprie est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi; sed non secundum modum, quo est in hoc sacramento.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensivam. In hoc autem sacramento est corpus Christi non ratione quantitatis dimensivæ, sed ratione substantiæ, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento.

Pro negativa. = Videtur, quod non tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in sacramento Eucharistiæ.

1. Nulla quantitas dimensiva tota continetur in aliquo toto, et in qualibet parte ejusdem totius. Sed corpus Christi totum continetur sub qualitet parte hostiæ consecratæ et sub tota hostia consecrata. Ergo quantitas dimensiva corporis Christi non continetur tota in hoc sacramento.

2. In hoc sacramento remanet quantitas dimensiva panis, ut ad sensum patet. Ergo non est ibi quantitas dimensiva corporis Christi.

Conseq. probat., quia impossibile est duas quantitates dimensivas esse simul, etiam si una sit separata, ut patet 3. Met. text. 9.

3. Si in hoc sacramento sit quantitas dimensiva corporis Christi cum quantitate dimensiva panis sive hostiæ, esset in hoc sacramento corpus Christi etiam præter species panis, quod est falsum. Ergo, etc.

Assumptum conditionale, sive consequentia ostenditur: nam si duæ quantitates dimensivæ inæquales juxta se ponantur, maior extenditur ultra minorem; quantitas autem dimensiva corporis Christi est multo maior, quam quantitas dimensiva hostiæ consecratæ, secundum omnem dimensionem. Ergo si in hoc sacramento sit quantitas dimensiva corporis Christi cum quantitate dimensiva hostiæ, quantitas dimensiva corporis Christi extendetur ultra quantitatem hostiæ, quæ tamen non est sine substantia corporis Christi; et sic in illa maiori dimensione excedente dimensionem hostiæ erit corpus Christi præter speciem panis: falsitas consecuentis prob., quia substantia corporis Christi non est in hoc sacramento, nisi per consecrationem panis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In sacramento Eucharistiæ est tota substantia corporis Christi ut art. præc. dictum est. Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi in hoc sacramento reperitur.

Conseq. prob., quia quantitas dimensiva alicuius corporis non separatur secundum esse á substantia ejus.

Determinatio.

Distinctio. Dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento, ut dictum est art. 1. hujus quæst. Uno modo ex vi sacramenti; alio modo ex reali concomitantia.

1.° Conclusio. Quantitas dimensiva corporis Christi non est in sacramento Eucharistiæ ex vi sacramenti.

Prob. Ad illud quod est in sacramento Eucharistiæ ex vi sacramenti, terminatur directe conversio, quæ fit ex vi formæ in hoc sacramento. Sed ad quantitatem dimensivam corporis Christi non terminatur directe conversio, sed ad solam substantiam ejus. Ergo quantitas dimensiva corporis Christi non est in sacramento Eucharistiæ ex vi sacramenti.

Minor patet., quia quantitas dimen-

siva panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte.

2.ª Conclusio. In sacramento Eucharistiæ est tota quantitas corporis Christi, et omnia accidentia ejus ex reali concomitantia.

Prob. Quia substantia corporis Christi non dividitur, nec denudatur realiter á sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior habet veritatem, quotiescumque quantitas est in aliquo toto secundum proprium modum ipsius quantitatis: tunc enim quantitas dimensiva non potest esse tota in toto, et tota in qualibet parte ejusdem totius; sed necesse est ut sit tota in toto, et quælibet ejus pars in qualibet parte totius: hic enim est proprius modus existendi quantitatis, ut scilicet sit tota in toto, et pars in parte: si vero quantitas dimensiva sit in aliquo toto, non secundum proprium modum quantitatis, sed per modum substantiæ, non est vera maior: tunc enim potest esse tota in toto, et tota in qualibet parte ejusdem totius; sicut hoc convenit substantiæ. Tunc dicitur ad minorem quod in sacramento Eucharistiæ est quantitas dimensiva corporis Christi, non tamen secundum proprium modum, et hoc ostenditur; nam modus essendi cujuslibet rei determinatur secundum id quod est ei per se, non autem secundum id quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce: unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis, et non secundum modum dulcedinis. Sic igitur, quia ex vi hujus sacramenti est in altari substantia corporis Christi; quantitas autem dimensiva ejus est ibi concomitanter et quasi per accidens: ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, ut scilicet sit tota in toto, et singulæ partes in singulis partibus, sed per modum substantiæ, cujus natura est ut sit tota in toto, et tota in qualibet parte.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod duæ quantitates dimensivæ simul non possunt naturaliter esse in eodem; ita quod utraque sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensivæ; potest tamen esse quod duæ quantitates dimensivæ sint simul, si una sit secundum modum quantitatis, et altera per modum substantiæ: et sic accidit in hoc sacramento, in quo est quantitas dimensiva panis secundum proprium modum, scilicet secundum commensurationem quamdam; quantitas autem dimensiva corporis Christi est ibi, non secundum proprium quantitatis modum, sed secundum modum substantiæ, ut dictum est.

Ad 3. Negatur consequencia. Ad probationem dicitur, quod assumptum verum est, quando duæ quantitates juxta se ponuntur, quarum utraque ibi ponitur secundum proprium modum existendi quantitatis, scilicet secundum modum commensurationis, qui est quantitati proprius; si autem una earum non sit secundum proprium modum, non habet locum excessus: et quia quantitas corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, sed secundum modum substantiæ; ideo in hoc sacramento non habet locum excessus aliquis quantitatis ad quantitatem, cum quantitas corporis Christi non commensuretur quantitati hostiæ consecratæ.

ARTICULUS V.

Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

Pro afirmativa. = Videtur, quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

1. Illud quod est in aliquo definitive et circumscriptive, est in eo tamquam in loco. Sed corpus Christi est in hoc sacramento definitive et circumscriptive.

Ergo corpus Christi est in hoc sacramento tamquam in loco.

Maior prob., quia esse in aliquo definitive vel circumscriptive, sunt duæ differentiæ essendi in loco.

Minor prob., est enim ibi definitive, quia corpus Christi est ita, ubi sunt species panis et vini, quod non est in alio loco altaris. Circumscriptive vero, quia ita continetur superficie hostiæ consecratæ quod non excedit, nec excreditur.

2. Omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter. Sed corpus Christi replet locum illum, in quo sunt species panis et vini. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Minor prob., quia locus ille specierum panis non est vacuus: natura enim non patitur vacuum, nec est ibi substantia panis, sed est ibi solum corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locum illum.

3. In hoc sacramento est corpus Christi cum sua quantitate dimensiva et cum omnibus suis accidentibus. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Conseq. prob., quia esse in loco est accidens corporis, unde et ubi, connumeratur inter novem genera accidentium, ut patet in prædicamentis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Locus, in quo est hoc sacramentum, est multo minor quam corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento tamquam in loco.

Conseq. prob., quia oportet locum et locatum esse æqualia, ut patet per Phil. 4. Phys. tex. 30.

Determinatio.

Conclusio. Nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Quæ conclusio habet duas partes, una est quod corpus Christi non est localiter in hoc sacramento. Altera est quod nullo modo: et quantum ad utramque partem sigillatim probatur, et prior pars ostenditur. Omne corpus quod est alicubi localiter, est ibi secundum modum quantitatis dimensivæ; in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam. Sed corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundum modum substantiæ, ut art. 3. dictum est. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco; sed tantum per modum sabstantiæ, scilicet eo modo quo substantia continetur á dimensionibus.

Et confirmatur: quia substantia corporis Christi succedit in hoc sacramento substantiæ panis: unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ; ita nec substantia corporis Christi est ibi localiter, sed per modum substantiæ.

Altera vero pars manifestatur. Nam substantia panis, etsi ratione sui non esset ibi localiter, quia tamen erat subjectum dimensionum panis, ratione suarum dimensionum erat ibi sicut in loco, quia scilicet comparabatur loco mediantibus suis dimensionibus; substantia autem corporis Christi non est subjectum dimensionum panis, nec est ibi per modum suarum dimensionum; et ideo non comparatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus, sed alienis. Immo é converso dimensiones corporis Christi comparantur ad locum illum ratione substantiæ; idest sunt ibi dimensiones corporis Christi, quia est ibi ejus substantia, quod est contra rationem corporis locati: locatur enim corpus non per substantiam, sed per suas proprias dimensiones: et sic patet quod corpus Christi nullo modo est ibi localiter: non per dimisiones panis, quia corpus Christi non est ipsarum subjectum; nec per dimensiones proprias, quia dimensiones propriæ non sunt ibi secundum proprium modum, secundum quem sunt

ratio locandi; sed solum concomitanter et per modum substantiæ, ut dictum est art 3.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Corpus enim Christi non est ibi definitive, nec circumscriptive: non definitive, quia sic non esset nisi in hoc altari ubi conficitur hoc sacramentum, cum tamen sit in cœlo in propria specie et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Non circumscriptive, quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis. Ad prob. autem dicitur, quod hoc quod non est extra superficiem sacramenti, nec in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive, vel circumscriptive; sed ad hoc quod incepit ibi esse per consecrationem et conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ut dictum est qu. præced. art. 3. et 4.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod locus ille in quo est corpus Christi non est vacuus, neque proprie repletus substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter, ut in corp. dictum est. Sed est repletus specierum sacramentorum quæ replent locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculose, sicut et miraculose subsistunt per modum substantiæ.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod corpus Christi est in hoc sacramento cum omnibus suis accidentibus intrinsecis et sibi inhærentibus, non autem cum omnibus accidentibus extrinsecis: tunc negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod esse in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens; et ideo non oportet quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

ARTICULUS VI.

Utrum corpus Christi sit mobiliter in sacramento Eucharistiæ.

Pro affirmativa.=Videtur quod corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

1. Illud quod est in eo quod movetur, est in eo mobiliter. Sed Christus est in hoc sacramento quod movetur, ut patet. Ergo Christus est in hoc sacramento mobiliter.

Maior prob., quia *motis nobis, moventur ea quæ sunt in nobis*, dicit Phil. in 2. Topic. c. 3. quod verum est etiam de spirituali substantia animæ, anima enim ad motum corporis movetur.

2. In hoc sacramento non est corpus Christi, si in crastinum reservetur. Ergo Christus est mobiliter in hoc sacramento.

Antecedens prob., quia de Agno paschali, qui erat figura hujus sacramenti, *non remanebat quicquam usque mane*, sicut præcipitur Exod. 12. Ergo neque etiamsi hoc sacramentum reservetur in crastinum, erit ibi corpus Christi.

Conseq. hæc prob., quia veritas debet respondere figuræ.

3. Et est alia prob. antecedentis præcedentis argumenti. Corpus Christi non remanet in hoc sacramento per totum tempus futurum, si per multum tempus servetur. Ergo pari ratione nec in crastinum remanet. Nec potest dici quod desinat ibi esse, cessantibus speciebus, quia esse corporis Christi non dependet ab aliis speciebus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Corpus Christi in cœlo quietum residet. Ergo non est in hoc sacramento mobiliter.

Consequentia prob., quia impossibile est idem simul esse motum et quiescere: sic enim contradictoria de eodem vera essent.

Determinatio.

Conclusio. Christus (per se loquendo) immobiliter est in hoc sacramento.

Prob. Christus secundum esse quod habet in hoc sacramento, non movetur per se localiter, neque secundum aliquam

aliam mutationem. Ergo Christus per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

Antecedens declaratur, et prob. Aliquid enim potest esse unum subjecto, et multiplex secundum esse. Unde nihil prohibet hoc secundum aliquid moveri, et secundum aliquid immobile permanere. Sicut quia corpori aliud est esse album, et aliud est esse magnum; potest moveri secundum albedinem, et permanere immobile secundum magnitudinem. Et quia Christo non est idem esse secundum se, et esse sub hoc sacramento, cum per hoc quod dicimus Christum esse sub hoc sacramento, significetur quædam habitudo ejus ad hoc sacramentum: ideo in antecedente assumpto dicitur quod Christus non movetur secundum esse quod habet in hoc sacramento: non enim est nunc sermo de esse corporis Christi secundum esse quod habet in seipso.

Probatur igitur antecedens, quoad utramque partem, et primo quod non moveatur localiter. Illud quod per se localiter movetur, est per se in loco: moveri enim localiter præsupponit esse in loco. Sed Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, ut art. præced. dictum est. Ergo Christus non movetur per se localiter, sed solum per accidens.

Quantum ad aliam partem, scilicet quod Christus non moveatur, ut est in hoc sacramento, aliqua alia mutatione, puta quantum ad hoc quod desinat esse sub hoc sacramento.

Prob. Illud quod habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium, sed desinit esse solum alio deficiente, sicut Deus, cujus esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse. Sed Christus habet esse indeficiens et incorruptibile. Ergo non desinit esse sub sacramento, per hoc quod ipsum desinat esse, sed solum per hoc, quod species hujus sacramenti desinunt esse; et sic patet antecedens quoad utramque partem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ea quæ sunt in aliquo quod per se movetur, sunt in duplici differentia: quædam enim talia sunt quod possunt per se esse in loco, sicut brachium quod est in corpore, movetur ad motum ejus, et hujusmodi moventur quidem ad motum ejus in quo sunt; tamen proprie moventur, ita quod hæc sunt subjectum motus: quædam vero sunt quæ non possunt esse proprie in loco, ut sunt spirituales substantiæ, sicut anima: et hæc moveri quidem dicuntur ad motum ejus in quo sunt; non quod proprie moveantur et sint subjectum localis motus, sed solum quia sunt in eo quod per se movetur. Et quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, ideo ejus motus, quo per accidens dicitur moveri in hoc sacramento, est ad modum motus formæ et spiritualis substantiæ.

Ad 2. Negatur antecedens: remanet enim in crastinum corpus Christi in hoc sacramento, ut Cyrillus ostendit contra quosdam contrarium asserentes. Ad prob. dicitur, quod figura debet figurato respondere, non tamen potest figura figurato adæquari.

Ad 3. Negatur antecedens: remanet enim corpus Christi in hoc sacramento non solum in crastinum, sed etiam in futurum quamdiu species sacramentales manent, quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis; non quia ab eis dependeat, sed quia per desinentiam specierum tollitur habitudo corporis Christi ad illas, per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis esse.

ARTICULUS VII.

Utrum corpus Christi, prout est in sacramento Eucharistiæ, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Pro affirmativa.=Videtur quod cor-

pus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

1. Oculus, qui non potest ab aliquo impediri, potest corpus Christi sub hoc sacramento videre. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediri. Ergo oculus glorificatus potest Christum sub hoc sacramento videre.

Maior prob., quia ideo oculus noster non potest Christum sub hoc sacramento videre, quia impeditur per sacramentales species ipsum circumvelantes.

2. Oculus Christi videt seipsum, prout est in hoc sacramento. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre, prout est in hoc sacramento.

Conseq. prob., quia corpora gloriosa sanctorum erunt configurata corpori claritatis Christi, ut dicitur ad Phil. 3.

3. Angeli vident corpus Christi, prout est in hoc sacramento. Ergo pari ratione oculus glorificatus potest Christum in hoc sacramento videre.

Anteced. prob., quia etiam dæmones inveniuntur huic sacramento reverentiam exhibere et ipsum timere.

Conseq. prob., quia sancti in resurrectione erunt Angelis æquales, ut dicitur Lucæ 20.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Oculus glorificatus semper videt Christum, prout est in sua specie; secundum illud Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt.* Ergo oculus gloriosus non videt Christum sub hoc sacramento.

Conseq prob., quia idem non potest simul videri sub diversis speciebus ab eodem.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est oculus, scilicet corporalis qui proprie oculus dicitur et intellectualis qui per similitudinem dicitur oculus.

1.ª Conclusio. A nullo oculo corporali corpus Christi potest videri, prout est in sacramento Eucharistiæ.

Prob. Illud quod potest videri oculo corporali, per sua accidentia immutat medium, per quod videtur. Sed corpus Christi, ut est in hoc sacramento non potest per sua accidentia immutare medium. Ergo corpus Christi in hoc sacramento non potest videri oculo corporali.

Maior patet, quia corpus visibile, per sua accidentia immutat medium.

Minor prob., quia accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento mediante substantia, ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora quæ ipsum circumstant, et ideo non possunt immutare medium, ut ab aliquo corporali oculo videri possint.

2.ª Conclusio. Corpus Christi proprie loquendo, secundum modum essendi quem habet in sacramento Eucharistiæ, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur spiritualis oculus.

Probatur simul cum prima conclusione. Illud quod est in aliquo tantum per modum substantiæ, non potest in illo videri oculo corporali, neque aliquo alio sensu aut etiam imaginatione, sed solo intellectu. Sed corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, ut art. primo dictum est. Ergo corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc sacramento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu.

Maior prob., quia substantia, in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subjacet sensui, sed nec imaginationi, sed soli intellectui, cujus objectum est quod quid est, ut dicitur 3. de an. t. 26.

3.ª Conclusio. Corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in sacramento Eucharistiæ percipitur diversimode á diversis intellectibus.

Manifestatur per sequentes propositiones.

Prima, modus essendi quem habet Christus in hoc sacramento, est secundum se visibilis ab intellectu divino.

Probatur. Quia cum iste modus essendi, quem Christus habet in hoc sacramento, sit penitus supernaturalis, á supernaturali intellectu, qui est divinus, est secundum se visibilis.

Secunda, ab intellectu beato hominis vel Angeli potest videri corpus Christi in hoc sacramento, per visionem divinæ essentiæ.

Probatur. Quia beatifica visio est quædam participata claritas divini intellectus, qua etiam supernaturalia videntur á beatis.

Tertia prop. Ab intellectu hominis viatoris non potest conspici Christus in sacramento Eucharistiæ, nisi per fidem.

Manifestatur, quia viator non potest supernaturalia, nisi per fidem, attingere.

Quarta propositio. Intellectus Angelicus non sufficit per sua naturalia ad intuendum Christum in hoc sacramento.

Manifestatur. Nam dæmones non possunt videre Christum in hoc sacramento nisi per fidem; cui non voluntarie assentiunt, sed evidentia signorum convincuntur, prout dicitur Jac. 2. *Dæmones credunt et contremiscunt.*

Et sic remanet manifestata conclusio; videtur enim Christus, secundum quod est in hoc sacramento, ab intellectu divino secundum se; ab intellectu beato, sive Angeli sive hominis in visione divinæ essentiæ; ab intellectu hominis viatoris per fidem; ab intellectu vero dæmonis per fidem, cui coacte, ex evidendentia signorum, assensum præbent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod oculus noster corporeus impeditur per species sacramentales á visione corporis Christi sub eis existentis, non solum per modum tegumenti, sicut impedimur videre id quod est velatum, quocumque corporali velamine; sed quia corpus Christi non habet habitudinem ad medium, quod circumstat hoc sacramentum mediantibus propriis accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramentalibus; et ideo á nullo corporali oculo etiam beato, potest corpus Christi in hoc sacramento videri.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento; quia ille modus essendi pertinet solum ad intellectum. Negatur igitur consequentia; non enim est simile de oculo Christi et alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.

Ad 3. Negatur consequentia: vident enim Angeli non oculo corporali, sed solo intellectu. Ad prob. dicitur, quod sancti erunt similes Angelis non in natura, sed in beatitudine. Unde beati vident Christum in hoc sacramento in visione divinæ essentiæ, sicut et Angeli.

ARTICULUS VIII.

Utrum quando in sacramento Eucharistiæ apparet miraculose caro, vel puer, sit ibi vere corpus Christi.

Pro negativa.=Videtur, quod quando in hoc sacramento miraculose apparet caro, vel puer non sit ibi vere corpus Christi.

1. Quando apparet caro, vel puer; desinunt esse species sacramentales. Ergo tunc non est ibi vere corpus Christi.

Conseq. prob., quia corpus Christi desinit esse sub hoc sacramento, quando desinunt species sacramentales, ut art. 6. dictum est.

2. Ubicumque est corpus Christi, est ibi vel sub specie propria, vel sub specie sacramenti. Sed quando tales apparitiones fiunt, Christus non est ibi sub specie propria, neque sub specie sacramen-

ti. Ergo quando tales apparitiones fiunt, nullo modo est ibi corpus Christi.

Minor prob. Non est ibi secundum speciem propriam, quia in sacramento totius Christus continetur, qui permanet integer in forma, qua ascendit in cœlum, cum tamen id quod miraculose apparet in hoc sacramento, quandoque videatur, ut quædam parva caro; quandoque autem, ut parvus puer. Nec est ibi sub specie sacramenti, quia ibi non sunt amplius species panis et vini.

3. Caro et sanguis miraculose apparens non sunt consecrata, nec conversa in verum corpus et sanguinem Christi. Ergo sub his speciebus non est corpus, vel sanguis Christi.

Conseq. prob., quia corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem et conversionem, ut dictum est, quæst. 75. art. 2.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Facta tali apparitione, eadem reveretia exhibetur ei quod apparet, quæ etiam prima exhibebatur, quæ est reverentia latriæ. Ergo tali apparitione facta, est ibi Christus.

Determinatio.

Distinctio. Dupliciter contingit apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit tantum ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen mutatione facta ex parte sacramenti. Quandoque vero contingit talis apparitio, non per solam immutationem videntium, sed specie, quæ videtur, realiter exterius existente. Discernuntur autem hujusmodi apparitionis modi ex hoc quod apparitio ex parte videntium tantum videtur contingere, quando uni videtur sub specie carnis vel pueri; aliis autem videtur sicut prius sub specie panis et vini; vel quando eidem ad horam videtur caro vel sanguis, et postmodum videtur sub specie panis. Nec tamen hæc apparitio pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum præstigiis: quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet ut manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento. Sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emaus. Et August. dicit lib. 2. de quæst. Evang. qu. ult. quod *cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* Apparitio autem, quæ est non solum ex parte videntium, sed etiam ex parte specierum, videtur fieri, quando ab omnibus sub specie carnis, vel pueri videtur, et non ad horam, sed ad multum tempus ita permanet.

1.ª Conclusio. Quando in sacramento Eucharistiæ apparet miraculose ex parte videntium tantum caro, vel puer est ibi vere corpus Christi.

Manifestatur. Quia tunc nulla mutatio fit ex parte specierum; unde manentibus speciebus panis et vini consecratis, manet corpus Christi, sicut ante talem apparitionem.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod quando sit apparitio, non solum ex parte videntium, sed etiam ex parte specierum, est ibi corpus Christi in propria specie. Nec obstat (inquiunt) quod quandoque non videtur ibi totus Christus, sed aliqua pars carnis, vel etiam videtur non in specie juvenili, sed in effigie puerili; quia in potestate corporis gloriosi est quod videatur ab oculo non glorificato secundum totum, vel secundum partem, et in effigie propria vel aliena, ut infra dicetur in Supplem. quæst. 85. art. 2. et 3.

Reprobatio.

Sed hoc videtur inconveniens propter duo. Primo, quia corpus Christi non po-

test in propria specie videri, nisi in uno loco, in quo diffinitive continetur: unde cum corpus Christi in propria specie videatur et adoretur in cœlis, non potest in propria specie in hoc sacramento videri.

Secundo, quia corpus gloriosum quod apparet, ut vult; post apparitionem, cum voluerit disparet, sicut dicitur Luc. ult. quod Dominus evanuit ab oculis discipulorum; hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet, diu permanet; quinimo legitur quandoque esse inclusum, et multorum episcoporum consilio in pixide reservatum quod nephas esset de Christo sentire, secundum propriam speciem.

Vera sententia.

2.ª Conclusio. Quando in sacramento Eucharistiæ apparet miraculose caro, vel puer, apparitione etiam ex parte specierum, est vere corpus Christi, non quidem in propria specie, sed in specie sacramenti.

Manifestatur: nam quando fit hujusmodi apparitio, manent dimensiones quæ prius fuerant, et fit miraculose quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram, colorem et alia hujusmodi, ut videatur caro, vel sanguis, vel etiam, puer; et quia dimensiones remanentes sunt fundamenta aliorum accidentium, ut dicetur quæst. sequenti, remanet vere corpus Christi. Nec hujusmodi miraculosa immutatio est deceptio aliqua, aut fictio, quia fit in figuram cujusdam veritatis, scilicet ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem quod in hoc sacramento est vere corpus et sanguis Christi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Nam species sacramentales in hujusmodi apparitionibus quandoque totaliter remanent, ut in primo apparitionis modo; quandoque vero remanent quantum ad id quod est principale in eis, scilicet quantum ad dimensiones, ut in secundo apparitionis modo, sub quibus est corpus Christi.

Ad 2. Negatur minor quoad secundam partem, est enim ibi corpus Christi sub speciebus sacramenti miraculose formatis, vel in oculis intuentium, ut in apparitione primi modi; vel in ipsis sacramentalibus dimensionibus, ut in altera apparitionis modo.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod etsi non sit consecrata caro apparens, sunt tamen consecratæ dimensiones, circa quas facta est immutatio quoad alia accidentia, et ideo, manentibus illis dimensionibus, manet corpus Christi quod sub speciebus carnis apparet.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 76.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Metamorphistarum* dicentium, quod in Eucharistiæ sacramento est divina essentia tantum, non caro humanæ naturæ consubstantialis. Et *Lodovici Alemani* dicentis: Christus, licet á suis fidelibus non sit absens, tamen illius substantiale corpus constanter affirmamus non esse præsens in hac cœna. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, bas merito damnari á Concil. Florent. " Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini. » Hæc illud in constitution. super union. Armenor. Item á tota Ecclesia catholica inter missarum solemnia festi corporis Christi canente, in sequentia. " Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie. » Hæc illa. Licet enim Divus Thomas noster ad mandatum Papæ Urbani IV. totum illum officium de festo corporis Christi composuerit, ut notissimum est, tamen, quia

idem Papa cum omnibus sequentibus id acceptando approbavit, ideo á tota Ecclesia esse dictum vere reputatur illud, quod ibi solemniter recitatur. Item á Concilio Trid. sess. 13. cap. 3. " Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et vini specie, una cum ipsius anima, et divinitate existere. Sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam á mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, et anima hypostaticam unionem. » Et can. 1. " Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum; anathema sit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Nestorianorum*, seu *Bohemorum* dicentium: sub utraque specie non contineri æque totum Christum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari à conciliis, et Ecclesia tota catholica, ut supra art. 2. append. Item á Concil. Trid. sess. 13. cano. 3. " Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie totum Christum contineri, anathema sit. » Hæc ibi, et sess. 21. cap. 3. " Insuper declarat, quamvis Redemptor noster in suprema illa cœna hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt. » Quod et ibid. difusius probando prædixerat c. 1. " Namque qui dixit: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit, qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo, dixit nihilominus; qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Et adhuc clarius, ad litteram in proposito, dixit sess. 13. cap. 3. " Verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri. Totus enim, et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam (de quo Frater Joseph. Angles Valentinus Ordinis Minorum, in lib. *Flores Theologicarum quæstionum*, de Eucharistia, q. 1. def. 7. concl. 1.) dicentis: Hostia consecrata fracta, totum Christum non manere sub qualibet particula quantumcumque minima, speciem scilicet panis habente. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concilio Florent. quod post verba sua recitata supra art. 1. append. continuo subjungit: " Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, et vini consecrati (separatione facta) totus est Christus. » Ubi notabis illa, quæ diximus supra in declaratis ad 1. pro recta intelligentia dicti hujus, scilicet, *separatione facta.* Nam ex hoc dicto non intelligitur, quod totus Christus non maneat sub qualibet parte hostiæ, etiam actu indivisæ (ut Sanctus Doctor in conclusione dixit) sed ly *separatione facta* cadit super numerum, modo declarato ab eodem sancto Doctore in textu ad *primum*, et ibidem per nos exposito. Concilium itaque loquitur á manifestiori: tacens interim id, quod non est ita manifestum. Item á Concilio *Tridentino* sess. 13. capitulo tertio. Verissimum est, etc. ut supra, ar. 2. appen. circa finem. Et cano. 3. « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anatema sit. » *Tertio* vides: quommodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas,

merito esse insinuatum á Conciliis: quod tota quantitas dimensiva corporis Christi est in sacramento Eucharistiæ. Ut á Concilio Flor. secundum quod in art. 1. 3. append. recitatur. Nam ly *totus* demonstrat propositum. Christus enim esse totus, seu integer, tunc dicitur, quando nihil ei de requisitis deest, nec in corpore, nec in anima, nec in deitate. Patet autem, quod quantitas dimensiva est unum de requisitis ad staturam corporis; et proportionaliter tanta, quantum est corpus, seu quanta est corporis statura. Nec solum dimensiva quantitas est de requisitis ad corporis totalem integritatem, sed etiam alia accidentia; non gloriosa quidem, si sint corporis non gloriosi, gloriosa vero, qualia ab Apostolo assignantur 1. Cor. 15. si sint corporis gloriosi. Totam ergo quantitatem dimensivam Christi, et omnia ejusdem accidentia gloriosa, esse in Eucharistiæ sacramento, definivit Concil. Florent. per hanc brevem sententiam dicens: quod *Christus est ibi totus.* Et quia dixit, non tantum ly *in hostia consecrata, et vino consecrato*, sed etiam ly *in qualibet parte hostiæ consecratæ, et vini consecrati, totus est Christus*: ideo de necessitate fatendum est, simul ipsum dixisse, quod tota illa corporis quantitas, et accidentia ejus omnia sunt in qualibet ipsorum consecratorum parte. Item á Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. *Verissimum est*, etc. et can. 3. *Si quis*, etc. ut recitatur supra art. 2. 3. append. et ab eod. sess. 22. c. 2. " In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. » Et infra. " Una, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum per seipsum tunc in cruce obtulit. » Quid enim melius ad propositum præsentis articuli significandum dici posset, quam ly *una, eademque hostia,* ly *idem ipse Christus, qui seipsum in cruce obtulit*? *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Bezanitarum* contra omnipotentiam Dei insurgentium, per hoc, quod asserunt, quod Deus efficere nequit, ut corpus aliquod manente substantia sit absque loco. Vides enim articulum præsentem directe contraponi adversus illam, et abundanter quidem, dum efficacissime probat, corpus Christi; ut in Eucharistiæ sacramento, non solum non esse, sed et nullo modo esse, sed etiam nec posse esse, in loco. Id, quod ad omnipotentiam Dei sic mirabiliter, ut tamen *testimonia sua hæc credibilia facta sint nimis*, Ps. 92. operantem, proculdubio pertinet. Jam siquidem in 2. 2. qu. 1. artic. 8. ad 6. á sancto Doctore dictum est: quod miracula circa corporis Christi existentiam in sacramento Eucharistiæ continentur sub omnipotentia Dei. Porro inter hujusmodi miracula computatur, quod corpus Christi sit in hoc sacramento, non tamquam in loco; quoniam omnia fere tractata in qu. 75. 76. 77. pro veris miraculis circa Eucharistiæ sacramentum patratis habenda sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari á Concil. Florent. per hoc, quod dicit: quod totus Christus est in sacramento, ut recitatur supra ar. 1. app. et quod tota quantitas dimensiva Christi est ibi, ut declaratur ar. 4. app. Patet enim quod hoc ultimum non potest á Concilio ipso intelligi de esse ipsius quantitatis per modum quantitatis: quoniam patet, locum, ubi est hoc sacramentum, esse multo minorem, quam sit tota quantitas dimensiva Christi sumpta per modum ipsius quantitatis, idest sumpta secundum commensurationem suam explicitam, puta bicubiralem, aut tricubitalem. Necessario igitur intellexit ipsum Concilium ibi de esse quantitatis sumptæ per modum substantiæ, hoc est, non secundum modum extensæ commensurationis. In verbis ergo illis Concilii est de necessitate virtualiter iste sensus, scilicet quod totum corpus Christi est in hoc sacramento, non sicut in loco. Manifestum enim est, quod esse alicubi, tamquam in loco, dicit necessario commensurationem rei locatæ ad rem locantem: quoniam propter hoc testatur Philos. in 4. Physic. quod oportet, locum, et locatum esse æqualia. Quod non contingit hic: ut diximus. Alioquin, si Christi totum corpus esset in sacramento, tamquam in loco, tunc apertissime sequeretur, et quod corpus Christi totum, idest cum tota sua quantitate dimensiva, per modum extensæ commensurationis ad locum illum, esset ibi, et consequenter, quod nec excederet quantitatem hostiæ,

nec ab ea excederetur, sed omnino ad invicem illæ quantitates essent æquales, et consequenter, quod Christus, si totus esset in sacramento, tamquam in loco, tunc non posset esse totus in sacramento, id, quod est expresse contra Concilium. Cum ergo hæc, quæ tunc (ut patet) sequerentur, sint inconvenientia, etiam ad sensum manifesta, oportet dicere, quod Concilii sensus verus in illis verbis, *Christus totus in sacramento est*, fuit iste, scilicet, quod Christus ibi, tamquam in loco, non est. Per verba ergo illa sua Concilium damnavit hæresim in principio appendicis narratam. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis simul, et Conciliis; quod Christus immobiliter est in sacramento Eucharistiæ. A scripturis quidem, ut Marc. 16. *Dominus sedet á dextris Dei.* A concilio autem *Florent. Christus est in hostia consecrata.* Vide sub. art. 1. 3. append. Connecte modo Concilium hoc cum scriptura illa, et patefiet tibi propositum. *Dominus* (inquiunt) *sedet; et idem Dominus est in hostia.* Quid est ly *sedet*? *Quiescit*? Nam sedere (ut patet) dicit quietem corporalem. Ac si ergo Beatus Marcus dixerit: Dominus noster post multos labores viriliter á se in terris toleratos corporalem quietem apud Patrem assecutus est in cœlis. Si ergo ille ipse Dominus in hostia consecrata est, prout vere de eo Concilium sentit, oportet fateri, quod ipse est immobiliter in hoc sacramento: impossibile enim est, idem esse motum, et simul esse quietum, secundum idem: alioquin contradictoria de eodem verificarentur, quod nec dabile, nec intelligibile est. Stante igitur Evangelio præmisso, dicere, Christus est in pane, et vino consecratis, est idem, quod dicere, Christus est immobiliter in hoc sacramento. Primum dicit Concilium: ergo et secundum. Hæc dicta sint, sumendo ly *immobiliter* secundum locum. Quod si sumatur secundum mutationem, sic etiam á Conciliis insinuatur, quod, ibi est immobiliter. Ut á Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio III.* per hoc, quod dicit: *Verum Christi corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem.* De sum. Trin. et fid. cath. cap. *firmiter.* Patet siquidem sapienter considerantibus, istud concilium his verbis denotare: quod sacramentum altaris consistit in consecratione materiæ; qua scilicet materia ipsa, idest panis, et vinum, transubstantiatur in corpus, et sanguinem Christi. Quia igitur re, quæ consecrata est, manente, semper, ut ex terminis manifestum est, consecratio ejus durat, ideo Concilium ibi sensum hunc de necessitate cointellexit, quod scilicet tamdiu Christus manet sub illis speciebus sacramentalibus: quamdiu illæ species durant, et consequenter, quod deficientibus prædictis speciebus, Christus in se indeficiens, ut supponitur ex Rom. 6. *Christus resurgens*, etc. desit esse sub ipsis. Species ergo sacramentales mutari possunt de esse ad non esse, ut ad sensum patet, sed Christus sub ipsis existens non mutatur, secundum Concilium, de esse ad non esse, licet tunc sub illis desinat esse. Quod utique est, Christum in sacramento altaris esse immobiliter. Item á Concilio *Florent.* idipsum insinuatur per hoc, quod dicit, et substantiam panis, ac vini in corpus, et sanguinem converti: et sub speciebus panis, ac vini Christum contineri. Vide quæst. 75. art. 1. 4. append. Patet siquidem sapienter considerantibus istud concilium his verbis denotare, quod, etc. Perge per omnia, ut supra de *Lateranen.* dictum est: applicando prudenter singula ad Concilium *Florentin.* Item insinuatur illud ab eodem *Lateranensi*, ut recitatur extra, de custodia Eucharistiæ, etc. *stuimus*, et á Papa *Honorio*, ut recitatur extra, de celebr. miss. cap. sane, et á Concilio *Guarmaciensi*, ut recitatur de consecr. dist. 2. cap. *presbyter.* Per hoc enim quod jubent ibi, ut sacramentum Eucharistiæ in sacrario asservetur pro necessitate vel infirmorum, vel, etc. subintelligendo, ut patet ibi legenti, et recte discurrenti, quod sæpe per iteratam mutationem sacramentum illud in sacrario renovetur, ne species putrefiant, per hoc, inquam, totum innuunt manifeste; quod Christus sub illis sacramenti speciebus remanet, quamdiu illæ species durant, et consequenter, quod Christus sub illis est immobiliter modo prædicto. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis: quod Christus, prout est in sacramento altaris, non potest videri á quolibet oculo, etiam glorificato. Ut per hoc, quod dicitur Isa. 33. *Regem*, etc. secundum quod cum applicatione discursiva ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Isa. 45. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Item Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum.* Item Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quàm abscondisti timentibus te?* Item Isa. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Ex his enim, et hujusmodi scripturarum dictis innuitur propositum: si ad sacramentum altaris, ut decet, applicentur. Ecce Deus Israel salvator est Christus videntium Deum per fidem, idest, fidelium maxime salvator, 1. *Tim.* 4. est vere absconditus in sacramento: quod inter omnia sacramenta Ecclesiæ dicitur specialissime sacramentum fidei, ut habet sanctus Doctor in opusc. 59. cap. 1. Unde et in canone Missæ vocatur *mysterium fidei*, idest secretum sacratissimum soli fidei manifestum, ut ibid. ab eod. exponitur. Christus ergo est vere in sacramento fidei pro salute fidelium absconditus: quia ipse, secundum modum essendi ibi, est soli fidei manifestum. Excipitur tamen Deus ab. Isa. 64. ut supra adducebatur: et consequenter excipiuntur etiam charitatem visionis Dei á Deo actualiter in patria participantes. Vide mox, Christum esse manna figuratum, sed absconditum ut Apocal. modo prædicto; vincentibus principaliter dandum, Christum quoque esse illam maximam dulcedinem, quam Christus ipse in tali sacramento præparavit, cujus dulcedinis quantitatem significat esse inmensam admiratio Psalmistæ dicentis: *Quam magna!* Hanc dulcedinem, idest, seipsum Christum Christus abscondit ita: ut oculus etiam glorificatus, non videat, absque, etc. Excipe tu fidei oculum, Dei, etc. ut supra *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina hæc Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab ecclesiastica consuetudine, quod, quando miraculose fiunt apparitiones modo prædicto in sacramento Eucharistiæ, adhuc remanet ibi sub speciebus verus Christus integer, qui prius erat. Insinuatum autem ab ea est per hoc, quod Ecclesia, datis hujuscemodi apparitionibus, et perseverat adorare latria, ut prius faciebat, illam hostiam, secundum quod habetur *in arg. cont.* et finitis illis apparitionibus non amplius consecrat hostiam ipsam ad communicandum aliquem. Verbi gratia. Fiat in hostia, jam consecrata, præmissa in prima conclusione apparitio. Tunc, transacto illius miraculosæ apparitionis tempore, et consequenter revertente hostia ad figuram, et colorem panis, sacerdos absque nova consecratione prædictæ hostiæ communicat seipsum, vel alium illamet hostia. Quod si fiat in hostia consecrata apparitio narrata in secunda conclusione: tunc, postquam longiori tempore manserit reservata in pixide, si ad figuram, coloremque panis revertatur idem fieri solet, idest non amplius consecratur, immo hæc consecrationis reiteratio pro sacrilegio magno reputaretur, et ad communicandum aliquem assumitur, nisi forte ad protestationem, seu memoriam miraculi videatur expediens reservare illam ad tempus. Interim tamen semper veneratione latriæ adoratur. Ex hoc itaque quod absque nova consecratione post circa illam hostiam sic, ut diximus, se habet Ecclesia: declaratum reliquit factis suis, quod in tali hostia erat vere corpus Christi etiam tempore apparitionum illarum, ita quod numquam esse desiit sub dimensionibus sacramenti. Quemadmodum ex eo, quod non baptizat hæreticos redeuntes ad Ecclesiam, ostendit, quod character baptismi numquam in eis esse desiit, qu. 66. art. 9. De mirabili autem valore consuetudinis Ecclesiæ, vide 2. 2. qu. 10. art. 12. corp. princ. Quod vero de pane consecrato audisti, intellige etiam dictum esse de vino consecrato: quoniam in hoc sunt paris conditionis. Ideo et Divus Thomas, pluries de uno loquitur in articuli hujus tractatu: intelligens tamen de ambobus verificari, quæ de uno dicit propter rationem allatam. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc sacramento.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum accidentia quæ remanent, sint sine subjecto.

Secundo, utrum quantitas dimensiva sit subjectum aliorum accidentium.

Tertio, utrum hujusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum.

Quarto, utrum posint corrumpi.

Quinto, utrum ex eis possit aliquid generari.

Sexto, utrum possint nutrire.

Septimo de fractione panis consecrati.

Octavo, utrum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia remaneant sine subjecto in sacramento Eucharistiæ.

Pro negativa. — Videtur, quod accidentia non remaneant in hoc sacramento sine subjecto.

1. Illud quod est inordinatum et fallax, non debet esse in hoc sacramento quod est sacramentum veritatis. Sed accidentia esse sine subjecto est quoddam inordinatum: est enim contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit; et etiam ad quandam fallatiam videtur pertinere, eo quod accidentia sint signa subjecti. Ergo in sacramento Eucharistiæ non remanent accidentia sine subjecto.

2. Non potest fieri, etiam miraculose quod definitio rei separetur á definito, vel quod definitio unius conveniat alteri. Sed facere quod accidentia existant sine subjecto, est facere quod definitio separata sit á definito, et quod definitio unius conveniat alteri. Ergo nec etiam per miraculum potest fieri quod accidens existat sine subjecto.

Maior manifestatur. Non enim potest fieri quod homo manens homo non sit animal rationale, et quod sit animal irrationale; sequeretur enim contradictoria esse simul vera, scilicet quod homo esset homo, et non homo: esset inquam homo, ut supponitur, et non esset homo, quia non esset animal rationale, quod esset dicere: non est homo, quia hoc quod significat nomen rei, est definitio.

Minor prob., quia ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subjecto, et ad definitionem substantiæ quod non sit in subjecto. Unde facere quod accidens sine subjecto existat, est facere quod definitio accidentis non conveniat accidenti, et quod accidenti conveniat definitio substantiæ.

3. Si accidentia remanent in hoc sacramento sine subjecto; sequitur quod hujusmodi accidentia non sint individua, sed universalia, quod est falsum. Ergo accidentia non remanent in hoc sacramento sine subjecto.

Conseq. prob., quia accidens individuatur ex subjecto. Unde accidens sine subjecto non erit individuum.

Falsitas prob., quia sic hujusmodi accidentia non essent sensibilia, sed tantum intelligibilia.

4. Si accidentia remanerent in hoc sacramento sine subjecto, sequeretur quod hujusmodi accidentia sic remanentia essent simpliciora quam Angeli quod est falsum.

Conseq. prob., quia accidentia hæc non adipiscuntur per consecrationem hujus sacramenti aliquam compositionem; cum igitur ante consecrationem non essent composita ex materia et forma, neque ex quo est et quod est; si separentur á subjecto cum quo compositionem faciebant, remanent simpliciora Angelis. Falsitas consequentis patet, quia hujusmodi accidentia sunt sensibilia, Angeli autem sunt pure intellectuales.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. dicit in Hom. Pasch. et refertur de consec. d. 2. c. Species; *species sacramentales sunt illarum rerum vocabula quæ ante fuerunt.* Et ita cum non remaneat substantia panis et vini; videtur quod hujusmodi accidentia remaneant sine subjecto.

Determinatio.

Conclusio. Accidentia remanent in sacramento Eucharistiæ post consecrationem sine subjecto, divina virtute.

Probat. Accidentia panis et vini quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subjecto in substantia panis et vini, neque etiam in forma substantiali panis et vini, neque in substantia corporis Christi, nec in aere circumstanti. Ergo sunt sine subjecto.

Antecedens prob., quoad singulas partes.

Non sunt in substantia panis et vini; quia hujusmodi substantia non remanet, ut dictum est q. 75. art. 3. et 6.

Nec in forma substantiali panis, aut vini; tum quia hujusmodi forma, nec ipsa remanet, et si remaneret post consecrationem, non posset esse subjectum horum accidentium, ut patet per Boet. in lib. de Trin. Nec sunt in substantia corporis Christi, tum quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, puta sapore et colore panis et vini, vel figura; tum etiam quia corpus Christi gloriosum impassibile existens, non est possibile quod alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.

Nec sunt in aere circumstante, ut quidam dixerunt. Primo, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. Secundo, quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aer, quinimmo ad motum harum specierum aer depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, ut scilicet idem accidens numero quod primo fuit in uno subjecto, postmodum sit in alio: accidens enim accipit numerum á subjecto: unde non potest esse quod idem numero manens, sit quandoque in hoc et quandoque in illo subjecto. Quarto, quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec potest dici quod miraculose hoc fiat, quia verba consecrationis hoc non significant, et sic patet antecedens.

Manifestatur autem conclusio, quoad ultimam ejus particulam, scilicet quod hoc fiat divina virtute: Potest enim divina virtute fieri ut accidentia sine subjecto existant. Cum enim effectus magis dependeat á causa prima, quam á causa secunda: Deus qui est causa prima substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest accidens in esse, subtracta substantia per quam accidens in esse, sicut per propriam causam, conservabatur: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest sine naturalibus causis producere: sicut formavit humanum corpus in utero Virginis sine virili semine.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Accidentia enim esse in hoc sacramento sine subjecto, non est aliquid inordinatum, nec falax. Ad probationem quæ innuitur, dicitur quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturæ, cujus tamen contrarium sit ordinatum secundum speciale privilegium gratiæ, ut patet in resuscitatione mortuorum et in illuminatione cæcorum; prout etiam in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex speciali privilegio, præter legem communem. Ita etiam licet sit secundum naturæ ordinem quod accidens sit in subjecto, ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc sacramento sine subjecto, propter dictas rationes.

Ad 2. Negatur minor. Ad probatio-

nem dicitur, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ esse ens per se sine subjecto, nec definitio accidentis esse ens in subjecto, sed per hoc ostenditur tantum quod essentiæ substantiæ convenit habere esse non in subjecto, et essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. Et quia in hoc sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante; ideo non desinunt esse accidentia, quia non separatur ab eis definitio accidentis quæ est aptitudo ad subjectum quæ semper manet in eis, non actualis inhærentia, ac per hoc non competit eis definitio substantiæ.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod hujusmodi accidentia acquisierunt esse individuum in substantia panis et vini, qua conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent, virtute divina, accidentia in illo esse individuato quod prius habebant; et per hoc sunt singularia et sensibilia.

Ad 4. Negatur consequentia. Nam hujusmodi accidentia post consecrationem sunt composita ex esse et quod est, cum divina virtute per se existant; et ulterius sunt composita ex partibus quantitativis; unde non sunt magis simplicia, quam sint Angeli, in quibus est tantum compositio ex esse et quod est, ut dictum est 1. p. quæst. 51. art. 2. et 3.

ARTICULUS II.

Utrum in sacramento Eucharistiæ quantitas dimensiva panis vel vini, sit aliorum accidentium subjectum.

Pro negativa. — Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiva panis et vini non sit subjectum aliorum accidentium.

1. Accidens non potest esse accidentis subjectum. Sed quantitas dimensiva est accidens. Ergo quantitas dimensiva non potest esse aliorum accidentium subjectum,

Maior prob., quia nulla forma potest esse subjectum, cum subjici pertineat ad proprietatem materiæ.

2. Alia accidentia quæ remanent in hoc sacramento, non individuantur per quantitatem dimensivam. Ergo alia accidentia remanentia in hoc sacramento non sunt in quantitate dimensiva, sicut in subjecto.

Conseq. prob., quia omne accidens individuatur per suum subjectum.

Antecedens prob., quia alia accidentia quæ remanent in hoc sacramento, individuantur ex substantia, in qua erant ante consecrationem, sicut et ipsa quantitas: unde sicut quantitas remanet individuata ex hoc quod divina virtute conservatur in esse individuali quod prius habebat, ita et alia accidentia; ac per hoc non individuantur per quantitatem.

3. Rarum et densum quæ sensu deprehenduntur remanere in hoc sacramento, inter alia accidentia panis et vini, non possunt esse in quantitate dimensiva existente sine materia. Ergo quantitas dimensiva non est subjectum omnium aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento.

Anteced. prob., quia rarum est quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus; densum autem est quod habet multum de materia sub parvis dimensionibus, ut dicitur 4. Phys. textu 84. Quæ non possunt verificari, nisi substet materia. Cum igitur in hoc sacramento remaneat quantitas sine materia, non poterit hujusmodi quantitas esse subjectum rari et densi.

4. Quantitas mathematica non potest esse subjectum accidentium sensibilium. Sed quantitas quæ in hoc sacramento post consecrationem remanet, videtur quod sit quantitas mathematica. Ergo quantitas remanens in hoc sacramento

non potest esse subjectum aliorum accidentium sensibilium.

Maior probat., quia quantitas mathematica sensibilium qualitatum subjectum esse non potest.

Minor probat., quia quantitas separata á materia est quantitas mathematica; cum igitur quantitas in hoc sacramento remanens sit sine materia, videtur quod mathematica quantitas dici debeat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Qualitates remanentes in hoc sacramento dividuntur per divisionem quantitatis dimensivæ, sicut patet ad sensum. Ergo qualitates remanentes in hoc sacramento sunt in quantitate dimensiva, sicut in subjecto.

Conseq. prob., quia qualitates non sunt divisibiles, nisi per accidens ad divisionem subjecti. Cum ergo non remaneat in hoc sacramento materia; sequitur quod alia accidentia sint in sola quantitate dimensiva.

Determinatio.

Conclusio. Necesse est dicere, accidentia alia quæ remanent in sacramento Eucristiæ, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente.

Probatur primo. quia ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.

Secundo, omnia accidentia referuntur ad primum subjectum quod est materia, mediante quantitate dimensiva. Ergo subtracto primo subjecto accidentium remanentium in hoc sacramento quod erat substantia panis et vini, omnia alia accidentia remanent fundata in quantitate dimensiva.

Antecedens manifestatur. Nam prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva, propter quod Plato apud Aristot. lib. 1. Metaph. text. 6. et 7. posuit primas differentias materiæ, *magnum et parvum*; et ideo omnia alia accidentia referuntur ad materiam, mediante quantitate dimensiva, sicut primum subjectum coloris dicitur esse superficies. Unde et quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur 1. Metaph. tex. 19.

Conseq. prob., quia accidentia remanentia in hoc sacramento manent cum eodem esse quod prius habebant. Cum igitur prius subjectarentur in substantia panis et vini, mediante quantitate dimensiva, consequens est quod remota substantia panis remaneant in quantitate dimensiva tamquam in subjecto.

Tertio, quantitas dimensiva est aliquo modo principium individuationis aliorum accidentium. Ergo subtracta materia quæ est primum subjectum, et remanentibus accidentibus, erunt accidentia in quantitate dimensiva tamquam in subjecto.

Consequentia manifestatur. Quia cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet quod id quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, sit aliquo modo individuationis principium. Ex hoc igitur quod quantitas est aliquo modo principium individuationis accidentium, ut probabitur; sequitur evidenter quod quantitas sit eorum subjectum; et quod subtracta materia, ipsa remaneat aliorum accidentium remanentium subjectum.

Antecedens manifestatur: nam aliquid potest individuari dupliciter. Uno modo quia non est aptum natum esse in aliquo, et hoc modo formæ immateriales separatæ per se subsistentes sunt per seipsas individuæ. Alio modo per hoc quod aliqua forma nata est esse in aliquo; sed non est apta nata esse in pluribus; et sic individuatur forma substantialis, vel accidentalis, quia scilicet hujusmodi formæ aptæ natæ sunt esse in aliquo, ad differentiam formarum separatarum: sed non in pluribus, ad differentiam naturarum communium. Habent igitur hujus-

modi formæ, ut individuentur, duas conditiones; scilicet quod sint in aliquo, et quod non sint in pluribus, sed tantum in uno.

Quantum ad primam conditionem, principium individuationis, omnibus formis inhærentibus, est materia; quia cum hujusmodi formæ, quantum est de se, sint natæ esse in aliquo sicut in subjecto ex quo aliqua earum recipitur in materia quæ non est in alio; ideo nec forma ipsa in tali materia existens potest esse in alio.

Quantum autem ad aliam conditionem principium individuationis est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo quod illud est in se indivisum, et divisum ab omnibus aliis. Divisio autem accidit substantiæ, ratione quantitatis, ut dicitur 1. Phys. tex. 15. Et hoc modo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium hujusmodi formis, in quantum scilicet, diversæ formæ numero, sunt in diversis partibus materiæ. Unde et ipsa quantitas dimensiva, secundum se, habet quamdam individuationem, sicut materia habet secundum se, ut non sit in alio: ita quod possumus imaginari plures lineas separatas ejusdem speciei, differentes positione quæ cadit in ratione hujus quantitatis: convenit enim dimensioni quod sit quantitas positionem habens. Ex quibus remanet declaratum antecedens, præcipue quoad illam particulam (aliquo modo) cum ostensum sit quomodo quantitas dimensiva sit principium individuationis. Remanet etiam idem antecedens probatum, dum ostensum est quod quantitas dimensiva est sic individuationis principium, quia ei convenit habere, secundum se, quamdam individuationem. Et tandem ex hoc patet ratio; quare potius quantitas dimensiva sit subjectum aliorum accidentium, quam alia sint subjectum ipsius: quia inquam ipsa est principium individuationis aliorum accidentium, non autem é converso.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod accidens non potest per se esse subjectum accidentis, quia accidens per se non est. Accidens vero prout est in alio potest esse subjectum alterius accidentis, in quantum unum accidens recipitur in subjecto mediante alio, sicut superficies dicitur esse subjectum coloris, quia color recipitur in corpore, mediante superficie. Unde quando accidenti datur divinitus esse per se, ut fit in sacramento Eucharistiæ potest illud accidens, per quod alia accidentia in corpore fuerunt recepta, esse subjectum aliorum: et quia quantitas dimensiva est per quam cætera accidentia in corpore recipiuntur, quando ei datur divinitus esse per se, potest esse subjectum aliorum.

Ad 2. Negatur anteced. Ad probationem dicitur, quod alia accidentia etiam secundum quod erant in substantia panis, individuabantur mediante quantitate dimensiva, ut in corpore dictum est. Et propter hoc quantitas dimensiva potius est subjectum aliorum accidentium remanentium, quam é converso.

Ad 3. Neg. anteced. Ad prob. dicitur quod rarum et densum sunt quædam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus, sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiæ; et ideo sicut, substracta substantia, divina virtute conservantur in hoc sacramento: ita, subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, inter quas sunt rarum et densum.

Ad 4. Negatur minor: quantitas enim remanens in hoc sacramento est sensibilis, ac per hoc non est mathematica quæ abstrahit á materia sensibili. Ad probationem dicitur, quod esse sine subjecto, non facit quantitatem esse mathematicam, cum etiam mathematica quantitas sit in subjecto, non quidem sensibili, sed intelligibili; sed illa quan-

titas erit mathematica quæ sensui non subjicitur. Licet igitur quantitas remanens in sacramento altaris non sit in subjecto, non est tamen mathematica, quia non abstrahit á sensu.

ARTICULUS III.

Utrum species, quæ remanent in sacramento Eucharistiæ, possint immutare aliquid extrinsecum.

Pro negativa.=Videtur quod species quæ remanent in hoc sacramento, non possint immutare aliquid extrinsecum.

1. Formæ sine materia existentes non possunt immutare materiam exteriorem inducendo in ea aliquam formam. Sed species sacramentales sunt formæ sine materia. Ergo species sacramentales non possunt immutare exteriorem materiam inducendo aliquam formam.

Maior probat., quia ut probatur 7. Phys. formæ quæ sunt in materia, fiunt á formis quæ sunt in materia; non autem á formis quæ sunt sine materia, eo quod simile agat sibi simile.

Minor prob., quia species sacramentales remanent in hoc sacramento sine subjecto, ut art. præced. dictum est.

2. In hoc sacramento non remanet forma substantialis panis et vini, ut qu. 75. art. 2. et 6. dictum est. Ergo formæ accidentales remanentes non possunt agere ad immutationem exterioris materiæ.

Consequentia prob. Quia cum formæ accidentales agant instrumentaliter virtute substantiæ tamquam principalis agentis, et cessante actione principalis agentis necessarium sit cessare actionem instrumenti; sicut quiescente fabro non movetur malleus: sequitur quod remota forma substantiali, virtute cujus accidentia tamquam instrumenta per principale agens agunt, non possint hujusmodi accidentia aliquid efficere.

3. Species sacramentales omnes sunt accidentia. Ergo non possunt exteriorem materiam immutare ad minus ad formam substantialem.

Conseq. probat., quia nihil agit ultra suam speciem, cum effectus non possit esse potior causa.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea quæ possunt sentiri, possunt exteriora corpora immutare. Sed species sacramentales possunt sentiri. Ergo species sacramentales possunt exteriora corpora immutare.

Maior prob., quia sentitur aliquid per hoc quod immutatur sensus á sensibili.

Determinatio.

Conclusio. Species sacramentales remanentes in sacramento Eucharistiæ possunt exteriora corpora immutare.

Prob. Species sacramentales, quando erant in substantia panis et vini ante consecrationem, poterant immutare exteriora corpora. Ergo species sacramentales post consecrationem possunt immutare exteriora corpora, sicut prius poterant.

Conseq. prob. Speciebus sacramentalibus post consecrationem datum est virtute divina, ut remaneant in suo esse quod habebant, quando existebant in substantia panis et vini, ut art. 1. dictum est. Ergo eisdem datum est eadem virtute divina, ut ramaneant in suo agere, ac per hoc quod omnem actionem, quam prius habebant, habere postea possint.

Conseq. hæc prob., quia cum unumquodque agat, in quantum est actu: consequens est quod unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere, et sic id quod habet idem esse, habeat eamdem actionem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod licet species sacramentales sint formæ sine materia existentes, quia tamen retinent esse quod habebant prius in materia secundum esse quod habent, assimilantur formis quæ sunt in materia; et propterea possunt immutare corpora exteriora, ut dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ. Et ideo sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus, ut possint esse sine subjecto; ita datur eis, ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, á quo sicut á primo agente dependet omnis actio formæ substantialis et accidentalis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod immutatio quæ est ad formam substantialem, non fit á forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus activis et passivis quæ agunt in virtute formæ substantialis. Hæc autem instrumentalis virtus conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute, sicut et prius erat; et ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter: per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis.

ARTICULUS IV.

Utrum species sacramentales possint corrumpi.

Pro negativa.==Videtur quod species sacramentales non possint corrumpi.

1. Formæ quæ possunt corrumpi, habent materiam. Sed species sacramentales non habent materiam. Ergo species sacramentales non possunt corrumpi.

Maior probat., quia corruptio accidit per separationem formæ á materia.

Minor probat., quia materia panis non remanet in hoc sacramento, ut ex prædictis patet.

2. Formæ sine subjecto non possunt corrumpi. Sed species sacramentales sunt formæ sine subjecto existentes. Ergo species sacramentales non possunt corrumpi.

Maior probat., quia nulla forma corrumpitur, nisi per accidens, corrupto subjecto. Unde formæ per se subsistentes sunt incorruptibiles, sicut patet de substantiis spiritualibus.

3. Si especies sacramentales corrumpuntur, aut corrumpuntur naturaliter, aut miraculose. Sed non corrumpuntur naturaliter, nec miraculose. Ergo nullo modo possunt corrumpi.

Minor probat. Non naturaliter, quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subjectum quod remaneat terminata corruptione, quod exigitur in corruptione naturali. Nec miraculose, quia miracula quæ sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quam species sacramentales conservantur; non est autem idem causa conservationis et corruptionis ejusdem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sensu deprehenditur, hostias consecratas put refieri et corrumpi.

Determinatio.

Conclusio. Species sacramentales possunt corrumpi.

Probat. Accidentia panis et vini ante consecrationem poterant corrumpi. Ergo etiam post consecrationem, substantia panis et vini abeunte, possunt corrumpi.

Conseq. prob., quia species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis et vini existente.

Quot, et quibus modis contingat sacramentalium specierum corruptio.

Quomodo autem fiat harum sacramentalium specierum corruptio ex modo, quo ante consecrationem corrumpi poterant, elicendum est. Poterant enim hujusmodi accidentia primo, dum essent in substantia panis, corrumpi dupliciter. Uno modo per se. Alio modo per accidens. Per se quidem corrumpi poterant per alterationem qualitatum, et per augmentum, vel diminutionem quantitatis. Non quidem per modum augmenti, vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis, qualia corpora non

sunt substantia panis et vini, sed per additionem et divisionem. Nam sicut dicitur 3. Met. per divisionem una dimensio corrumpitur et fiunt duæ dimensiones; per additionem vero é converso, ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste corrumpi possunt hujusmodi accidentia post consecrationem, quia et ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem suscipere; et cum sit subjectum qualitatum sensibilium, sicut dictum est art. 1. potest etiam esse subjectum alterationis earum; puta si alteretur color, aut sapor panis, aut vini. Per accidens autem poterant corrumpi hujusmodi accidentia ante consecrationem, per corruptionem subjecti, puta per corruptionem substantiæ panis vel vini corrumpebatur sapor, aut color panis, vel vini, quo modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamvis enim subjectum, scilicet substantia panis et vini non remaneant, remanet tamen esse quod hujusmodi accidentia habebant in subjecto, quod quidem est proprium et conforme subjecto. Et ideo hujusmodi esse potest corrumpi á contrario agente, sicut poterat corrumpi substantia panis, vel vini, quæ etiam non corrumpebatur, nisi præcedente alteratione circa accidentia.

Sciendum tamen quod non per quamcumque immutationem harum sacramentalium specierum desinit esse corpus Christi sub ipsis; sed oportet, ut tanta sit, quanta sufficiens fuisset ad corruptionem substantiæ panis ante consecrationem. Cum enim corpus et sanguis Christi succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium quæ non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento, sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color, aut sapor panis, vel vini; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes, in quibus possit salvari natura panis, aut vini.

Si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis et vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento; et hoc sive ex parte qualitatum; sicut cum ita immutatur color et sapor et aliæ qualitates panis et vini quod nullo modo possent compati naturam panis et vini; sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneat species panis, vel vini.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod etsi species sacramentales non sint in materia; habent tamen esse simile ei, quod est in materia, cum divina virtute retineant esse quod prius habebant in subjecto: et ideo, sicut prius poterant corrumpi, sic possunt postea corrumptionem pati.

Ad 2. Similiter dicitur ad minorem, quod species sacramentales licet sint formæ non in materia, habent tamen esse quod prius in materia existentes habebant.

Ad 3. Negatur minor quoad secundam partem, est enim corruptio illa, non miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamen miraculum factum in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto quod prius habebant in subjecto; sicut cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt.

ARTICULUS V.

Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.

Pro negativa.=Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

1. Ei ex quo aliquid generatur, subest aliqua materia. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia, nisi corpus Christi quod est incorruptibile.

Ergo ex speciebus sacramentalibus nihil potest generari.

Maior probat., quia quod generatur, ex aliqua materia generatur; ex nihilo enim nihil fit per generationem, sed per creationem tantum.

2. Ex accidentibus non potest generari aliqua substantia. Sed species sacramentales sunt accidentia. Ergo ex speciebus sacramentalibus non potest generari aliqua substantia.

Maior prob. Ea quæ non sunt unius generis, non possunt ex se invicem generari. Non enim ex albedine fit linea. Sed accidens et substantia differunt genere. Ergo ex accidente non potest substantia generari.

3. Si ex speciebus sacramentalibus generetur aliqua substantia corporea; sequeretur quod ex accidente generaretur substantia et accidens, duo scilicet ex uno quod est impossibile. Ergo ex speciebus sacramentalibus non potest aliqua substantia corporea generari.

Consequentia probat., quia substantia corporea non est sine accidente. Et ideo ex quo generatur substantia corporea, generatur etiam accidens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ad sensum videtur quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur. puta cines, si comburantur; vel vermes, si putrefiant; vel pulveres, si conterantur.

Determinatio.

Conclusio. Ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur.

Probatur. Ex his quæ corrumpuntur, necesse est aliquid generari. Sed species sacramentales corrumpuntur, ut artic. præced. dictum est. Ergo ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari.

Maior prob., *Corruptio unius est generatio alterius*, ut dicitur 1. Gen. tex. 17.

Et confirmatur conclusio. Quia species sacramentales non sic corrumpuntur, ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur; sed manifeste eis aliquid sensibile succedit.

Quomodo ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur.

Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre: nam ex corpore Christi, aut ex sanguine quæ ibi veraciter manent, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia.

Quorumdam positio.

Quidam posuerunt quod in hoc sacramento remanet substantia panis et vini, vel eorum materia, ut dictum est quæst. 75. art. 2. Et secundum hanc positionem facile esset assignare, ex quo generetur illud sensibile quod succedit, dicendo quod generatur ex substantia panis, vel vini quæ ibi post consecrationem remansit.

Reprobatio.

Sed quia fundamentum hujus positionis est falsum, ut in prædicto loco ostensum, hinc fit quod nec etiam ipsa positio vera esse possit.

Secunda aliorum positio.

Et ideo quidam alii dixerunt quod ea quæ generantur, non fiunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aëre circumstante.

Reprobatio.

Sed hoc multipliciter apparet esse impossibile. Primo, ex eo generatur aliquid quod prius alteratum et corruptum apparet. Sed nulla alteratio, vel corruptio apparuit prius in aëre circumstante. Ergo ex eo vermes, vel cineres non generantur.

Secundo, quia natura aëris non est talis quod ex eo per tales alterationes talia generentur.

Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias consecratas comburi, vel putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aëre generari, nisi magna et valde sensibili inspissatione aëris facta.

Quarto, quia idem posset accidere

corporibus solidis circumstantibus, puta ferro aut lapidibus quæ integra remanent post prædictorum generationem. Hæc igitur positio stare non potest, quia contrariatur ei quod ad sensum apparet.

Tertia aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum. Et sic ex substantia panis et vini redeunte, generantur cineres, aut vermes, aut aliquid hujusmodi.

Reprobatio.

Sed hæc positio videtur esse impossibilis. Primo quidem, quia si substantia panis et vini conversa est in corpus et sanguinem Christi, ut dictum est qu. 75. art. 4. non potest substantia panis, aut vini redire nisi corpore aut sanguine Christi iterum converso in substantiam panis et vini, sicut si aër sit conversus in ignem, non potest aër redire, nisi ignis in aërem convertatur. Quod autem corpus Christi in substantiam panis et vini convertatur est impossibile.

Secundo, videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substantia panis redeat.

Manifestum est enim ex supradictis art. 4. quod manentibus speciebus panis et vini, manet corpus et sanguis Christi quæ non sunt simul cum substantia panis et vini in hoc sacramento, secundum prælabita quæst. 75. art. 2. Unde substantia panis et vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus, quia jam substantia panis et vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile.

Quod si dicatur, quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum, redit non quidem substantia panis et vini, quia illud idem instans est, in quo primo habent esse substantiæ generatæ ex speciebus; sed materia panis et vini quæ magis de novo creata diceretur, quam rediens proprie loquendo; secundum quod posset prædicta positio sustineri,

Respondetur, quod quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur, vel redeat, videtur quod dicta positio nullo modo stare possit.

Vera sententia.

Et ideo melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini quod sit primum subjectum subsequentium formarum: et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset; totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti in consecratione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensiva supplet vices materiæ, ut in corp. dictum est.

Ad 2. Dicitur, ad minorem quod illæ species sacramentales sunt quidem accidentia, habent tamen actum et vim substantiæ, ut etiam in corpore dictum est.

Ad 3. Negatur falsitas seu impossibilitas consequentis, quantitas enim dimensiva panis et vini retinet naturam propriam et accipit miraculose vim et proprietatem substantiæ; et ideo potest transire in utrumque, idest in substantiam et dimensionem, quæ alia accidentia consequuntur.

ARTICULUS VI.

Utrum species sacramentales possint nutrire.

Pro negativa.=Videtur, quod species sacramentales non possint nutrire.

1. Omne quod nutrit, vadit in corpus. Sed iste panis non vadit in corpus. Ergo iste panis non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

Minor prob., quia Ambr. dicit lib. 5. de sacram. cap. 4. « Non iste panis est, « qui vadit in corpus; sed panis vitæ « æternæ qui animæ nostræ substantiam « fulcit. »

2. Ex accidentibus non nutrimur. Sed species sacramentales sunt accidentia. Ergo ex speciebus sacramentalibus non nutrimur.

Maior prob., ex his, ex quibus homo nutritur, ex eisdem constat; *ex eisdem enim nutrimur, ex quibus sumus.* Sed ex accidentibus homo non constat: non enim homo est accidens, sed substantia. Ergo accidentibus homo non nutritur.

3. Illud quod nutrit, debet esse substantia. Sed species sacramentales non sunt substantia. Ergo species sacramentales non possunt nutrire.

Maior probat., quia in 2. de ani. tex. 47. dicitur quod *alimentum nutrit, prout est substantia quædam, auget autem prout est aliquid quantum.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit 1. Corin. 11. de sacramento loquens: *alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ubi Glos. ordin. dicit: quod « notat illos, qui post celebratio- « nem sacri mysterii et consecrationem « panis et vini, suas oblationes vendica- « bant, et aliis non communicantes soli « sumebant, ita ut inde etiam inebria- « rentur; » quod quidem non posset contingere, si sacramentales species non nutrirent. Ergo species sacramentales nutriunt.

Determinatio.

Conclusio. Species sacramentales possunt nutrire.

Probatur. Ea quæ possunt converti in substantiam nutriti, possunt nutrire. Sed especies sacramentales possunt converti in substantiam ejus qui eas sumit. Ergo species sacramentales possunt nutrire.

Maior prob., quia ex hoc cibus nutrit quod convertitur in substantiam nutriti, ut dicitur 2. de ani. tex. 45.

Minor prob. Species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam quæ ex eis generatur, puta in cineres si comburantur, in vermes si putrefiant, et in pulveres, si conterantur, ut dictum est art. præced. Ergo eadem ratione possunt converti in corpus humanum ejus qui eas sumit. Unde patet quod hæc quæstio dificultatem non habet, præcedenti quæstione soluta.

De modo, quo species sacramentales nutriunt.

Sed de modo, quo species sacramentales nutrire possunt, quidam dicunt quod non vere nutriunt, quasi in corpus humanum convertantur; sed quod reficiunt et confortant quasi quadam sensuum immutatione; sicut homo confortatur ex odore cibi et inebriatur ex odore vini.

Reprobatio.

Sed hoc ad sensum patet esse falsum: talis enim refectio non diu sufficit homini, cujus corpus propter continuam deperditionem indiget, et tamen homo diu sustentari posset, si hostias et vinum consecratum sumeret in magna quantitate.

Altera positio.

Quidam vero dicunt quod species sacramentales nutriunt propter formam substantialem panis et vini quæ remanet.

Reprobatio, et vera sententia.

Sed hoc stare non potest propter duo, tum quia forma substantialis panis et vini non remanet, ut dictum est q. 75. art. 6. Tum quia nutrire non est actus formæ, sed magis pertinet ad materiam quæ recipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti. Unde dicitur in 2. de an. tex. 45. quod *nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem est simile.*

Nutriunt igitur species sacramentales proprie, non per formam substantialem quæ non remanet, sed per seipsas, quatenus in substantiam ejus qui nutritur, convertuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod facta consecratione dupliciter potest hoc sacramentum dici panis. Uno modo ratione ipsarum specierum panis quæ retinent nomen prioris substantiæ, ut Greg. dicit in Hom. Paschali, et refert. de consec. d. 2. c. species. Alio modo potest dici panis ipsum corpus Christi quod est panis mysticus de cœlo descendens, ut Amb. dicit loc. cit. Cum ergo dicitur quod *iste panis non transit in corpus*, accipit Amb panem secundo modo, quia scilicet corpus Christi non convertitur in corpus hominis; sed reficit mentem ejus; non autem loquitur de pane primo modo dicto; nam panis sic acceptus transit in corpus et nutrit; ut dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Nam ex accidentibus remanentibus in hoc sacramento homo nutritur, ut dictum est. Ad probationem dicitur ad minorem, quod etsi species sacramentales sint accidentia, ex quibus homo non constat, convertuntur tamen in ea, ex quibus homo constat, scilicet in carnes et sanguinem hominis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis species sacramentales non sint substantia, habent tamen virtutem substantiæ, sicut in corpore dictum est et in præcedentibus articulis.

ARTICULUS VII.

Utrum species sacramentales in sacramento Euchristiæ frangantur.

Pro negativa. = Videtur, quod species sacramentales in hoc sacramento non frangantur.

1. Speciebus sacramentalibus non potest attribui determinata dispositio pororum. Ergo species sacramentales non possunt frangi.

Conseq. probat., quia corpora sunt frangibilia propter determinatam dispositionem pororum, ut dicitur 4. Meteor.

2. Species sacramentorum non sunt sonabiles. Ergo species sacramentales non franguntur.

Antecedens prob., quia dicitur in 2. de an. tex. 77. quod *sonabile est corpus durum habens superficiem lenem*, quod de speciebus sacramentalibus dici non potest.

Conseq. prob., quia fractionem sequitur sonus.

3. Manducari atribuitur vero corpori Christi, et non speciebus sacramentalibus. Ergo et frangi debet attribui vero corpori Christi, et non speciebus sacramentalibus.

Anteced. prob., quia Joan. 6. dicitur *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem*. Et in confess. Berengarii quæ refertur de consec. dist. 2. c. Ego Berengarius, dicitur. «Consentio «Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et corde et «ore profiteor panem et vinum quæ in «altari ponuntur, post consecrationem «verum corpus et sanguinem Christi esse, et in veritate manibus sacerdotum «tractari, frangi et fidelium dentibus «atteri.»

Conseq. prob., quia ejusdem videtur esse manducari, frangi et masticari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullum quantum ibi dividitur, nisi species sacramentales. Ergo species sacramentales franguntur.

Anteced. prob., quia non frangitur corpus Christi, quia est incorruptibile; nec substantia panis et vini, quia non remanet.

Conseq. prob., quia fractio fit per divisionem quanti, etc.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Apud antiquos fuit circa hoc multiplex opinio. Quidam enim dixerunt quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium.

Reprobatio.

Sed hoc non potest stare, quia in hoc

sacramento veritatis, sensus non decipitur circa ea, quorum judicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex uno fiunt multa: quæ quidem sunt sensibilia communia, ut patet 2. de an. tex. 64.

Altera positio.

Unde alii dixerunt quod erat quidem ibi vera fractio, sed tamen quod talis fractio sine subjecto existebat.

Reprobatio.

Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum, prius unum existens, postea in multa partitum quod quidem quantum oportet esse subjectum fractionis.

Nec potest dici quod illud quod frangitur, fit verum corpus Christi; tum quia verum corpus Christi est impassibile et incorruptibile; tum etiam quia verum corpus Christi est totum sub qualibet parte, ut quæst. præced. artic. 3. dictum est. Quod est contra rationem ejus quod frangitur. Ideo relinquitur quod fractio fit in quantitate dimensiva sicut in subjecto, quomodo in ea sunt alia accidentia. Ex his habetur conclusio responsiva cum sua ratione.

Conclusio. Species sacramentales in sacramento Eucharistiæ franguntur.

Prob. Quia in hoc sacramento non est fractio apparens, ut dictum est reprobando primam positionem: nec est fractio sine subjecto, ut ostensum est in reprobatione secundæ positionis: nec frangitur verum Christi corpus, ut etiam dictum est supra immediate. Ergo franguntur vere species hujus sacramenti.

Et manifestatur magis conclusio ex mysterio. Nam sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio specierum est sacramentum Dominicæ passionis quæ fuit in corpore Christi vero.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens: nam sicut in speciebus sacramentalibus, remanet rarum et densum, ut dictum est art. præced. ita remanet ibi porositas, et per consequens frangibilitas.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur quod in speciebus sacramentalibus remanet densitas, quam quia consequitur durities, consequens est quod remaneat etiam durities, et per consequens sonabilitas.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod manducari attribuitur corpori Christi non quidem in propria specie, sed in specie sacramentali. Unde August. tract. 27. super illud Joan. 6. *Caro non prodest quicquam*, dicit quod *hoc intelligendum est secundum illos qui carnaliter intelligebant; carnem quippe sic intellixerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*; et sic etiam corpus Christi frangitur, scilicet secundum sacramentalem speciem; et sic intelligenda est etiam confessio Berengarii, ut fractio referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi.

ARTICULUS VIII.

Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

Pro negativa. = Videtur quod vino consecrato non possit aliquis liquor misceri.

1. Omne quod permiscetur alicui, illud quod commiscetur, recipit qualitates illius, cui commiscetur: sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramentalium specierum, cum non sint in subjecto, ut dictum est. Ergo nullus liquor potest permisceri sacramentalibus speciebus vini.

2. Si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet, quod ex his fiat aliquod unum; sed ex liquore quocumque et ex speciebus sacramentalibus, vel etiam ex sanguine Christi, non potest fieri unum. Ergo nullus liquor potest commisceri vino consecrato.

Minor prob. Non enim potest fieri unum ex quocumque liquore et speciebus sacramentalibus, quia liquor est substantia et species sacramentales sunt

accidentia. Neque ex liquore et sanguine Christi, quia sanguis Christi, ratione suæ incorruptibilitatis, neque additionem recipit, neque diminutionem.

3. Si vino consecrato posset aliquis liquor commisceri, sequeretur quod aliquid efficeretur in hoc sacramento sanguis Christi aliter quam per consecrationem, quod est inconveniens, ut patet ex dictis. Ergo non potest vino jam consecrato aliquis liquor commisceri.

Conseq. probat., quia ille liquor quod misceretur vino consecrato, efficeretur consecratum, sicut aqua quæ admiscetur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Vinum autem consecratum est vere sanguis Christi. Ergo liquor admixtus vino consecrato efficeretur sanguis Christi per solam mixtionem præter consecrationem.

4. Ea quorum unum totaliter corrumpit alterum, non possunt commisceri. Sed quicumque liquor apponatur vino consecrato, totaliter destruit ipsam speciem sacramentalem vini. Ergo nullus liquor potest vino consecrato permisceri.

Maior probat., quia si duorum unum totaliter corrumpatur, non erit mixtio, ut dicitur 1. Gen. tex. 82. usque ad 90.

Minor probatur dupliciter. Primo, quia magnum et parvum sunt differentiæ quantitatis et diversificant ipsam, sicut album et nigrum diversificant colorem; et cum per additionem alterius liquoris vinum consecratum efficiatur majus quam esset, destruetur prior species et causabitur altera vini species. Secundo, quia liquor permixtus cum non habeat obstaculum, videtur undique diffundi per totum vinum consecratum, et ita desinit ibi esse sanguis Christi, qui non potest ibi esse cum substantia vini non consecrati, vel alterius.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ad sensum patet alium liquorum vino permisceri posse post consecrationem, sicut antea.

Determinatio.

Conclusio. Vino consecrato potest aliquis alius liquor misceri.

Prob. Si in vino consecrato esset substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri. Ergo etiam non existente substantia vini sub sacramentali specie vini potest ei aliquis alius liquor misceri.

Conseq. prob., quia sicut dictum est art. primo. Quod species in hoc sacramento remanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiæ, ita etiam consequuntur modum agendi et patiendi, ut scilicet agere et pati possint quicquid ageret vel pateretur substantia, si ibi existeret. Quia igitur si ibi existeret substantia vini, posset ei aliquis alius liquor misceri, eadem ratione potest etiam post consecrationem speciei sacramentali vini alius liquor misceri.

De vario effectu mixtionis alicujus alterius liquoris cum vino consecrato.

Hujus autem permixtionis alicujus alterius liquoris cum vino consecrato, diversus esset effectus, sicut etiam diversus est effectus duorum quorumcumque aliorum liquorum; quæ diversitas effectus potest provenire ex diversitate formæ liquorum, et ex maiori et minori quantitate ipsorum.

Si enim permisceretur vino aliquis liquor in tanta quantitate quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum; quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum. Unde in hoc casu vinum prius existens non remaneret, sed liquor permixtus esset alterius speciei, puta si misceretur aqua vino, solveretur species vini et esset liquor alterius speciei; si vero liquor adjunctus esset ejusdem speciei, puta si vinum vino permisceretur, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum quod declarat diversitas accidentium, puta si unum vinum esset

album et aliud nigrum, unum dulce et aliud acre.

Si vero liquor adjunctus esset tam parvæ quantitatis quod non posset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars ejus, quæ quidem pars permixta non remaneret eadem numero, propter permixtionem extraneæ materiæ; remaneret tamen eadem specie non solum si parvus liquor permixtus esset ejusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei, quia gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur 1. de Gen. tex. 44. 39. et 88.

Ex quibus breviter eliciuntur duo. Primum quod si alicui liquori puta vino admisceatur aliquis alius liquor alterius speciei, puta aqua, vel ejusdem speciei, puta aliud vinum, in tanta quantitate quod liquor superadditus possit diffundi per totum vinum, non remanet idem vinum; si fiat additio alterius liquoris diversi secundum speciem, non remanebit idem specie; si ejusdem speciei, non remanebit idem numero. Secundum est quod si eidem liquori, puta vino apponatur alius liquor sive ejusdem sive alterius speciei, non tamen in tanta quantitate quod possit diffundi per totum, sed solum in aliqua parte, illa pars non remanebit eadem numero, vel specie.

Ex his tandem patere potest, qualis sit effectus mixtionis in hoc sacramento. Cum enim, ut patet ex dictis corpus et sanguis Christi remaneant in hoc sacramento, quamdiu illæ species manent eædem numero (consecratur enim hic panis et hoc vinum) si vino consecrato misceatur alius quicumque liquor in tanta quantitate quod petingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, non remanebit ibi sanguis Christi, quia erit aliud vinum numero.

Si vero fiat tam parva alicujus liquoris non consecrati adjunctio, quod non possit diffundi per totum, sed solum usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini, ad quam pertingit non consecratus liquor, remanebit tamen sub alia, et hoc eadem ratione, quia scilicet illa pars, ad quam pervenit liquor non consecratus, non est eadem, sicut pars, ad quam liquor non consecratus non pervenit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Nam sicut dicit Innoc. 3. in decret. Cum Matth. parag. Quæsivisti lib. 3. tit. 41. *Ipsa accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit, subdens; Contingit igitur accidentia mutare subjectum, sicut et subjectum contingit accidentia permutare; cedit quippe natura miraculo et virtus supra consuetudinem operatur.* Hoc tamen non est intelligendum, quasi idem accidens, quod prius fuit in vino ante consecrationem, postmodum transeat in appositum vinum; hoc enim non potest fieri, cum accidens non transeat de subjecto in subjectum; sed tale accidens fit per actionem prioris liquoris in liquorem appositum, et ideo est simile accidenti prioris liquoris, cui facta est appositio, secundum speciem. Accidentia enim vini consecrati retinent actionem substantiæ ut ex dictis in corp. patet, et ideo immutando afficiunt liquorem appositum.

Ad 2. Negatur minor, quoad priorem ejus partem, et conceditur quantum ad secundam: liquor enim appositus vino consecrato, nullo modo miscetur substantiæ sanguinis Christi ratione adducta in arguendo, quia scilicet sanguis Christi habet incorruptibilitatem. Miscetur tamen speciebus sacramentalibus: ita tamen quod permixtione facta, corrumpuntur prædictæ sacramentales species, vel in toto, vel in parte, ut in corpore dictum est quod ex speciebus illis potest aliquid generari; et si quidem corrumpantur in totum, nulla jam erit buæstio, quia jam totum erit uniforme

et non remanebit ibi sanguis Christi, non remanente sacramentali specie eadem numero. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem una dimensio, secundum dimensionem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi, quia una pars illius continui erit sine subjecto, alia erit in subjecto, sicut si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen unum secundum speciem naturæ.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. negatur assumptum: sicut enim dicit Innoc. 3. In prædicta decret. *Si post consecrationem Calicis aliud vinum mittatur in Calicem, illud quidem non transit in sanguinem; neque sanguini commiscetur; sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet*, scilicet sanguini Christi *undique circumfunditur, non madidans circumfusum.* Quod quidem intelligendum est, quando non fit tanta permixtio liquoris extranei quod sanguis Christi desinat esse sub toto: tunc enim dicitur undique circumfundi, non quia tangat sanguinem Christi secundum ejus proprias dimensiones; sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. Nec est simile de aqua benedicta, quia illa aquæ benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio vini.

Ad 4. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod quidam illa ratione victi posuerunt quod quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinit esse sub toto; sed hoc non habet veritatem, ut patet ex dictis, nec ratio inducta cogit ad hoc asserendum; et prima quidem non cogit quia magnum et parvum diversificant quantitatem dimensivam, non quantum ad ejus essentiam; sed solum quantum ad determinationem mensuræ; et similiter dicitur secundam non cogere: nam liquor appositus adeo potest esse parvus, quod sua parvitate impeditur ne diffundatur per totum, et licet dimensiones sacramentalium specierum sint sine subjecto, tamen obstant alteri liquori, sicut faceret substantia si ibi adesset.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 77.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Joannis Wicleff* dicentis: quod accidentia panis et vini non manent sine subjecto in sacramento Eucharistiæ, nec Deus potest id facere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas merito illam damnari á Concilio *Constantiensi* sess. 8. Ubi et damnat ipsum Wicleff, tamquam hæreticum, et ossa ejus jubet exhumari, atque cremari. Item á Conciliis Lateran. et Florent. per hoc, quod substantiam panis, et vini converti dicunt in corpus, et sanguinem Christi, atque ideo non manere sub accidentibus suis post consecrationem. Restat ergo juxta Conciliorum prædictorum sententiam de necessitate dicendum: quod mens ipsorum ibi est accidentia panis, et vini, facta consecratione esse in sacramento sine subjecto. Et nota, quod hæc determinatio Conciliorum tangit maxime *Wicleffum*, ipsum condemnando: quoniam *Wicleff*, ut accidentia remanerent in subjecto, ponebat substantiam panis, et vini consecratorum remanere. De qua re, et contra illum etiam in hoc vide quæstio. 75. art. 1. 2. 4. append. Ex quibus dic. Si accidentia ipsa ibi non remanerent sine subjecto, sequeretur necessario concludendum esse adversus Concilia (quod est hæreticum) videlicet, quod prædicta panis, et vini transubstantiatio vere non datur. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concilio, et Ecclesia: quod quantitas in Eucharistiæ sacramento est subjectum aliorum accidentium. A Concilio quidem Florentino per hoc, quod dicendo ly *separatione facta*, ut supra qu, 79. art. 3. app. admittit manifeste, divisionem in speciebus sacramentalibus posse fieri, id quod etiam sensui constat, dum actu videmus, albedinem, etc. dividi in partes, quando hostia frangitur. Patet autem apud recte ratiocinantes, quod qualitates non sunt divisibiles, nisi per accidens, idest ratione subjecti. Cum ergo qualitates in hoc sacramento remanentes dividantur per divisionem quantitatis dimensivæ, ut patet ad sensum, relinquitur ex hoc, quod quantitas dimensiva est subjectum aliorum accidentium hic remanentium. Necesse est igitur dicere, quod admittere divisionem in qualitatibus sacramentalibus, idem est, quod fateri, quantitatem dimensivam esse subjectum qualitatum, seu aliorum accidentium, in sacramento Eucharistiæ. At Concilium Florentinum admittit primum, ut supra. Ergo per hoc fatetur et secundum. Ab Ecclesia quoque idipsum insinuatur per hoc, quod in sequentia de festo corporis Christi inter missarum solemnia cantat. "Fracto demum sacramento, ne vacilles: sed memento, tantum esse sub fragamento, quantum toto legitur. Nulla rei fit scissura, sola signi fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. » Quibus divisionem accidentium sacramentalium denotat. Patet autem apud recte ratiocinantes, etc. ut supra, applicando ad Ecclesiam, usque ad ly *fatetur et secundum. Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Ecclesia, quod species remanentes in sacramento Eucharistiæ possunt immutare aliquod extrinsecum. Ut per hoc, quod in sequentia solemnitatis corporis Christi, dicit: "sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus latent res eximiæ. » Ex eo enim, quod has species sacramenti vocat signa, notificat intentum. Nam (ut inquit Beatus Augustinus, et recitatur, De consecrat. dist. 2.) signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire. Ne mireris, quod Ecclesia dicente ly *signis tantum*, *et non rebus*, D. Augustinus dicat ly *signum est res*: quoniam stant simul hæc duo, scilicet, quod signum sit res transcendenter accepta, sicuti est ens, et non sit res particulariter accepta, idest (ut in proposito loquamur) non sit panis, cujus signum est: secundum quod etiam B. Gregor. in homil. Pasch. ait: "Species, et similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini. » Nam signum illud, seu species illa panis, erat prius etiam res particularis, in quantum scilicet erat saltem illative substantia panis; nunc vero est solummodo signum, quia non est amplius illative substantia, quam præsefert. Nunc enim sigum illud in esse conservatur á Deo immediate, quod prius in esse ipso conservabatur á Deo mediante substantia panis. Cum ergo (secundum Beatum Augustinum) signum ingerat speciem sensibus et (secundum Ecclesiam sanctam) species sacramentales sint signa, relinquitur: quod Ecclesia, dicendo, quod tales species sunt signa, dixerit simul, quod possunt sentiri, ideoque quod possunt immutare corpora exteriora. Sentitur enim aliquid per hoc quod immutatur sensus á sensibili, *secundo de anima. Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Papa *Honorio*, et *Innocentio*, quod species sacramentales corrumpi possunt. Insinuarunt autem hoc ex eo, quod mandaverunt, Eucharistiam in loco mundo devote conservari, atque diligenter custodiri: ne per incuriam oppositam aliquid infaustum, aut indignationem divinam provocans inde contingeret. Hoc est, in proposito, aliis tacitis, quæ per incuriam inde provenire possunt, ne contingat, quod species sacramentales putrefiant, seu corrumpantur. Nisi enim in loco mundo, et diligenter custodiretur, tum ex humiditate, vel alia indecentia loci, tum ex negligentia custodiæ, quia, scilicet, non frequenter renovaretur, seu permutaretur, ipsæ sacramenti species, ut compertum est, facile corrumperentur. Ideo mandaverunt Summi Pontifices, ut supra: et quidem Innocentius sic. "Statuitus, ut in cunctis Ecclesiis Eucharis-

tia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur. Si vero is, ad quem spectat, incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: et, si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni. » Hæc ille: ut recitatur extra, de custodia Eucharistiæ, et aliorum sacramentorum. Honorius vero sic. " Ne propter incuriam sacerdotum divina indignatio gravius exardescat districte præcipiendo mandamus: quantenus á sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo et signato, semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur. » Hæc ille; ut recitatur extra, de celebratione missarum. cap. *Sane.* Ex quibus datur intelligi: quod per hujusmodi mandata voluerunt Pontifices illi, et impedire, ne specierum sacramentalium corruptio sequeretur: et figuræ veteri novum reddere figuratum. Vetus figura de hoc sic habet Levit. 24. " Panes super mensam purissimam coram Domino statues. Per singula sabbata mutabuntur, fœdere sempiterno. » Figuratum autem hujus novum est illud quod et verbis, et sensu jusserunt prænominati Pontifices. Cæterum, si de tali correspondentia testamentorum in hujusmodi melius vis instrui, vide veritates aureas super legem veterem, Levitic. 24. concl. 1. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Papa, et Conciliis esse insinuatum, quod ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari. A Papa quidem et *Innoc.* et *Honorio* per hoc quod singillatim uterque illorum dixit ea, quæ referuntur, a. 4. app. Diligenti enim custodia asservari Eucharistiam mandatur, et in loco mundo, et per omne Sabbatum, ut erat in illa figura, idest frequenter permutari, ne ex negligentia circa hæc inde contingat aliquod infandum, quod inter cætera est illud generari ex speciebus sacramentalibus annotatum *in arg. cont.* A Conciliis autem Later. sub Innoc. III. dicente. " Verum Christi corpus, et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur: transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina. » Item à Florent. dicente " Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur » Ex eo enim, quod potestati divinæ, seu virtuti verborum Christi, idest miraculo divinitus facto, tribuunt conversionem substantiarum panis, et vini, remanentibus earum speciebus, constat de mente conciliorum ipsorum, quod scilicet docent, species ipsas, idest unam ipsarum, quæ est quantitas dimensiva, ex miraculo eodem fortiori vim, et actum substantiæ ita ut dimensiva panis quantitas sustentet reliqua accidentia, seu illarum primum subjectum, et ex eadem quantitate, tamquam ex primo subjecto, idest, materia, possit generari aliquid. Alioquin illa quantitas non sortiretur hoc, scilicet esse primum subjectum, et sic post consecrationem remaneret primum subjectum, quod erat ante consecrationem, idest materia panis: id, quod est manifeste hæreticum. Relinquitur ergo secundum concilia præmissa dicendum, quod quantitas illa post illam miraculosam conversionem sit pro materia, idest habens officium materiæ præexistentis in pane; et consequenter quod in officio suo postea sequitur naturam principalis, idest materiæ, cujus vicem gerit: sicut et Prorex sequitur conditiones, seu proprietates regis, in officio administrando. Hæc vero etiam regulæ juris consentanea sunt, ideoque ex ipsa confirmationem, quoad hoc, trahunt, quæ dicit. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Hæc in lib. 6. de reg. jur. reg. 42. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Cypriano, et Conciliis; quod sacramentales species nutrire possunt. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 11. secundum quod cum expositione Glossæ etiam ponitur *arg. cont.* A Sancto Cypriano per hoc, quod in serm. de cœna Domini dicit. " Hoc est, inquit, corpus meum. Manducaverant, biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, sed, ex quo á Domino dictum est, etc. quotiescumque his verbis actum est, etc. ad totius hominis vitam, salutemque proficit. » Ubi nota ly *tantum*, et ly *ad totius*. A Conciliis vero per hoc, quod tum Lateran. tum Florent. dixerunt ea, quæ posita sunt, art. 5. append. Quibus lectis, cum ibi

annotatis, et ad istud propositum decenter, ut facile est, accommodatis, subito tibi inde in promptu apparebit, quod quæritur, jacto namque fundamento communi, quod scilicet species sacramentales recipiunt per conversionis miraculum, vim substantiæ: ex familiari consequentia fit mox perspicuum, quod eodem miraculo virtutem, quæ substantiæ convenit, puta, ut sistamus in proposito, nutriendi, á Deo simul recipiunt Tunc ultra. Fundamentum illud concilia ipsa indubitanter, ut patet legenti, et intelligenti, verum esse definiunt: ergo et hanc, quam nunc diximus, necessariam consequentiam virtualiter docent. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum ab Ecclesia, et á sententiis Prosperi: quod species sacramentales franguntur. Ab Ecclesia quidem, dum in sequentia de festo corporis Christi cantat. " Fracto demum sacramento, etc. nulla rei fit scissura, sola signi fit fractura; qua nec status, nec statura signati minuitur. » Nota ly *signi*, idest speciei sacramentalis. Vide *arg. cont.* A libro autem sententiarum Prosperi per hoc, quod ibi legitur. " Dum frangitur hostia, dum sanguis in ora fidelium funditur: quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio, designatur ? Hæc ibi, ut recitatur in De consecration. distin. 2. Prædictis addere etiam potes Concilia Lateran. et Florent. ut supra art. 5. 6. ad ostendendum, quod fractionis ipsius subjectum est quantitas dimensiva panis: cum aperte ex conciliis illis constet, quantitatem ipsam habere vim substantiæ post consecrationem. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Papa, et conciliis: quod liquor potest admisceri vino consecrato, et quod tunc sub specie remanente eadem numero remaneat sanguis Christi, alias non. A Papa quidem Innocent. III. " Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, etc. Si aqua fuerit opposita, » etc. Hæc ille: ut recitatur, extra de celebr. missar. capit. cum Marthæ. Ex quibus utique patet, quod secundum Papæ judicium diversi liquores possunt admisceri vino consecrato. Possunt, inquam, de facto: non autem licite. Sacrilegium enim grande est, aliquid etiam parvi liquores commiscere, seu infundere vino consecrato: et adeo patentissimum est hoc, ut nulla indigeat probatione. A Conciliis autem Lateranensi, et Florent. per hoc, quod (ut patet sub q. 76. ar. 6. app.) affirmant, Christum tamdiu sub hoc sacramento remanere, quamdiu species sacramentales (scilicet eædem numero) durant. Ex tali siquidem conciliorum placito, si ad materiam præsentem applicetur, constat, mentem ipsorum fuisse, quod liquoris extranei admixtione data, sanguis Christi tantum sub specie vini remanente eadem numero remanet; non autem aliter. Si ergo per admixtionem totaliter corrumpantur priores species, ita, quod non sint eædem numero, quæ prius erant; tunc ibi sub nulla parte vini remanet sanguis Christi: si autem partim solum corrumpantur; ita, quod alia tantummodo pars speciei remaneat eadem numero, quæ prius erat: tunc sub illa specie perseverabit sanguis Christi. Hæc omnia ex conciliis tam de necessitate implicita dependent, ut, si tu revideas illa superius, et ad hunc locum (ut decet) inflectas, mireris, et quod quæsitum hoc, et quod alia multa (de quibus supra in articulorum appendicibus vidimus) tam brevi sermone suo, vel formaliter, vel virtualiter, determinaverint. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina hæc angelica vicissim declaretur atque confirmetur.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA OCTAVA,

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de forma hujus sacramenti.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, quæ sit forma hujus sacramenti.
Secundo, utrum sit conveniens forma consecrationis panis.
Tertio, utrum sit conveniens forma consecrationis sanguinis.
Quarto, de virtute utriusque formæ.
Quinto, de veritate locutionis.
Sexto, de comparatione unius formæ ad aliam.

ARTICULUS I.

Utrum hæc sit forma sacramenti Eucharistiæ: hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei.

Pro negativa. = Videtur quod hæc non sit forma hujus sacramenti; *hoc est corpus meum,* et *hic est calix sanguinis mei.*

1. Christus non est usus his verbis ad consecrandum panem et vinum. Ergo hæc verba non sunt forma hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia illa verba videntur pertinere ad formam hujus sacramenti, quibus Christus corpus et sanguinem suum consecravit.

Anteced. prob., quia Christus prius benedixit panem acceptum et postea dixit: *accipite et comedite: hoc est corpus meum,* ut habetur Matth. 26. Et similiter fecit de calice, ubi apparet quod hæc verba: hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei, prolata sunt á Christo post acceptionem et fractionem et communicationem panis, idest postquam dederat panem discipulis; et tamen oportet quod discipulis datus fuerit panis et vinum consecratum. Ergo non per dicta verba; sed vel per benedictionem, aut per alia verba facta fuit panis et vini consecratio.

2. Eusebius Emissenus, ut refertur de consec. d. 2. cap. Quia corpus, dicit quod *invisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit dicens: accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Ergo non sola prædicta verba, sed totum hoc, *accipite et comedite,* etc. Videtur ad formam hujus sacramenti pertinere et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem: dixit enim Christus: *accipite et bibite ex eo omnes, hic est calix,* etc.

3. In prædictis verbis nulla fit mentio de persona ministri, nec de actu ejus, ut ex se patet. Ergo hæc verba non sunt conveniens forma hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia in formis sacramentorum fit mentio de persona ministri et de actu ejusdem, ut patet in forma baptismi, in qua exprimitur persona ministri, cum dicitur: Ego; et de actu, dum subditur, baptizo te, et hoc idem apparet in forma confirmationis, pœnitentiæ, et matrimonii, etc.

4. Forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti. Sed prædicta verba non sufficiunt ad perfectionem hujus sacramenti. Ergo non sunt forma hujus sacramenti.

Maior prob., nam sacramentum baptismi perficitur per hæc verba: ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etiamsi omnia alia prætermittantur.

Minor prob., quia si ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ dicerentur solum hæc verba: Hoc est corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei; prætermissis omnibus aliis quæ in missa dicuntur, prædicta verba non intelligerentur dicta á Christo, sed acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cujus corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur; et sic non perficeretur sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambrosius dicit libro 4. de sacram. cap. 4. « Consecratio fit verbis et sermo-

« nibus Domini Jesu. Nam per reliqua « omnia quæ dicuntur, laus Deo defer- « tur, oratione petitur pro populo, pro re- « gibus, pro cæteris. Ubi autem sacra- « mentum conficitur, jam non suis ser- « monibus sacerdos utitur, sed utitur ser- « monibus Christi.» Ergo hoc sacramentum conficitur per prædicta verba, quæ sunt verba Christi, quibus usus est in institutione hujus sacramenti.

Determinatio.

Conclusio. Conveniens forma sacramenti Eucharistiæ est: Hoc est corpus meum; Hic est calix sanguinis mei.

Manifestatur ex differentia quæ est inter sacramentum Eucharistiæ et alia sacramenta: et inde ex differentia formæ hujus sacramenti et aliorum. Sciendum igitur quod sacramentum Eucharistiæ differt ab aliis sacramentis in duobus. Primo, quia hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ: alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ: sacramentum enim baptismi non perficitur dum aqua consecratur, sed in usu aquæ consecratæ; et sic de aliis.

Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quamdam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. In sacramento autem Eucharistiæ consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ, quæ á solo Deo perfici potest. Et propterea minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum, nisi prolationem verborum divinorum.

Et quia forma debet esse conveniens rei, in duobus etiam differens est forma sacramenti Eucharistiæ á formis aliorum sacramentorum; primo enim, quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem vel confirmationem. Forma autem sacramenti Eucharistiæ importat solum consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit; puta cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, vel *Hic est calix sanguinis mei*. Secundo, quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum; sicut cum dicitur. *Ego te baptizo*, vel *ego te confirmo*; sive per modum imperantis, sicut in sacramento Ordinis dicitur. *Accipe potestatem*, etc. Sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento Extremæ-Unctionis dicitur, *per istam unctionem, nostram intercessionem*, etc. Forma autem sacramenti Eucharistiæ profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi, quæ sunt: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei.*

Ex quibus remanet manifestata conclusio: ex diferentia enim quæ est inter hoc sacramentum et ejus formam ab aliis sacramentis et eorum formis, manifestum est quod in forma hujus sacramenti non erat exprimenda persona ministri, nec ejus actus; sed quod sufficit proferre verba quibus Christus, qui solus in hoc sacramento operatur, usus est in institutione hujus sacramenti, virtute quarum sacramentum perficitur.

AD ARGUMENTA.

1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod circa modum quo Christus corpus et sanguinem suum consecravit, multiplex est opinio.

Quidam enim dixerunt quod Christus qui habebat potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum confecit; et postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent: quod videntur sonare verba Innocentii III. libro 4, de sacro Alt. Myst. cap. 6. dicentis: *sane dici potest quod Christus virtute divina confecit; et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.*

Reprobatio.

Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur quod Christus benedixit: quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est: verba autem Innocentii sunt magis opinative dicta quam determinative.

Aliorum positio.

Quidam autem dixerunt quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis.

Reprobatio.

Sed nec hoc stare potest, quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quæ tunc acta sunt: unde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret.

Tertia positio.

Et ideo alii dixerunt quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est, quibus modo fit; sed Christus ea vis protulit: primo quidem secrete ad consecrandum, antequam dixerit, accipite et comedite, etc. et postea matifeste ad instruendum.

Reprobatio.

Sed hoc etiam stare non potest, quia sacerdos consecrat proferens hæc verba, non ut á Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice fuerunt prolata: unde cum non habeant vim hujusmodi verba; nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit.

Quarta positio.

Et ideo alii dixerunt quad Evangelistæ non semper eumdem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ, ut patet per August. in libro 2. de consensu Evang. cap. 30. 31. et 44. Unde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse; « Accipiens panem bene« dixit, dicens, Hoc est corpus meum; « deinde fregit et dedit discipulis suis. »

Verior positio.

Prædicta positio, quantum ad sensum, vera est; verum ordinem verborum Evangelii mutare non erat necessarium, cum idem sensus haberi possit, verbis Evangelii non mutatis: nam hoc participium (dicens) concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Quæ concomitantia non oportet quod intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis. Sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, ut sit sensus, dum benediceret, frangeret et daret discipulis suis, dixit. *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Et similiter de consecratione calicis discendum est: dum enim acciperet calicem, et daret discipulis suis, dixit: *Accipite et bibite ex eo omnes, hic est calix sanguinis mei.*

Ad 2. Negatur consequentia. In his enim verbis, accipite et comedite, intellegitur usus materiæ consecratæ qui non est de necessitate hujus sacramenti, ut dictum est quæst. 74. art. 7. Et ideo neque hæc verba sunt de substantia formæ: quia tamen ad quamdam perfectionem sacramenti pertinet materiæ consecratæ usus (sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei.) Ideo per omnia verba ista exprimitur tota perfectio hujus sacramenti, et hoc modo Euseb. in arg. cit. intellexit his verbis confici sacramentum, quantum scilicet ad primam et secundam perfectionem ipsius.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de sacramento baptismi et Eucharistiæ. In sacramento enim baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiæ, qui est de essentia sacramenti: quod non est in hoc sacramento, ut in corp. dictum est.

Ad 4. Dicitur quod quidam concedebant minorem, dicentes quod hoc sacramentum perfici non potest, predictis verbis prolatis, aliis quæ sunt in Canone missæ prætermissis.

Sed hoc patet esse falsum, tum ex

verbis Amb. inductis in arg. pro affirmativa: tum etiam, quia Canon missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt á diversis, diversis temporibus, apposita.

Dicendum est ergo ad argumentum negando minorem. Ad probationem dicitur, quod si sacerdos sola prædicta verba proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur sacramentum, quia intentio faceret quod hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos, sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis, defectum autem hujus sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, et ideo potest conferri baptismus per sola verba formæ, non autem debet confici Eucharistiæ sacramentum cum solis verbis formæ.

ARTICULUS II.

Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis panis: Hoc est corpus meum.

Pro negativa. — Videtur, quod hæc non sit forma consecrationis panis: *Hoc est corpus meum.*

1. Per formam sacramenti debet exprimi effectus sacramenti. Sed per hanc formam: *hoc est corpus meum*, non exprimitur effectus formæ consecrationis panis. Ergo hæc non est forma consecrationis panis.

Minor prob., quia effectus consecrationis panis est conversio substantiæ panis in corpus Christi, quæ magis exprimitur per hoc verbum, fit, quam per hoc verbum, est. Unde deberet dici, *hoc fit; corpus meum.*

3. Amb. dicit. lib. 4. de sacram. c. 4. « Sermo Christi hoc conficit sacra- « mentum, quis sermo Christi hic quo « facta sunt omnia: Jussit dominus, et « facta sunt cœli et terra. » Ergo, et forma hujus sacramenti convenientior esset per verbum imperativum, ut diceretur: hoc sit corpus meum.

3. Illud quod importatur in hac locutione tanquam terminus, in quem fit conversio, est determinatum; ergo etiam illud quod importatur in hac locutione tamquam subjectum quod convertitur, debet esse determinatum.

Manifestatur consequentia et tota ratio. Nam in hac locutione: hoc est corpus meum, importantur duo, scilicet illud quod convertitur, et illud in quod fit conversio; primum est subjectum, alterum est terminus. Illud in quod fit conversio, est corpus, et illud quod convertitur in corpus, est panis. Unde sicut determinatur illud, in quod fit conversio, dum dicitur est corpus; ita debet dedeterminari subjectum quod convertitur in corpus quod est panis, et dici; « panis « est corpus meum, » et non (Hoc) quod est quoddam indeterminatum.

4. Id in quod terminatur conversio, est determinatæ naturæ, quia est corpus; ita etiam est determinatæ personæ. Ergo sicut ad determinandum naturam dicitur corpus, ita ad determinandum personam, debet dici; hoc est corpus Christi.

5. In verbis formæ non debet poni aliquid, non sit de substantia ejus. Ergo inconvenienter additur in quibusdam libris, hæc conjunctio, enim, quæ non est de substantia formæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus consecrando est usus hac forma, ut patet Matth. 26.

Determinatio.

Conclusio. Hæc est conveniens forma consecrationis panis: Hoc est corpus meum.

Prob. Verba quæ significant conversionem panis in corpus Christi, est conveniens forma consecrationis panis. Sed hæc verba, hoc est corpus meum, significant conversionem panis in corpus Christi. Ergo hæc verba, hoc est cor-

pus meum, est conveniens forma consecrationis panis.

Maior prob. Quia formam sacramenti oportet significare id quod in sacramento efficitur; et quia in consecratione panis fit conversio panis in corpus Christi; ideo illa est conveniens forma quæ hanc conversionem panis in corpus Christi significat.

Minor manifestatur: nam in conversione panis in corpus Christi, tria est considerare, scilicet ipsa conversio, terminus á quo, qui est panis, et terminus ad quem, qui est corpus Christi. Ipsa autem conversio potest considerari dupliciter; uno modo, ut in fieri; alio modo, ut in facto esse. Debuit significari in hac forma, non ut in fieri: sed ut in facto esse, propter duo. Primo, quia hæc conversio non est succesiva, sed instantanea; in hujusmodi autem instantaneis mutationibus fieri non est nisi factum esse. Secundo, quia ita se habent formæ sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formæ artificiales ad repræsentandum effectum artis, forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus in quem fertur intentio artificis, sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem consequenter; et ideo etiam in hac forma debet exprimi conversio, ut in facto esse, ad quod fertur intentio.

Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma, ut in facto esse, necesse est ut etiam extrema conversionis significentur, ut se habent in facto esse conversionis. In facto esse autem conversionis terminus ad quem habet propriam naturam suæ substantiæ; terminus vero á quo non manet facta conversione secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subjacet et ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus á quo conversionis exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia quæ manent dum dicitur: hoc; terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam ejus in quod fit conversio, dum dicitur, est corpus meum; est enim id in quod fit conversio, non solum caro, sed totum Christi corpus. Est igitur hæc convenientissima forma consecrationis panis, quia in ea exprimitur conversio panis in corpus Christi in facto esse, dum dicitur, est; terminus á quo, qui non manet nisi secundum accidentia facta conversione, dum dicitur, hoc; et terminus ad quem, qui facta conversione habet naturam ejus, in quod fit conversio, dum dicitur, *Corpus meum*.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod fieri non est ultimus effectus hujus consecrationis, sed factum esse; et ideo magis exprimitur effectus hic per verbum, est, quam exprimeretur per verbum, fit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens (quod est Ambrosii auctoritas) quod idem sermo Dei qui operatus est in creatione rerum, operatur in hac consecratione; aliter tamen et aliter. Nam in hac consecratione operatur effective et sacramentaliter; idest secundum vim significationis, et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum præsentis temporis indicativi modi. In creatione autem operatus est solum effective, quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ; et ideo in creatione rerum exprimitur sermo divinus per verbum imperativi modi, secundum illud Gen. 1. *fiat lux* non autem in consecratione.

Negatur igitur consequentia. Ad probationem quæ innuitur ex verbis Ambrosii dicitur, quod etsi sermo Dei operetur in consecratione: non tamen sic operatur in consecratione, sicut operatus est in creatione; operatur enim sacramentaliter sive secundum vim significativam in et effectivam in consecratio-

ne: in creatione vero secundum vim effectivam tantum: et ideo ejus actio aliter in consecratione, et aliter in creatione significatur.

Ad 3. Negat. consequentia. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio determinandi terminum á quo, sicut determinatur terminus ad quem: terminus enim á quo in ipso facto esse conversionis non retinet naturam suæ substantiæ, sicut terminus ad quem; et ideo ille non determinatur, sicut terminus ad quem, ut in corpore dictum est.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod per hoc pronomen (meum) quod includit demonstrationem primæ personæ, quæ est persona loquentis, sufficienter exprimitur persona Christi, ex cujus persona hæc proferuntur, et sic conceditur totum.

Ad 5. Negatur antecedens: non enim est inconveniens in hac forma apponi aliquid quod non sit de substantia ejus ex rationabili causa, et ex apostolica auctoritate: tunc ad consequentiam dicitur quod hæc conjunctio (enim) apponitur in hac forma secundum consuetudinem Ecclesiæ, á Beato Petro Apostolo derivatam: et hoc rationabili causa, scilicet propter continuationem ad verba præcedentia, et ideo non est de forma, sicut nec verba quæ præcedunt formam.

ARTICULUS III.

Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini, hic est Calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Pro negativa.=Videtur, quod hæc non sit conveniens forma consecrationis vini; *hic est calix sanguinis mei*, etc.

1. In forma consecrationis panis ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur; ergo inconvenienter in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, et calix in recto, cum dicitur: *hic est calix sanguinis mei.*

Conseq. prob., quia sicut panis convertitur in corpus Christi ex vi consecrationis; ita et vinum in sanguinem Christi; unde sicut dicitur in consecratione panis, hoc est corpus meum, ita debet dici in consecratione vini, hic est sanguis meus.

2. Statim dicto, hoc est corpus meum: est perfecta consecratio panis. Ergo statim quod dictum est, hic est calix sanguinis mei, est perfecta consecratio sanguinis. Et ita ea quæ sequuntur, non videntur esse de substantia formæ, præsertim cum pertineant ad proprietates hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia non sunt maioris efficaciæ verba quæ proferuntur in consecratione panis, quam ea quæ proferuntur in consecratione vini, cum utraque sint verba Christi.

3. Sacramentum hoc exterius visibiliter agitur. Ergo inconvenienter in forma hujus sacramenti dicitur, novi testamenti.

Conseq. prob., quia testamentum novum præcipue videtur ad internam inspirationem pertinere, ut patet ex hoc quod Apost. ad Heb. 8. introducit verba, quod Apost. ad Heb. 8. introducit verba quæ habentur Hierem. 31. *Consummabo super domum Israël testamentum novum dando leges in mentem eorum.*

4. Novum et æternum in eodem contradictionem implicare videntur. Ergo inconvenienter dicitur in hac forma, novi et æterni testamenti.

Anteced. prob., quia novum dicitur aliquid ex hoc quod est prope principium sui esse; æternum autem dicitur quod non habet principium sui esse.

5. Quidam erraverunt æstimantes mystice solum esse corpus et sanguinem Christi in hoc sacramento. Ergo in hac forma inconvenienter ponitur: *mysterium fidei.*

Conseq. prob., quia occasiones erroris sunt ab hominibus substrahendæ, secundum illud Isaiæ 57. *Auferte offendicula de via populi mei.*

6. Eucharistia est sacramentum charitatis, sicut baptismus est sacramentum fidei, ut dictum est quæst. 73. art. 2. ad 3. Ergo in hac forma magis debet poni charitas, quam fides.

7. Totum hoc sacramentum et quantum ad corpus et quantum ad sanguinem est memoriale dominicæ passionis, secundum illud 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem domini annunciabitis.* Ergo non magis debuit in forma consecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi et ejus fructu, quam in forma consecrationis corporis, præsertim cum Luc. 22. Dominus dixerit: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

8. Passio Christi potuit omnibus ad sufficientiam, ut dictum est quæst. 48. et 49. art. 2. et quantum ad efficientiam profuit multis. Debuit ergo dici, qui effundetur pro omnibus et pro multis: non vero dici: pro vobis.

9. Nullus evangelista recitat Christum hæc verba dixisse. Ergo hæc non est conveniens forma consecrationis vini.

Prob. consequentia. Quia verba quibus hoc sacramentum conficitur, habent efficaciam ex institutione Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia ab Apostolis instructa utitur hac forma in consecratione vini.

Determinatio.

Diversorum opiniones.

Circa hanc formam est duplex opinio. Quidam enim dixerunt quod de substantia formæ hujus est hoc solum; *hic est calix sanguinis mei*; non autem ea quæ sequuntur.

Reprobatio.

Sed hoc videtur inconveniens, quia ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati; idest sanguinis Christi: unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis.

Secunda opinio.

Et propter hoc sunt alii, qui melius dicunt quod omnia verba sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc quod postea sequitur: hæc quotiescumque feceritis, etc, quæ verba pertinent ad usum ejus sacramenti. Unde conformiter ad hanc positionem ponitur vera sententia.

1.ª Conclusio. Conveniens forma consecrationis vini est; hic est calix sanguinis mei novi et æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Hæc conclusio remanet manifesta ex Ecclesiæ ab Apostolis edoctæ usu; et per ea quæ habentur de celeb. Miss. lib. 3. tit. 41. c. cum Marthæ.

2.ª Conclusio. Omnia verba prædicta sunt de substantia formæ.

Manifestatur. Et quod priora verba, scilicet, hic est calix sanguinis mei, sint de substantia formæ ex se et ex dictis manifestum relinquitur.

Quod vero alia verba, quæ sequuntur, scilicet novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum, sint etiam de substantia formæ, manifestatur; quia sacerdos eodem ritu et modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Lucæ etiam 22. interponuntur verba hæc prioribus verbis, cum dicitur: hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Igitur omnia dicta verba sunt de substantia formæ consecrationis vini.

Declaratur autem hæc secunda conclusio: nam etsi omnia prædicta verba sint de substantia formæ, diversa tamen ratione hoc convenit prioribus verbis et sequentibus. Prima enim verba, scilicet: hic est calix sanguinis mei, pertinent ad substantiam formæ, quia per hæc verba significatur ipsa conversio vini in sanguinem, sicut per formam consecrationis panis significatur conversio panis in cor-

pus Christi, ut artic. præced. dictum est. Per verba autem sequentia significatur virtus sanguinis effusi in passione quæ operatur in hoc sacramento. Quæ quidem virtus ad tria ordinatur: primo quidem et principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Hebr. 10. «Habemus fiduciam in introi-«tu sanctorum in sanguine Christi;» et ad hoc designandum dicitur: «novi et «æterni testamenti.» Secundo ordinatur virtus sanguinis Christi ad justitiam gratiæ quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. «quem proposuit Deus propitia-«torem per fidem in sanguine ipsius, ut sit «ipse justus et justificans eum qui ex fide «est Jesu Christi;» et quantum ad hoc subditur, mysterium fidei. Tertio ordinatur eadem virtus ad removendum impedimenta consequendi æternam hæreditatem et justitiam gratiæ, quæ impedimenta sunt peccata, secundum illud Hebr. 9. «Sanguis Christi emundabit «conscientiam nostram ab operibus mor-«tuis,» idest á peccatis; et quantum ad hoc subditur: «Qui pro vobis et pro «multis effundetur in remissionem pec-«catorum;» et sic patet quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, priora quidem, quia significant ipsam conversionem vini in sanguinem Christi, sequentia vero, quia significant triplicem effectum virtutis effusi sanguinis Christi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod cum dicitur: hic est calix sanguinis mei, est locutio figurativa et potest dupliciter intelligi: uno modo secundum metonymiam, qua ponitur continens por contento, ut sit sensus: hic est sanguis meus in calice contentus: fit autem mentio de calice, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur in quantum est potus fidelium quod non importatur in ratione sanguinis; et ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accomodatum. Alio modo potest intellig secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi quæ ad similitudinem calicis inebriat, (secundum illud Tren. 3. «Reple-«vit me amaritudinibus, inebriavit me «absinthio:» unde et ipse Dominus passionem suam calicem nominat Matth. 26. dicens: «Transeat á me calix iste) ut sit sensus: «hic est calix passionis «meæ,» de qua fit mentio in sanguine seorsum á corpore consecrato, quia separatio sanguinis á corpore fuit facta per passionem.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod verba formæ consecrationis vini habent efficaciam convertendi vinum in sanguinem Christi, sicut verba consecrationis panis habent efficaciam convertendi panem in corpus Christi; tamen necessarium fuit ponere plura verba in forma consecrationis vini, ad hoc ut fieret vini conversio in sanguinem Christi, quam in consecratione panis: et ratio est, quia sanguis seorsum consecratus expresse repræsentat passionem Christi, ut in corpore dictum est: quod non ita expresse facit corpus Christi consecratum: corpus enim est subjectum passionis; unde dicitur de corpore: quod pro vobis tradetur, idest passioni subjicietur. Quia igitur sanguis in hoc sacramento expresse repræsentat Christi passionem, in qua fuit effusus et á corpore separatus; corpus autem non expresse passsionem repræsentat, potius in consecratione sanguinis debuit fieri mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis. Non sunt igitur maioris efficaciæ verba consecrationis panis, quam vini, sed sicut forma consecrationis panis non habet efficaciam, nisi proferantur singula verba; ita forma consecrationis vini non sortitur suum effectum, nisi quousque omnia sint prolata.

Ad 3. Negatur consequantia. Ad probationem, dicitur quod testamentum novum, non solum in interna inspiratione

consistit, sed in exhibitione sanguinis Christi, secundum veritatem. Testamentum enim est dispositio hæreditatis, hæreditatem autem cœlestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem sanguinis Jesu Christi: quia, ut dicit Hebr. 9. « Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.» Sanguis autem Christi dupliciter est exhibitus hominibus. Primo quidem in figura, quod pertinet ad vetus testamentum, et ideo Apostolus ibid. concludit: « Unde nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est.» Quod patet ex hoc quod sicut dicitur Exod. 24. « Lecto omni mandato legis á Moyse, omnem populum aspersit dicens. Hic est « sanguis testamenti quod mandavit ad « vos Deus.» Secundo est exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad novum testamentum: et hoc est quod Apostol. præmittit ibidem dicens; « ideo novi testamenti mediator est Christus, ut morte intercedente repromissionem acci« piant, qui vocati sunt æternæ hæredi« tatis.» Dicitur ergo hic sanguis novi testamenti, quia jam non in figura, sed in veritate exhibetur. Unde subditur: qui pro vobis effundetur. Igitur hoc sacramentum visibiliter exterius agit, quia in eo exhibetur sanguis Christi, secundum veritatem, et non amplius in figura, ut in veteri testamento exhibebatur. Ex virtute autem sanguinis Christi in hoc sacramento exhibiti procedit interna inspiratio, secundum quod passione Christi [illegible]amur.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod novum et æternum non implicant contradictionem, quia conveniunt eidem secundum diversam rationem. Dicitur enim testamentum Christi novum, ratione exhibitionis, quia scilicet de novo fuit exhibitum; dicitur vero æternum, tum ratione æternæ á Deo præordinationis, tum etiam ratione æternæ hæreditatis quæ per hoc testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cujus sanguine testamentum disponitur, est æterna.

Ad 5. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod nulla est ibi occasio errandi, quia mysterium in hac forma ponitur, non ad excludendum rei veritatem, sed ad ostendendam occultationem, quia ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento et ipsa passio Christi occulte fuit figurata in veteri testamento.

Ad 6. Dicitur ad antecedens, quod hoc sacramentum est sacramentum fidei et charitatis: est sacramentum fidei quasi fidei objectum, quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur; ipsa etiam Christi passio per fidem justificat; sacramentum autem baptismi dicitur sacramentum fidei, quia est quædam fidei protestatio: est autem sacramentum hoc sacramentum charitatis, quia est charitatis figurativum et effectivum.

Ad 7. Dicitur ad consequentiam, quod etsi totum hoc sacramentum sit memoriale dominicæ passionis, quia tamen, ut dictum est ad 2. sanguis seorsum consecratus á corpore expressius repræsentat passionem Christi, quam corpus, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi et fructu ipsius, quam in consecratione corporis.

Ad 8. Negatur consequentia. Etsi enim passio Christi profuerit omnibus quantum ad sufficientiam, tamen hic non fit mentio nisi de his, quibus quantum ad efficaciam prodest. Profuit autem sanguis Christi efficaciter judæis electis et multis ex gentilibus, et ideo dicitur, qui pro vobis, scilicet Apostolis, qui ex judæis erant et pro multis ex gentibus. Vel dicitur: pro vobis, scilicet sacerdotibus offerentibus, et pro multis, pro quibus offertur.

Ad 9. Negatur consequentia: non enim fuit necesse quod Evangelistæ scriberent formam hujus sacramenti: Evangelistæ enim non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primi-

tiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 7. sed solum intenderunt historiam de Christo texere. Dicitur tamen quod omnia fere verba formæ consecrationis vini ex diversis scripturæ locis accipi possunt: nam Lucæ 22. habetur, *Hic est calix.* et etiam 1. ad Cor. 21. Matth. 26. dicitur, *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod autem dicitur æterni, et iterum *Mysterium fidei*, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud 1. ad Cor. 11. « Ego enim accepi á Domino, quod « et tradidi vobis. »

ARTICULUS IV.

Utrum prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis.

Pro negativa.=Videtur quod predictis verbis formarum non insit aliqua vis creata effectiva consecrationis.

1. Virtus Spiritus Sancti non est creata. Sed consecratio fit sola virtute Spiritus Sancti. Ergo consecratio non fit per aliquam virtutem creatam verbis prædictarum formarum inhærentem.

Minor prob., quia Damascenus dicit in 4. libro orthod. fidei cap. 14. « Sola « virtute Spiritus Sancti fit conversio pa- « nis in corpus Christi. »

Aliter. Illud quod fit sola virtute Spiritus Sancti, non fit per aliquam virtutem creatam. Sed consecratio fit sola virtute Spiritus Sancti, ut Damascenus dicit. Ergo consecratio non fit per aliquam vim creatam verbis formarum inhærentem.

2. Opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute divina, ut 1. parte quæst. 110. articulo 4. dictum est. Sed conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi est opus non minus miraculosum quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in utero virginali, quæ nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum consecratur aliqua virtute creata dictorum verborum.

3. Conversio quæ fit per simplicem virtutem, non potest fieri per aliquam vim prædictis verbis inhærentem. Sed conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi oportet fieri per simplicem virtutem. Ergo non potest fieri virtute prædictorum verborum.

Maior prob., quia prædicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita, nec simul, sed succesive proferuntur: unde non possunt simplicem virtutem habere.

Minor probat., quia prædicta conversio fit in instanti

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambrosius dicit libro 4. de sacramentis cap. 4. « Si tanta est vis in ser- « mone Domini Jesu, ut inciperent esse « quæ non erant; quanto magis operato- « rius est, ut sint quæ erant, et in aliud « commutentur » Et sic, quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem, *quia sermo Christi creaturam mutat.*

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt nullam virtutem creatam esse in prædictis verbis ad transsubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus.

Reprobatio.

Sed hæc positio reprobata est quæst. 62. art. 1. 2. 3. et 4. per hoc quod repugnat dictis sanctorum, et derogat dignitati sacramentorum novæ Legis.

Vera sententia.

Conclusio. In verbis formalibus sacramenti Eucharistiæ est quædam virtus creata ad convertendum panem et vinum in corpus et sanguinem Christi: instrumentalis tamen.

Probatur dupliciter. Primo; formæ aliorum sacramentorum habent vim creatam; instrumentalem tamen ad inducendos sacramentorum effectus, ut qu. 62. art. 1. dictum est. Ergo multo magis in verbis formalibus hujus sacramenti est creata vis ad hanc conversionem faciendam.

Conseq. prob. Quia hoc sacramentum est præ cæteris dignius, ut dictum est qu. 65. art. 3. Et ideo ejus forma non debet minorem vim habere, quam formæ aliorum sacramentorum, imo tanto maiorem virtutem habent, quanto sacramentum hoc est aliis excellentius

Secundo probatur conclusio. Quia cum hæc verba ex persona Christi proferantur, ex ejus mandato, consequuntur virtutem instrumentalem á Christo, sicut et cætera ejus facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, ut dictum est qu. 62. art. 4.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem primæ formæ, vel ad maiorem secundæ, quod cum dicitur, sola virtute Spiritus Sancti panem in corpus Christi converti, non excluditur virtus instrumentalis, quæ est in forma hujus sacramenti sicut cum dicitur: *solus faber facit cultellum*, non excluditur mallei virtus.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod opera miraculosa nulla creatura potest facere, quasi agens principale: potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut tactus manus Christi sanavit leprosum. Et per hunc modum verba Christi convertunt panem in corpus Christi: quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur; non enim potuit fieri ut aliquid á corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem: in creatione autem non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari; et ideo non est simile.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod etsi verba formarum consecrationis non sint simplicia, nec possint in instanti proferri; eorum tamen virtus est simplex; quia virtus hæc consequitur verborum significatum, quod perficitur in prolatione ultimæ dictionis. Est igitur virtus sacramentorum simplex, ratione simplicis significati, licet in verbis prolatis sit compositio.

ARTICULUS V.

Utrum prædictæ locutiones sint veræ.

Pro negativa.=Videtur quod prædictæ locutiones, scilicet hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei, non sint veræ.

1. Hæc est falsa, « panis est corpus Christi. » Sed dicere, « hoc est corpus meum, » idem est ac si diceretur, substantia panis est corpus Christi. Ergo hæc est falsa, hoc est corpus meum.

Minor manifestatur: nam ly, hoc, est demonstrativum substantiæ; quando autem profertur pronomen hoc, adhuc est ibi substantia panis, quia transubstantiatio fit in ultimo instanti prolationis omnium verborum. Ergo quando dicitur illud pronomen, hoc, idem est, ac si diceretur, substantia panis est corpus Christi.

2. Species sensibiles quæ sunt in hoc sacramento, neque sunt ipsum corpus Christi, neque accidentia corporis Christi. Sed hoc pronomen (hoc) demonstrat species sensibiles, quæ sunt in hoc sacramento. Ergo hæc locutio, hoc est corpus meum, non potest esse vera.

Minor probat., quia pronomen (hoc) facit demonstrationem ad sensum.

3. Ante conversionem panis in corpus Christi, hæc est falsa, hoc est corpus meum; sed significatio horum verborum, quæ efficit conversionem panis in corpus Christi, ut dictum est art. præced. præintelligitur conversioni panis in corpus Christi. Ergo hæc est simpliciter falsa, hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei.

Minor probat., quia causa efectiva præintelligitur effectui.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hæc verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit Joan. 14. Ego sum veritas.

Determinatio.

Diversæ opiniones.

Ad sciendum an prædictæ locutiones, scilicet hoc est corpus meum: et hic est calix sanguinis mei; sint veræ, investigandum est quid significent, sive quod demonstrent illæ dictiones hoc, et hic; circa quod multiplex fuit opinio. Quidam enim dicunt quod in hac locutione, hoc est corpus meum, hæc dictio (hoc) importat demonstrationem ut conceptam, non ut exercitam: demonstratio concepta est, concipere sive cognoscere quod terminus habet significationem demonstrativam; exercita vero est actu aliquid demostrare, sicut quando ludimagister interrogat Discipulum dicens. Da demonstrationem: et discipulus respondet dicens. En, ecce, nihil tamen demonstrans; tunc est demonstratio concepta. Si vero idem ludi-magister dicat discipulo, ubi est liber. et ipse respondeat. Ecce, ostendens librum, erit demonstratio exercita. Dicunt igitur sic opinantes, quod cum sacerdos dicit (hoc est) non demonstrat aliquid exercite: sed solum concepte. Et ratio eorum erat, quia tota ista locutio sumitur materialiter, et hoc quia recitative hæc verba proferuntur: recitat enim (inquiunt) sacerdos verba, quibus Dominus consecravit. Sicut si quis recitaret verba quibus Dominus Deus lucem creavit, dicens Deus in principio creationis rerum dixit, fiat lux: hæc enim verba significant factionem lucis conceptam, non exercitam.

Reprobatio.

Sed hoc stare non potest, quia secundum hanc positionem, verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem. Et ita non perficeretur sacramentum: si enim sacerdos intenderet solum dicere, quod Christus quando hoc sacramentum instituit, dixit, Hoc est corpus meum, profecto non applicaret hanc formam ad aliquam materiam: et nullum fieret sacramentum: quod requirit necessario quod verba formæ ad materiam aliquam applicentur: dicit enim August. tract. 80. in Joan. quod "accedit verbum ad elementum et fit "sacramentum."

Et præterea ex hoc non evitatur difficultas quæstionis, quia eædem rationes manent circa primam prolationem factam á Christo; possumus enim quærere, quid demonstraret verbum (hoc) quando á Christo fuit prolatum; tunc enim non materialiter, sed significative sumebatur.

Oportet igitur dicere, quod quando hæc verba á sacerdote proferuntur, non materialiter, sed significative sumantur. Nec obstat quod sacerdos ea recitative profert, quasi á Christo dicta, quia, propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis suæ, vis regenerativa pervenit, non solum ad illas aquas, quæ Christum tetigerunt; sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura sæcula, ita etiam ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutem consecrativam sunt consecuta, á quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentaliter proferret.

Secunda positio.

Et ideo alii dixerunt quod hæc dictio (hoc) in hac locutione facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, Hoc est corpus meum, idest significatum per, Hoc est corpus meum.

Reprobatio.

Sed nec hoc stare potest. Quia cum in sacramentis hoc efficiatur quod significatur, non fieret per hanc formam secundum hunc sensum intellectam quod corpus Christi sit in hoc sacramento se-

cundum veritatem, sed solum sicut in signo, quod est hæreticum, ut supra dictum est.

Aliorum alia positio.

Et ideo alii dixerunt quod hæc dictio, hoc, facit demonstrationem ad sensum; sed hæc demonstratio intelligitur non pro illo instanti locutionis, quo hæc dictio profertur, sed pro ultimo instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit, nunc taceo, hoc adverbium (nunc) facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem; est enim sensus, statim his verbis dictis, taceo. Dicunt igitur quod cum dicitur, hoc est corpus meum, illa dictio, hoc, demonstrat sub especie panis esse corpus Christi, non quidem tunc quando profertur, sed in fine locutionis, scilicet post prolatam ultimam dictionem, scilicet (meum).

Reprobatio.

Sed nec hoc stare potest. Et ratio est quia si sic intelligeretur hæc locutio, sensus esset: corpus meum est corpus meum. Nam cum ultimo instanti locutionis sub specie panis sit corpus Christi, si pronomen (hoc) demonstrat id quod est sub specie panis in fine locutionis, demonstrabit corpus Christi, et sic dicere: hoc est corpus meum, idem erit ac si diceretur, corpus meum est corpus meum. Non potest autem hæc locutio hunc sensum habere, quia locutio hæc facit illud quod significat. Sed non potest hæc locutio facere quod corpus Christi sit corpus Christi; cum hoc fuerit verum etiam ab instanti conceptionis Christi; unde non potest hanc significationem habere.

Vera sententia.

Conclusio. Dictiones hoc et hic quæ ponuntur in forma consecrationis Eucharistiæ, significant contentum sub his speciebus in generali, sive substantiam in communi.

Manifestatur: ad evidentiam hujus conclusionis est præmittendum quod hæc locutio, scilicet hoc est corpus meum; et hic est calix sanguinis mei, habet virtutem factivam conversionis panis et vini in corpus Christi, ut dictum est art. præced. ad 3. et ideo ista locutio comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significativam et non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici quæ est factiva rei, conconceptioni intellectus nostri speculativi, quæ est accepta á rebus. Et hæc est conveniens comparatio, quia voces sunt signa intellectuum, ut dicitur 1. Periher. Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem, sed facit eam; ita veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam, sed faciat eam; sicut etiam se habet Verbum Dei ad res factas per Verbum Dei. Et quia hæc conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi non fit successive sed in instanti, sicut art. 2. dictum est, ideo oportet intelligere prædictam locutionem, secundum ultimum instans prolationis verborum, non quidem sic, ut præsopponatur ex parte subjecti id quod est terminus conversionis, scilicet corpus Christi, quia tunc dicere: hoc est corpus meum, idem esset ac si diceretur corpus Christi est corpus Christi; neque etiam quod præsupponatur illud quod fuit ante conversionem, quia sic esset sensus. Panis hic est corpus Christi. Sed presupponitur id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Et sic non faciunt ista verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter Dominus non dicit, hic panis est corpus meum, quod esset secundum intellectum secundæ opinionis: neque dixit, hoc corpus meum est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertiæ opinionis. Sed in generali, hoc est corpus meum, nullo nomine, ap-

posito ex parte subjecti, sed solo pronomine quod significat substantiam in communi sine qualitate, idest sine forma determinata; et ex his remanet manifestata conclusio.

Ex quibus etiam omnibus habetur conclusio ad quæsitum, quæ est.

Conclusio. Prædictæ locutiones scilicet: hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei, sunt veræ.

Prob. Quia in his locutionibus significatur quod contentum sub his speciebus quod prius erat panis et vinum, sit corpus Christi, et hoc verum est, quia verba hæc Domini faciunt id quod significant, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod hæc dictio (hoc) demonstrat substantiam absque determinatione propriæ naturæ, ut dictum est in corp.

Ad 2. Negatur minor. Pronomen enim, hoc, non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ prius fuit panis et postea corpus Christi, quæ demonstratur ad sensum per accidentia, sub quibus est.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod significatio hujus locutionis præintelligitur rei significatæ non ordine temporis, quia hæc causa simul habet secum suum effectum; sed ordine naturæ, sicut causa naturaliter est prior effectu. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

ARTICULUS VI.

Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini.

Pro negativa. = Videtur, quod forma consecrationis panis non consequatur suum effectum, quousque perficiatur forma consecrationis vini.

1. Si verba consecrationis panis haberent suum effectum ante consecrationem vini, sequeretur quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi exangue.

Prob. conseq., quia sicut per consecrationem panis incipit in hoc sacramento esse corpus Christi, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Unde ante consecrationem vini, si esset corpus Christi, esset profecto sine sanguine.

2. Unum sacramentum unum habet complementum. Unde etsi in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequitur suum effectum, quousque tertia fuerit terminata. Sed sacramentum Eucharistiæ est unum, ut dictum est quæst. 73. art. 2. Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis, quibus consecratur vinum.

3. Ipsa forma consecrationis panis sunt plura verba, quorum priora non consequuntur effectum, nisi prolato ultimo, sicut art. 4. ad 3. dictum est. Ergo pari ratione, nec verba quibus consecratur corpus Christi, habent effectum, nisi prolatis verbis, quibus sanguis Christi consecratur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hostia consecrata statim dictis verbis consecrationis panis proponitur populo adoranda. Ergo verba consecrationis panis consequuntur suum effectum, antequam proferantur verba consecrationis vini.

Conseq. probat., quia si non esset corpus Christi in hostia consecrata ante consecrationem vini, ad idolatriam pertineret proponere ipsam adorandam.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam antiqui Doctores dixerunt quod hæ duæ formæ consecrationis panis et vini se invicem expectant in agendo; ita scilicet quod prima non perficit suum effectum, antequam proferatur secunda; et eorum ratio poterat esse ea quæ inducta est in primo argumento.

Reprobatio, et vera sententia.

Sed hæc positio stare non potest propter duo, quæ erunt rationes probantes conclusionem.

Conclusio. Forma consecrationis panis, non expectat formam consecrationis vini in agendo, sed statim habet suum effectum.

Probatur primo. Significatio hujus locutionis, hoc est corpus meum, completur prolato ultimo locutionis verbo. Ergo oportet rem significatam per hanc locutionem, quæ est effectus hujus sacramenti, statim adesse.

Conseq. prob., quia ut dictum est art. 2. et 5. ad veritatem hujus locutionis; hoc est corpus meum, propter verbum præsentis temporis, requiritur quod res significata, simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis, alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis: non enim diceretur, hoc est corpus meum, sed hoc erit corpus meum. Ex hoc igitur quod significatio hujus locutionis completur statim prolato ultimo verbo, sequitur evidenter, quod corpus Christi quod est res significata, et effectus hujus significationis statim adsit.

Secundo, quia positio contraria est contra ritum Ecclesiæ, quæ statim post prolationem verborum corpus Christi adorat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod ex hac ratione videntur fuisse decepti illi, qui prædictam positionem docuerunt, ad quam respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod facta consecratione panis, est quidem corpus Christi ibi ex vi formæ sacramenti; sanguis autem, ex reali concomitantia, sed postmodum per consecrationem vini fit in hoc sacramento sanguis Christi ex vi formæ consecrationis vini; corpus autem ex reali concomitantia, et sic Christus est ibi totus sub utraque specie. In specie quidem panis est secundum corpus ex vi sacramenti, et secundum sanguinem ex reali concomitantia. Sub especie vero vini é converso, ut dictum est supra quæst. 76. art. 1.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sacramentum quod est unum perfectione, unum habet complementum secundum perfectionem: si tamen sit ex duobus tamquam ex partibus constans, habet duo quasi partialia complementa; ita ut quælibet pars in suo genere sit perfecta: sicut domus quæ est una secundum perfectionem, constans tamen ex pluribus integrantibus partibus, etsi totalis domus perfectio sit una; tamen quælibet pars habet propriam perfectionem secundum se: prius enim perficitur fundamentum, deinde parietes, et tandem tectum. Et quia sacramentum hoc est unum perfectione, ut quæst. 73. art. 2. dictum est; ideo perfectio unius partis perfectionem alterius non expectat. Nec est eadem ratio de triplici immersione, quæ fit in baptismo, quia hujusmodi immersiones non sunt partes baptismi ordinatæ ad triplicem baptismi effectum, sed omnes ad unum simplicem baptismi effectum ordinantur; unde nec sunt omnes de necessitate baptismi, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de pluralitate verborum in forma panis, et de pluralitate locutionum in formis consecrationum panis et vini; nam verba consecrationis panis omnia constituunt integritatem unius locutionis: et ideo non sequitur effectus, nisi sit completa locutio. Forma autem consecrationis panis est una locutio diversa á locutione consecrationis vini: et ideo una habet proprium effectum sine altera.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 78.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis; nullam esse præcisam formam consecrationis Eucharistiæ. Et aliorum quorumdam dicentium: quod Christus in cœna illa suprema non confecit sacramentum hac forma, scilicet: Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses has merito damnari á Conc. Flor. " Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris; quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur. » Hæc illud in decreto Armenis dato, seu in constitution. Concil. Flor. super union. Armen. Nota ly *sunt verba Salvatoris*, contra Lutherum; item ly *quibus hoc confecit sacramentum*, contra alios prædictos; item ly *sacerdos enim in persona Christi*, etc. ut ostendas (si quis contenderet) quod non aliis, quam ipsissimis verbis á Christo prolatis, sacerdos nunc conficit Eucharistiæ sacramentum. Hanc siquidem intelligentiam apportat ly enim, quod tamquam rationem dictorum reddens, connectit illas duas sententias. Nota idem quoque ly ipsorum virtute verborum, etc. Ut hinc pateat (contra Valdenses, ut ait Guido Carmelita cap. 9. de hær. dicentes, conficiendum esse Eucharistiæ sacramentum sub hac forma, scilicet dicendo septies Pater noster, et benedicendo panem et vinum) quod ex vi istorum verborum, non autem aliorum, conficitur vere hoc sacramentum. Ex ly ipsorum verborum virtute, patet etiam, quod non virtute benedictionis conficitur: sed nec virtute illorum, scilicet *accipite, et comedite*, aut illorum, scilicet; *hoc facite in meam commemorationem*, vel, si qua sunt similia. Item confirmantur hæc omnia, et consequenter prædictarum hæresum damnatio, á Concil. Trid. sess. 13. c. 3. " Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant; cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat. Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Christi corpus sub specie panis, verumque ejus sanguinem sub specie vini, existere ex vi verborum. » Quæ quidem secundum texturam planam litteræ patefaciunt, et quod Christus his verbis: Hoc est corpus meum, usus est ante, quam discipulis Eucharistiam præberet; et quod illa verba sunt verba consecrationis, ex quorum vi corpus Christi sub specie panis, sanguisque sub specie vini existit. Cum igitur nulla alia verba, nisi: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus (quod idem est cum ly hic est calix sanguinis mei) significent, sub specie panis existere corpus Christi, et sub specie vini sanguinem: sequitur manifeste, quod nulla alia verba, nisi prædicta, habent ex vi suæ significationis, quod efficiant illud, scilicet, quod sub speciebus panis, ac vini existat corpus, et sanguis Christi: ex quo ulterius manifeste relucet intentum, scilicet, quod secundum concilium ipsum ex omnibus verbis præmissis sola illa, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei; sunt consecrationis. Tam clara sunt ista ex litterarum ipsius concilii textu, ut nihil omnino in horum claritatis majoris gratiam dicere nos oporteat. Item á Papa Innocent. III. Extra de celebrat. missar. cap. cum Marthæ. " Quæsivisti: quis formæ, quam Christus ipse expressit, cum in corpus, et sanguinem suum panem transubstantiavit, et vinum, illud in canone missæ adjecerit. Cum enim in Evangelio sic legatur: accipiens calicem, gratias agens benedixit, et dedit discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum: in canone missæ sermo iste, videlicet, mysterium fidei, interpositus invenitur. » Ubi patet: quod forma, quam Christus in consecratione vini expresse protulit, est; Hic est sanguis meus: et panis (ut á simili subintelligamus) Hoc est corpus meum. Ubi et vigilantissime nota: quod Summus iste Pontifex altissimum hujus decreti sui de sacramenti formis posuit fundamentum, scilicet, Evangelium expressum: quod nullus, nisi infidelis negare potest. Cæterum ly novi testamenti, etc. videbitur suo loco scilicet art. 3. Relinquitur ergo ex præmissis

omnibus indubie secundum doctrinam Ecclesiæ catholicæ tenendum esse de fide, quod Christus hac forma verborum; Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, vel calix sanguinis mei, confecit Eucharistiæ sacramentum: et quod contrarium est hæresis aperte damnata tum ex Evangelio, tum ex decretis et Papæ Innocentii, et conciliorum. Nec obstat (ut quibusdam videri forsitan posset) quod Ecclesia de his formis determinans, ut supra, non posuit contrarium sub anathemate, exprimendo (ut sæpe in hujusmodi solet) ly si quis negaverit hoc, vel ly si quis dixerit hujus contrarium, anathema sit, hoc inquam, non obstat: tum, quia non semper hoc de anathemate expressum servat Ecclesia, quamvis doceat ea, quæ sunt fidei (ut patet multoties, speciatim vero in literis sanctæ unionis, quæ ponuntur in fine Concilii Florentini ubi plurima de fide determinantur: et tamen numquam exprimitur anathema de contrario) tum, quia sufficit sic, vel sic, decreta in ad fidem pertinentibus proponere, definire; et multo magis, quando pro majori declaratione, etiam apud minus eruditos, inhibetur expresse contrarium etiam sine explicatione anathematis, licet semper intelligatur. Porro hoc ipsum in proposito nostro contingit. Nam Concilium Trid. sess. 13. in decreto ante capitulum primum dixerat. " Sacrosancta synodus sanam, et synceram illam de venerabili hoc, et divino Eucharistiæ sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica Ecclesia ab ipso Christo, et ejus Apostolis erudita, atque á Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta, retinuit, et ad finem usque sæculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit: ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant; quam, ut est præsenti decreto explicatum, atque definitum. » Sed et Eugenius IV. in concilio Florentino, super unione Armenorum sic præmiserat. « Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus, et tractatibus, postquam non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ patribus, et doctoribus deducta sunt, et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem; tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, unioque ipsa stabilis, ac perpetua sine ullo scrupulo, perseveret: ut sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum (sacro hoc approbante Florentin. Concilio) ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus. (*Et post multa.*) Quinto ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armenorum tam præsentium, quam futurorum, faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Novæ legis septem sunt sacramenta, » etc. Sed et quod Innoc. III. in illa decretali, de fide esse, quæ tunc determinat, nullus ambigit: qui eum in fine illius primi quæsiti loquentem audierit, et dicentem. " Credimus igitur: quod formam verborum, sicut in canone reperitur, et á Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperint successores. » Ex quibus, et singulis conciliorum præmissis, patet intentum: scilicet, quod et ibi definiunt de fide, quæ dicere intendunt, et quod subintelligunt consequenter de necessitate anathema in eos omnes, qui contrarium dixerint. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Erasmi Roterodami* (in primam ad Corinth. cap. 11. ut refert. Joseph Angles ord. minor.) dicentis: quod Hoc est corpus meum, significat solum præsentiam corporis Christi, non panis conversionem. Et suspectam propositionem ejusdem (in primam ad Corinthios, in principio paraph. ut refert idem Joseph) dicentis. " Utinam Paulus explicuisset, quibus verbis esset consecrandum. » Ac si dixerit aperte Erasmus: quod Apostolus non explicavit, quibus verbis sit consecrandum. Volens forsan, hoc gladio mellito suæ fictæ querimoniæ asserere, quod nos ex litteris sacris nescimus adhuc, quibus verbis sit consecrandum. Quod est hæresis manifesta. Et hæreticas expositiones Joannis á Lasco, á quo Alascani dicentis: Hoc est corpus meum, idest hoc, non quod fuit panis, sed tota hæc actio cœnæ, est corpus meum. Item alias undecim ejusdem extorsiones, quibus detorquet verba cœnæ Domini; quas (ut plenius de hoc instruaris)

vide in Erasmi Alberi libro secundo contra Carolostadium. Et hæreticalem impostu-ram, quam confingit Gaspar Suencfeldius (ut refert Gabriel Prateolus, titul. Suenc-felduani) dicens: Hoc est corpus meum, idest ex prædicato fit subjectum, ut sit sen-sus, corpus meum est hoc, scilicet panis, vel cibus. Et hæreticam stropham Caro-lostadii (ut refert idem Prateolus, in Antiluiberani) dicentis: Hoc est corpus meum, idest, hoc, quod hic assidet mensæ, est corpus meum; vel hoc est, idest significat. *Secundo* vides: quomodo per rationem ostendas, illas omnes merito damnari á Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. et 1. Corinth. 11. Hoc est corpus meum. Item á Concilio. Trid. sess. 13. cap. 1. sic exponente, ideoque prædicta hæreticalia damnante, in hæc verba. " Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt: hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vi-nique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba á sanctis Evangelistis commemorata, á Divo Paulo postea repetita, cum propriam illam, et apertissimam significationem præ-seferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt: indignissimum sane flagitium est, ea á quibusdam contentiosis, et pravis hominibus ad fictitios, et imaginarios tro-pos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ, tamquam columna, et firmamentum veritatis hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper, et me-more animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens. » Item á Concilio Flor. quod tamquam exponens scripturas, et specialiter Apostolum Paulum, ait. " Verum, quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verbo-rum, quibus in consecratione corporis, et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ec-clesia, Apostolorum Petri, et Pauli doctrina, et auctoritate firmata semper uti con-sueverat, illam præsentibus ediximus inserendam. In consecratione corporis Domini hac utitur forma verborum. Hoc est enim corpus meum. Sanguinis vero. Hic est enim calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (Et infra) Datum Florentinæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia domus S. Mariæ Novellæ celebra-ta 1441. prid. nonas Februarii. » Quæ ideo in ultimis annotata sunt hic, ut scias quærendo hanc additionem factam decreto Armenorum invenire authentice, inter cons-titutiones multas Concilii Florentini super diversorum uniones. Verba præmissa hu-jus Concilii Florent. conferas cum ejusdem verbis de forma sacramenti supra recita-tis, art. 1. append. Et ex utrorumque insimul construccione conjicies in particulari, quid sit dicendum de Christo, an scilicet his duabus formis (Taceo ly *enim*) totidem verbis expressis usus sit in consecratione. Pro qua re et faciet considerare simul ver-ba ultimo in eadem append. ex decretali Papæ Innocentii adducta, scilicet, *credimus igitur*, etc. Et considerare art. 3. resp. ad nonum argumentum; et etiam ejus app. Ex præmissis itaque Conciliorum dictis patet; quid respondendum sit *Erasmo Rote-rodamo* conquerenti per ly *utinam Paulus*, etc. Quod scilicet, quia visus est in tali anxia querela imitari judaeos olim post tam aperta de Christo testimonia dicentes: « Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam, » ideo nil aliud, nisi consimile illis responsum cum suis audire meretur. Loquor vobis in Evan-gelio, in Apostolo, in tot, qui fuerunt de mea Ecclesia etiam ab initio, Patribus, in formis, quibus utitur Ecclesia Romana verbo meo (*Tu es Petrus*, etc.) aperte fun-data; et non creditis. Ex supradictis etiam omnibus, atque citatis, patere potest, quod illa ejusdem Erasmi propositio, scilicet " Nusquam legitur expresse, quibus verbis Christus consecraverit (quam pro suspecta, et scandalosa adducit Jacobus Lop. Ziu-niga post suum itinerarium) ignorantiam ipsius Erasmi in theologicis veraciter in-fert. Sed, quid mirum, si purus grammaticus theologiam, etiamsi praesumat, ignoret? Nec ly *expresse*, quo vafritiem contegit, eum facit theologum; sed magis gramma-ticum arguit: qui non sensum verborum, sed verba nuda, legit. Caeterum ad illam

ejusdem negantem conversionem per ly Hoc est corpus meum significari, profertur damnatio manifesta ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 3. 4. et can. 2. Item ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. et ex Concilio Florent. immo etiam ex Evangelico textu bene intellecto. De quibus omnibus vide tu supra art. num. 107. 116. 118. 120. 122. cum Elucid. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Conc. Flor. et ab Innoc. Papa, quod omnia verba ista, scilicet " Hic est calix sanguinis mei novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum, » sunt de substantia formæ consecrationis vini. A Concil. quidem Flor. secundum quod ponitur supra, art. 2. app. Ubi nota, maximum auctoritatis pondus designari in eo, quod ibi dicitur: in antiquisimo usu Romanæ Ecclesiæ formam hanc fuisse. Quantum enim valeat consuetudo, præsertim tam antiqua Ecclesiæ, quantaque diligentia sit imitanda, reliquit manifeste testamentum fidelissimus catholicæ veritatis propugnator D. Thom. in 2. 2. q. 10. art. 12. corp. princ. Vide tu ibi omnino, ad perpetuam rei, et hujus, et cujuscumque similis, memoriam. Quantum item valeat verbum illud á Concil. Flor. dictum, scilicet, Romana Ecclesia, noverint omnes ex eo, quod Anacletus Papa III. vel IV. á Petro, et natione Græcus, dicit. " Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro, primatum obtinuit. Et ambo (scilicet Petrus, et Paulus) Sanctam Romanam Ecclesiam consecraverunt: atque omnibus aliis urbibus in mundo universo tam sua præsentia, quam suo venerando triumpho prætulerunt. » Hæc ille: quæ recitantur dist. 22. c. sacrosancta. Item noverint ex eo, quod idem Concil. Flor. sess. ult. in litteris sanctæ unionis dicit de Ecclesia Romana sic. " Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum: et ipsum Romanum Pontificem esse successorem B. Petri Principis Apostolorum, et verum Vicarium Jesu Christi, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem, et doctorem existere: et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quemadmodum et in gestis Œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur. » In ultima illa sessione, ante litteras ejusdem sanctæ unionis immediate conspicies mirabile hoc opus Dei, scilicet, quod græci ibi (absentibus latinis) post revolutionem suorum Doctorum multamque veritatis inquisitionem factam in Palatio sui Imperatoris, tandem inter se in hanc, quam audisti, sententiam de primatu Romanæ Ecclesiæ devenerunt. Quam quidem sententiam, cum postea latinis praesulibus notificassent, omnes pariter in Domino gaudentes reposuerunt in litteris sanct. unionis. Quæ sane unio sancta fuit, quandoquidem, et graeci, et armeni, et jacobini, rejectis pristinis erroribus, luce veritatis inspecta seipsos Ecclesiae Romanae; tamquam matri suae, devota voluntate subdiderunt. Ut autem agnoscas certius, solam in praedictis veritatem triumphase: notabis; praemissa Concilii Florentini acta omnia esse recitata secundum translationem cujusdam Abrahami Cretensis (quae magna insula graecorum est) qui totum ipsum concilium é greco in latinum fideliter, tamquam á Spiritu Sancto actus, transtulit. Item noverint tandem omnes ex eo; quod Ecclesia Romana á Concil. Trident. sess. 7. de bapt. can. 3. et sess. 14. de sacr. extr. unct. c. 3. et sess. 22. c. 8. et sess. 25. de delect cibor. jejun. dieb. fest. c. 10. vocatur omnium Ecclesiarum mater, et magistra. Ab Innocentio autem tertio idipsum in principio appendicis dictum, et diffuse, et doctissime, insinuatur; extra de celebr missar. cap. cum Marthae. Ibi enim post multa ex doctrina scripturarum sacrarum in favorem, et declarationem singularum partium, atque ideo totius formae consecrationis vini adducta decretalem suam epistolam, quantum ad hoc pertinet, concludit in hæc verba. " Credimus igitur; quod formam verborum, sicut in canone reperitur, et á Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperint successores. » Haec ille Summus Pontifex. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis et applicatis declaretur, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á concilio, et Ambrosio, quod vis creata effectiva conversionis inest verbis formarum sacramenti Eucharistiae. A D. Ambrosio quidem, ut est *in arg. cont.* Ubi nota ly vis in sermone, sicut supra quaest. 62. art. 4. *in arg. cont.* notandum erat, et in B. August. ly vis aquae, et in Beda ly vim contulit aquis. Sed et dicitur, quasi ad idem propositum confirmandum, *Luc.* 24. quod *Jesus* non tantum est potens in opere, sed etiam in sermone. A Concilio Florent. insinuatur per hoc, quod dicit ly « virtute verborum Christi substantia panis in corpus, et substantia vini in sanguinem convertuntur.» Vide quaest. 77. art. 5. app. Ubi et notabis: quod istud concilium se habet in hoc ad *Lateranense*, tamquam expositio quaedam, seu declaratio. Viderat *Florentinum*, quod *Lat.* dicebat ly *transubstiatis pane*, etc. *potestate divina.* Quia vero potestas divina intelligi potest, et ut in se est, et ut in creaturis, tamquam in instrumento, specialiter participatur: ideo, cum nihil horum expresse distinctim explicasse Concilium *Lat.* vidisset *Flor.* hinc rationabiliter motum est hoc posterius concilium ad exprimendum hoc per ly *virtute verborum Christi.* Ac si apertius dixerit: potestate divina Christi, et ut est increata in se, et ut est creata in verbis ipsis: hoc est (ad textus loquelam proprius accedendo) et ut est principale agens, et ut est agens instrumentale. Ambo quidem haec in sensu concilii *Lateranensis*, sub ly *potestate divina*, continebantur: sed non adhuc, antequam *Florentinum* exponeret, manifeste declarata. Regula enim generalis est haec, scilicet quod ipsa concilia mutuo inter se supplevisse leguntur, quae ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa: prout á simili de Evangelistis hoc totidem verbis dicens nos docuit Papa *Innocent. III.* extra de celebr. Miss. cap. cum Marthæ. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses, et errores sub. art. 2. app. recitatos. Ex eo enim, quod locutiones formarum sacramenti altaris, secundum veritatem catholicam, quam exprimit D. Thomas, verificantur; patet perspicaci lectori, quid dicendum sit in damnationem omnium illarum extorsionum circa hujusmodi formas confictarum. *Secundo* habes: quomodo per rationem etiam præsentis articuli ostendas, easdem merito damnari á Conciliis, etc. ibi narratis. Ubi specialiter Concilii Trident. verba ly *indignissimum sane flagitium*, etc. contra illos, illarumque patronos, dicta esse videbis. Quia vero oppositorum est eadem disciplina, secundum Philosophum, ideo lectori hæc satis sint perspicaci. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam, de quibus vide R. Patrem Fr. Joannem Angles Valentinum ordinis Minorum, in lib. *Flores quæstionum Theologicarum, de Euchar.* art. 7. def. 5. concl. 1. dicentium: quod forma consecrationis panis ante consecrationem vini suum non habet effectum. Adversus quos etiam prædictus Pater ibid. loquitur dicens: hæreticum est asserere, verba consecrationis panis ante consecrationem vini, vel é converso, suum non sortiri effectum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari factis ipsis á Christo Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. et 1. Corint. 11. in singulis enim locorum istorum expresse patet: quod Dominus noster, antequam consecraret vinum, porrigendo panem discipulis suis dixit: *hoc est corpus meum.* Constat namque, nec Christum ullo modo fuisse mentitum, nec discipulos tunc ab eo fuisse communi cibo communicatos: quapropter et constare necessario debet consecrationem panis habere effectum suum statim prolatis his verbis: *hoc est corpus meum*, etiam quod nondum consecratio vini fiat. Docuit ergo Christus facto suo illo non tantum, quod per formam illam: *hoc est corpus meum*, ex pane veraciter fit corpus suum, idest ipsius Christi: sed etiam quod, antequam incipiat proferri forma illa: *hic est calix sanguinis*, etc. sub speciebus panis est realiter corpus suum. Porro textus Evangelicus, atque Apostolicus jam supra citatus, adeo in his clare docet, secundum planissimas seriei consecrationum litteras, veritatem, ut nulla tergiversatione celari

possit; nec ab aliquo, vel etiam proterviente, veritas ipsa rationabiliter occultari. Item ab eodem Christo verbis ipsis damnari Jo. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et; *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ecce quod hic nulla mentionem facit de vino consecrato; sed solum de pane. Per hoc ergo denotatur; quod sub specie panis consecrati Christus, per cujus dignam manducationem vivit quis in æternum, continetur: etiam quod consecratio vini postea non fieret. Item á Concil. Trid. sess. 13. c. 3. « Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant; cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat.» Ex quibus patet, quod corpus suum vere erat sub specie panis á Domino porrecti, antequam consecrasset vinum. Nondum enim vinum in calice consecraverat, ut ex serie Evangelii constat prius, quam de manu ipsius Apostoli consecratum panem suscepissent. Item á tota Ecclesia catholica facto suo manifeste damnari, quod factum ponitur *in arg. cont.* Et jure sane optimo id facit Ecclesia: quandoquidem sic ab ipso Christo factis recitatis Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. et supra declaratis edocta est, cum ipsius corpus sub specie panis consecratum latria adorari debeat secundum Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. 6. et can. Cæterum vide 3. part. de Salv. quæst. 27. art. 1. append. item art. 4. ad 3. in Elucidat. Et memento quoque aliquem potuisse dicere non solum errorem, sed etiam hæresim, absque hoc, quod sit vere, et formaliter haereticus, ut alias anotatum est, et habetur in Decret. 24. quaest. 3. cap. dixit Apostolus. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina praesens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA NONA,

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus hujus sacramenti.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundo, utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriæ.

Tertio, utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Quarto, utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quinto, utrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

Sexto, utrum hoc sacramentum homines præservet á peccatis futuris.

Septimo, utrum hoc sacramentum prossit aliis, quam sumentibus.

Octavo, de impedimento effectus hujus sacramenti.

ARTICULUS I.

Utrum per sacramentum Eucharistiæ conferatur gratia.

Pro negativa. = Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia.

1. Per sacramentum Echaristiæ non potest sic conferri gratia, ut per ipsum primo habeatur, nec potest augeri gratia jam habita. Ergo per sacramentum Eucharistiæ nullo modo confertur gratia.

Conseq. patet, quia si per hoc sacramentum confertur gratia, altero illorum modorum oportet conferri: vel scilicet quod de novo conferat gratiam ei qui gratiam non habet, vel quod augeat jam habitam.

Anteced. prob. Et quidem prior pars sic ostenditur: sacramentum quod est spirituale nutrimentum, non confert gra-

tiam, ita ut primo per ipsum habeatur. Sed sacramentum Eucharistiæ est spirituale nutrimentum. Ergo non confert gratiam sic, ut primo per ipsum habeatur.

Maior prob., quia nutrimentum non datur nisi viventi; unde nutrimentum spirituale non datur, nisi habenti vitam spiritualem, quæ est per gratiam: sacramentum igitur quod est spirituale nutrimentum, non confert, sed præsupponit gratiam in suscipiente.

Altera pars antecedentis patet, quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, ut dictum est quæst. 72. art. 1. et 7.

2. Sacramentum quod confertur, ut quædam spiriritualis refectio, non confert gratiam. Sed sacramentum Eucharistiæ datur, ut quædam spiritualis refectio. Ergo non confert gratiam.

Maior prob., quia refectio spiritualis magis videtur pertinere ad usum gratiæ, quam ad gratiæ collationem.

3. In hoc sacramento offertur corpus Christi pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ, ut dictum est quæst. 74. art. 2. et quæst. 76. art. 2. ad 2. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentum non confertur gratia.

Conseq. prob., quia corpus non est subjectum gratiæ, ut dictum est 1. 2. quæst. 110. art. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Per sacramentum quod est spiritualis vita, confertur gratia. Sed hoc sacramentum est spiritualis vita. Ergo per hoc sacramentum confertur gratia.

Maior prob., quia spiritualis vita est per gratiam.

Minor prob. quia Joan. 6. dicitur á Domino, *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam.

Prob. Sacramentum quod continet Christum, in quo repræsentatur passio Christi: et quod traditur per modum cibi et potus, sub speciebus significantibus unitatem charitatis, confert gratiam. Sed in hoc sacramento continetur Christus, repræsentatur passio ejus, traditur per modum cibi, et potus, sub speciebus significantibus unitatem charitatis. Ergo hoc sacramentum confert gratiam.

Maior prob. quoad singulas partes: et quidem quoad primam ostenditur. Quia sicut Christus in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, secundum illud Joan. 1. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, secundum illud Joan. 6. *Qui manducat me, vivit propter me.* Unde et Cyrillus dicit lib. 4. in Joan. cap. 12. et 14. « Vivificativum Dei « Verbum uniens seipsum propriæ carni, « fecit ipsam vivificativam; decebat enim « eum nostris quodammodo uniri corpo- « ribus per sacram ejus carnem et pre- « tiosum sanguinem, quæ accipimus in « benedictionem vivificativam in pane et « in vino. » Sacramentum igitur in quo caro et sanguis Christi sumitur, causat in nobis spiritualem vitam, quæ est per gratiam.

Altera ejusdem maioris pars ostenditur: nam hoc sacramentum ex hoc quod passionem Christi repræsentat, illum effectum facit in homine sumente, quem passio Christi fecit in mundo, qui effectus fuit remissio peccatorum, quæ fit per gratiam; unde super illud Joan. 19. *Continuo exivit sanguis et aqua,* dicit Chrysost. Homil. 84. in Joan. « Quia « hinc suscipiunt principium sacra mys- « teria, cum accesseris ad tremendum « calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi « costa, ita accedas; » unde et ipse Dominus Matth. 26. dicit: « hic est sanguis « meus, qui pro vobis effundetur in re- « missionem peccatorum. »

Tertia maioris pars manifestatur. Nam

ex hoc quod hoc sacramentum datur per modum cibi et potus, omnem effectum, quem cibus materialis facit quantum ad vitam corporalem, hoc totum facit istud sacramentum quantum ad vitam spiritualem; cibus enim corporalis sustentat, auget, reparat et delectat; et hæc facit hoc sacramentum in anima. Unde Ambrosius dicit in lib. 5. de sacram. cap. 4. "Iste panis est vitæ eternæ, qui "animæ nostræ substantiam fulcit.„ Et Chrysost. dicit Hom. 45. in Joan. «Præs- "tat se nobis desiderantibus et palpare "et comedere et amplecti.„ Unde et ipse Dominus dicit Joan. 6. "Caro mea "vere est cibus, et sanguis meus vere "est potus.„ Hæc autem sine gratia non fiunt.

Ultima tandem pars prob., quia charitas sine gratia esse non potest: unde sacramentum quod est signum unitatis quæ est per charitatem, et consequenter charitatem infundit (faciunt enim sacramenta novæ legis, quod significant.)

Minor autem quoad tres priores partes patet ex dictis: ostensum est enim quod in hoc sacramento continetur Christus, in quæst. 76. Quod vero sit repræsentativum passionis Christi, pluries dictum est, præcipue quæst. 73. art. 4. et 5. Quod vero detur per modum cibi et potus, habitum est præcipue quæst. 74. art. 1.

Quo vero ad ultimam particulam, scilicet quod species sub quibus datur, significent unitatem charitatis, ostenditur quia Aug. dicit tract. 26. in Joan. «Do- «minus noster corpus et sanguinem suum «in eis rebus commendavit, quæ ad unum «aliquid rediguntur ex multis; nam «aliud» scilicet panis «ex multis granis in «unum constat, et aliud» scilicet vinum «in unum ex multis acinis confluit,» et alibi dicit, «ô sacramentum pie- «tatis, ô signum unitatatis, ô vinculum «charitatis!» Ex hoc igitur quod hoc sacramentum continet Christum quod est causa gratiæ, et repræsentat passionem Christi, per quam consecuti sumus gratiam, et est refectio spiritualis, quæ est per gratiam, et est signum et causa charitatis, quæ non est sine gratia, sequitur evidenter quod hoc sacramentum gratiam conferat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens: confert enim hoc sacramentum gratiam et eamdem auget. Ad probationem primæ partis negatur maior. Ad cujus probationem dicitur, quod quando hoc sacramentum, quod est spirituale nutrimentum, realiter et actualiter sumitur, ille qui sumit debet vivere vita gratiæ, quam tamen gratiam ille qui sumit, habet ex voto ipsius sacramenti. Unde nullus potest consequi gratiam ante receptionem hujus sacramenti, vel ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, ut in adultis fit, vel voto Ecclesiæ ut in parvulis. Et quia hoc sacramentum ex seipso habet virtutem conferendi gratiam, ut in corpore probatum est, cum ex voto proprio sumentis vel ex voto Ecclesiæ gratia infundatur, restat quod quando actualiter recipitur, gratia augeatur. Ad probationem vero secundæ partis antecedentis, scilicet quod augmentum gratiæ pertinet ad sacramentum confirmationis; respondetur quod aliter augetur gratia per sacramentum confirmationis, et aliter per sacramentum Eucharistiæ actualiter sumptum. Per sacramentum enim confirmationis augetur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per sacramentum vero Eucharistiæ augetur gratia et perficitur spiritualis vita ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.

Breviter igitur dicitur quod hoc sacramentum quatenus in se continet gratiæ auctorem, confert gratiam ex voto sumendi; quatenus vero actu recipitur, præsupponit gratiam primo habitam ex voto ipsius, et auget ipsam, ut homo in se perfectus spiritualiter existat.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod refectio sacramenti Eucharistiæ, non solum pertinet ad usum gratiæ, sed per ipsam confertur gratia, utpote quod continet ipsum Christum gratiæ auctorem, et insuper confertur virtus charitatis. Unde hoc sacramentum comparat Damasc. lib. 4. ortod. fid. cap. 14. carboni ardenti, quem vidit Isaias cap. 6. Carbo enim ardens simplex lignum non est, sed lignum conjunctum igni; Ita panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati, et sicut Greg. dicit in Hom. 30 in Evang. de Pentec. *Amor Dei non est otiosus: operatur enim magna, si est.* Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum datur habitus gratiæ, sed etiam excitatur in actum, secundum illud 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos,* et inde est quod ex virtute hujus sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud Cant. 5. *Comedite, amici, et bibite et inebriamini, charissimi.*

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo ad antecedens, quod tam corpus, quam sanguis Christi offertur pro salute utriusque, scilicet animæ et corporis, quia in utroque est totus Christus; quia tamen sacramenta operantur salutem, quam significant; ideo secundum quamdam assimilationem dicitur quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ, quia scilicet corpus corporis, sanguis vero animæ, significat salutem.

Dicitur secundo negando consequentiam. Ad prob. dicitur, quod licet corpus non sit immediatum subjectum gratiæ; ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti membra nostra exhibemus *arma justitiæ*, Rom. 6. et in futuro sortietur incorruptionem et gloriam animæ.

ARTICULUS II.

Utrum effectus sacramenti Eucharistiæ sit adeptio gloriæ.

Pro negativa.=Videtur, quod effectus hujus sacramenti non sit adeptio gloriæ.

1. Sacramentum quod competit viatoribus, non habet pro effectu adeptionem gloriæ. Sed sacramentum Eucharistiæ competit viatoribus. Ergo sacramentum Eucharistiæ non habet pro effectu adeptionem gloriæ.

Maior prob., quia cum effectus proportionetur suæ causæ et viatores non sint capaces gloriæ, non poterit id quod viatoribus competit, habere pro effectu adeptionem gloriæ.

Minor patet, quia hoc sacramentum viaticum dicitur.

2. Si hoc sacramentum esset causa adeptionis gloriæ, sequeretur quod omnes qui qui hoc sacramentum suscipiunt ad gloriam pervenirent, quod tamen apparet esse falsum, cum multi hoc sacramentum percipiant, qui numquam ad gloriam pervenient, ut patet per Augus. 21. de Civit. Dei cap. 25. Ergo hoc sacramentum non est causa adeptionis gratiæ.

Conseq. prob., quia posita causa sufficienti, ponitur effectus.

3. Minus est accipere Christum sub specie aliena quod fit in hoc sacramento quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causat adeptionem gloriæ.

Prob. conseq., quia majus non efficitur á minori, et hoc quia nihil agit ultra suam speciem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hoc sacramentum est causa adeptionis vitæ æternæ. Ergo est causa adeptionis gloriæ.

Anteced. prob., quia Joan. 6. dicitur *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Conseq. prob., quia vita æterna est vita gloriæ.

Determinatio.

Conclusio. Effectus sacramenti Eucharistiæ est adeptio gloriæ.

Prob. Nam in hoc sacramento duo in proposito considerantur. Primum id ex quo hoc sacramentum habet effectum, videlicet ipse Christus, qui in hoc sacramento continetur, et passio ejus in hoc sacramento repræsentata. Alterum est id, per quod hoc sacramentum habet effectum, scilicet usus hujus sacramenti, quatenus datur per modum cibi et potus; et species sub quibus datur: scilicet panis et vinum, de quibus omnibus dictum est artic. præc. Et respectu utriusque competit huic sacramento, ut causet adeptionem gloriæ. Ipse enim Christus in hoc sacramento contentus per suam passionem in hoc sacramento repræsentatam aperuit nobis aditum vitæ æternæ secundum illud Heb. 9. « Novi « testamenti mediator est, ut morte in« tercedente, qui vocati sunt, accipiant « repromissionem æternæ hæreditatis. » Unde et in forma hujus sacramenti dicitur: *hic est calix sanguinis mei novi et æterni testamenti.*

Similiter etiam refectio spiritualis et et unitas charitatis significata per species panis et vini, habentur per hoc sacramentum, in præsenti quidem imperfecte, perfecte autem habentur in statu gloriæ. Unde Aug. tract. 26. in Joan. dicit. super illud Joan. 6. "Caro mea "vere est cibus. Cum cibo et potu id "appetant homines, ut non esuriant ne"que sitiant, hoc veraciter non præstat "nisi iste cibus et potus, qui eos á qui"bus sumitur, immortales et incorrup"tibiles facit in societate sanctorum, "ubi pax erit et unitas plena atque per"fecta. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod hic effectus hujus sacramenti eo modo, quo ab hoc sacamento causatur, proportionatur suæ causæ: sicut enim passio Christi, in cujus virtute hoc sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non tamen ita quod statim per ipsam introducamur in gloriam, sed oportet quod prius simul compatiamur, ut postea simul glorificemur, sicut dicit Rom. 8. ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, et ideo viaticum dicitur. In cujus figuram legitur 3. Reg. 19. quod "Elias comedit et bibit et ambulavit in "fortitudine cibi illius quadraginta die"bus et quadraginta noctibus usque ad "montem Dei Oreb. » Dare igitur virtutem perveniendi ad gloriam est effectus qui proportionatur virtuti causæ, et hujus effectus viatores sunt capaces.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod hoc sacramentum est causa adeptionis gloriæ, non in omnibus sumentibus, sed solum in digne sumentibus. Sicut enim passsio Christi non habet suum effectum in his qui ad eam non se habent, ut se debent habere; ita per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriam, qui indecenter ipsum suscipiunt. Unde August. tract. 26. in Joan. exponens illud Joan. 6. Caro mea vere est cibus, dicit: « aliud est sacramentum, et « aliud virtus sacramenti. Multi de altari « accipiunt, et accipiendo moriuntur; pa« nem ergo cœlestem spiritualiter man« ducate, innocentiam ad altare portate. » Unde non est mirum, si illi qui innocentiam non servant, effectum hujus sacramenti non consequuntur.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod minus potest majus efficere, si instrumentaliter agat. Et quia Christus sub aliena specie sumptus pertinet ad rationem sacramenti quod instrumentaliter agit, nihil prohibet sacramentum hoc producere potiorem effectum, qui est adeptio gloriæ.

ARTICULUS III.

Utrum effectus sacramenti Eucharistiæ sit remissio peccati mortalis.

Pro affirmativa.=Videtur quod effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis.

1. Illud quod abluit scelera, habet pro effectu remissionem peccati mortalis. Sed sacramentum Eucharistiæ est ablutivum scelerum. Ergo sacramentum Eucharistiæ remittit peccatum mortale.

Maior probat., quia scelera dicuntur peccata mortalia.

Minor prob., quia in quadam collecta dicitur. Sit hoc sacramentum ablutio scelerum.

2. Per sacramentum baptismi dimittuntur peccata mortalia, ut dictum est q. 69. art. 1. Ergo etiam per sacramentum Eucharistiæ peccata mortalia dimittuntur.

Conseq. prob., quia sacramentum Eucharistiæ agit virtute passionis Christi, sicut et sacramentum baptismi.

Et confirmatur, quia in forma hujus sacramenti dicitur: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

3. Per sacramentum, per quod confertur gratia, remittitur peccatum mortale; sed per sacramentum Eucharistiæ confertur gratia, ut art. 1. dictum est. Ergo per hoc sacramentum remittitur mortale peccatum.

Maior probat., quia per gratiam justificatur homo á peccatis mortalibus, secundum illud Rom. 3. *justificati gratis per gratiam ipsius.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur 1. ad Cor. 11. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et Glossa interlin. ibidem dicit quod «ille manducat et bibit indigne, qui in crimine est vel irreverenter tractat; et talis manducat et bibit sibi judicium, idest damnationem.» Ergo ille qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulat sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur.

Determinatio.

Distinctio. Virtus sacramenti Eucharistiæ potest considerari dupliciter: uno modo, secundum se: alio modo, per comparationem ad eum qui recipit hoc sacramentum, prout recipiens invenitur, vel non invenitur cum impedimento percipiendi hoc sacramentum.

1.ª Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ secundum se habet virtutem remittendi quæcumque peccata mortalia.

Prob. quia virtus hujus sacramenti est ex passione Christi, qui est fons et causa remissionis peccatorum.

2.ª Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non operatur remissionem peccati in eo qui ipsum sumit cum conscientia peccati mortalis.

Manifestatur: nam quicumque habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus sacramenti, eo quod non sit conveniens susceptor: tum quia non vivit spiritualiter, et ita non debet spirituale nutrimentum, quod non est nisi viventis, suscipere; tum quia non potest uniri Christo, quod fit per sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter.

Et confirmatur, quia in lib. de Eccles. Dogm. cap. 55. in Operib. August. dicitur: «Si mens in actu peccandi est, «magis Eucharistiæ perceptione gravatur, quam purificetur.»

3.ª Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ potest etiam per comparationem ad sumentem remittere peccatum mortale.

Manifestatur: dupliciter enim potest contingere quod Eucharistiæ sacramentum peccatum mortale remittat. Uno modo si peccator recipiat hoc sacramentum non quidem actu, sed voto: sicut cum quis primo justificatur. Si enim peccator justificetur, habens votum percipiendi hoc sacramentum; et virtute ipsius sacramenti consequi potest remissionem peccatorum. Alio modo etiamsi

actu percipiatur ab eo, qui habet peccatum mortale, cujus tamen peccati conscientiam et affectum non habet. Quia forte prius non fuit sufficienter contritus; talis inquam, si devote et reverenter accedat ad hoc sacamentum, consequetur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod in illa collecta petimus, ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, non quidem quorum conscientiam et affectum habemus: sed vel eorum, quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psalm. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*, vel petimus ut contritio in nobis perficiatur, vel ut detur nobis robur ad vitanda scelera.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod licet sacramentum Eucharistiæ operetur virtute passionis Christi sicut etiam baptismus, non tamen eodem modo; nam baptismus est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale, et datur per modum ablutionis; et ideo accedens ad baptismum, cum conscientia peccati mortalis, non inconvenienter accedit, quia á peccatis abluitur et ad spiritualem vitam regeneratur. Per sacramentum autem Eucharistiæ homo sumit in se Christum per modum espiritualis nutrimenti, quod non convenit mortuo in peccatis; et ideo hoc sacramentum in hujusmodi suscipiente non operatur peccati remissionem, sed sic suscipiens judicium sibi manducat.

Ad 3. dicitur ad maiorem. Per sacramentum per quod confertur gratia, ita ut de novo habeatur, remittitur peccatum; si autem sacramentum non conferat de novo gratiam, sed solum habitam augeat, non remittitur peccatum. Tunc ad minorem dicitur, quod per per receptionem actualem hujus sacramenti non datur primo gratia, sed præsupponitur in suscipiente hoc sacramentum, et ideo per actualem susceptionem hujus sacramenti non remittitur peccatum mortale, nisi modo dicto in tertia conclusione.

ARTICULUS IV.

Utrum per sacramentum Eucharistiæ remittantur peccata venialia.

Pro negativa. = Videtur, quod per hoc sacramentum non remittantur peccata venialia.

1. Per sacramentum charitatis non tolluntur peccata venialia. Sed sacramentum Eucharistiæ est *sacramentum charitatis*, ut August. dicit tract. 26. in Joan. Ergo per sacramentum Eucharistiæ non tolluntur peccata venialia.

Maior prob. Quia peccata venialia non contrariantur charitati; et cum contrarium per contrarium tollatur, charitas peccata venialia non expellit.

2. Per hoc sacramentum non remittuntur omnia peccata venialia. Ergo per hoc sacramentum nullum veniale peccatum remittitur.

Antecedens prob. Quia si per hoc sacramentum remitterentur omnia peccata venialia, sequeretur quod frequenter aliquis esset absque omni peccato veniali quod est contra id quod dicitur 1. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Conseq. prob., quia qua ratione remittitur unum, remittuntur omnia.

3. Peccata venialia non prohibent á perceptione hujus sacramenti. Ergo neque per hoc sacramentum tolluntur.

Antecedens probat., quia Aug. dicit tract. 26. in Joan. super illud Joan. 6. "Patres vestri manducaverunt manna in "deserto et mortui sunt. «Innocentiam» (inquit) "ad altare portate; peccata, "etsi sunt quotidiana, non sint mortifera."

Conseq. prob., quia contraria mutuo se expellunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Innocentius III. dicit in libr. 4. de

sacr. Myst. alt. cap. 44. quod hoc sacramentum *venialia delet et cavet mortalia.*

Determinatio.

Conclusio. Virtute sacramenti Eucharistiæ remittuntur peccata venialia.

Manifestatur. Nam in hoc sacramento duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum et res sacramenti; et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem corporalis cibi est necessarium ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem in nobis quotidie deperditur aliquid ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis, ut in 2. 2. quæst. 24. art. 10. dictum est, et ideo competit huic sacramento, ut est sacramentum, quod remittat peccata venialia. Unde Ambr. dicit lib. 5. de sacram. cap. 4. quod *iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.*

Res autem hujus sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quod peccata venialia solvuntur. Competit igitur huic sacramento et ut est sacramentum et ut est charitatis quæ est peccatorum venialium remissiva, venialia peccata delere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod peccata venialia etsi non contrarientur charitati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, ratione cujus actus peccata venialia tolluntur.

Ad 2. Neg. anteced. Ad prob. conceditur quod infertur, nec hoc est contra scripturæ sententiam: non enim illud verbum Joan. est intelligendum sic, quod homo aliqua hora non possit esse sine omni peccato veniali; sed est intelligendum quod sancti vitam istam non ducunt sine venialibus peccatis sine quibus tamen ad horam esse possunt per hujus sacramenti virtutem.

Ad 3. Negatur conseq. Etsi enim peccata venialia non prohibeant á susceptione hujus sacramenti, tamen cum virtus charitatis, cujus est sacramentum, maior sit quam venialium peccatorum vis: tollit charitas per suum actum ipsa peccata, etsi non impediant charitatem. Unde etsi peccata venialia non impediant susceptionem sacramenti, tamen ipsa tolluntur per hoc sacramentum, ut dictum est.

ARTICULUS V.

Utrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

Pro affirmativa.=Videtur quod per sacramentum Eucharistiæ tota pœna peccati remittatur.

1. Per baptismum homo percipit remissionem omnis pœnæ virtute passionis Christi, quæ sufficienter satisfecit pro omnibus peccatis, ut dictum est quæst. 69. art. 2. Ergo etiam per sacramentum Eucharistiæ remittitur homini totus reatus pœnæ.

Conseq. prob., quia homo per sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi, ut art. 1. dictum est, sicut per baptismum.

2. Per sacrificia veteris legis homo satisfaciebat pro peccatis suis. Ergo multo magis hoc sacramentum valet ad remissionem omnis pœnæ.

Antecedens prob., quia Levit. 4. et 5. dicitur. "Si peccaverit homo, offe-"ret hoc vel illud pro peccato suo et "remittetur ei."

Conseq. prob., quia Alexander Papa I. epist. ad om. ortodoxos dicit. "Nihil "in sacrificiis maius esse potest, quam "corpus et sanguis Christi."

3. Constat quod per hoc sacramentum aliquid de pœnæ reatu dimittitur.

Ergo per hoc sacramentum tota pœna dimittitur.

Antecedens probat., quia aliquibus in satisfactionem injungitur quod pro se missas faciant celebrari.

Conseq. prob., quia qua ratione una pars pœnæ dimittitur, eadem ratione et alia pars dimittitur, cum virtus Christi quæ in hoc sacramento cotinetur, sit infinita.

PRO NEGATIVA:

Argumentum sed contra.

Si per hoc sacramentum remitteretur totus pœnæ reatus, non esset injungenda homini suscipienti hoc sacramentum alia pœna, sicut nec baptizato pœna aliqua satisfactoria injungitur: quod tamen est falsum.

Determinatio.

Conclusio. Per sacramentum Eucharistiæ non remittitur tota pœna peccati.

Manifestatur. Præmittendo quod sacramentum Eucharistiæ est simul sacrificium et sacramentum. Habet enim rationem sacrificii, in quantum offertur; rationem vero sacramenti habet in quantum sumitur: et ideo habet effectum sacramenti in eo qui sumit, effectum autem sacrificii habet in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur.

Si sacramentum Eucharistiæ consideretur, ut sacramentum, habet duplicem effectum. Unum quidem directe ex vi sacramenti. Alium autem ex quadam concomitantia, sicut etiam de his, quæ in hoc sacramento continentur dictum est quæst. 76. art. 1. Ex vi sacramenti Eucharistia habet illum effectum ad quem est hoc sacramentum institutum; est autem institutum Eucharistiæ sacramentum, non ad satisfaciendum pro culpis, sed ad nutriendum spiritualiter per unionem ad Christum et ad membra ejus, sicut nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ sed etiam pœnæ; inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur etiam remissionem pœnæ non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris.

In quantum vero hoc sacramentum est sacrificium, habet vim satisfactivam; quia tamen in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, secundum quod Dominus Lucæ 21. dixit de vidua, quæ obtulit duo æra quod plus omnibus misit, ideo etsi hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, et non pro tota pœna.

Et sic remanet manifestata conclusio: non enim per hoc sacramentum remittitur tota pœna, quia ut est sacramentum, non habet effectum satisfaciendi nisi per concomitantiam, scilicet ex fervore charitatis, qui in uno maior vel minor quam in altero esse potest; quatenus vero est sacrificium, habet quidem vim satisfaciendi secundum se pro tota pœna, non tamen semper sequitur hujusmodi effectus, quia satisfactio quantum ad effectum, attenditur magis pœnes affectum offerentis quam pœnes quantitatem oblationis, ut ex sententia Domini, Lucæ 21. habetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. conseq. Non enim est eadem ratio de sacramento baptismi et Eucharistiæ: sacramentum enim baptismi directe ordinatur ad remissionem pœnæ et culpæ, non autem Eucharistia: baptismus enim datur homini quasi Christo commorienti; Eucharistia autem datur quasi nutrimentum et perficiens per Christum. Ad prob. dicitur, quod per utrumque sacramentum fit homo particeps passionis Christi, sed non eodem modo, ut nunc dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod sacrificia et oblationes veteris legis non

operabantur remissionem totius pœnæ, neque quantum ad quantitatem oblati, neque quantum ad devotionem hominis qui illa offerebat; sacramentum autem Eucharistiæ, etsi ex defectu devotionis totam pœnam non remittat secundum se, tamen habet vim totam pœnam remittendi.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod hoc quod tollitur pars pœnæ et non tota pœna per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis ejus, sed ex defectu humanæ devotionis.

ARTICULUS VI.

Utrum per hoc sacramentum præservetur homo á peccatis futuris.

Pro negativa. = Videtur quod per sacramentum Eucharistiæ non præservetur homo á peccatis futuris.

1. Multi digne sumentes hoc sacramentum postea in peccatum cadunt. Ergo effectus hujus sacramenti non est á peccatis futuris præservare.

Conseq. prob., quia hoc non accideret, si Eucharistia á peccatis futuris præservaret.

2. Sacramentum charitatis non habet pro effectu, ut præservet á peccatis futuris. Sed sacramentum Eucharistiæ est sacramentum charitatis, ut art. 4. ad 3. dictum est. Ergo sacramentum hoc non præservat hominem á peccatis futuris.

Maior prob., quia charitas, cum semel habita possit per peccatum amitti, ut dictum est 2. 2. quæst. 24. art. 11. non videtur á peccatis futuris præservare.

3. Ad sacramentum, per quod præservatur homo á peccatis futuris, pertinet mitigatio fomitis. Sed ad sacramentum Eucharistiæ non pertinet mitigatio fomitis. Ergo Eucharistia non præservat hominem á peccatis futuris.

Maior probat., quia origo peccati in nobis est fomes, qui est *lex peccati, quæ est in membris nostris*, ut patet Rom. 7.

Minor probat., quia mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effectus hujus sacramenti, sed magis baptismi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Jo. 6. *Hic est panis de cælo descendens ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quod hoc sacramentum præservat á morte spirituali, quæ est per peccatum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Euchristiæ præservat hominem á peccatis futuris.

Prob. Sacramentum quod roborat spiritualem vitam hominis contra interiora corruptiva, et munit hominem contra exteriores spirituales impugnatores, præservat hominem á peccatis futuris. Sacramentum Eucharistiæ roborat spiritualem hominis vitam contra interiora spiritualis vitæ corruptiva, et munit hominem spiritualiter contra exteriores impugnationes. Ergo sacramentum Eucharistiæ præservat hominem á peccatis futuris.

Maior prob., nam peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis á peccato futuro, quo præservatur corpus á morte futura. Quod quidem fit dupliciter; uno modo inquantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva; et sic corpus præservatur á morte per cibum et medicinam. Alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes; et sic præservatur per arma, quibus corpus munitur. Illud igitur sacramentum, per quod homo roboratur interius, et munitur exterius spiritualiter, præservat hominem á spirituali morte, quæ est pecatum.

Minor manifestatur: sacramentum enim Eucharistiæ conjungit nos per gratiam Christo; et per hoc roborat spiritualem hominis vitam, tamquam spiritualis cibus et spiritualis medicina, secundum illud Psal. 103. *Panis cor hominis confirmat.* Et August. dicit tract.

26. in Jo. « Securus accede, panis est, non venenum. » Munit etiam hoc sacramentum contra exterius impugnantes, inquantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, et per hoc repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chrysost. dicit Hom. 45. in Jo. « Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa dis« cedimus, terribiles effecti diabolo.

Aliter formatur rato ad conclusionem. Sacramentum, quod est spiritualis cibus et medicina, et quasi arma contra exteriores spirituales impugnationes, præservat hominem á peccatis futuris. Sed sacramentum Eucharistiæ est spiritualis cibus et medicina, et quasi spiritualis armatura. Ergo præservat hominem á peccatis futuris.

Maior prob., quia sicut corpus á morte præservatur per cibum, medicinam et arma, sic anima á spirituali morte, quæ est per peccatum, præservatur, per cibum, medicinam et arma spiritualia.

Minor prob., quia hoc sacramentum unit nos Christo per gratiam, ut spirituali cibo; et est signum passionis Christi, per quam, tamquam per arma dæmones fuerunt victi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum. Effectus enim hujus sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem, sicut etiam effectus cujuslibet causæ activæ recipitur in materia secundum modum materiæ. Homo autem in statu viæ est hujus conditionis quod liberum ejus arbitrium potest flecti in bonum et malum. Unde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præservativam á peccato; non tamen aufert ab homine possibilitatem peccandi, cum quo stat quod á peccato præservet.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod etiam charitas, quantum in se est, præservat hominem á peccato, secundum illud Rom. 13. *Dilectio proximi malum non operatur*; sed ex mutabilitate liberi arbitrii contingit quod aliquis post habitam charitatem peccat, sicut etiam post susceptionem hujus sacramenti.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod licet hoc sacramentum non ordinetur directe ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, inquantum auget charitatem; quia sicut dicit Aug. in lib. 83. qq. quæst. 36. augmentum charitatis est diminutio cupiditatis, ordinatur autem directe hoc sacramentum ad confirmandum cor hominis in bono, per quod etiam homo á peccato præservatur.

ARTICULUS VII.

Utrum sacramentum Eucharistiæ prosit aliis quam sumentibus.

Prò negativa. — Videtur, quod hoc sacramentum non prosit nisi sumenti.

1. Alia sacramenta non prosunt nisi sumentibus. Ergo nec hoc sacramentum prodest aliis quam sumenti.

Antecd. prob., quia effectum baptismi non suscipit nisi qui baptizatur; nec effectum confirmationis nisi qui confirmatur, et sic de aliis sacramentis.

Conseq. probat., quia sacramentum Eucharistiæ est unius generis cum aliis sacramentis.

2. Si hoc sacramentum haberet effectum in aliis quam in sumentibus, posset contingere quod aliquis adipisceretur et gratiam et gloriam et remissionem culpæ absque actione et passione propria, alio sumente vel offerente hoc sacramentum.

Conseq. prob., quia effectus hujus sacramenti est adeptio gratiæ et gloriæ et remissio culpæ ad minus venialis.

3. Si hoc sacramentum prodesset aliis quam sumentibus, sequeretur quod magis prodesset alicui, si multi sumerent hoc sacramentum, multis hostiis in una missa consecratis: quod tamen est falsum. Ergo hoc sacramentum non prodest nisi sumenti.

Conseq. prob., quia multiplicata causa, etiam effectus multiplicatur.

Falsitas prob., quia non habet Ecclesiæ consuetudo quod multi communicent pro aliorum salute.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In celebratione hujus sacramenti fit pro multis aliis deprecatio. Ergo hoc sacramentum non solum sumentibus, sed etiam aliis prodest.

Conseq. prob., quia frustra in celebratione hujus sacramenti fieret pro aliis deprecatio, nisi aliis prodesset.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ prodest, non solum sumentibus, sed etiam aliis, diversimode tamen. Quæ conclusio prius declaratur, deinde probatur. Declaratur, inquam, quantum ad illum terminum diversimode. Pro cuius declaratione est sciendum quod sacramentum Eucharistiæ non solum est sacramentum; sed etiam est sacrificium, ut art. 5. dictum est. Est enim sacrificium, inquantum in hoc sacramento repræsetatur passio Christi, qua ipse Christus se *obtulit hostiam Deo Patri*, ut dicitur ad Ephes. 5. Inquantum vero in hoc sacramento traditur invisibilis gratia, sub visibili specie habet rationem sacramenti. Sacramentum igitur Eucharistiæ prodest sumentibus et etiam aliis: sumentibus quidem prodest, ut sacramentum et ut sacrificium; aliis autem prodest tantum ut sacrificium. Conclusio ergo declarata est quod sacramentum Eucharistiæ prodest sumentibus, prout est sacramentum, et prout est sacrificium: aliis autem prodest tantum secundum rationem sacrificii.

Probatur igitur prima pars, scilicet quod illis duobus modis prosit sumentibus, quia offertur pro omnibus sumentibus; dicitur enim in Canone Missæ; « quotquot ex hac altaris participatione, « sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur. » Quatenus enim sumitur, prodest sumentibus, ut est sacramentum; quatenus vero pro eisdem offertur, prodest eisdem ut sacrificium.

Altera conclusionis declaratæ pars, scilicet quod aliis prosit ut sacrificium, ostenditur: quia pro salute omnium offertur. Unde in Canone missæ dicitur. « Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, « vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe « salutis et incolumitatis suæ. »

Et confirmatur tota conclusio simul, quia utrumque modum proficiendi Dominus expressit Mat. 26. et Luc. 22. dicens. *Qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi omnia sacramenta sint ejusdem generis; sacramentum tamen Eucharistiæ præ cæteris hoc habet quod sit non solum sacramentum, sed sacrificium; et ideo potest prodesse, non solum sumentibus, ut prosunt alia sacramenta, sed etiam aliis, quatenus est sacrificium quod pro omnibus non solum sumentibus, sed etiam pro aliis offertur.

Ad 2. Negatur consequentia, et ratio est, quia sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam et ad remissionem culpæ et adeptionem gratiæ et gloriæ, sed tamen non habet effectum nisi in illis, qui passioni Christi conjunguntur per fidem et charitatem; ita hoc sacramentum quod est memoriale dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis qui conjunguntur huic sacramento per fidem et charitatem. Unde Augus. dicit ad Renatum lib. de anima et ejus orig. cap. 9. *quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi?* Unde in Canone missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam, illis tamen quibus pro-

dest, plus et minus prodest secundum modum devotionis eorum. Unde ad prob. consequentiæ dicitur, quod effectus hujus sacramenti est remissio culpæ et adeptio gratiæ et gloriæ, tamen hic effectus non procedit nisi ad eos, qui per fidem et charitatem sunt Christo conjuncti, unde non consequitur quis effectum hujus sacramenti sine propria actione aut passione.

Ad 3. Negatur consequentia. Sumptio enim pertinet ad rationem sacramenti, oblatio autem ad rationem sacrificii; et ideo ex hoc quod unus vel plures sumunt corpus Christi, non accrescit aliis aliquod juvamentum. Similiter etiam ex hoc quod sacerdos plures hostias consecrat in una Missa, non multiplicatur effectus hujus sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium: nihil enim est plus virtutis in multis hostiis consecratis, quam in una, cum sub omnibus non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, participavit maiorem effectum sacramenti. In pluribus autem missis multiplicatur sacrificii oblatio, et ideo multiplicatur effectus sacramenti in sumente, et effectus sacrificii in sumente et in aliis. Unde ad consequentiam dicitur, quod cum plures sumunt hoc sacramentum, vel cum in una missa plures hostiæ consecrantur vel sumuntur, non sunt multæ causæ producendi effectum hujus sacramenti in aliis; sed una tantum, ut modo dictum est.

ARTICULUS VIII.

Utrum per veniale peccatum impediatur effectus sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa. = Videtur quod per veniale peccatum non impediatur effectus hujus sacramenti.

1. Ea, quæ impediunt effectum hujus sacramenti, impediunt spiritualem manducationem. Sed peccata venialia non impediunt spiritualem hujus sacramenti comestionem: Ergo peccata venialia non impediunt effectum hujus sacramenti.

Maior prob., quia spiritualiter manducantes effectum hujus sacramenti percipiunt. Unde illud quod impedit effectum, impedit etiam spiritualem manducationem.

Minor prob., quia Aug. dicit tract. 19. super illud Jo. 6. *Patres vestri manducaverunt manna*, etc. *Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate, peccata etsi sunt quotidiana, non sint mortifera*; ex quo patet quod venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur, spiritualem manducationem non impediunt.

2. Effectus baptismi non impeditur per peccata venialia. Ergo nec effectus Eucharistiæ per peccata venialia impeditur.

Anteced. prob., quia effectum sacramenti baptismi impedit sola fictio, ut, quæst. 69. art. 9. dictum est. Ad fictionem autem venialia peccata non pertinent, cum per fictionem fugetur Spiritus Sanctus, secundum illud, Sap. 1. *Spiritus disciplinæ effugiet fictum*, non autem per peccata venialia.

Conseq. prob., quia hoc sacramentum non est minoris virtutis, quam baptismus.

3. Peccata, quæ per sacramentum Eucharistiæ tolluntur, non impediunt hujus sacramenti effectum. Sed peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur. Ergo peccata venialia non impediunt ejus effectum.

Maior prob., quia nihil quod removetur per actionem alicujus causæ, potest impedire illius causæ effectum.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Ea, quæ impediunt fervorem nostri desiderii, cum quo hoc sacramentum est sumendum, impediunt etiam effectum hujus sacramenti. Sed peccata venialia impediunt fervorem nostri desiderii, cum quo hoc sacramentum est sumendum. Ergo peccata venialia effectum hujus sacramenti impediunt.

Maior prob., quia ad consecutionem

effectus hujus sacramenti necessarius est fervor nostri desiderii. Unde Dam. dicit in 4. lib. ort. fid. c. 14. « Ignis ejus « quod in nobis est desiderii, assumens « eam quæ ex carbone, » idest ex hoc sacramento, « ignitionem, comburat nos- « tra peccata et illuminet corda nostra, ut « participatione divini ignis igniamur et « glorificemur. »

Minor prob., quia peccata venialia impediunt fervorem charitatis, ut dictum est 1. 2. quæst. 81. art. 4. et 2. 2. quæst. 24. art. 10. Ex charitatis autem fervore est nostri desiderii fervor et ignitio.

Determinatio.

Distinctio. Peccata venialia accipi possunt dupliciter. Uno modo prout sunt præterita; alio modo, prout sunt actu exercita.

1.ª Conclusio. Peccata venialia præterita, nullo modo impediunt effectum sacramenti Eucharistiæ.

Prob. Quia potest contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum et plenarie hujus sacramenti consequantur effectum.

2.ª Conclusio. Peccata venialia actu exercita impediunt sacramenti Eucharistiæ effectum, non in toto, sed ex parte.

Manifestatur. Nam effectus sacramenti Eucharistiæ est non solum adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam actualis quædam refectio spiritualis dulcedinis. Per peccata autem venialia actualiter exercita non tollitur quidem augmentum habitualis gratiæ vel charitatis, sed impeditur actualis refectio spiritualis dulcedinis, dum scilicet aliquis accedit ad hoc sacramentum, mente distractus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod qui cum actu peccati venialis accedit ad hoc sacramentum, habitualiter quidem spiritualiter manducat, non actualiter; et ideo percipit effectum habitualem, non autem actualem.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de baptismo et de hoc sacramento; nam baptismus non ordinatur ad actualem effectum; idest ad fervorem charitatis, sicut hoc sacramentum; et hoc quia baptismus est spiritualis regeneratio per quam acquiritur prima perfectio, quæ est habitus, vel forma; hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio, quæ habet actualem delectationem.

Ad 3. Dicitur quod illud argumentum procedit de peccatis venialibus præteritis; hæc enim per hoc sacramentum tolluntur, et per hoc non impediunt ejus effectum. Quod si sermo sit de venialibus actualibus, negatur minor: non enim possunt peccata venialia in actu exercita in sumptione hujus sacramenti per hoc sacramentum tolli.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 78.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Enthusiastarum* dicentium: quod cibus Eucharistiæ nec obest nec prodest. Et *Armenorum* dicentium: quod cibus Eucharistiæ soli corporis saluti prodest. Et *Tandemi* dicentis, corporis, sanguinisque Christi sumptionem ad salutem nihil prodesse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari à Concil. Trid. sess. 7. de sacramentis, per hoc, quod can. 1. anathematizat negantes, Eucharistiam esse sacramentum novæ legis; et can. 6. negantes, sacramenta novæ legis conferre gratiam. Item ab eod. sess. 13. cap. 2. " Sumi autem voluit Salvator noster sacramentum hoc, tam-

quam spiritualem animarum cibum: quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tamquam membra arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit: ut idipsum omnes diceremus, et non essent in nobis schismata. » Item á Concilio Florent. " Sacramenti Eucharistiæ effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et, quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur. Omnemque effectum, quem materialis cibus, et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, et delectando: sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem. In quo (ut inquit Urbanus Papa) gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam: á malo retrahimur; confortamur in bono: et ad virtutem, et gratiarum proficimus incrementum. » Hæc illud in constit. super unio. Armenor. Abundantissime igitur maxime si videris totam Papæ Urbani Epistolam, in Clement. de reliquiis et vener. sanct. cap. 1. constat, quantæ damnationis sint dignæ hæreses prædictæ. Ad quarum damnationem addas quoque dicta in veritatibus aureis super legem veterem, Gen. 49. concl. 2. et Exod. 16. concl. 6. Num. 9. concl. 6. et cap. 25. concl. 3. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses narratas in ar. 1. append. Et hoc pro quanto negant, Eucharistiam offerre vitam æternam digne sumenti. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto damnari á Conc. Trid. sess. 13. c. 2. Dictis enim verbis iis, quæ supra artic. 1. app. ex ipso recitata sunt, subjungit " Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis. » Item ab eod. sess. 32. Dum enim loquitur de sacrificio missæ, quod Eucharistia est, dicit c. 2. " Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens crimina, et peccata etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum per seipsum tunc in cruce obtulit: sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur. » Ubi ly *cujus quidem*, etc. non tantum proposito hujus art. favet, sed etiam omnium aliorum: et est illud, quod text. a. 1. in cor. dixit, scilicet. " Effectus, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. » Prædicta quoque Concil. auctoritas propter ly *gratiam*, ly *crimina*, etc. juvat expresse art. 1. 3. et 4. Item merito damnari á Joan. 6. ut ponitur cum exposit. *in arg. cont.* Cujus verum sensum elicies tu, per applicat. ad ly *vivet in æternum*, ex Concil. Trid. sess. 6. can. 26. « Si quis dixerit: justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, et Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint: anathema sit. » Et can. 32 " Si quis dixerit; ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum divinæ gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit. » Ex quibus sume ad propositum tuum præsens, quantum opus est. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Ecclesia, Conciliisque: quod sacramentum Eucharistiae facit, et non facit remissionem peccatorum etiam mortalium. A scripturis quidem quod facit, et non, ut Exod. 16. " Qui non audierunt eum, etc. scatere cœpit vermibus, etc. Fecerunt, sicut praeceperat Moyses; et non computruit. » Patet enim, quod manna fuit figura Eucharistiae. Per hoc ergo, quod ex obedientia servantes manna sortiti sunt bonum finem, in hoc scilicet quod manna non computruit apud ipsos; et contra inobedientes contrarium accidit, patet per locum á figura ad figuratum, et quod Eucharistia causat remissionem peccatorum in sumentibus eam secundum obedientiam sanctam, idest digne; et quod sumentes eam contra obedientiam,

idest indigne, computrescunt in anima, idest peccato mortali involvuntur; tantum abest, ut inde remissionem peccatorum percipiant. Pro cujus meliori captu vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 16. concl. 6. Ab Ecclesia vero, quod non facit: ut per hoc, quod in sequentia de festo corporis Christi canit: " Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae, vel interitus. Mors est malis; vita bonis. » A Concilio autem Florent. ut supra art. append. et Concilio Trid. ut supra art. 2. append. Dicit enim Florentin. ly *á malo retrahimur*, etc. Tridentinum vero dicit ly *crimina*, *etiam ingentia*, *dimittit*. Quod quidem dictum suum declaravit Concilium posse intelligi dupliciter, scilicet vel perficiendo contritionem prius insufficientem de criminibus cognitis, vel remittendo incognita post diligentem conscientiae examinationem, et haec duo declaravit per locum á simili de contritione, et confessione. Dicit enim sess. 14. cap. 4. " Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et pœnarum motu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, et sit cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento pœnitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiae impetrandam disponit. » Ex quibus patet: quod confessio sequens illam insufficientem contritionem perficit ad remissionem peccatorum: et per hoc á fortiori, quod idipsum sentiendum est de Eucharistia erga contritionem talem peccatoris, sic cum devota reverentia ad Eucharistiam accedentis. Dicit quoque sessione eadem cap. 5. " Postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae sinus omnes, et latebrase xploraverit ea peccata confiteatur, quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine. » Quae faciunt ad intelligentiam textus ly *cujus conscientiam non habet*, ly *quorum conscientiam non habemus*. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haereses narratas in art. 1. append. pro quanto virtualiter negant, quod per Eucharistiae sacramentum deleantur venialia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto damnari merito ab Innocentio, secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item á Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. *peccata etiam ingentia dimittit*. Et sess. 13. c. 2. " Salvator noster sumi voluit sacramentum hoc, tamquam antidotum, quo liberemur á culpis quotidianis, et á peccatis mortalibus praeservemur. » Item á Concil. Florent. secundum quod est sup. ar. 1. append. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á Concilio, et Ecclesia, quod Eucharistiae sacramentum est etiam sacrificium, et quod per ipsum fiunt satisfactiones, remittunturque pœnæ, et hoc juxta devotionis mensuram offerentium. A Concilio quidem Tridentino per hoc, quod dicit sess. 22. cap. 2. " In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus; sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offeratur. » Et canon. 1. " Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit. » Et can. 3. " Si quis dixerit; missæ sacrificium esse tantum laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfationibus et aliis necessitatibus, debere offerri: anathema sit. » Et canon. 4. " Si quis dixerit:

blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit. » Ab Ecclesia vero per hoc, quod in canone missæ, orando pro vivis dicit. " Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum NN. et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis » Ut quid enim de illorum fideli devotione mentionem tunc facit: quando offert pro illis sacrificium altaris? Ad denotandum non quidem principaliter, quod manifestum est, scilicet Deo esse cognitam fidem adstantium, et devotionem, sed illud, quod minus manifestum communiter erat, scilicet sacrificii hujus valorem esse satisfactorium iis, pro quibus offertur, vel etiam, qui offerunt, secundum quantitatem devotionis eorum. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses narratas, in ar. 1. append. pro quanto implicite negant, quod Eucharistiæ sacramentum præservet á peccatis futuris. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas pro tanto, idest prout præservationem talem negant, damnari merito á Jo. 6. *hic est*, etc. ut cum expositione ponitur *in arg. cont.* Ubi etiam dic, quod non potest exponi ly *non moriatur*, idest non cadat de facto in mortale peccatum: quoniam experientia reclamat, et arg. 1. Restat ergo, ut debeat necessario exponi ly *non moriatur*, idest non cadat, quantum est ex virtute panis, in mortale peccatum. Hoc autem idem est, ac si expresse ibi dictum fuisset: si quis ex pane ipso manducaverit, præservabitur, quantum est ex ipsa manducatione, á peccatis futuris. Item á Conc. Trid. sess. 13. c. 2. de virtute hujus sacramenti, dicente ly *et á peccatis mortalibus præservemur*. Vide art. 4. append. Item sic universaliter, idest in quodam communi damnari ab eodem Concilio sess. ead. per hoc, quod ait Can. 5. " Si quis dixerit; vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit. » Quæ etiam stant pro multis articulis supra, et maxime pro art. 1. et 2. Item á Concil. Florent. per hoc, quod dicit, sacramentalem cibum facere in nobis omnem operationem spiritualiter quam materialis cibus facit corporaliter. Vide a. 1. append. Constat enim, quod per virtutem corporalis cibi homo præservatur á morte corporali, et á multis infirmitatibus, quæ alias vel advenirent vel citius advenirent homini, si non cibaretur. Item ab Ecclesia et quidem sæpius, per hoc, quod in multis collectis post communionem dicit. " Sumpta sacramenta omnem pravitatem, et hostilem impugnationem visibilem, et invisibilem procul repellant. » Vel: " Mundet, et muniat nos munus oblatum. » Vel: " Sit contra pericula firmamentum. » Vel: " Per hæc contra omnia adversa muniamur. » Vel: " contra omnes adversos tueantur incursus. » Vel aliquid aliud simile. Quæ omnia valde concludunt intentum: quoniam principaliter intelliguntur de peccatis futuris. *Tertio* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses narratas in art. 1. append. Et quidem a fortiori. Nam qui non solum sumentibus, sed etiam non sumentibus prodesse Eucharistiam monstrat (ut facit iste art.) is convincit, et abundanter convincit, de falsitate, dicentes, quod Eucharistiæ sacramentum nihil prodest. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Concil. Trid. sess 22. can. 3. ut adducitur ar. 5. append. Ibi enim anathematizat ad litteram dicentes, quod Eucharistia prodest solum sumenti. Per hoc etiam, quod dicit, Eucharistiam esse sacrificium (ut patet ibi multis in locis) patet, quod necessario virtualiter dicit: ipsam prodesse etiam aliis non sumentibus, pro quibus offertur (ut patet ex dictis sup. resp. ad 1.) id, quod est damnare pro hæresibus omnes positiones contrarias. Item á tota Ecclesia solemniter factis ipsis damnari per hoc, quod in missa, ubi offertur hoc Eucharistiæ sacramentum, orare facit sacerdotem pro aliis, non solum vivis, sed etiam defunctis, ut patet in can. missæ. Cum enim nihil vanum ab Ecclesia statuatur, ut alibi dicit sanctus Doctor, et annotavimus, procul dubio ex factis prædictis monstratur aperte: quod de mente Ecclesiæ est docere hoc esse ve-

rum, scilicet, quod sacrificium Eucharistiæ prodest etiam non sumentibus quamvis essent mortui. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Damasceno, quod peccata venialia impediunt effectum sacramenti Eucharistiæ in nobis. A Damasceno quidem, ut cum discursu applicativo ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod quasi per similitudinem propositi hujus dicitur Eccl. 10. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Sicut enim muscæ, quæ cadentes moriuntur in unguentis dulcibus confectis ab apothecariis, perdunt, idest, impediunt ipsorum unguentorum suavitatem, ut patet ad sensum, ita peccata venialia in homine morientia, idest menti hominis in actu exercito adhærentia, impediunt suavitatem Eucharistiæ, idest faciunt, quod ab illius hominis mente talis suavitas non sentitur. Quandoquidem *intus existens prohibet extraneum*, idest, sibi dissimile: qualis est illa spiritualis dulcedo: quæ fervorem actualem charitatis requirit, cui fervori contrariatur peccatum veniale, artic. 4. ad 1. Et bene per muscas denotavit scriptura venialia peccata: quoniam, sicut musca est parvum animal, ita veniale est parvum peccatum, 1. 2. qu. 88. art. 1. item q. 89. art. 1. Ceterum, quod actualis devotio, ut hinc indubitanter colligitur, ad sentiendum hunc suavitatis effectum de necessitate requiratur: et quomodo procuranda sit, ut actualiter habeatur, ac ne tanto bono, idest dulcedine illa spirituali, privemur, vide veritates aureas super totam legem veterem, Genes. 49. concl. 2. et Levit. 21. concl. 7. 8. cujus conclusionis *octavæ* appendicem semper intellige conformiter ad præsentem S. Doctoris articulum, idest, quod illa necessitas devotionis actualis requiritur non quidem ad vitandum mortale peccatum, sed taliter gustandum, quamvis suavis est Dominus. Vide et easdem veritates, Levit. 22. concl. 2. in examinibus. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA,

DE USU, SEU SUMPTIONE UJUS SACRAMENTI IN COMMUNI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de usu, sive sumptione hujus sacramenti: et primo quidem in communi; secundo quomodo Christus est usus hoc sacramento.

Et circa primum quæruntur duodecim.

Primo, utrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter, et spiritualiter.

Secundo, utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Tertio, utrum solius hominis justi sit manducare sacramentaliter.

Quarto, utrum peccator manducans sacramentaliter peccet.

Quinto, de quantitate hujus peccati.

Sexto, utrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimo, utrum nocturna pollutio impediat hominem á sumptione hujus sacramenti.

Octavo, utrum sit solum á jejunis sumendum.

Nono, utrum sit exhibendum non habentibus usum rationis.

Decimo, utrum sit quotidie sumendum.

Undecimo, utrum liceat omnino abstinere.

Duodecimo, utrum liceat percipere corpus sine sanguine.

ARTICULUS I.

Utrum debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi.

Pro negativa. = Videtur quod non

debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter et spiritualiter,

1. Circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis et spiritualis. Ergo neque etiam circa sacramentum Eucharistiæ debet hæc distinctio adhiberi.

Conseq. prob., quia sicut baptismus est spiritualis regeneratio, secundum illud Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, etc.* ita hoc sacramentum est spiritualis cibus; unde Dominus de hoc sacramento loquens, Joan. 6. dicit, *verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

2. Ea quorum unum ad alterum tamquam ad finem ordinatur, non debent ab invicem dividi. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem, sicut ad finem. Ergo sacramentalis manducatio non debet contra spiritualem manducationem dividi.

Maior prob., quia illud quod ordinatur ad alterum sicut ad finem, ab eo ad quod ordinatur, speciem trahit.

3. Ea quorum unum non potest esse sine altero, non debent contra se dividi. Sed spiritualis manducatio non videtur esse posse sine sacramentali. Ergo hæ duæ manducationes non debent contra se dividi.

Minor prob., quia si spiritualis manducatio posset esse sine sacramentali, sequeretur quod patres veteris testamenti hoc sacramentum spiritualiter manducassent; quod tamen est falsum: et quod frustra esset sacramentalis manducatio post spiritualem manducationem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. ordin. super illud. 1. Cor. 11. « Qui manducat, et bibit indigne, » dicit: « duos dicimus esse modos manducandi. « Unum sacramentalem, et alium spiri- « tualem. »

Determinatio.

Conclusio. Convenienter distinguuntur duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentalis et spiritualis.

Probatur. Imperfectum debet distingui á perfecto. Sed modus manducandi corpus Christi tantum sacramentaliter est imperfectus, modus vero manducandi spiritualiter est perfectus. Ergo convenienter distinguuntur duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter et spiritualiter. Minor declaratur et manifestatur. Nam in sumptione hujus sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum et effectus ipsius, de quorum utroque in q. præced. dictum est. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est, quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit quod percipit ejus effectum. Contingit autem quandoque quod aliquis impeditur á percipiendo effectum hujus sacramenti, ut dictum est q. præced. et talis sumptio hujus sacramenti est imperfecta. Primus modus sumendi dicitur spiritualis, quia per ipsum homo spiritualiter Christo jungitur per fidem et charitatem. Secundus vero modus dicitur sacramentalis; quia suscipitur solum ipsum sacramentum sine effectu ipsius, ex quibus remanet manifestata minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etiam circa baptismum et alia hujusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur, nam quidam suscipiunt sacramentum tantum, quidam vero sacramentum et rem sacramenti.

In hoc tamen differunt alia sacramenta á sacramento Eucharistiæ, quia alia sacramenta perficiuntur in usu materiæ; sacramentum vero Eucharistiæ perficitur in consecratione materiæ: et ideo in aliis sacramentis non distinguitur perfectio sacramenti ab usu, sive á receptione sacramenti. In sacramento vero Eucharistiæ distinguitur perfectio sacramenti ab ejus usu; et ideo convenien-

tius in sacramento Eucharistiæ distinguitur modus manducandi sacramentaliter tantum quod fit percipiendo sacramentum jam consecratione perfectum, et non effectum ejus; et spiritualiter, quod fit suscipiendo sacramentum, et ejus effectum: convenientius etiam distinguitur iste modus in sacramento Eucharistiæ, quam in aliis, præcipue quæ characterem imprimunt, quia quicumque suscipit sacramentum imprimens characterem, suscipit etiam ejus spiritualem effectum, scilicet characterem. Eucharistiam autem potest aliquis sumere sine aliquo spirituali effectu, quod est sumere solum sacramentaliter.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de eo quod ordinatur ad alterum, ut ad finem quod jam pertingit ad finem; tale enim non debet contra id, ad quod ordinatur distingui, non autem de eo quod non pertingit ad id, ad quod ut ad finem ordinatur. Tunc dicitur ad minorem quod sacrametalis manducatio si ad spiritualem pertingat, non dividitur contra spiritualem, sed in ea includitur. Sacramentalis autem manducatio, quæ contra spiritualem dividitur, est illa quæ ad consequendum sacramenti effectum non pervenit quod est non pertingere ad perfectionem speciei. Negatur igitur simpliciter maior. Ad prob. dicitur quod illud quod ordinatur ad alterum ut ad finem; quod tamen non pertingit ad illud, non trahit ab illo ad quod ordinatur speciem, sed ab eo distinguitur, ut imperfectum á perfecto.

Ad 3. Negatur minor. Nam, ut dictum est supra pluries effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, etsi non in re ipsum accipiat: et ideo sicut aliqui baptizantur baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ, ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumant.

Ad prob. dicitur quod manducare hoc sacramentum spiritualiter et non sacramentaliter contingit dupliciter. Uno modo propter desiderium sumendi ipsum sacramentum; et hoc modo dicuntur baptizari et manducare, illi qui desiderant sumere hæc sacramenta jam instituta; alio modo propter figuram, sicut dicit Apost. 1. Cor. 10. quod antiqui patres *baptizati sunt in nube et in mari*; et quod *spiritualem escam manducaverunt et spiritualem potum biberunt*. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solum desiderium, sicut de baptismo, qu. 69. art. 4. dictum est. Unde ad formam probationis minoris negatur consequentia: ex hoc enim quod spiritualis manducatio potest esse sine sacramentali, non sequitur quod sancti patres antiqui spiritualiter hoc sacramentum manducaverint, sicut in hoc tempore agitur, cum solum figuralis fuerit eorum spiritualis manducatio. Nec sequitur quod frustra sit sacramentalis manducatio, quia per ipsam plenius inducitur sacramenti effectus.

ARTICULUS II.

Utrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

Pro negativa. = Videtur quod non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam Angelorum.

1. Super illud Psal. 77. « Panem Angelorum manducavit homo, » dicit Glos. « Idest corpus Christi, qui est vere cibus Angelorum. » Ergo Angeli spiritualiter Christum manducant.

Conseq. prob., quia non esset Christus cibus Angelorum, si eum spiritualiter non manducarent.

2. Illi, qui pertinent ad societatem corporis Christi et membrorum ejus, corpus Christi spiritualiter manducant. Sed non solum homines, sed etiam sancti Angeli pertinent ad hanc societatem. Ergo non solum homines, sed etiam An-

geli corpus Christi spiritualiter manducant

Maior probat., quia Aug. dicit tract. 26. in Jo. " Hunc cibum et potum, so- " cietatem vult intelligi corporis et mem- " brorum suorum quod est Ecclesia in " prædestinatis. »

3. Ad eos, in quibus manet Christus et qui manent in Christo, pertinet hoc sacramentum spiritualiter manducare. Sed non solum in hominibus sed etiam in sanctis Angelis manet Christus et manent in Christo per charitatem. Ergo non solum ad homines, sed etiam ad sanctos Angelos pertinet manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Maior probat., quia Aug. dicit in libr. de Verb. Domini. « Spiritualiter « manducandus est Christus, quoniam « ipse dicit: qui manducat meam carnem « et bibit meum sanguinem, in me ma- « net et ego in eo. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Eorum qui corpus Christi spiritualiter manducant, est accedere ad altare tamquam inde aliquid sumpturi. Sed Angelorum non est accedere ad altare tamquam aliquid inde sumpturi. Ergo Angelorum non est hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed solum hominum.

Maior prob., quia Aug. dicit tract. 26. in Jo. « Panem de altari spiritualiter « manducate, innocentiam ad altare por- « tate. »

Determinatio.

Conclusio. Sumere hoc sacramentum spiritualiter, non convenit Angelis, sed solis hominibus.

Manifest. Nam manducare Christum spiritualiter contingit dupliciter. Uno modo, prout in sua specie consistit; alio modo, prout est sub speciebus hujus sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum; et hoc est non solum spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum: manducare Christum spiritualiter convenit sanctis Angelis, quia ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, et visione manifesta; et non per fidem sicut ei hîc nos unimur. Sumere autem Christum spiritualiter secundo modo non competit Angelis, sed solis hominibus in hac vita eadem ratione, quia scilicet Angeli cum spiritualiter Christo in propria specie fruantur, non est cur sub speciebus sacramentorum eum sumere habeant; et ideo licet Angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod homo dicitur panem angelorum manducare, quia ista manducatio, qua manducamus Christum sub hoc sacramento, cum ordinetur tamquam ad finem, ad illam manducationem, qua Angeli Christum manducant ab illa derivatur quodammodo, sicut ea que sunt ad finem derivantur á fine. Quia igitur principaliter est Angelorum manducare Christum qui eo fruuntur specie propria, secundario autem hominum sub hoc sacramento; ideo dicitur homo panem Angelorum manducare, idest illum panem quo Angeli in propria specie fruuntur, homo sub speciebus hujus sacramenti sumit. Unde neg. conseq. Ad probationem patet, quid sit dicendum; manducant enim Angeli Christum spiritualiter, non tamen sub hoc sacramento.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod omnes qui pertinent ad societatem corporis Christi, Christum manducant, secundum tamen modum quo ad hanc societatem pertinent. Ad societatem autem corporis mystici pertinent quidem et homines et Angeli, sed homines per fidem, Angeli vero per manifestam visionem: et quia sacramenta proportionantur fidei per quam veritas videtur in speculo et in ænigmate; ideo, proprie loquendo,

non Angelis, sed hominibus convenit spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod non ad quoscumque in quibus manet Christus et qui manent in Christo pertinet hoc sacramentum spiritualiter manducare, sed solum ad eos in quibus manet Christus, vel qui manent in Christo per fidem; et quia homines, dum sunt in præsenti statu, manent in Christo et Christus manet in eis per fidem, in Angelis autem per manifestam visionem; ideo hominibus et non Angelis convenit hoc sacramentum spiritualiter manducare.

ARTICULUS III.

Utrum solus homo justus possit Christum sacramentaliter manducare.

Pro affirmativa.— Videtur quod solus homo justus possit manducare Christum sacramentaliter.

1. Ille, qui sumit Christum sacramentaliter, debet credere in Christum. Sed solus homo justus credit in Christum. Ergo solus homo justus potest sumere Christum sacramentaliter.

Maior prob., quia Aug. lib. de rem. pœnit. et tract. 25. in Joan. dicit et refertur de Consecr. dist. 2. c. «Ut quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti; credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare.»

Minor prob., quia peccator non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum, ut dictum est 2. 2. qu. 4. art. 5.

2. Infideles non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum. Ergo neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

Anteced. prob., quia in forma hujus sacramenti dicitur, *mysterium fidei*, unde non potest sumi ab infidelibus.

Conseq. prob., quia cum hoc sacramentum dicatur esse sacramentum charitatis, ut dictum est q. præced. sicut infideles privantur fide, ita omnes infideles privantur charitate.

3. Animal brutum puta mus, aut canis, non potest sumere hoc sacramentum, sicut etiam nec sacramentum baptismi. Ergo pari ratione nec peccatores hoc sacramentum manducare possunt.

Conseq. prob., quia peccator magis est Deo abominabilis, quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psal. 48. De homine peccatore: «homo cum in «honore esset non intellexit, comparatus «est jumentis insipientibus et similis fac- «tus est illis.»

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. tract. 26. in Jo. super illud Jo. 6. «Patres vestri manducaverunt manna «in deserto et mortui sunt,» dicit, «Multi de altari accipiunt et accipiendo «moriuntur; unde dicit Apostolus, judi- «cium sibi manducat et bibit;» illi autem, qui accipiendo moriuntur, sunt peccatores. Ergo etiam peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant.

Determinatio.

Quorumdam error.

Circa hoc quidam antiqui erraverunt dicentes quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter á peccatoribus sumitur, sed quam cito labiis peccatorum contingitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi.

Reprobatio.

Sed hoc est erroneum: derogat enim veritati hujus sacramenti, ad quam pertinet quod manentibus speciebus, sub eis corpus Christi esse non desinat, ut dictum est supra quæst. 76. art. 6. Sed species illæ manent postquam sunt á peccatore assumptæ, quamdiu maneret substantia panis, si ibi adesset, ut etiam superius dictum est quæst. 77. art. 5. Substantia autem panis maneret, quousque esset per calorem naturalem digesta. Ergo illæ species sacramentales manent, quousque sint per naturalem calo-

rem consumptæ; ac per hoc sub eis manet corpus Christi.

Vera sententia.

Conclusio. Peccator potest sacramentaliter corpus Christi manducare et non solum justus.

Probatur ex dictis. Peccator assumit species sacramentales. Ergo peccator sasacramentaliter sumit corpus Christi.

Conseq. prob., quia sub speciebus sacramentalibus manet corpus Christi, quousque fuerint consumptæ; hoc enim ad dignitatem hujus sacramenti pertinet: non consumuntur autem statim quod á peccatore assumuntur, sed manent quamdiu maneret substantia panis, vel vini, si adesset. Ergo tandiu manet sub eis corpus Christi; ac per hoc peccator assumendo sacramentales species, Christum sacramentaliter sub eis manentem sumit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Non enim est necesse ut qui sumit Christum sacramentaliter, in ipsum per charitatem feratur quod est credere in Deum. Ad prob. dicitur, quod verba illa et similia sunt intelligenda de spirituali manducatione, quæ peccatoribus non convenit, cum non sint uniti Christo per charitatem; sed solum justis: ex pravo autem intellectu horum verborum videtur processisse error reprobatus in corpore, dum ejus auctores nescierunt distinguere inter corporalem et spiritualem manducationem.

Ad 2. Negatur anteced. Nam etiam infidelis, si sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Unde manducat Christum sacramentaliter, si ly (sacramentaliter) determinet verbum manducat, ex parte manducati; si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquendo non manducat sacramentaliter, quia non utitur eo quod accipit ut sacramento, sed ut simplici cibo: nisi forte infidelis intenderet recipere illud quod Ecclesia confert; licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum. Unde infidelis sumit quidem corpus Christi, non tamen sumit sacramentaliter, sicut fidelis peccator, quia fidelis peccator sumit corpus Christi, et utitur eo ut sacramento, non autem infidelis.

Ad 3. Ad anteced. Quod etiam si mus, vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub spebiebus, quamdiu species illæ manent, hoc est quamdiu substantia panis maneret, sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit á peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis, præsertim cum mus, vel canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales.

Quidam autem dixerunt quod statim cum sacramentum tangitur á mure, vel cane, desinit ibi esse corpus Christi, sicut de peccatore quidam dixerunt.

Sed hoc derogat dignitati hujus sacramenti, ut etiam in corpore dictum est.

Nec tamen dicendum est quod animal brutum corpus Christi sacramentaliter manducet, quia non est natum uti eo, ut sacramento. Unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat, sicut manducaret ille qui sumeret hostiam consecratam nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens, non cadit in divisione alicujus generis: ideo hic modus manducandi corpus Christi, non ponitur tertius præter sacramentalem et spiritualem.

ARTICULUS IV.

Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.

Pro negativa. = Videtur, quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, non peccet.

1. Peccatores tangentes corpus Christi in propria specie non peccabant, quia

etiam veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Luc. 7. *de muliere peccatrice*, et Matth. 24. dicitur. *Quicumque tetigerunt fimbriam vestimenti ejus, salvi facti sunt.* Ergo non peccant, sed magis salutem consequuntur peccatores sacramentum corporis Christi sumendo.

Conseq. prob., quia non est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti, quam sub specie propria.

2. Infirmi spiritualiter non peccant accipiendo spiritualem medicinam. Sed peccatores sunt spiritualiter infirmi; hoc vero sacramentum est spiritualis quædam medicina, sicut et alia sacramenta. Ergo peccatores sumentes hoc sacramentum non peccant.

Maior prob., quia medicina datur infirmis ad salutem, secundum illud Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

3. Sumere illud quod est de maximis bonis, non est peccatum. Sed peccator sumens hoc sacramentum, sumit maximum bonum. Ergo peccator sumens hoc sacramentum, non peccat.

Maior prob., quia maxima bona secundum Aug. in lib. 2. de lib. arbit. c. 19. sunt, quibus nullus male potest uti, ac per hoc in quorum usu non potest esse peccatum.

Minor prob., quia hoc sacramentum continet Christum, qui est maximum bonum.

Aliter: in usu maximi boni nullum potest esse peccatum, ut patet ex Aug. Sed peccator sumens corpus Christi, utitur eo quod est maximum bonum. Ergo non peccat.

4. Si peccator ex eo quod sumit hoc sacramentum gustando ipsum, peccat; sequitur quod peccet etiam videndo. Sed hoc est falsum. Ergo nec peccat peccator manducando hoc sacramentum.

Conseq. prob., quia sicut hoc sacramentum sentitur gustu et tactu, ita et visu.

Falsitas prob. Quia Ecclesia proponit omnibus, etiam peccatoribus hoc sacramentum videndum et adorandum.

5. Quandoque contingit quod aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati, nec tamen talis peccare videtur corpus Christi sumendo. Ergo non videtur quod peccator peccet sumendo hoc sacramentum.

Antecedens prob., quia secundum hoc, scilicet si peccator non habens conscientiam peccati, peccaret sumendo; sequeretur quod omnes peccarent qui sumunt, quasi periculo se exponentes, cum Apost. dicat. Primæ Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit 1. Cor. 11. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*, idest condemnationem. Dicit autem Glos. ibidem quod *indigne manducat et bibit, qui in crimine est, vel irreverenter tractat.* Ergo qui est in peccato mortali, si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit mortaliter peccans.

Determinatio.

Conclusio. Quicumque cum peccato mortali sacramentum Eucharistiæ sumit, mortaliter peccat.

Prob. Quicumque falsitatem in hoc sacramento committit, mortaliter peccat ipsum sumendo. Sed quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum suscipit, falsitatem in hac sacramenti sumptione committit. Ergo quicumque hoc sacramentum cum peccato mortali assumit, mortaliter peccat.

Maior prob., quia committens falsitatem in hoc sacramento incurrit sacrilegium, tamquam sacramenti violator; ac per hoc mortaliter peccat.

Minor prob. Præmittendo, quod in sacramento Eucharistiæ, sicut et in aliis sacramentis duo sunt, scilicet sacramentum quod est signum, et res sacramenti quæ per sacramentum signatur. Sa-

cramenti autem Eucharistiæ duplex est res, ut dictum est, q. 75. art. 6. Una quidem quæ est significata et contenta, quæ est ipse Christus; alia est significata non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum et membris ejus incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali; et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in eo committit, et sacrilegus et sacramenti violator efficitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio propter duo. Primo, quia Christus in propria specie apparens, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento; et ideo peccatores tangentes eum in propria specie, non incurrebant crimen falsitatis circa divina, sicut incurrunt peccatores sumentes hoc sacramentum. Secundo, quia Christus in hac mortali vita existens gerebat similitudinem carnis peccati; et ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat; sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis se tangi prohibuit á muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud Jo. 20. *Noli me tangere*; *nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet *in corde tuo*, ut August. tract. 121. in Joan. exponit. Et ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur á contactu hujus sacramenti. Ad probationem dicitur, quod hoc non provenit ex majoritate dignitatis, sed ex diverso modo, quo in propria specie et sub specie hujus sacramenti exhibet se tangendum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod non quælibet medicina est conveniens secundum quemlibet infirmitatis statum. Nam medicina, quæ datur jam liberatis á febre ad confortandum eos, noceret, si daretur febricitantibus. Ita etiam baptismus et pœnitentia sunt spirituales medicinæ purgativæ quæ dantur ad tollendam febrem peccati; sacramentum autem Eucharistiæ est medicina confortativa, quæ non debet dari nisi liberatis á peccato.

Ad 3. Negatur maior, indigne enim sumere id quod est de maximis bonis, est peccatum. Ad prob. dicitur, quod Aug. loc. cit. in arg. per maxima bona intelligit virtutes animæ, quibus nullus male utitur, quasi principiis mali usus; utitur tamen eis aliquis male, quasi objectis mali usus, ut patet in his qui de virtutibus superbiunt. Ita et hoc sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali usus; potest tamen esse mali usus objectum. Unde August. dicit tract. 62. in Jo. "Multi indigne accipiunt corpus Christi, per quod docemur, quam cavendum sit accipere bonum: ecce enim bonum factum est malum, dum male accipitur bonum, sicut é contra Apostolo per malum factum est bonum, cum bene accepit malum," sc*ilicet* cum stimulum sathanæ patienter portavit.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod per visum non accipitur corpus Christi, sed solum sacramentum ejus quia scilicet visus non pertingit ad ipsam corporis Christi substantiam, sed solum ad species sacramentales, ut dictum est quæst. 76. artic. 7. Ille autem, qui hoc sacramentum manducat, non solum sumit species sacramentales, sed etiam ipsum Christum, qui est sub illis speciebus; et ideo á visione corporis Christi nullus prohibetur, qui sit consecutus sacramentum Christi, scilicet baptismum. Non baptizati enim non sunt admittendi etiam ad inspectionem hujus sacramenti, ut patet per Dion. in libr.

Eccles. hierarc. cap. 7. Ad manducationem autem non sunt admittendi nisi illi, qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt per charitatem Christo conjuncti.

Ad 5. Dicitur ad anteced., quod aliquem peccatorem non habere conscientiam sui peccati contingit dupliciter: uno modo per culpam suam; alio modo sine culpa sua. Per culpam suam potest contingere dupliciter: uno modo, propter ignorantiam juris, dum scilicet reputat non esse peccatum, quod est peccatum; puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale; hujusmodi enim ignorantia non excusat: et ideo talis non habens conscientiam sui peccati, non excusatur á peccato, quia tenetur non ignorare. Alio modo quia negligens fuit in examinando seipsum, contra id quod dicitur 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*; et utroque modo non habens conscientiam sui peccati accedens ad hoc sacramentum sumendum, peccat. Sine culpa autem sua potest peccator non habere conscientiam peccati propter tria. Primo, quia doluit quidem de peccato, sed non est sufficienter contritus, et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi, quia homo non potest scire per certitudinem, utrum sit vere contritus: sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis et proponat cavere de futuris. Secundo, quia ignorat id, quod fecit, esse peccatum propter ignorantiam facti, puta si accessit ad non suam, quam credebat esse suam, et talis non est dicendus peccator ex hoc, quia ignorantia facti excusat. Tertio potest quis non habere conscientiam peccati sine sua culpa, quia totaliter est oblitus peccati; et tunc generalis contritio sufficit ad deletionem peccati, et non est ex hoc quis peccator dicendus.

Si aliquis igitur accedat ad hoc sacramentum cum peccato mortali propter culpam suam, peccat; si sine sua culpa, non peccat. Unde ad probationem antecedentis in sensu, in quo non est verum, negat. conseq. Non enim ex hoc quod peccatores accedentes ad hoc sacramentum sine conscientia peccati mortalis, propter culpam suam peccant, sequitur quod omnes peccent, sed solum illi qui vel habent ignorantiam juris, vel negligenter peccata propria scire curaverunt.

ARTICULUS V.

Utrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum.

Pro affirmativa. = Videtur quod accedere ad sacramentum Eucharistiæ cum conscientia peccati mortalis sit gravissimum omnium peccatorum.

1. Peccatum eorum, qui Christum occiderunt, fuit gravissimum. Sed qui accedit ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, est ac si Christum occideret. Ergo qui accedit ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, gravissime peccat.

Minor probat., quia Apost. dicit 1. Cor. 11. "Quicumque manducaverit "panem et biberit calicem Domini indigne reus erit corporis et sanguinis "Domini." Et Glos. interlin. ibidem dicit: *Hoc est, ac si Christum occiderit, punietur.*

2. Ille qui peccat, sicut Judas tradendo Christum peccavit, gravissime peccat. Sed peccator accedens ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis peccat, sicut Judas peccavit tradendo Christum. Ergo peccator accedens ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, gravissime peccat.

Maior prob., quia peccatum Judæ tradendo Christum, fuit gravissimum.

Minor prob., quia Hieron. in quadam Epistola dicit, "quid tibi cum fœminis, "qui ad altare Deo confabularis, dic sa-

" cerdos, dic clerice qualiter eisdem la-
" biis Filium Dei oscularis, quibus os-
" culatus es labia meretricis; cum Juda,
" osculo Filium hominis tradis: » et sic videtur quod fornicator ad mensam Christi accedens peccet, sicut Judas peccavit: et cum multa alia peccata sint maiora et graviora quam peccatum fornicationis, et præcipue peccatum infidelitatis, sequitur quod etiam aliis peccatis peccantes, si ad hoc sacramentum accedant, peccent sicut Judas peccavit.

3. Si quis projiceret corpus Christi in lutum, vel in sterquilinium, gravissimum reputaretur ejus peccatum. Ergo multo gravius peccat, qui cum conscientia peccati mortalis corpus Christi accipere non veretur.

Conseq. probat., quia magis est abominabilis Deo immunditia spiritualis, quæ est peccatum, quam corporalis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit tract. 89. super illud Jo. 15. *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Hoc intelligendum est de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Ergo peccatum infidelitatis et non peccatum sumentium hoc sacramentum in peccato, est gravissimum.

Determinatio.

Conclusio. Peccatum ejus, qui sacramentum Eucharistiæ cum conscientia peccati mortalis sumit, est quidem multis aliis peccatis gravius secundum suam speciem, non tamen est omnium gravissimum.

Manifestatur. Nam peccatum aliquod potest dici gravius alio dupliciter, ut dictum est 1. 2. quæst. 73. art. 6. et 2. 2. quæst. 73. art. 3. Uno modo per se; alio modo per accidens. Illud peccatum est gravius per se quod est gravius ratione suæ speciei, quæ attenditur secundum objectum; et hoc modo tanto peccatum erit gravius, quanto id contra quod peccatur, est maius et dignius. Et quia divinitas Christi est maior humanitate ipsius, et ipsa humanitas est potior, quam sacramenta humanitatis, inde est quod per se gravissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiæ. Secundario sunt gravia peccata, quæ committuntur in humanitatem Christi. Unde et Matth. 12. dicitur: " Qui dixerit verbum contra Fi-
" lium hominis, remittetur ei; qui au-
" tem dixerit verbum contra Spiritum
" Sanctum, non remittetur ei, neque in
" hoc sæculo, neque in futuro. » Tertio loco sunt peccata, quæ committuntur contra sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi, et post hæc sunt peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis, puta peccatum quod est ex ignorantia, vel ex infirmitate, est levius peccato quod est ex contemptu, vel ex certa scientia; et eadem ratio est de aliis circumstantiis; et secundum hoc istud peccatum in quibusdam potest esse gravius, sicut in his, qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt; in quibusdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt; et sic patet conclusio quoad omnes suas partes; est enim peccatum hoc secundum suam speciem multis aliis peccatis gravius, scilicet illis peccatis, quæ contra puras creaturas committuntur; non tamen est omnium gravissimum, quia peccata contra divinitatem, et contra ipsam Christi humanitatem graviora sunt, quam quæ contra sacramenta humanitatis Christi perpetrantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum, comparatur peccato occidentium Christum, secundum similitudinem; quia utrumque committitur

contra corpus Christi, non tamen secundum criminis quantitatem: peccatum enim occidentium Christum multo gravius fuit propter duo. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria, hoc autem est contra corpus Christi in specie sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod fornicator accipiens corpus Christi comparatur Judæ osculanti Christum quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo charitatis Christum offendit; non tamen quantum ad criminis quantitatem, sicut etiam in præcedenti solutione dictum est. Hæc tamen criminis similitudo non minus competit aliis peccatoribus, quam fornicatoribus; nam et per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Christi, cujus signum est hoc sacramentum, et tanto magis, quanto peccata sunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus sacramenti, in quantum per hoc peccatum spiritus carni subjicitur; et ita impeditur fervor dilectionis, qui in hoc sacramento requiritur. Plus tamen ponderat impedimentum charitatis, quam impedimentum fervoris ejus. Unde et peccatum infidelitatis quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem hujus sacramenti quod est sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, ut dictum est quæst. 79. art. 1. et alibi. Unde gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator; et magis contemnit Christum secundum quod est sub hoc sacramento, præsertim si non credat Christum esse sub hoc sacramento, quia quantum est in se, diminuit sanctitatem hujus sacramenti et virtutem Christi operantis in hoc sacramento quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum, non in seipso, sed quantum ad usum, indigne accipiendo, unde et Apost. 1. Cor 11. assignans rationem hujus peccati dicit; *non dijudicans corpus Domini*, idest non discernens ipsum ab aliis cibis, quod maxime facit ille qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

Ad 3. Negatur conseq. Ille enim, qui projiceret hoc sacramentum in lutum, multo gravius peccaret, quam ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit, et hoc propter duo. Primo, quia ille hoc faceret ex intentione nocendi huic sacramento quod non intendit peccator accipiens indigne corpus Christi. Secundo, quia homo peccator est capax gratiæ, unde magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum quam quæcumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc sacramento, qui projiceret ipsum canibus ad manducandum vel qui projiceret in lutum conculcandum. Ad prob. consequentiæ dicitur, quod ille qui in lutum hoc sacramentum conculcandum projiceret, majorem ex hoc spiritualem immunditiam contraheret, quam ille qui cum conscientia peccati illud susciperet, quia, inquam, gravius peccat, ut dictum est.

ARTICULUS VI.

Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

Pro affirmativa.=Videtur, quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

1. Dominus præcepit Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Ergo hoc sacramentum non est dandum peccatori, neque propter scandalum vitandum, neque ad vitandam infamiam.

Conseq. probatur. Quia non est faciendum contra Christi præceptum, propter vitandum scandalum, vel alicujus infamiam: quod fieret, si peccatori petenti

daretur hoc sacramentum, quia maxime sanctum datur canibus, cum hoc sacramentum peccatoribus datur.

Aliter: Dominus præcepit Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus:* quod fieret, si hoc sacramentum peccatoribus daretur. Ergo non est hoc sacramentum peccatoribus dandum, etc.

2. Minus malum videtur esse si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur quam si sumens corpus Domini mortaliter peccet. Ergo videtur hoc potius esse eligendum quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam quod detur ei hostia non consecrata.

Conseq. prob., quia de duobus malis minus est eligendum.

3. Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad eorum manifestationem; legitur enim in decretis 2. quæst. 4. c. 24. « Sæpe contingit ut in « monasteriis monachorum furta perpe- « trentur; idcirco statuimus quod quan- « do ipsi fratres de talibus expurgare se « debent, missa ab Abbate celebretur, « vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, « et sic expleta missa, omnes communi- « cent in hæc verba: corpus Christi sit « tibi hodie ad probationem: » en infra. « Si Episcopo, aut presbytero, aliquod « maleficium fuerit imputatum, pro sin- « gulis missa celebrari debet et commu- « nicari, et de singulis sibi imputatis in- « nocentem se ostendere. » Sed peccatores occultos non oportet manifestari, quia si frontem verecundiæ abjecerint, liberius peccabunt. Ergo corpus Christi non est peccatoribus dandum, etiam si petant.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Psal. 21. *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ*, dicit Augus. et refertur de conseq. d. 2. c. *Non prohibeat dispensator pingues terræ*, idest peccatores *mensam Domini manducare.*

ARTIC. VI.

Determinatio.

Distinctio. Peccatores sunt in duplici differentia: quidam sunt manifesti, vel per evidentiam facti, sicut publici usurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod judicium ecclesiasticum, vel sæculare. Quidam vero sunt occulti.

1.ª Conclusio. Manifestis peccatoribus, etiam petentibus, sacra communio dari non debet.

Probatur. Quia Cyprianus lib. 1. Epist. 10. scribit ad quemdam: « pro « dilectione tua consulendum me exis- « timasti, quid mihi videatur de histrio- « nibus et mago illo qui apud vos cons- « titutus adhuc in artis suæ dedecore « perseverat, an talibus sacra communio « cum cæteris christianis debeat dari. « Puto nec majestati divinæ, nec Evan- « gelicæ disciplinæ congruere, ut pudor « et honor Ecclesiæ tam turpi et infami « contagione fœdetur. »

2.ª Conclusio. Manifestis peccatoribus post pœnitentiam et reconciliationem non est communio deneganda, præcipue in mortis articulo.

Prob. Quia in Concil. Carthaginensi III. Can. 35. legitur. « Scenicis, atque « histrionibus, cæterisque hujusmodi « personis, vel apostatis conversis ad « Deum reconciliatio non negetur. »

3.ª Conclusio. Peccatoribus occultis non est sacra communio deneganda.

Prob. Quia cum quilibet christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta: unde super illud 1. Cor. 5. *Si is, qui frater nominatur inter vos*, etc. dit Glos. Aug. lib. de Medic. pœnit. c. 3. « Nos á communione quem- « quam prohibere non possumus, nisi « aut sponte confessum, aut in aliquo « judicio ecclesiastico, vel sæculari no- « minatum atque convictum. »

Cautela.

Potest tamen sacerdos conscius criminis occulti alicujus ad se venientis ut

communionem recipiat corporis Domini, occulte monere istum peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant et Ecclesiæ reconcilientur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod est Domini præceptum quod sancta prohibentur dari canibus, idest peccatoribus manifestis; occulta enim non posunt publice puniri, sed sunt divino judicio reservanda.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi quam infamari ; tamen sacerdoti ministranti corpus Christi, pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet. Quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet á peccato. Unde Aug. dicit in lib. q. super Gen. q. 42. « Periculosissime admittitur hæc « compensatio, ut nos faciamus aliquid « mali, ne alius gravius malum faciat. » Ipse tamen peccator occultus potius debet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere. Hostia autem non consecrata nullo modo debet dari loco sacratæ, quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam sumentes. Quia sicut August. dicit sub. ps. 98. *Nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret.* Unde extra de celeb. Miss. lib. 3. decret. tit. 41. ca. 7. de homine dicitur: «licet is, qui pro sui cri- « minis conscientia reputat se indignum, « peccet graviter, si se ingerat irreve- « renter ad illud; gravius tamen videtur « offendere, qui fraudulenter illud præ- « sumpserit simulare. »

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem quod hoc sacramentum non est dandum suspectis de crimine ad manifestationem. Decreta autem illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum; dicit enim Stephanus Papa, et refertur de consecr. d. 2. q. 4. c. 2. Consuluisti. «Ferri candentis, « vel aquæ ferventis examinatione, confes- « sionem extorqueri á quolibet sacri Ca- « nones non concedunt. Spontanea enim «confessione, vel testium approbatione pu- « blicata delicta commissa sunt regimini « nostro judicare: occulta vero et incogni- « ta illi sunt relinquenda, qui solus novit « corda filiorum hominum. » Et idem habetur li. 5. decret. tit. 34. c. 8. extra de purg. c. ex tuarum. In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio, unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur, si in hoc sacramento quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret judicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

ARTICULUS VII.

Utrum nocturna pollutio impediat sumptionem sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa. — Videtur, quod nocturna pollutio non impediat aliquem á sumptione corporis Christi.

1. Illud quod accidit sine peccato, non impedit aliquem á sumptione hujus sacramenti. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem á sumptione hujus sacramenti.

Maior prob., quia nullus impeditur á sumptione corporis Christi, nisi propter peccatum.

Minor prob. quia Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. c. 15. « Ipsa phantasia, " quæ fit in cogitatione sermocinantis, " cum expressa fuerit in visione som- " niantis, ut inter illam et veram conjunc- " tionem corporum non discernatur, " continuo movetur caro, et sequitur id " quod eum motum sequi solet, cum " hoc tam sine peccato fiat, quam sine " peccato á vigilantibus dicitur, quod ut " diceretur proculdubio cogitatum est.

2. Greg. dicit in Epist. ad Aug. Episc. Anglorum lib. 12. Regist. ad cap. 10. et habetur 33. q. 5. c. 7. Vir. « Si quis sua conjunge, non cupidine « voluptatis captus sed tantum procrean- « dorum liberorum gratia utitur, ille « profecto, sive de ingressu Ecclesiæ, « sive de sumendo corporis Dominici « mysterio, suo est judicio relinquen- « dus, quia prohiberi á nobis non debet « accipere, qui in igne positus nescit « ardere. » Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem á sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

3. Illud quod habet solam corporalem immunditiam, non impedit á sumptione hujus sacramenti. Sed nocturna pollutio solam immunditiam corporalem videtur habere. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem á sumptione hujus sacramenti.

Maior prob., quia immunditiæ corporales, quæ secundum legem impediebant ab ingressu sanctorum, in nova lege non impediunt á sumptoine hujus sacramenti, sicut de muliere pariente, vel menstruata vel fluxum seminis patiente sicut Greg. loc. sup. cit. scribit Episcop. Anglorum.

4. Peccatum veniale non impedit hominem á sumptione hujus sacramenti, nec peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio provenerit ex aliquo peccato præcedenti, sive crapulæ, sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale; et si aliquando sit mortale, potest contingere quod de mane pœniteat et peccatum suum confiteatur. Ergo videtur quod talis non debeat propter nocturnam pollutionem impediri á sumptione hujus sacramenti.

5. Si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare, aut furtum, aut quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur á sumptione corporis Christi. Ergo videtur quod multo minus fornicatio somniata cum pollutione subsequente, impediat á sumptione hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia gravius est peccatum homicidii, quam fornicationis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Immundis non patet aditus ad sacramenta. Sed qui patitur pollutionem nocturnam, est pollutus. Ergo qui passus est nocturnam pollutionem impeditur á sumptione hujus sacramenti.

Utraque præmissa prob., quia Levit. 15. dicitur: *vir de quo egredietur semen coitus, immundus erit usque ad vesperum.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Nocturna pollutio non semper impedit hominem á sumptione sacramenti Eucharistiæ ex necessitate.

Manifestatur. Nam circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Unum quidem ratione cujus ex necessitate impedit hominem á sumptione hujus sacramenti; aliud autem, ratione cujus non ex necessitate impedit hominem ab hujus sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia.

Ex necessitate quidem impedit hominem á perceptione hujus sacramenti solum peccatum mortale. Et quamvis ipsa nocturna pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Si igitur nocturna pollutio annexum habeat mortale peccatum, ex necessitate impediet hominem á perceptione hujus sacramenti; sin autem, non impediet. Ad sciendum autem an pollutio habeat, vel non habeat peccatum mortale annexum, consideranda est pollutionis causa, ratione cujus pollutio peccatum mortale annexum habere potest.

Causa autem nocturnæ pollutionis triplex esse potest. Provenit enim pollutio nocturna quandoque á causa spirituali

extrinseca, scilicet ex dæmonum illusione, qui sicut in 1. p. q. 111. art. 3. dictum est, phantasmata commovere possunt, ex quarum apparitione pollutio interdum subsequitur.

Quandoque vero provenit pollutio ex causa spirituali intrinseca, scilicet ex præcedentibus cogitationibus: aliquando autem ex causa intrinseca corporali, scilicet ex superfluitate, vel debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi, vel potus.

Quælibet autem trium causarum potest et sine peccato et cum peccato veniali, vel mortali existere. Illusio enim dæmonum, quæ est causa spiritualis extrinseca, quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ negligentia potest esse et veniale et mortale peccatum. Quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem á sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in collationibus patrum quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, seniores comperto quod nulla causa ab ipso processerat, decreverunt quod propter hoc á communione non cessaret et ita cessavit illusio dæmonum.

Similiter etiam præcedentes cogitationes lascivæ, quæ sunt causa spiritualis intrinseca, quandoque possunt esse omnino sine peccato, puta cum aliquis causa lectionis, vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ; ex quibus tamen pollutio sequi potest, ut patet ex auct. Aug. inducta in arg. 1. Quandoque vero hæ præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia et delectatione; et tunc si adsit consensus; erit peccatum mortale, sin autem erit veniale.

Causa autem corporalis intrinseca potest etiam esse, quandoque sine peccato, puta cum est ex infirmitate naturæ; unde quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiam si sit ex superfluitate naturæ; sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita et semen quod est superfluitas sanguinis. Quandoque vero est cum peccato, puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus; et hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat, circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus; unde Greg. loc. cit. in arg. 1. et 2. cap. 11. scribens Aug. Angl. Episcopo, ut habetur 33. quæst. 4. c. Vir cum propria, dicit, Cessandum esse á communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi, vel potus, præsertim si necessitas adsit.

Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate, vel non impediat sumptionem hujus sacramenti: si enim pollutio proveniat ex una harum trium causarum sine peccato mortali, non impedit ex necessitate sumptionem hujus sacramenti; ita scilicet quod homo sumendo, sit reus corporis et sanguinis Domini: si vero sit cum peccato mortali impedit ex necessitate et sic remanet manifestata conclusio.

2.ª Conclusio. Pollutio nocturna semper impedit hominem á sumptione hujus sacramenti ex quadam congruentia.

Manifestatur. Impedit enim nocturna pollutio hominem ex quadam congruentia quantum ad duo, quorum unum semper accidit; scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua, propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (unde et volentes tangere aliquod sacrum, manus lavant) nisi forte talis immunditia sit perpetua, vel diuturna; sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pol-

lutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.

3.ª Conclusio. Impedimentum pollutionis nocturnæ, quod ex sola congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem.

Prob. Quia, ut Gregor. loc. cit. dicit: « Postponi debet hoc impedimentum, " cum fortasse aut dies festus exigit, " aut exhibere ministerium pro eo, quod " sacerdos alius deest ipsa necessitas " compellit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod illud quod accidit sine peccato, non impedit hominem ex necessitate á sumptione hujus sacramenti; sed potest impedire propter alias causas, ex quadam convenientia; et sic impedit pollutio nocturna, etiam si accidat sine peccato, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod coitus conjugalis si sit sine peccato, puta si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem hujus sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem et mentis distractionem: ratione cujus distractionis, Hieron. dicit super Matth. et refertur 33. quæst. 4. cap. Sciatis. « Si panes « propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, « non potest ab his qui conjugalibus « paulo ante hæsere complexibus violari « atque contingi? non quod nuptias con« demnemus; sed quod eo tempore quo « carnes agni manducaturi sumus, vacare « á carnalibus operibus debeamus. » Sed quia hoc secundum congruitatem et non secundum necessitatem est intelligendum, Greg. dicit in inducta auc. in arg. quod « talis est suo judicio relinquen« dus. » Si vero « non amor procreandæ « sobolis, sed voluptas dominatur in ope« re » (ut ibidem Greg. subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod ea quæ in veteri lege impediebant accesum ad sacramenta veteris legis, erant in duplici differentia, quædam erant perpetua, vel saltem diuturna, ut erat lepra, quædam vero non erant perpetua, ut pollutio nocturna. Priora semper impediebant; alia vero impediebant ad certum tempus. Unde leprosus numquam poterat ad sacramenta legis veteris accedere; pollutus autem impediebatur usque ad vesperum, ut dicitur Deuter. 23. In novo autem testamento perpetuæ, vel diuturnæ immunditiæ corporales non impediunt aliquem á sumptione hujus sacramenti; si vero cito transeant, ex quadam congruentia impediunt; et talis est pollutio nocturna. Ratio autem horum est, quia sacramenta veteris legis erant solum figuralia, immunditiæ autem significabant peccata; sicut igitur perpetuæ vel diuturnæ immunditiæ corporales reddebant hominem ineptum ad sacramenta veteris legis, sic peccata mortalia semper reddunt hominem inhabilem ad sumptionem hujus sacramenti, quæ tamen immunditiæ corporales non impediunt á sumptione hujus sacramenti, quia secundum se peccata non sunt, nec sunt amplius figurativæ spiritualis perfectionis. Breviter igitur dicitur, quod corporales immunditiæ impediebant homines in veteri lege ab accessu sacramentorum, quia erant figura spiritualis immunditiæ cum quibus non est accedendum ad sacramentum Eucharistiæ, quod illa sacramenta figurabant. In nova autem lege hujusmodi immunditiæ à sumptione hujus sacramenti non impediunt ratione dicta.

Ad 4. dicitur ad minorem. Quod licet per contritionem et confessionem auferatur culpæ reatus, non tamen auferetur corporalis immunditia et distractio mentis ex pollutione consecuta.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod licet homicidium sit gravius peccatum, quam fornicatio; somnium tamen homicidii non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam mentis distractionem, sicut fornicatio somniata propter intentionem delectationis; si tamen somnium homicidii proveniat ex causa, quæ est peccatum, præsertim mortale, impedit á sumptione hujus sacramenti ratione suæ causæ.

ARTICULUS VIII.

Utrum cibus, vel potus præassumptus, impediat sumptionem sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa. = Videtur, quod potus, vel cibus præassumptus, non impediat sumptionem hujus sacramenti.

1. Dominus, postquam cœnavit, hoc sacramentum discipulis tradierit ut patet Luc. 22. et 1. Cor. 11. Ergo videtur quod etiam nos, post alios cibos assumptos, debeamus hoc sacramentum sumere.

2. 1. Cor. 11. dicitur. « Cum convenitis ad manducandum, » scilicet « corpus Domini, invicem expectate, si quis « autem esurit, domi manducet. » Et ita videtur quod postquam aliquis domi manducaverit, possit in Ecclesia corpus Domini sumere.

3. In Concil. 3. Carthaginensi can. 29. legitur, et habetur de consec. dist. 1. c. sacramenta. « Sacramenta altaris non « nisi á jejunis hominibus celebrentur, « excepto uno die anniversario, quo cœ« na Domini celebratur. » Ergo saltem illa die aliquis potest corpus Christi post alios cibos sumere.

4. Sumptio aquæ, vel medicinæ, vel alterius sibi, vel potus in minima quantitate vel reliquiarum cibi in ore manentium, neque jejunium Ecclesiæ solvit, neque sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reverenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta non impeditur aliquis á sumptione hujus sacramenti.

5. Quidam de nocte profunda comedunt autem bibunt et forte totam noctem insomnem ducentes, de mane nondum plene digesti percipiunt sacra mysteria. Ergo multo minus impeditur á sumptione hujus sacramenti qui patrum mane comederet et hoc sacramentum circa nonam sumeret.

Prob. conseq. quia minus impediretur sobrietas hominis per hanc parvam cibi præassumptionem.

6. Sumpto sacramento, licet cibum, aut potum sumere. Ergo et ante sumptionem.

Conseq. prob., quia non minor reverentia debetur huic sacrameto jam sumpto, quam ante sumptionem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. responsionum ad Jan. Epist. 118. c. 6. « Placuit Spiritu « Sancto, ut in honorem tanti sacramen« ti, prius in hos christiani corpus domi« nicum intraret, quam cœteri cibi. »

Determinatio.

Distinctio. Aliquid impedit sumptionem hujus sacramenti dupliciter; uno modo secundum se; alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ.

1.ª Conclusio. Cibus, vel potus præassumptus non impedit sumptionem sacramenti Eucharistiæ, secundum se.

Prob. Illud, quod impedit sumptionem hujus sacramenti secundum se, est peccatum mortale quod habet repugnantiam ad significatum hujus sacramenti, ut art. præced. dictum est. Sed præassumptio cibi vel potus non est secundum se mortale peccatum, nec habet repugnantiam ad significatum hujus sacramenti. Ergo præassumptio cibi vel potus, secundum se, non impedit sumptionem hujus sacramenti.

2.ª Conclusio. Præassumptio cibi vel potus impedit sumptionem sacramenti Eucharistiæ propter prohibitionem Ecclesiæ.

Prob. Triplici enim ratione Ecclesia

prohibuit sumptionem hujus sacramenti post cibum et potum assumptum.

Primo, propter reverentiam sacramenti. Unde Augu. dicit loco cit. ut scilicet in hos hominis hoc sacramentum intre, nondum aliquo cibo, vel potu infectum.

Secundo, propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus qui est res hujus sacramenti et charitas ejus debet primo fundari in cordibus nostris secundum illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei.*

Tertio propter periculum vomitus et ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, sicut et Apostol. dicit 1. Cor. 11. *Alius quidem essurit, alius autem ebrius est.*

3.ª Conclusio. A generali regula sumendi sacramentum Eucharistiæ ante sumptionem alterius cibi vel potus, excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant.

Prob. quia necessitas non habet legem; unde dicitur de consec. dist. 2. cap. *Presbyter, infirmum statim communicet ne sine communione moriatur.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Nam ut Aug. dicit loc. cit. «Neque quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad hoc sacramentum convenire debent, aut mensis suis misceri, sicut faciebant quos Apost. arguit et emendat. Namque salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriæ discipulorum; et ideo non præcepit quod deinceps tali ordine sumeretur, ut Apostoli, per quos Ecclesiam dispositurus erat, servarent hunc modum.» Ex hoc igitur quod dominus hoc sacramentum post cœnam legalem instituit, et tradidit, non sequitur quod nos pransi aut cœnati hoc sacramentum sumere debeamus, quia tunc ratione dicta, ita erat faciendum: ut enim arctius hoc magnum misterium cordibus discipulorum imprimeretur, ultimo loco servatum est. Nunc autem et propter reverentiam et propter significationem et ad evitandum periculum, ante alios cibos sumendum est si necessitas aliud non requirat.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod illud verbum Apost. Glos. interl. sic exponit. «Si quis esurit et impatiens non «vult expectare alios, manducet domi «cibos suos, idest pane terreno pascatur «nec tamen postea Eucharistiam su«mat.»

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod capitulum illud loquitur secundum consuetudinem aliquando apud aliquos observatam ut in repræsentationem dominicæ cœnæ, illo die á non jejunis corpus Christi sumeretur, sed nunc hoc abrogatum est: dicit enim August. in prædicto libro. Epist. 118. c. 6. *Per universum orbem mos iste servatur*, ut scilicet corpus Christi á jejunis sumatur.

Ad 4. Negatur conseq. Sicut enim habitum est 2. 2. quæst. 147. art. 9. ad 2. Duplex est jejunium. Primum est jejunium naturæ quod importat privationem cujuscumque præassumpti per modum cibi vel potus. Aliud est jejunium Ecclesiæ quod institutum est ad carnis macerationem, et tale jejunium non solvitur per sumptionem in parva quantitate eorum, quæ non multum nutriunt, ut ibidem dictum est. Ad sacramentum Eucharistiæ requiritur jejunium naturæ propter rationes dictas in corpore articuli. Et ideo neque post sumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis; dummodo sumatur per modum cibi, vel po-

tus? reliquiæ tamen cibi remanentes in ore si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus hos abluitur dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potes. Ad prob. autem conseq. quæ inuitur dicitur quod ad sumptionem hujus sacramenti, non solum requiritur sobrietas, sed necessarium est nullum præsumpsisse cibum, rationibus dictis.

Ad 5. Dicitur ad antec. quod cum dicitur, quod hoc sacramentum prius quam alii cibi, debet in os christiani intrare, non est intelligendum absolute respectu totius temporis, alioquin qui semel comedisset vel bibisset numquam posset, postea hoc sacramentum accipere ; sed est intelligendum quantum ad eumdem diem. Et licet principium diei secundum diversos diversimode sumatur; nam quidam á meridie, quidam ab occasu, quidam á media nocte, quidam ab ortu solis diem incipiunt: Ecclesia tamen Romana diem á media nocte incipit. Et ideo si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus, non potest eadem die hoc sacramentum sumere; potest vero si ante mediam noctem. Nec refert utrum post cibum, vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter hoc, quod non dormierint, vel propter indigestionem. Ex his enim si mens multum perturbetur, redditur homo ineptus ad sumptionem hujus sacramenti. Ad formam igitur dicitur, quod si quis comedat ante mediam noctem, non impeditur propter hoc á sumptione hujus sacramenti; sicut postea impeditur. Unde negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ut dictum est ad sumptionem hujus sacramenti non sufficit sobrietas; sed requiritur jejunium naturæ eadem die.

Ad 6. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod maxima devotio requiritur in ipsa sumptione hujus sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus, quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia quam per sequentia; et ideo magis est institutum quod homines jejunent ante sumptionem hujus sacramenti, quam post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti, et reliquos cibos: unde et in misa, oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, et communicantes etiam suas privatas orationes dicunt; secundum tamen antiquos canones, statutum fuit á Papa Clemente, ut habetur de consecr. dist. 2. cap. tribus gradibus. "Si mane dominica portio "editur, usque ad sextam jejunent mi- "nistri, qui eam sumpserunt; et si ter- "tia, vel quarta hora acceperint, jeju- "nent usque ad vesperum." Antiquitus enim rarius missarum solemnia celebrabantur et cum maiori præparatione, nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari; et ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum. Ad prob. igitur consequentiæ negatur assumptum: maior enim præparatio est necessaria, antequam sumatur hoc sacramentum ad percipiendum ejus effectum, quam post sumptionem.

ARTICULUS IX.

Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere sacramentum Eucharistiæ.

Pro, negativa. = Videtur quod non habentes usum rationis non debeant sacramentum Eucharistiæ suscipere.

1. Illi qui suscipiunt hoc sacramentum, debent habere devotionem. Sed in his qui non habent usum rationis, non potest esse devotio. Ergo illi qui non habent usum rationis, non debent suscipere hoc sacramentum.

Maior probat., quia requiritur quod accedentes ad hoc sacramentum, accedant cum devotione et præcedenti sui examinatione, secundum illud 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat* et de calice bibat.

2. Arreptitii qui et energumeni dicuntur, etiam ab inspectione hujus sacramenti arcentur, secundum Dion. in lib. de Eccles. Hierar. c. 3. Ergo carentibus usu rationis hoc sacramentum dari non debet.

Conseq. prob., quia inter alios qui carent usu rationis, sunt etiam arreptitii, sive energumeni.

3. Pueris innocentibus non datur hoc sacramentum. Ergo multo minus debet dari aliis carentibus usu rationis.

Conseq. prob., quia inter carentes usu rationis, maxime videntur esse pueri innocentes.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Legitur in Conc. Arausicano can. 3. de consecr. dist. 2. c. et habetur c. "Qui recedunt. Amentibus quæcumque pietatis sunt, conferenda sunt, et ita est eis conferendum hoc sacramentum, quod est sacramentum pietatis. »

Determinatio.

Distinctio. Aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt: alio modo, dicuntur aliqui non habere usum rationis totaliter: et sunt qui nullum habent rationis usum.

1.ª *Subdistinctio.* Et hi possunt esse in duplici differentia. Quidam qui numquam usum rationis habuerunt: sed sic á nativitate permanserunt. Quidam vero sunt, qui aliquando usum rationis habuerunt.

2.ª *Subdistinctio.* Et hi vel habuerunt ad hoc sacramentum devotionem, quando usum rationis habebant, aut non habuerunt.

1.ª Conclusio. Illis qui debilem usum rationis habent, non est sacramentum Eucharistiæ denegandum.

Prob., quia tales possunt aliquam devotionem ad hoc sacramentum habere.

2.ª Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non debet dari amentibus, qui numquam usum rationis habuerunt.

Probat., quia in talibus nullo modo præcessit, hujus sacramenti devotio.

3.ª Conclusio. Illis qui non semper usu rationis caruerunt, si dum fuerunt sui compotes, apparuit in eis aliqua hujus sacramenti devotio, debet hoc sacramentum in articulo mortis exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis.

Probat. Quia in Conc. 4. Carthag. can. 78. legitur, et habetur 26. qu. 6. c. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum sacerdos ad eum invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit; dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. minor. Nam carentes usu rationis, quibus dari potest hoc sacramentum, possunt habere devotionem vel præsentem, ut sunt qui habent debilem usum; vel præteritam, ut illi qui aliquando usum rationis habuere.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob., dicitur, quod Dion. loquitur ibi de Energumenis nondum baptizatis, in quibus scilicet nondum est virtus dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui ab immundis spiritibus vexantur corporaliter; est eadem ratio, ut de aliis amentibus. Unde Cassianus dicit: « Eis "qui ab immundis vexantur spiritibus, "communionem sacrosanctam á seniori"bus nostris numquam meminimus in"terdictam. »

Ad 3. Neg. conseq. Nam de pueris

recenter natis est eadem ratio, sicut de amentibus, qui numquam usum rationis habuerunt, unde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamvis quidam græci contrarium faciant propter hoc quod Dion. dicit 2. c. Eccles. Hier. Baptizatis esse communionem dandam, non intelligentes quod Dionys. ibi loquitur de baptismo adultorum. Nec per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur propter hoc quod Dominus dicit Joan. 6. "Nisi manducaveritis carnem Filii ho- "minis et biberitis ejus sanguinem, non "habebitis vitam in vobis." Quia sicut August. scribit Bonifacio, et refertur de consec. dist. 4. cap. Nulli. «Tunc unus- "quisque fidelium corporis et sanguinis "Domini particeps fit," scilicet spiritualiter, "quando in baptismate mem- "brum corporis Christi efficitur."

Quando autem jam pueri incipiunt aliquem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

ARTICULUS X.

Utrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

Pro negativa. = Videtur quod non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

1. Non licet pluries baptizari, sed semel tantum. Ergo nec sacramentum Eucharistiæ licet pluries suscipere.

Antecedens probat., quia *Christus semel mortuus est pro peccatis nostris*, ut dicitur 1. Pet. 3. cujus mors in baptismo signatur.

Conseq. prob., quia sicut baptismus, ita hoc sacramentum dominicam passionem repræsentat.

2. Agnus paschalis qui fuit figura præcipua hujus sacramenti, non manducabatur, nisi semel in anno. Semel etiam in anno Ecclesia celebrat Christi passionem, cujus hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur quod non liceat quotidie sumere hoc sacramentum, sed solum semel in anno.

Conseq. prob., quia veritas debet respondere figuræ.

3. Huic sacramento, in quo totus Christus continetur debetur maxima reverentia. Ergo non est laudabile quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

Conseq. probat. Quia ad reverentiam pertinet quod aliquis ab hoc sacramento abstineat: unde et laudatur Centurio, qui dixit Matth. 8. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: et Petrus, qui dixit Lucæ 5. *Exi á me quia homo peccator sum, Domine.*

4. Si esset laudabile accipere frequenter hoc sacramentum, esset laudabile quod homo pluries in die communicaret, quod tamen non habet Ecclesiæ consuetudo. Ergo non videtur quod sit laudabile quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

Conseq. prob., quia si esset laudabile frequenter hoc sacramentum accipere, quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius.

5. Ex statuto Ecclesiæ fideles tenentur solum semel in anno communicare. Ergo non est laudabile quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

Antecedens prob., quia dicitur extra. de Pœnit. et remiss. pec. lib. 5. t. 38. «Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat «reverenter, ad minus in Pascha Eucha- «ristiæ sacramentum, nisi forte de pro- «prii sacerdotis consilio ob aliquam ra- «tionabilem causam ad tempus ab ejus «perceptione duxerit abstinendum.»

Conseq. prob., quia Ecclesia intendit suis statutis fidelium utilitati providere.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

August. dicit in lib. de Verb. Domini, sermon. 28. *Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit.*

Determinatio.

Distinctio. Circa usum hujus sacramenti duo possunt considerari: Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus salutatis. Aliud ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat.

1.ª Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ, quantum ad id quod ex parte sui in eo consideratur, utile est quotidie sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat.

Prob. Quia Amb. dicit in 4. lib. de sacram. cap. 6. « Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. »

2.ª Conclusio. Si aliquis quotidie se paratum ad receptionem sacramenti Eucharistiæ inveniat, laudabile est quod quotidie sumat.

Prob. Quia cum Aug. dixisset loc. cit. «Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, subjungit, sic vive, ut quotidie merearis accipere. »

3.ª Conclusio. Non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque ad illud homo invenit se paratum.

Manifestatur, quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt; propter corporis vel animæ indispositionem. Unde in lib. de Eccles. dogm. inter Oper. Aug. cap. 53. dicitur quotidie *Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo nec vitupero.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi tam baptismus, quam Eucharistia passionem dominicam repræsentet, diversimode tamen fit hæc repræsentatio. Per sacramentum enim baptismi configuratur homo morti Christi in se suscipiens ejus characterem, et ideo sicut Christus semel mortuus est, ita solum semel debet homo baptizari. Per sacramentum autem Eucharistiæ, non recipit homo Christi characterem; sed ipsum Christum, cujus virtus manet in æternum: unde Heb. 10. dicitur: « una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, » et quia homo quotidie indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum suscipere. Et quia præcipue baptismus est spiritualis regeneratio sicut homo tantum semel carnaliter nascitur, ita tantum semel debet spiritualiter renasci per baptismum, ut August. dicit tract. 9. super illud Joan. 3. "Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?» Sacramentum vero Eucharistiæ est cibus spiritualis, unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita sumere hoc sacramentum quotidie laudabile est. Et propterea Dominus Luc. 11. "Docet petere "panem nostrum quotidianum da nobis "hodie," in cujus expositione August. in lib. de Verb. Domini Serm. 28. dicit: si quotidie accipis (scilicet hoc sacramentum) "quotidie tibi est hodie, "tibi quotidie Christus resurgit. Hodie "enim est, quando Christus resurgit."

Ad 2. Negatur conseq. Agnus enim paschalis præcipue fuit figura hujus sacramenti quantum ad passionem Christi quæ repræsentatur per hoc sacramentum et semel in anno commedebatur, quia Christus semel mortuus est, et propter hoc etiam Ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis Christi. In sacramento autem Eucharistiæ traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi qui quotidie sumitur, et quantum ad hoc significatur per manna quod quotidie dabatur populo in deserto. Ad probationem consequentiæ, dicitur quod figuræ respondet ipsa veritas. Nam quia agnus figurabat mortem Christi quæ semel in anno repræsentatur, semel in anno comedebatur. Et quia hoc sacramentum est etiam spiritualis cibus

figuratur quantum ad hoc per manna quod quotidie populo dabatur.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod reverentia hujus sacramenti habet timorem amori conjunctum: unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis, ut dictum est 1. 2. quæst. 67. artic. 4. ad 2. et 2. 2. quæst. 19. art. 9. Ex amore igitur provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur, unde Aug. dicit in Epist. 118. cap. 3. « Si dixerit « quispiam non quotidie accipiendam « Eucharistiam, alius contra, faciat unus- « quisque quod secundum fidem suam « pie credit esse faciendum. Neque enim « litigaverunt inter se Zachæus et ille « Centurio, cum alter eorum gaudens « suscepit Dominum: alter dixit: non « sum dignus ut intres sub tectum meum, « ambo salvatorem honorificantes, quam- « vis non uno modo. » Amor tamen et spes, ad quæ scriptura nos provocat, semper præferuntur timori: unde et cum Petrus dixisset; « exi á me, quia pecca- « tor sum Domine. » Respondit Jesus: « noli timere. »

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. negatur conditionale assumptum: potest enim esse laudabile quod quolibet die quis communicet, non autem potest esse laudabile quod pluries in die hoc faciat; et hoc quia per unicam sumptionem repræsentatur unitas passionis Christi; et ideo Dominus dicit; panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et non pluries in die.

Ad 5. Dicitur ad antecedens et ad ejus probationem, quod secundum diversum statum Ecclesiæ, diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei christianæ, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent: unde Anacletus Papa in Epist. dicit et habetur de consecr. dist. 1. c. Episcopus. « Peracta consecratione, omnes commu- « nicent qui noluerint Ecclesiasticis ca- « rere liminibus, sic enim et Apostoli « statuerunt et sancta Romana tenet Ec- « clesia. » Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa, ut habetur de consecr. dist. 2. cap. « Et si non « frequentius, saltem ter in anno omnes « communicent, scilicet in Pascha, Pente- « coste et Natali Domini. » Soter etiam Papa in Epist. ad Episc. Ital. ut habetur de consec. dist. 2. c. In Cœna Domini dicit esse communicandum etiam in Cœna Domini. Postea propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. in Conc. Later. can. 2. loc. cit. in arg. 5. ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha fideles communicent. Consulitur tamen in lib. de Eccl. Dogmat. cap. 53. Omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

ARTICULUS XI.

Utrum liceat omnino á communione cessare.

Pro affirmativa.=Videtur quod liceat cessare omnino á communione.

1. Matth. 8. Laudatur Centurio de eo quod dixit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; cui comparatur ille, qui reputat á comunione esse sibi abstinendum, ut dictum est art. præced. ad 3. Ergo videtur quod liceat alicui toto tempore vitæ suæ á communione abstinere.

Conseq. probat., quia non legitur Christum aliquando domum Centurionis venisse.

2. Cuilibet licet abstinere ab his quæ non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut dictum est quæst. 73. art. 3. Ergo licet á sumptione hujus sacramenti omnino cessare.

3. Peccatores non tenentur communicare. Ergo multo minus justi communicare tenentur.

Antecedens prob., quia Fabianus Papa, loc. cit. in præced. art. ad 5. Cum dixisset. *Ter in anno omnes communicent, adjunxit: nisi forte quis majoribus criminibus impediatur.*

Conseq. prob., quia si illi qui non sunt in peccato, tenentur communicare, videretur quod melioris conditionis sint quam justi, quod est inconveniens.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus verbis patet quod non licet omnino á communione cessare.

Determinatio.

Conclusio. Homo tenetur sacramentum Eucharistiæ ex mandato Christi sumere.

Prob. et quod teneatur homo hoc sacramentum sumere, ostenditur hac ratione. Omnes tenentur spiritualiter hoc sacramentum sumere. Ergo omnes tenentur hoc sacramentum sacramentaliter recipere.

Antecedens declaratur et probatur. Declaratur inquam, quia ut dictum est art. 1. hujus. Duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis. Probatur autem; quia hoc est Christo incorporari, ut dictum est quæst. 73. art. 3.

Conseq. prob., quia spiritualis manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, sine quo voto non potest esse homini salus. Ergo homo tenetur de necessitate salutis, adveniente opportunitate, hoc sacramentum sacramentaliter sumere.

Prob. consequentia hæc, quia frustra esset votum nisi impleretur quando opportunitas adest.

Quod vero homo teneatur ex mandato Domini hoc sacramentum sumere, ostenditur quia Luc. 22. dicitur: *hoc facite in meam commemorationem.*

2.ª Conclusio. Homo ex statuto Ecclesiæ tenetur determinato tempore sumere hoc sacramentum.

Manifestatur. Quia ex statuto Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum, ut patet. loc. cit. in responsione ad ultimum præcedentis articuli.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. *Illa enim est vera humilitas* ut Greg. dicit in Past. 1. part. cap. 6. *cum ad respuendum quod utiliter percipitur, pertinax non est.* Et ideo non potest esse laudabilis humilitas si contra præceptum Christi et Ecclesiæ aliquis omnino á communione abstineat. Centurio autem laudadur de humilitate, quia seipsum recognocens non audebat Dominum in domum reciperet, nec ei præceptum fuit ut in domum Dominum reciperet; tunc enim si non recepisset, ejus humilitas laudabilis non fuisset.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis sicut baptismus quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi: quantum vero ad adultos utrumque est necessitatis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc quod repelluntur á perceptione hujus sacramenti, unde per hoc non sunt melioris conditionis; et licet peccatores in peccatis permanentes non excusentur á transgressione præcepti, pœnitentes tamen qui secundum consilium proprii sacerdotis abstinent, excusantur.

ARTICULUS XII.

Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

Pro negativa.=Videtur, quod non liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

1. Gelasius Papa, ut habetur de consecr. distin. 2. cap. "Comperimus "quod quidam sumpta tantummodo "corporis sacri portione á Calice sacra-

« ti cruoris abstinent, qui procul dubio, « quoniam nescio qua superstitione do- « centur astringi, aut integra sacramenta « percipiant, aut ab integris arceantur.» Ergo non licet sumere corpus Christi sine ejus sanguine.

2. Si sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum quod ad sacrilegium pertinere videtur, unde Gelasius ibidem subdit: quia «divisio unius «ejusdemque mysterii, sine grandi sa- »crilegio provenire non potest.» Ergo non licet sumere corpus sine sanguine.

Conseq. prob., quia ad perfectionem hujus sacramenti concurrit et manducatio corporis et potatio sanguinis ut supra. q. 74. a. 1. et 76. a. 2. ad 1. dictum est.

3. Hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicæ passionis et sumitur pro animæ salute. Ergo accedentes ad hoc sacramentum non debent sumere corpus Christi sine ejus sanguine.

Conseq. prob., quia passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore, sanguinis etiam pro salute animæ offertur, ut dictum est qu. 76. art. 2. ad 1. Potius ergo esset abstinendum á corpore, quam á sanguine.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Multarum Ecclesiarum est usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

Determinatio.

Distinctio. Circa usum hujus sacramenti duo possunt considerari. Unum ex parte ipsius sacramenti; et hoc est quod sacramentum sit perfectum. Aliud ex parte sumentium, et hoc est reverentia, cum qua sumi debet, et cautela, ne aliquid accidat, quod vergat in injuriam tanti mysterii.

1.ª Conclusio. Sacerdotibus celebrantibus missæ sacrificium, non licet sumere corpus sine sanguine, sed utrumque sumere ex necessitate tenentur.

Manifestatur. Ad sacerdotes celebrantes pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere. Ergo sacerdotes celebrantes tenentur utrumque sumere, scilicet corpus et sanguinem.

Conseq. prob., quia in utroque consistit hujus sacramenti perfectio; unde si sacerdos unum tantum sumeret, imperfectum celebrasset sacrificium.

2.ª Conclusio. Populo communicanti licet sumere corpus sine sanguine.

Manifestatur, quia circa sumptionem sanguinis de facili posset accidere aliquid quod vergeret in injuriam tanti mysterii, cum de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi christiani, in qua continentur senes et juvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant; ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum á sacerdote sumatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Gelasius loquitur quantum ad celebrantes sacerdotes, qui sicut totum consecrant sacramentum ita etiam toti communicare debent; unde legitur in Concil. Tolet. 12. cap. 5. et refertur de consec. d. 2. c Relatum. Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

Ad 2. Negatur conseq. Loquendo de non celebrantibus, sed tantum sumentibus. Ad probationem dicitur, quod perfectio hujus sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ; et ideo nihil derogat perfectioni hujus sacramenti si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque.

Ad 3. Neg. conseq. Repræsentatio enim Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua propterea non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem á populo corpus sine sanguine sumi. Nec ex inde sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit, et sub utraque specie totus Christus continetur, ut dictum est q. 76. art. 2.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 80.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Ludovici Alemani* dicentis: quod in Eucharistia nobis nulla datur ad edendum, aut bibendum substantia corporis, aut sanguinis Christi. Et addentis: Hanc manducationem corporis, et sanguinis Christi spiritualem tantum esse, contendimus. Et adhuc magis hæretice evomentis: quod hoc totum, scilicet manducari corpus Christi, et dari ejus substantiam, est imaginarium, et repugnat Dei verbo. Neque vero facit, quod prædictis suis positionibus non neget, hos duos modos manducandi Christum, altera sua hæresis dicens: Christi substantiale corpus, licet ipse á suis fidelibus non sit absens, non esse præsens in hac cœna. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas illas merito damnari á Concilio Tridentino sess. 13. c. 8. " Quoad usum autem recte, et sapienter Patres nostri, tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt, quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere; ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, et utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul, et spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant, et instruunt ut vestem nuptialem inducti ad divinam hanc mensam accedant. » Et can. 8. " Si quis dixerit: Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari et non etiam sacramentaliter, et realiter, anathema sit. » Item merito damnari posse á dictis supra articulorum num. 115. 123. cum Elucidat. Item á D. August. " Quid est Christum manducare? Non hoc est solum in sacramento corpus ejus accipere. Multi enim indigne accipiunt, de quibus ait Apostolus: Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dixit. Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. » Hæc ille: quæ recitantur, de consec. dist. 2. Unde patet, quod Apostolus et Christus docuerunt hos duos modos manducandi: sacramentaliter tantum (ut Apostolus) sacramentaliter, et spiritualiter simul (ut Christus). In quibus duobus modis intelligitur (ut patet discurrenti) et aliud scilicet spiritualiter tantum. Item á B. Cypriano subtiliter duo modi prædictorum ponuntur in sermone de cœna Dominica, atque ideo hæreses prænarratæ damnantur his verbis: " Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt: nec ullo modo divina se absentat majestas mysteriis; sed quamvis ab indignis se sumi, vel contingi sacramenta permittant: non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Augustino, et Cypriano, quod Angelis non convenit spiritualiter manducare sacramentum Eucharistiæ, et consequenter, quod hoc solius hominis est. A B. Aug. quidem, ut cum adaptatione discursiva ponitur *in arg. cont.* Ubi ex ly *Angel. non est acced. ad alt. tamquam aliquid inde sumpturi*, nota per hoc á D. Thoma virtualiter quasi per locum ab oppositis significari: quod in ly *innocentiam ad altare portate*, subintelligitur hoc, scilicet, tamquam aliquid vos homines inde sumpturi. Ac si aperte hominibus dixisset Aug. *innocentiam ad altare portate;* ut ex altari panem sacramentalem comedendo, aliquid utilitatis reportetis. Quod vero sit illud inde reportandum, et, ut inde reportetur, prius, totis cordium suspiriis desiderandum, jam patuit q. 79. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6 8. Ita quod ex illius quæstionis doctrina dicamus: innocentiam ad altare portantes inde sumpturi sunt, et, ut plenius sumant, debent summe desiderare, gratiam, gloriæ meritum, suoque tempore consecutionem: peccatorum mortalium inculpabiliter oblitorum, cum agnitorum suppleta contritione, remissionem: venialium etiam omnium, quibus actu exercito non inhæretur (art. 8.) condonationem; pœnæ juxta devotionis mensuram relaxationem; á peccatis futuris præservationem, et nisi mens actualiter distrahatur, experimentalem saporis spiritualis dulcedinem. Porro (ut ad textum arg. cont. propius revertamur) prudentibus qui-

buscumque patet, quod Angelorum non est ad altare acced. tamquam aliquid istarum septem utilitatum inde sumpturi. Jam enim beatitudine plena fruuntur, nec proficere ultra possunt, 1. quæst. 62. art. 8. 9. A B. Cypriano autem idipsum in principio dictum insinuatur per hoc, quod in serm. de cœna Domini dicit: " Panem Angelorum sub sacramento manducamus in terris, eumdem sine sacramento manifestius edemus in cœlis: quando, consummato sacerdotio nostro, erit, et permanebit perpetua, et stabilis, implens, et reficiens nos sufficientia ; qua proferet se palam, absque ullis tegumentis, omnibus conspicabilis summi præsentia sacerdotis. » Ubi patet, B. Cyprianum discernere inter manducare Christum sub sacramento, et inter manducare illum sine sacramento, et primum quidem solis hominibus pro statu præsenti attribuit, secundum vero vult nos habere commune cum Angelis. Unde etiam secundum ejusdem Cypriani placitum, sententiam ipsius penetrantibus constat : quod panis Angelorum non est Eucharistiæ sacramentum, sed Christus, qui est in sacramento, non quidem, ut est in sacramento, sed ut est sacramento, idest non est sub tegumentis per fidem, sed ut est sine tegumentis per speciem, visus. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina hæc angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Boquinorum*, seu *Boquinarum*, dicentium: quod in cœna Domini manducatur corpus Christi tantum ab his, pro quibus Christus mortuus est. Hoc est: tantum á fidelibus justis. Nam ipsimet *Boquini* sic suum dictum exponendum esse docent, per hoc, quod asserunt, Christum non esse pro omnibus mortuum, sed tantum pro fidelibus, et piis; ut recitavimus, et damnavimus in 3. de Sal. articulorum n. 261. et in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 4. concl. 6. et cap. 16. concl. 8. Item hæresim *Petri de Bonageta*, ut refert Directorium Inquisit. 1. par. pag. 23. in Codice Rom. 1578. impres. dicentis: Si hostia consecrata á justo, vel peccatore sumatur, dum species dentibus teritur, Christus ad coelum rapitur, et in ventrem hominis non trajicitur. Item aliam ejusdem, ut refert Direct. ibidem, dicentis: Si hostia consecrata á mure corrodatur, vel á bruto sumatur, speciebus remanentibus, sub eis desinit esse corpus Christi, redit substantia panis. Item ejusdem aliam, ut refertur ibid. á Director. dicentis: Hostia consecrata in lutum projecta, speciebus remanentibus, sub eis esse desinit corpus Christi, et redit substantia panis. Articuli enim præsentis ratio directe omnes has, ac similes, efficaciter impugnat, et expugnat. Pro quo et vide Concilia, etc. allegata in Elucid. q. 76. art. 6. ad 3. et q. 77. art. 5. 8 *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Papa Gregorio XI. ut refert Directorium Inquisit. ibidem. Item á Concil. Trident. sess. 13. c. 8. per ly *sacramentaliter* dumtaxat id sumere; ut peccatores. Vide art. 1. app. Item ab Ecclesia tota per hoc, quod in sequentia de festo corpris Christi canit. " A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer assumitur. Sumit unus, sumunt mille, tantum isti, quantum ille: nec sumptus consumitur. Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus. » Ubi nota ly *tantum isti, quantum ille.* Sive scilicet sint boni, sive mali. Nam inter bonos, et malos sumentes Christum totum in hoc sacramento nullam aliam differentiam ponit, nisi ly *sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.* Item á Matth. 26. " Discumbebat cum duodecim discipulis suis, etc. Bibite ex hoc omnes : hic est sanguis meus. » Item á Matth. 14. " Et biberunt ex illo omnes. » Nam ex ly *duodecim*, et ly *omnes*, patet intentum: quod scilicet etiam mali sumunt corpus, et sanguinem Christi sacramentaliter. Inter duodecim enim, quibus dictum est ly *bibite ex hoc omnes*, et (á simili) *comedite ex hoc omnes*, de quibus quoque dictum est ly *biberunt ex illo omnes*, et á simili, comederunt ex illo omnes, erat unus peccator pessimus, scilicet Judas Scarioth. Tam enim huic, quam aliis, dans Christus panem, vinumque consecratum affirmabat pro certo, se dare corpus, et sanguinem suum. Aut ergo nullus comedit sacramentaliter Christum, quod est evidentissimum mendacium blasphemia summa plenum, aut etiam Judas sacra-

mentaliter ipsum comedit. Quod si non Judas; ergo nec aliorum quisquam. Quoniam, ut diximus, eodem tenore verborum Christus illos communicans omnes alloquitur. Item á 1. Cor. 11. " Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini. » Si enim talis peccator non manducaret sacramentaliter corpus Domini, sed tantum species, tunc utique (ut penetrantibus sensum verborum patet) non dixisset Apostolus ly *non dijudicans corpus Domini*: sed dixisset: non dijudicans signum corporis Domini. Item á B. Cypriano, in serm. de cœna Domini. « Quamdiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati, ac convescentibus Apostolis sumebantur, veteris paschæ agebatur memoria: necdum Judas ad veterem vitam pertinens, diabolo invadente, et occupante animum ejus, egredi cogebatur. Sed, ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et sceleratum os panis sanctificatus intravit: parricidalis animus vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea de area, exsufflatus est, et præceps cucurrit ad proditionem, et pretium, ad desperationem, et laqueum. » Item á D. Aug. super Joan. de sacram. hoc sic dicente: " Non enim bucella Dominica venenum fuit Judæ: et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit, etc. Hujus rei sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur: et de mensa Dominica sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. » *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Cypriano, Augustino, et concilio insinuatum: quod existens in peccato mortali, si Eucharistiam sumat, peccat mortaliter. A sanctis quidem Augustino, et Cypriano, per illa, quæ dicunt, secundum quod recitatum, de eis fuit a. 3. append. A scripturis vero per hoc, quod dicitur 1. Corinth. 11. ut cum Glos. ponitur *in arg. cont.* Ubi in Apostolo expone ly *judicium*, idest damnationem. Ad sic enim exponendum urget consuetudo scripturarum in simili materia loquentium: ut Joan. 5. " Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii, » idest, damnationis. Unde pro ly *judicii*, Matth. 25. ponitur ly *supplicium æternum*, et Daniel. 12. ponitur ly *opprobrium*, ut vident semper. Item insinuatur idipsum per hoc, quod de his, quæ minoris admodum dignitatis sunt, quam Eucharistia, dicitur Levit. 22. " Omnis homo de stirpe vestra, in quo est immunditia, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, peribit coram Domino. Mundatus vescetur de sanctificatis: quia cibus illius est. » Unde tu ad propositum argue á fortiori. Vide pro meliori captu veritates aureas super legem veterem, Levit. 22. concl. 2. Item etiam per hoc, quod dicitur Levitic. 7. " Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. » Ubi pro meliori captu vide easdem veritates aureas c. 7. concl. 4. Á Conc. autem Trid. per illud, quod dicit sess. 13. c. 7. " Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte: certe, quo magis sanctitas, et divinitas coelestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum: probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse: ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat; quod á christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. » Et canon. 11. " Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam

publice disputando defendere, præsumpserit: eo ipso excommunicatus existat. » *Secundo* consequenter ex prædictis aperte vides: merito damnari errorem Thomæ de Vio Cajetani dicentis, ut patet in sua summula de casibus conscientiæ tit. communio, quod contritus, licet non confessus, etiam habita copia confessoris de peccato mortali, non peccat mortaliter, quamvis peccet graviter, si sumat Eucharistiam. Item errorem pestilentissimum sapientem hæresim Lutheri, ut patet in Bul. Papæ Leonis X. contra errores ejus, ubi et iste damnatur, dicentis. Magnus error est eorum, qui accedunt ad hoc sacramentum huic innixi; quod sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, et præparatoria, omnes hi judicium sibi manducant, et bibunt: sed confidant, et credant, se gratiam ibi consecuturos. Hæc sola fides facit eos puros, et dignos. Contra istud adhuc audi idem Concilium Trid. sess. 13. can. 11. " Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. » Sed et contra illius radicem malam, scilicet inanem fiduciam, dicit sess. 6. cap. 9. " Nemini fiduciam, et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certo credit, se absolutum, et justificatum esse: atque hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici. Quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest. » Ulterius: qualis, quantaque hic debeat esse præparatio: vide art. 10. not. post. concl. 1. et in concl. 2. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Glossa, et Papa: quod accedere ad sumendam Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis est, et non est, gravissimum omnium peccatorum. A scripturis quidem, quod non sit, per hoc, quod dicitur Joann. 15. si non venissem, etc. ut *in arg. cont.* Ubi super ly peccatum, dicit B. August. Magnum quoddam peccatum sub generali nomine vult intelligi. Hoc enim est peccatum infidelitatis: quo tenentur cuncta peccata. Quod sane August. dictum colligitur ex contextu Evangelico ad litteram planam, Joan. 8. « Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Si enim non credideritis, quia ego sum; moriemini in peccato vestro. » Ecce: unum peccatum infidelitatis vocat et peccatum, et peccata, denotans per hoc omnia in infidelitate, tamquam in quodam iniquitatum vinculo, contineri. Sed et hoc ipsum denotavit per hoc, quod de Spiritu Sancto Christus dixit Joann. 16. *Arguet mundum de peccato*, etc. De peccato quidem, *quia non crediderunt in me.* Utique Spiritus Sanctus per discipulos illos mundum arguiturus erat de omnibus peccatis, ut experientia docuit, utique et Christus hoc sciebat: et tamen in singulari dicit ly de peccato. Cum igitur per scripturas peccatum infidelitatis sit gravius cæteris: patet per eas intentum, scilicet, quod accedere, etc. non est gravissimum. A Glossa etiam insinuatur, quod non sit per hoc, quod super illud Isai. 18. *Ad populum terribilem, etc.* dicit: *Omne peccatum blasphemiæ comparatum levius est.* A Papa autem Urbano; quod sit, insinuatur per hoc; quod ipse ponit, Eucharistiæ sacramentum esse quid dignissimum. Nam, ut patet in lib. Clement. de reliq. et vener. sanct. cap. 1. de eo loquens dicit « ly præcelsum, ly stupendum, ly sacratissimum, ly excellentissimum, adorandum, colendum, ly præcipuis glorificandum, magnificandum, exaltandum laudibus, atque præconiis, ly nobilissimum, ly summum, ly super omnia pretiosum sacramentum. » Patet vero supra in probatione conclusionis primæ: quod, quanto dignius est objectum, in quod peccatur, tanto peccatum est gravius. Discurre tu. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas,

merito esse insinuatum á scripturis: quod sacerdos debet, et non debet denegare sacramentum Eucharistiæ peccatori postulanti. Insinuatur autem, quod debeat, per hoc, quod dicitur Matth. 24. « Quis putas est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? » Quod pro tanto hic adductum sit: pro quanto ibi monstratur, quod servi fidelis, et prudentis est bene dispensare cibaria familiæ domini sui. Per quod (ut patet) á fortiori monstratur: quod, si fidelem prudentiam (ad differentiam infidelis prudentiam illius villici, Luc. 16.) in cibo materiali dispensando bonum est, et á Christo Domino laudabile, utpote ab ipso sic intentum, scilicet, quod fideliter, et prudenter dispensetur; multo magis utique cibum hunc supercoelestem, idest Eucharistiam, bonum erit secundum fidelem prudentiam dispensare, et á Christo Domino commendabile, utpote ab ipso sic intentum, scilicet, quod fideliter, prudenterque dispensetur, et contra. Hoc est, si dispensare cibum illum materialem absque fideli prudentia est malum, et á Christo illaudabile; multo utique magis (secundum Evangelium illud) erit et malum, et á Christo vituperabile, cibum ipsum supercoelestem dispensare sine prudentia fideli. Constat autem, quod ad sapientem proprie pertinet inspicere illud Catonis: *Cui des videto*, seu illud Eccles. 12. *Si benefeceris, scito, cui feceris*, et consequenter servare illud ejusdem ecclesias. cap. eod. *Da bono, et non receperis peccatorem*. Scriptura igitur per ly *quis putas est fidelis et prudens*, etc. Si applicetur (ut decet) proposito isti, voluit dicere; Cibum Eucharistiæ da justo, non autem peccatori; alioquin tu sacerdos judicaberis imprudens, ac infidelis minister. Insinuatur vero quod denegare non debeat, per hoc, quod dicitur Psal. 21. *Manducaverunt*, etc. ut cum B. August. expositione ponitur *in arg. cont.* Item per factum Christi narratum Matth. 26. Ibi enim patet, quod ipse peccatorem pessimum Judam Scharioth simul cum cæteris existentem (id, quod, ut diximus, est quædam petitio) communicavit, q. 80. art. 2. corp. et ad secundum. Noluit autem per denegationem Eucharistiæ eum infamare, aut ei hostiam non consecratam porrigere: sed omnibus dans æqualiter dixit: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est sanguis meus*. Verum quidem est: quod ipse Christus monuit prius occulte peccatorem occultum inter se, et ipsum solum; idest, in corde ejus (nemine aliorum scilicet, intelligente cui diceret) per hoc, quod antea inquit: " Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. » Ac si ergo facto suo dixerit Christus; peccatori occulto, qui scilicet sacerdoti solum pro tali notus est, Eucharistiam petenti, non debet sacerdos negare communionem sacram: prius tamen monitione occulta, vel generari, ad ipsum caute præmissa. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et insinuatum, recte intelligas, merito esse á scripturis, quod pollutio nocturne impedit á sumptione Eucharistiæ. Ut per hoc, quod dicitur Levit. 15. Vir, etc. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Deut. 23. Si fuerit, etc. secundum quod est in ad tertium. Pro cujus ampliori notitia vide veritates aureas super totam legem veterem, Deut. 23. concl. 5. Item á Christo per hoc factum suum quod in coena illa suprema, qua communionem hanc sacram dedit Apostolis, linteo præcinxit se, Joan. 13. loturos pedes ipsorum. Præcinctio enim ista designat restrictionem hominis ab his omnibus, quæ ad luxuriam pertinent, inter quæ connumeratur saltem materialiter nocturna pollutio. Restrictionem, inquam, maxime tempore communionis de propinquo sumendæ. " Lumbos siquidem præcingimus, ait B. Greg. Homil. 13. super Luc. sint lumbi vestri præcincti, etc. cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. » Quoniam lumborum nomine luxuria designatur. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem destruas *Luthæri* errorem, quasi pro consilio ab ipso vafre coloratum talibus verbis: Eucharistiam sumere post ci-

bum sumptum, consultius, est ut videre est in Lutheri libello de abroganda Missa privata: secundum quod refert Chlictoveus, lib. 2. de officio Missæ contra Lutherum cap. 20. et Thomas Valdensis, tom. de sacramentis cap. 87. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: illam merito damnari á B. August. secundum quod ponitur *in arg. cont.* et ad tertium. Item á Concilio Constantiensi, sess. 13. " Nonnulli post coenam, vel alias non jejunos, communicandum esse, temerarie asserunt contra laudabilem ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam. Hinc est, quod hoc generale concilium declarat, decernit, et definit contra hunc errorem: quod licet Christus post coenam instituerit, et suis discipulis administraverit hoc venerabile sacramentum; tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas, et approbata ecclesiæ consuetudo servavit, et servat, quod hujusmodi sacramentum nec conficiatur post coenam; nec sumatur á non jejunis, nisi in casu infirmitatis. » De ecclesiæ potestate circa administrationem sacramentorum vide, et pro semper memoriæ contra Novatores, et veri sensus scripturarum depravatores, instabiles, ac indoctos, secundæ Petr. tertio, sedulo commenda illud examen post ad primum, cum Concilio Trident. ibi narrato. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem, et quidem á fortiori, interimas hæresim *Arrianorum* dicentium: ad sanctam communionem non admittendos esse nisi continentes, et eos, qui sæculo ita renuntiarunt, ut nihil proprium possideant. Patet enim, quod articulus per hoc, quod monstrat, quosdam usum rationis non habentes etiam posse quandoque ad sacram communionem admitti, nulla facta differentia de continentibus, et impropriétariis, commonstrat, quod multo magis conjugati, et divites, seu alias incontinentes, et proprietarii (dummodo præmittant confessionem sacramentalem, aliaque præmittenda, art. 4. item quæst. 79. art. 3. 8.) possunt admitti ad recipiendum hoc sacramentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concil. Lateranensi sub Innocent. *Tertio*. " Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. » Hæc illud; quæ recitantur extra de poenitent. et remiss. Constat enim, quod per ly *omnis fidelis utriusque sexus* non tantum continentes, et nihil proprium possidentes, sed etiam incontinentes, et proprium possidentes, immo et omnium conditionum homines comprehenduntur. Et vide, quanta districtione, velit, illos omnes Eucharistiam sumere, ex magna poena transgressori tum vivo, tum mortuo inflicta: ut inde simul agnoscas, quanta damnatione hæresim contrariam, quam prædiximus, percellat. Item á Christo ipso Jo. 6. " Nisi manducaveritis carnem filii hominis, etc. non habebitis vitam in vobis. Item: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Item: qui manducat meam carnem, etc. Nulla enim exclusione utitur Dominus, ut patet per ly si quis, ly manducaveritis, ly qui: sed, ut ex vocabulis ipsis apertissimum est, universos quarumcumque conditionum homines complectitur. Qua de re merito dicendum videtur, quod præmissum Concil. Lateranense sensum verum Christi in Evangelio de sacra ista communione loquentis attigit, docuit, et explanavit per ly *omnius utriusque sexus fidelis*. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et August. quod est, et non est licitum sumere Eucharistiam quotidie. A B. Aug. quidem, quod sit: ut ponitur *in arg. cont.* Ubi nota, quod ex ly *quotidianus* sumpsit D. Aug. occasionem non solum commendandi quotidianam Eucharistiæ communionem: sed etiam ad talem sacramenti ipsius frequentiam exhortandi. Unde, sicut Christus dicens ly *quotidianum*, Luc. 11. loquitur, more suo, formaliter, idest de sacramenti usu quotidiano, quantum est ex parte sa-

cramenti, quomodo et tertia articuli conclusio locuta est, ita B. Aug. loqui formaliter intelligitur. Dixi ly *more suo*: quia solet Dominus formalem sensum habere in verbis: quotiescumque de tali pane cœlesti loquitur. Et merito quidem, ut altissimo sacramento altissimus verborum sensus, qui formalis est, correspondeat. Discurre per teipsum, studiosissime lector (non enim longius á textu Thomistico divertere proposui) capitulum sextum B. Joannis Evangelistæ, ubi præcipue de hoc agitur: et passim videbis, quæ dico. Ut ly *qui manducat hunc panem*: quantum est ex virtute panis, *vivet in æternum*. Ly *caro mea*, quantum est ex se, *est pro mundi vita*. Ly *non sicut manducaverunt patres vestri manna*; *et mortui sunt*, quantum fuit ex parte mannæ, quia, scilicet illud corporeum manna non habebat virtutem neque præservandi á morte peccati, et æterna, neque dandi vitam sive gratiæ, sive gloriæ. Ly *etc.* á scripturis vero, quod non sit licitum quotidie communicare, insinuatur tamquam á fortiori per hoc, quod de puellis ad regem Assuerum ingressuris dicitur Hester cap. 2. " ita, ut sex mensibus oleo ungerentur myrtino, et aliis sex quibusdam pigmentis, et aromatibus uterentur. » Item per hoc, quod de pueris dicitur Daniel. cap. 1. " ut enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis. » Si enim puellæ tales, et pueri, etiam post tantas curas de pulchritudine, de ornatibus (ut ibi habetur) non permittebantur accedere ad secretum regis thalamum, nec stare in conspectu regis terreni, nisi post unum, vel tres annos; quid nobis exinde datur intelligi de iis, qui ad conspectum summi regis secretisimum, atque sacratissimum volunt accedere, idest Eucharistiam sumere? Hoc videlicet, quod debent multo magis ad tantam divinæ majestatis mensam accessuri, et studio magno spiritualibus ornamentis accurate præparari; et nonnisi post multos dies interpositos ad communionem ingredi, atque reverti. Porro, quantum pertinet ad illos spiritualis reverentiæ ornatus, et unde eos acquirere valeamus, quod totum ad præsentis articuli materiam facit, vide veritates aureas super legem veterem, Gen. 14. concl. 3. Ex præmissis itaque omnibus ad illam quæstionem communiter sæpius ventilatam patet, quid secundum sanam tantorum virorum doctrinam simul cum scripturis acceptam de frequentia majori, vel minori communionis sacramentalis dicendum sit. Quam quidem tam lucide, tam copiose, tam resolute, tamque firmiter, sancte, et catholice, Doctor noster vere Angelicus enucleavit, ut nihil supra. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Concilio, Cyrillo, quod non licet cessare omnino á communione. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Jo. 6. *Nisi manducaveritis*, etc. ut *in arg. cont.* Ubi adverte, quod authoritas illa, si loquamur absolute de quibuscumque hominibus, intelligitur secundum D. Thom. de manducatione spirituali, sic enim et pueri baptizati manducant, qu. 73. art. 3. si vero loquamur tantum de adultis, intelligitur de manducatione sacramentali: et hoc modo ipse accipit hic illam. Alioquin, ut patet, non concluderet per authoritatem illam suum propositum: quod est, non licere, á communione sacramentali cessare omnino: sed quod in idem redit, sacramentum hoc esse necessitatis respectu adultorum. Ut ipse dicit in ad 2. et dixit 1. qu. 14. artic. 3. et dixerat in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. quæstiuncula 2. licet alia ratione sit necessitatis, quam baptismus, qu. 73. art. 3. corp. Semper enim in hoc, quod Euch. sit modo nunc dicto sacramentum necessitatis, sibi constat D. Thomas: nisi quod in hac summa Tehologiæ doctiorem se demonstravit, quam in sententiarum lib. 4. nunc citato. Nam ibi nullam fecit mentionem de præcepto Christi, quamvis nec illud negaverit, ut patet legenti locum ipsum; sed tantum de determinatione Ecclesiæ: hoc autem in loco fecit de utroque mentionem. Nec mirum est, aliquem seipso doctiorem, ætate crescente, fieri: aut etiam se demonstrare talem, quando oportet. Quia igitur summam hanc, tamquam suum ultimum testamentum, voluit esse Divus Thomas: ideo supplere hic debuit, quod alibi non expresserat: maxime in tanti negotii decisione firma. Et certe quid firmius in tanta re adduci potuit: quam præceptum Christi dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ubi et præcipit, et ad præceptum ser-

vandum, ex tenerrima sui ineffabilis amoris commemoratione, vehementer adstringit? Circa quod præceptum ultra ea, quæ dicta fuerunt in not. post prob. concl. 3. advertas; quod secundum Concilium Trid. ibi recitatum illud mandatum Christi necessario cadit super hoc facere. Concilium enim ipsum ead. sess. 22. etiam cap. 1. hoc patenter monstravit dicens. "Deus, et Dominus noster Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut corpus et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit." Si per verba illa præcepit, ut offerrent; ergo per eadem præcepit, ut sumerent (nam sacerdos offerens de necessitate ad sumendam Eucharistiam oblatam tenetur, quæst. 82. artic. 4. Concilio Toletano; ergo etiam per eadem præcepit, ut aliis illam ministrarent) ut aperuit Ecclesia in hymno sup. not. citata. Dominus itaque per ly *hoc* intellexit illud totum, quod ipse tunc agebat, scilicet et offerre, quod præsupponit consecrare, et sumere, et aliis ministrare. Quandoquidem tunc ipse seipsum sub speciebus illis sacramentalibus Deo patri obtulit, teste Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. seipsum sacramentaliter sumpsit, qu. 81. art. 1. et seipsum aliis ministravit, qu. 81. art. 2. 3. Nec solum Doctor sanctus suo perspicacissimo intellectu penetravit tria illa, imo et quatuor comprehendi á Christo sub ly *hoc*, ut ipse in præsenti textu breviter, ac subtiliter innuit, sed etiam Concil. Trident. quasi seipsum in sess. 22. ut supra locutum, declarans adhuc aperte in sess. 23. cap. 1. dicit. "Novum visibile, et externum sacerdotium á Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus, et sanguinem ejus, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit." Ne tamen credideris, ob præmissam expositionem in textu corp. datam super ly *hoc facite*, etc. quod Divus Thomas nesciat, vel neget id, quod aliquando ipsemet virtualiter docuit, scilicet, quod ly *hoc facite* refertur ad sui commemorationem, tamquam si diceretur: "Hoc, quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis." Sed, tali sensu velut consequente ad principale servato, vult dicere, quod principale intentum per ly *hoc facite*, est præcipere de re fienda, idest consecranda, offerenda, sumenda, aliisque ministranda. Ac si, secundum doctorem ipsum, Christus per illa verba has duas sententias, quas intendebat, expressisset apertius dicens. Hoc totum, quod ego facio nunc: præcipio, ut vos postea faciatis: et quotiescumque hoc feceritis, facite in meam commemorationem. Ubi patet, quod ista relatio ad commemorationem, sequitur ad principale, idest, ad facere. Id, quod et docet Ecclesia, tamquam factis suis approbans omnem prædictam Beati Thomæ doctrinam, super ly *hoc facite*; dum admonet in canone missae sacerdotes: ut prius hoc, idest Eucharistiam, faciant, idest consecratam offerant: et postea subjungant, *hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Ecce duo sensus de ly *hoc facite:* unus principalis, scilicet praeceptum Christi, sine quo sacerdotes nec praesumerent, nec possent facere hoc: alter consequens, scilicet ordinare illud facere suum in memoriam Christi. A Concilio autem Trident. id, quod in principio appendicis positum est, insinuatur per hoc, quod dicit sess. 13. canone 9. "Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum; juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae: anathema sit." In quibus, quia in eodem praecepto de confessione hoc de communione continetur, videtur á simili subintelligendum circa communionem esse illud, quod de confessione expressit idem concilium sessione 14. cap. 5. dicens: "Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur; quod jure divino necessarium, et institutum esse intellexerat: sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur." Ex quibus applicatis ad communionem confirmatur proprietas locutionis in textu ly *ex statuto Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum.* A Beato Cyrillo item insinuatur idipsum per hoc, quod super B. Joannis Evangelium

dicit. " Sciant baptizati homines, et divinae gratiae participes facti: si rarius in Ecclesiam proficiscantur, et longo temporum spatio, propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent ab aeterna se vita procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet, omnibus viribus á peccato mundari: et recte vivendi factis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. » Ex praedictis patet: contra haeresim *Neutralium* sacramentariorum dicentium: quod neque una species, neque utraque sacramenti, est necessaria: sed sola fides sufficit. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Caliculariorum, Hussitarum*, et *Bohemorum*, dicentium: sub utraque specie panis, et vini necessario esse communicandum. Et addentium: quod communicans sub una tantum specie committit sacrilegium, et agit contra praeceptum Christi praecipientis esse communicandum sub utraque specie, ideo peccat etiam, si laicus sit. Et destruas errorem *Lutheri*, ut refertur in Bulla *Leonis X.* contra errores illius, dicentis: quod consultum videtur, quod Ecclesia in communi concilio statueret: Laicos sub utraque specie communicandos. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Concilio *Constantiensi* sess. 13. " Licet Christus suis discipulis administraverit sub utraque specie panis, et vini hoc venerabile sacramentum, tamen, hoc non obstante, approbata consuetudo Ecclesiae servat: quod á laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Et licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur á fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula, et scandala est rationabiliter introducta; quod á conficientibus sub utraque specie, et á laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur: cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, Christi corpus integrum, et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini, veraciter contineri. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem, et legem observare sit sacrilegium, aut illicitum, censeri debet erroneum: et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum, tamquam haeretici, arcendi sunt, et graviter puniendi per diœcesanos locorum, aut inquisitores hæreticæ pravitatis. Item præcipimus: quod nullus presbyter communicet populum sub utraque specie panis, et vini.» Ubi nota ly *hoc non obstante*. Non enim Christus laicis tunc, sed sacerdotibus sacramentum tale administrabat quoniam ipse in cœna illa discipulos instituit sacerdotes, teste Concilio Trid. sess. 22. can. 1. et can. 2. Ibi etiam nota ly *hæc consuetudo est rationabiliter introducta*, et ly *asserentes oppositum tamquam hæretici*, etc. Negant enim hi auctoritatem juridicam Ecclesiæ: quam habet á Christo in administratione sacramentorum: pro quo melius intelligendo vide Conc. Trident. sess. 21. can. 2. recitatum sup. art. 8. ad 1. in exam. Item merito damnari ab eodem Concilio Trident. sess. 21. cap. 1. " Sancta ipsa synodus á Spiritu Sancto edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium, et consuetudinem secuta declarat, ac docet: nullo divino præcepto laicos, et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum. Neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus sacramentum hoc in panis, et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit: non tamen illa institutio, et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Joann. sexto recte colligitur; utriusque speciei communionem á Domino præceptum esse. Namque, qui dixit; nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit; Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam; panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique, qui dixit; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo, dixit nihilominus; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.» Ubi vides, á Domino subindicatum fuisse, duplicem consuetudinem sumendæ Eucharistiæ, quando-

que scilicet sub utraque specie, quandoque vero sub specie solum panis, futuram esse in Ecclesia; et utramque sufficientem ad salutem; et consequenter utramque pro suo tempore bonam: et simul propterea vides: quod ipsemet utramque consuetudinem illam approbavit. Item merito damnari ab eodem sessione eadem, cap. 2. " Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, et justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit. Quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare, non licet. » Et cap. 3. " Insuper declarat, fatendum esse, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt. » Hæc ibi, et canon. 1. " Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit. » Et canon. 2. " Si quis dixerit: sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit. » Et canon. 3, " Si quis negaverit, totum, et integrum Christum, omnium gratiarum fontem, et auctorem, sub una panis specie sumi: quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: anathema sit. » Item merito damnari illum errorem Lutheri á Papa Leone X. in prædicta Bulla. Ex quibus omnibus patet et vafrities grandis hæreticorum, qui sub pallio zelandi pro salute populorum contra reverentiam Christi armantur, sanguinem ipsius effundere parvipendentes: et irrationabilitas, atque stultitia eorumdem. Non enim irrationabile solum, sed et stultum est: cum tantumdem boni, quod quæris, possis absque criminis periculo veraciter obtinere: præeligere illud cum tanti sacrilegii periculo, atque scandalo consequi, ut omnibus, dummodo sensum reprobum non habeant, manifestissime constat ex terminis. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO OCTOGESIMA PRIMA,

DE MODO, QUO CHRISTUS USUS EST HOC SACRAMENTO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de usu hujus sacramenti, quo Christus usus est in prima sui institutione.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum Christus sumpserit suum corpus, et sanguinem.

Secundo, utrum Judæ dederit.

Tertio, quale corpus sumpserit, aut dederit, utrum scilicet passibile, vel impassibile.

Quarto, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reservatum, aut consecratum.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sumpserit suum corpus, et sanguinem.

Pro negativa.=Videtur, quod Christus non sumpserit suum corpus et sanguinem.

1. In Evangeliis non habetur quod Christus corpus suum manducaverit, aut sanguinem suum biberit. Ergo hoc non est asserendum.

Conseq. prob., quia de factis et dictis Christi non debet asseri quod auctoritate scripturæ non traditur.

2. Si Christus sumpsisset hoc sacramentum, sequeretur quod Christus totus fuisset in seipso quod videtur impossibile. Ergo Christus non sumpsit suum corpus et sanguinem.

Conseq. prob. Quia illud quod manducatur et bibitur, est in manducante et bibente: cum igitur totus Christus sit sub utraque specie sacramenti, si Christus sumpsisset sacramenti species, fuisset totus in seipso. Impossibilitas autem consequentis ostendidur, quia nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium, prout scilicet una pars ejus est in alia, ut habetur 4. Phys. tex. 34.

3. Christo non competebat sumere hoc sacramentum spiritualiter, nec sacramentaliter. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpsit.

Anteced. prob. Et quod non competeret Christus spiritualis hujus sacramenti sumptio, quia Christus nihil á sacramento accepit; quod vero non competeret ei sumptio sacramentalis, quia sacramentalis sumptio sine spirituali est imperfecta.

Conseq. prob., quia tantum est duplex sumptio hujus sacramenti, scilicet sacramentalis et spiritualis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hieron. dicit q. 2. ad Hædibiam, et refertur de consec. d. 2. c. Nec Moyses. *Dominus Jesus Christus, ipse convivа et convivium, ipse comedens et qui comeditur.*

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod Christus in cœna corpus et sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit, et rationes eorum esse poterant, quæ in arguendo adductæ sunt, et præcipue prima.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur convenienter dici, quia Christus ea quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde et ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret, secundum illud Act. 1. *Cœpit Jesus facere et docere.*

Vera sententia.

Conclusio. Christus primo corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis sumendum tradidit.

Prob. Primo ratione modo inducta, scilicet quia Christus ea quæ aliis observanda tradidit, ipse prius servare voluit.

Secundo prob. Auctoritate Glos. ordin. super illud Ruth. 3. «Cumque comedisset et bibisset, etc.» dicentis quod «Christus comedit et bibit in cœna, cum corporis et sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit; Unde «quia pueri communicaverunt carni et «sanguini, et ipse participavit eisdem.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. In Evangeliis enim legitur quod Christus accepit panem et calicem; non est autem intelligendum quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt, sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Unde cum discipulis dixerit; *Accipite et comedite* et iterum *accipite et bibite*; intelligendum est quod ipse accipiens comedit et bibit: unde et quidam metrice dixerunt; *Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena; se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.*

Ad 2. Negatur impossibilitas, potuit enim Christus esse in seipso. Ad prob. dicitur, quod nihil potest esse secundum totum in seipso secundum proprias dimensiones. Christus autem, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum, non secundum proprias dimensiones; sed secundum dimensiones specierum sacramentalium, ut dictum est q. 76. art 5. Ita quod in quocumque loco sunt illæ species, est ipse Christus et quia species illæ potuerunt esse in manibus, et in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse, in suis manibus, et in suo ore. Non autem potuit hoc esse, secundum quod corpus Christi comparatur ad proprias dimensiones: potest igitur Christus totus esse in seipso, se-

cundum quod in hoc sacramento continetur.

Ad 3. Negatur antecedens. Competebat enim Christo sumere hoc sacramentum spiritualiter et sacramentaliter. Ad prob. negatur assumptum; accepit enim Christus aliquid sumendo hoc sacramentum. Effectus enim hujus sacramenti est non solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis; quamvis autem Christo non fuerit augmentata gratia ex susceptione hujus sacramenti, habuit tamen quamdam spiritualem delectationem in nova hujus sacramenti institutione: unde ipse dicebat Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*. Quod Euseb. exponit de novo mysterio novi testamenti quod tradebat discipulis: et ideo Christus spiritualiter hoc sacramentum manducavit. Manducavit etiam sacramentaliter, in quantum corpus suum sub sacramento sumpsit. Aliter tamen Christus, quam cæteri, spiritualiter et sacramentaliter hoc sacramentum manducavit. Cæteri enim spiritualiter manducant recipiendo augmentum gratiæ habitualis, et suscipiunt illud sub visibilibus speciebus, quibus indigent ad veritatis perceptionem, quorum neutrum ex sumptione hujus sacramenti factum est in Christo.

ARTICULUS II.

Utrum Christus dederit Judæ corpus suum.

Pro negativa.=Videtur, quod Christus non dederit Judæ corpus suum.

1. Illi quibus Dominus corpus suum et sanguinem dedit, erant cum Domino iterum bibituri. Sed Judas numquam postea cum Domino erat bibiturus. Ergo Judæ non fuit traditum in cœna corpus Christi, et sanguis.

Maior prob., quia legitur Matth. 26. Quod postquam Dominus dedit discipulis corpus suum et sanguinem, dixit eis: "non bibam amodo de hoc genimine "vitis, usque in diem illum, cum illud "bibam vobiscum novum in regno Pa"tris mei." Ex quo videtur quod illi quibus corpus suum et sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri.

2. Dominus non dedit corpus suum peccatoribus: Sed Judas erat peccator, et hoc cognoscebat Dominus. Ergo Judæ non fuit traditum corpus Christi.

Maior prob., quia ipse Dominus, qui ea quæ præcepit, prius implevit, secundum illum Act. 1. "Cœpit Jesus facere "et docere, præcepit Matt. 4. Nolite "sanctum dare canibus."

3. Si Christus dedisset Judæ corpus suum dedisset sub intincta buccella, de qua legitur Jo. 13. præcipue cum legatur ibidem quod post "buccellam introi"vit in eum Satanas." Ubi Aug. dicit trac. 62. in Joan. "Hic nos docemur, "quam sit cavendum male accipere bo"num; si enim corripitur qui non dijudicat, idest non discernit corpus Do"mini á cæteris cibis, quomodo non "damnabitur, qui ad ejus mensam fin"gens se amicum, accedit inimicus?" Sed Judas cum buccella intincta non accepit corpus Christi; quia ut Aug. dicit ibidem super illud: "cum intinxisset "panem, dedit Judæ, non ut putant qui"dam negligenter legentes tunc Judas "corpus Christi accepit." Ergo Judas corpus Domini non accepit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Chrysost. Hom. 46. in Jo. dicit: "Judas particeps existens mysteriorum, "conversus non est. Unde fit scelus "ejus utrinque immanius; tum quia tali "proposito imbutus, adiit mysteria tum "quia adiens melior factus non est, nec "metu, nec beneficio, nec honore."

Determinatio.

2. *Hilarii positio.*

Hilarius Can. 30. in Matt. posuit quod Christus Judæ corpus suum et sanguinem non dedit. Ratio hujus positionis præcipua fuit ea, quæ inducitur in primo argumento pro negativa. Quæ po-

sitio conveniéns est, considerata malitia Judæ, qui non merebatur tantum suscipere sacramentum.

Positionis Hilarii censura.

Sed quia Christus debuit nobis esse exemplum justitiæ non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatore, et evidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi, et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi.

Vera sententia.

Conclusio. Judas cum aliis discipulis corpus et sanguinem Domini suscepit.

Prob. 1. Ex censura supradictæ opinionis, quia scilicet oppositum non conveniebat magisterio Christi.

2. Probatur auctoritate Dion. cap. 3. Eccles. Hier. et August. tract. 62. in Joan. Qui docent quod Christus, in cœna dedit Judæ corpus et sanguinem suum sub hoc sacramento.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod illa ratio est Hilarii, ut dictum est in corp. artic. Quia ostendere nitebatur quod Judas corpus Christi non sumpsit, non tamen cogit. Quia Christus loquitur discipulis, á quorum collegio Judas se separavit, et non fuit á Christo exclusus; et ideo Christus quantum est in se, etiam cum Juda vinum in regno Dei bibit, sed hoc convivium ipse Judas repudiavit. Ad formam igitur dicitur ad minorem, quod Judas non bibit postea vinum cum Christo, quia seipsum á mensa Christi excludit.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Christo nota erat Judæ iniquitas, sicut Deo; non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit: et ideo Christus non repulit Judam á communione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos.

Ad 3. Neg. anteced. Sine dubio enim Judas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. «Significatur autem fortasis» ut August. ibidem tract. 62. in Joan. dicit: «per «panis intinctionem fictio Judæ; ut enim «inficiantur, nonnulla intinguntur. Si «autem bonum aliquid hic significat «tinctio,» scilicet dulcedinem bonitatis divinæ, quia panis ex intinctione sapidior redditur: «idem bonum ingratum «non immerito est secuta damnatio.» Et propter hanc ingratitudinem, id quod est bonum, factum est ei malum, sicut accidit circa sumentes indigne corpus Christi. Et sicut August. ibidem dicit «intelligendum est quod Dominus jam «antea distribuerat omnibus discipulis «suis sacramentum corporis et sangui«nis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut «Luc. narrat, ac deinde ad hoc ventum «est, ubi secundum narrationem Joan«nis Dominus per buccellam tinctam, «atque porrectam, suum exprimit pro«ditorem.»

ARTICULUS III.

Utrum Christus sumpserit, et dederit discipulis corpus suum impassibile.

Pro affirmativa. = Videtur, quod Christus sumpserit, et dederit corpus suum impassibile.

1. Super illud Matth. 17. «Transfi«guratus est ante eos,» dicit Glos. ordin. «Illud corpus quod habuit per naturam, «dedit discipulis in cœna non mortale et «impassibile.» Et super illud Levit. 2. «Si oblatio tua fuerit de sartagine,» dicit Glo. «Crux super omnia fortis, carnem «Christi, quæ ante passionem non vide«batur esui apta, post aptam fecit.» Cum igitur Dominus dederit discipulis suis carnem suam esui aptam, sequitur quod dederit, sicut post passionem fuit quando ejus corpus fuit impassibile et immortale.

2. Si corpus Christi fuit datum discipulis passibile, sequeretur quod per contactum et comestionem passum fuisset, quod est falsum.

Conseq. prob., quia omne corpus pas-

sibile, per contactum et comestionem patitur.

3. Nunc virtute sacramentalium verborum in altari consecratur corpus Christi impassibile et immortale. Ergo multo magis tunc á Christo fuit consecratum impassibile et immortale.

Conseq. prob., quia verba sacramentalia non sunt modo maioris virtutis, quando proferuntur á sacerdote in persona Christi, quam tunc quando fuerunt prolata ab ipso Christo.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Innoc. III. dicit lib. 4. de sacro Myst. altaris cap. 12. *Tale corpus dedit discipulis, quale habuit.* Sed habuit corpus passibile et mortale. Ergo corpus passibile et mortale discipulis dedit.

Determinatio.

Hugonis de sancto Vict. positio.

Hugo de sancto Vict. posuit quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpserit. Scilicet subtilitatem in nativitate, quando exivit de clauso virginis utero; agilitatem quando ambulavit siccis pedibus super mare, claritate in transfiguratione, impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis tradidit manducandum. Et sic patet quod hugo posuit Dominum dedisse in cœna discipulis corpus suum impassibile et immortale.

Reprobatio et vera sententia.

Sed quicquid sit de aliis dotibus, de quibus dictum est q. 28. art. 2, ad 3. et q. 54. art. 1. ad 1. Circa impassilitatem impossibile est esse quod dicitur. Quod ostenditur ratione qua probatur conclusio.

1.ª Conclusio. Christus in cœna non non sumpsit, nec discipulis dedit corpus suum impassibile et imortale, sed passibile et mortale.

Prob. Corpus Christi non erat tunc impassibile secundum quod in propria specie videbatur, quinimo erat passioni paratum. Ergo nec ipsum corpus Christi quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat.

Conseq. probat., quia idem corpus Christi erat, quod à discipulis tunc in propria specie videbatur, et in specie sacramenti sumebatur.

2.ª Conclusio. Corpus Christi quod datum fuit discipulis in cœna, etsi esset secundum se passibile, impassibili tamen modo erat sub specie sacramenti, sicut quod erat visibile secundum se, invisibiliter sub specie sacramenti erat.

Manifestatur: corpus Christi, secundum quod est sub hoc sacramento, non comparatur ad ea quæ circumstant mediantibus propriis dimensionibus quibus corpora se tangunt; sed mediantibus speciebus panis et vini. Ergo species illæ sunt, quæ patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi.

Conseq. prob., quia sicut visio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circumstans medium visionis, ita passio requirit contactum corporis quod patitur, ad ea quæ agunt. Cum igitur corpus Christi, secundum quod est sub hoc sacramento, non sit per proprias dimensiones tangibile, erit sub his speciebus impassibili, sicut et invisibili modo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad auctoritates inductas, quod Christus in cœna dicitur non dedisse corpus suum mortale et passibile, quia non dedit mortali et passibili modo. Crux autem facit carnem Christi aptam manducationi, in quantum hoc sacramentum Christi passionem repræsentat.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod corpus passibile patitur, si secundum proprias dimensiones et speciem detur ad manducandum; corpus autem Christi sub speciebus sacramenti datum fuit; et ideo non patiebatur.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod verba sacramentalia eamdem vim haberunt tunc prolata á Christo, quam habent nunc. Vis verbo-

rum est, ut ex pane fiat corpus Christi et hanc vim habuerunt tunc, et nunc etiam habent; quod autem corpus Christi sit passibile, vel impassibile, non est ex vi verborum, sed ex concomitantia, ut alias dictum est; ideo quando corpus Christi erat ex se passibile, erat etiam passibile in hoc sacramento, et modo quia est in se impassibile, etiam impassibile est in sacramento.

ARTICULUS IV.

Utrum si sacramentum Eucharistiæ tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum ibi moreretur.

Pro negativa. = Videtur quod si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum in pixide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non ibi moreretur.

1. Christus etiam tunc erat impassibili modo in hoc sacramento. Ergo nec tunc poterat in hoc sacramento mori.

Conseq. probatur, quia mors Christi accidit per ejus passionem.

2. In hoc sacramento simul est corpus Christi, et sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

Conseq. prob., quia in morte Christi separatus fuit sanguis ejus á corpore.

3. In hoc sacramento continetur tam corpus, quam anima Christi. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

Conseq. prob, quia mors accidit per separationem animæ á corpore.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In cruce Christus moriebatur. Ergo etiam in hoc sacramento conservato moreretur.

Conseq. probat., quia idem Christus, qui erat in cruce, fuisset in sacramento.

Determinatio.

Conclusio. Si tempore mortis Christi fuisset sacramentum Eucharistiæ servatum, Christus in eo moreretur.

Prob. Quicquid pertinet ad Christum secundum quod in se est, et non per comparationem ad corpora extrinseca, potest attribui ei, et in propria specie, et in hoc sacramento existenti. Sed mori conveniebat Christo, secundum quod in se erat. Ergo mori convenisset Christo existenti tempore suæ passionis sub hoc sacramento.

Maior manifestatur: quia corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento et in propria specie; sed non eodem modo; nam in propria specie contingit corpora, quæ circumstant per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento, ut art. præced. et q. 76. art. 4. 5. et 6. dictum est. Cum igitur corpus Christi in hoc sacramento existens sit idem secundum substantiam quod corpus Christi in propria specie, sequitur quod omnia ea quæ conveniunt corpori Christi secundum suam naturam possint ei attribui, secundum quod est in hoc sacramento. Unde Christo sub hoc sacramento existenti poterat attribui animatum esse, dolere vivere, et mori, et cætera hujusmodi, quia hæc conveniunt Christo secundum suam naturam. Non poterat autem Christo existenti sub hoc sacramento attribui conspui, flagellari, irrideri, crucifigi, et his similia, quia hæc conveniebant ei tantum per comparationem ad corpora extrinseca. Unde quidam metrice dixerunt.

Pixide servato, poteris sociare dolorem.

Innatus, sed non illatus convenit illi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non poterat quidem Christus sub hoc sacramento pati, quia passio convenit ei ab extrinseco, poterat tamen mori, quia Christus ex sua natura mortalis erat, ut dictum est. Et ad prob. dicitur, quod etsi mors Christi ex passione, in actu secuta sit, tamen ex sui natura mori poterat.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod in hoc sacramento est quidem corpus et sanguis, diversimode tamen; nam sub

specie panis est corpus Christi ex vi verborum consecrationis, et sanguis per realem concomitantiam; sub specie vero vini est sanguis ex vi consecrationis, et corpus ex reali concomitantia. Unde quando realiter corpus et sanguis sunt unita, utrumque est sub utraque specie si vero sanguis non esset corpori realiter unitus, non esset sub specie panis, nisi corpus, et sub specie vini sanguis, et quia tempore passionis sanguis erat á corpore separatus, si sacramentum hoc servatum fuisset, sub specie panis fuisset tantum corpus, et sub specie vini tantum sanguis.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod si hoc sacramentum tempore mortis fuisset servatum, in eo fuisset corpus, sed non anima, quia anima non est in hoc sacramento, nisi ex reali concomitantia, et hoc non propter defectum verborum, sed propter dispositionem rei, quia scilicet anima tunc non erat realiter corpori unita, ac per hoc non poterat ex reali concomitantia esse in hoc sacramento.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 81.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem, *Lutheri*, (ut refert Fr. Joseph Angles Valentinus ord. Min. in lib. Flores Theologicarum quæstionum, de Eucharistia, quæst. 2. ubi et error ipse ab eodem damnatur) dicentis: Christus in cœna corpus suum non sumpsit; quare nec sacerdotes sumere debent, sed solum consecrare, et sub utraque specie populo ministrare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eum merito damnari á sancto Hieronymo; secundum quod ponitur *in arg. cont.* Ubi nota ex ly *comedens, et qui comeditur* motivum magnum, unde ad sic dicendum motus est ipse Hieronymus. Consideravit namque, quod sacramentum hoc est memoriale dominicæ passionis (ut patet ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. et 1. Corinth. 11.) et quod in passione idem ipse Christus fuit sacerdos, et hostia, ut patet ex ly *obtulit semetipsum*: Hebr. 9. et Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. Ex eo igitur, quod in principali, scilicet in passione, Dominus fuit simul offerens, et oblatio, motus est Beatus Hieronymus. et jure quidem convenienti, ut scilicet inter memoriale et principale correspondentia fieret ad ponendum, quod in sacramenti hujus institutione Dominus fuerit simul et comedens, et qui comeditur. Item merito damnari ab Evangeliis per ly *Accepit panem, et calicem*; secundum expositionem responsionis ad 1. Item á Luca. 22. per ly *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, secundum expositionem Eusebii in responsione ad 3. Ubi vigilanter nota ly *manducare vobiscum*. Non enim hoc dicit tantum, dare eis pascha illud novum, idest Eucharistiam, ad manducandum (ut patet) sed simul dicit, Christum manducasse illud cum eis; ut ex ista loquendi serie intelligamus: quod ipse prior novum hoc pascha comederit, deinde Apostolis comedendum dederit. Item merito damnari ab Ecclesia (si tamen consideretur consequentia illa facta á Luthero, scilicet, *quare nec sacerdotes sumere debent*) factis ipsis, Ecclesia enim catholica facit oppositum illius consequentis Lutherani, idest facit, quod sacerdotes conficientes sumant Eucharistiam; ut quotidie patet. Quinimmo et contra negantes, istud oppositum illius consequentis esse licitum, exurgit in Concilio Trident. sess. 13. canone 10. dicens: "Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare: anathema sit." Istud ergo factum sanctæ Ecclesiæ retorque contra Lutherum ut conterantur dentes ejus in ore ipsius, Psalm. 57. tali modo. Christus, inquis tu in cœna corpus suum non sumpsit; quare nec sacerdotes sumere debent: sed sacerdotes, inquit Ecclesia,

corpus Christi sumere debent; ergo Christus in cœna corpus suum sumpsit. Cæterum contra illud chimæricum ejus, scilicet de debito utramque speciem populo ministrandi, quod addidit: patuit jam abunde quæst. 80. art. 12. append. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem quorumdam innominatorum, ut refert Gabriel Prateolus, tit. *Judas Iscariotes*, dicentium; quod Judas Iscarioth in cœna Domini non accepit verum corpus Christi. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari á D. Chrys. secundum quod patet *in arg. cont.* Item ab eodem in serm. " Paucis hodie, Christi misericordia, ò Judæ dementia. Ille eum paciscebatur, ut venderet: Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat: ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset. » Item á D. August. secundum quod patet in resp. ad 3. Hæc faciunt pro declaratione probationis concl. 3. ubi allegantur SS. August. et Chrysostom. Item á Papa Leone in sermon. " Scio quidem; cum in Cayphæ atrio tractaretur, quomodo Christus deberet occidi: ille corporis, et sanguinis sui ordinans sacramentum docebat, qualis Deo hostia deberet offerri, nec traditore submoto, ut ostenderetur nulla injuria exasperatus. Dicens quoque: unus vestrum me traditurus est, non aspera, non aperta impium increpatione confudit, ut facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset objectio. Cur infelix Juda tanta benignitate non uteris? Ecce, Christus nulli te, nisi tibi indicat, nec nomen tuum, nec persona detegitur, non Apostolici ordinis honor, nec sacramentorum tibi communio denegatur. Respice: Clementia invitat, salus pulsat, ad vitam te vita revocat.» Quæ pro aliqua parte faciunt ad quæst. 80. art. 6. append. ly væ homini, etc. et ideo diffusius hic verba ejus recitata sunt. Item á B. Cypriano in serm. de cœna Domini. « Ubi sacrum cibum mens perfida tegit, et sceleratum os panis sanctificatus intravit: parricidialis animus vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea, de area exsuflatus est. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Concilio, quod Christus dedit discipulis corpus suum passibile sub specie sacramenti. A scripturis quidem per hoc; quod Dominus dans discipulis Eucharistiæ sacramentum dixit Lucæ 22 *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Non enim traditum est pro nobis passioni corpus Christi impassibile, ut patet, sed passibile. Si ergo dedisset tunc eis corpus impassibile: utique ad ly corpus non addidisset ly *quod pro vobis tradetur.* A Papa autem *Innocentio*, secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* A concilio quoque *Tridentino*, per hoc quod determinat, quod sub specie panis, et vini nihil ex vi verborum reperitur, nisi solum corpus, et sanguis; quæcumque vero alia ex reali concomitantia. Dicit namque sess. 13. cap. 3. « Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit: statim post consecrationem verum Domini nostri corpus existere sub specie panis, verumque ejus sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, et anima hypostaticam unionem.» Cum ergo impassibilitas, vel passibilitas mortalitas, vel immortalitas, non sint corpus, nec sanguis (ut patet) relinquitur necessario concludendum, quod nihil horum sub speciebus illis est ex vi verborum sacramentalium; sed tantum ex vi naturalis concomitantiæ. Facillimum modo est ex istis discurrere ad propositum. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Conciliis simul insinuatum: quod, si hoc sacramentum fuisset, tempore mortis Christi in cruce, conservatum in pixide. Christus tunc ibi mortuus esset, absque eo, quod ibi crucifigeretur. Item, quod, si fuisset tempore mortis Christi durante, idest in illo triduo consecratum corpus sub specie panis, tunc fuisset sine sanguine, et

sine anima: et sanguis sub specie vini sine corpore, et sine anima. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Luc. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* A Concilio autem *Florentino*, per hoc, quod dicit, corpus Christi esse in hoc sacramento sub specie panis. Vide q. 76. a. 1. 2. 3. in Eluc. A Concilio quoque Trident. per hoc, quod dicit sanguinem, et animam esse sub specie panis, et corpus, animamque esse sub specie vini, ex reali concomitantia solum, art. 2. append. His enim omnibus simul junctis, patet intentum, quod proponebatur. Nam, si est, ut vere est, in sacramento sub specie panis corpus idem numero, quod tradetur, scil. ad mortem, et de facto morietur crucifixum: constat, quod ipsum ibi tunc morietur non tamen in cruce clavis affixum. Alioquin, si ibi vere non moreretur, non esset ibi idem corpus numero, ut patet, quod in cruce mortuum est: et, si ipsum ibi tunc crucifigeretur, non esset sub specie tantum aliena, scil. panis, non propria, ut patet ex ratione allata in tex. corpor. Item si est, ut vere est sanguis, et anima sub specie panis, corpus item, et anima sub specie vini, ex reali concomitantia solum, constat, quod ipsum corpus in sacramento tunc, quando realiter divisus erat sanguis, et anima, confecto, fuisset sub specie panis sine sanguine, et anima; similiter sanguis fuisset sub specie vini sine corpore, et anima. Alioquin, ut ex terminis patet, illud dictum Concilii de reali tantum concomitantia tolleretur, idest, non esset verum. Quod cum sit hæreticum, sicut et negare præmissa dicta tum *Florentini* Concilii tum Evangelii: sequitur aperte, quod necessum est de fide confiteri, quæ in principio appendicis proposita fuerant. *Secundo* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA SECUNDA,

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministro hujus sacramenti: et circa hoc quæruntur decem.

Primo, utrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.

Secundo, utrum plures sacerdotes simul possint eamdem hostiam consecrare.

Tertio, utrum dispensatio hujus sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quarto, utrum liceat sacerdoti consecranti á communione abstinere.

Quinto, utrum sacerdos peccator possit conficere hoc sacramentum.

Sexto, utrum missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.

Septimo, utrum hæretici, schismatici, vel excommunicati possint conficere hoc sacramentum.

Octavo, utrum degradati.

Nono, utrum peccent á talibus communionem recipientes.

Decimo, utrum liceat sacerdoti omnino á celebratione abstinere.

ARTICULUS I.

Utrum consecratio sacramenti Eucharistiæ sit propria sacerdotis.

Pro negativa. = Videtur, quod consecratio hujus sacramenti non sit propria sacerdotis.

1. Sacramentum Eucharistiæ consecratur virtute verborum quæ sunt forma hujus sacramenti. Ergo videtur quod non solus sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

Conseq. prob., quia illa verba non mutantur, sive dicantur á sacerdote, sive á quocumque alio.

2. Laicus sanctus est unitus Christo per charitatem. Ergo videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conficere.

Conseq. prob., quia sacerdos hoc sacramentum conficit ex persona Christi. Et confirmatur, quia Chrys. dicit in op. imp. super Matt. Hom. 43. Quod omnis sanctus est sacerdos.

3. Laicus potest baptizare; Ergo potest etiam conficere sacramentum Eucharistiæ.

Conseq. prob., quia sicut baptismus operatur ad hominum salutem, ita et hoc sacramentum, ut ex supradictis patet.

4. Conficere sacramentum, quod perficitur in consecratione materiæ, non pertinet ad sacerdotem. Sed sacramentum Eucharistiæ perficitur in consecratione materiæ. Ergo conficere hoc sacramentum non est proprium sacerdotis.

Maior prob., quia alias materias consecrare, scilicet Chrisma, oleum sanctum, et oleum benedictum, pertinet ad solum Episcopum. Quarum tamen consecratio non est tantæ dignitatis sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus. Unde et consecratio Eucharistiæ ad solum Episcopum pertinebit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isid. dicit in quadam Epist. ad Ludifredum et habetur decret. dist. 25. c. Perlectis. *Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere.*

Determinatio.

Conclusio. Proprium est sacerdotum conficere sacramentum Eucharistiæ.

Prob. Conficere sacramentum, quod est tantæ dignitatis quod non conficitur nisi in persona Christi, est proprium sacerdotum. Sed sacramentum Eucharistiæ est tantæ dignitatis quod non conficitur nisi in persona Christi. Ergo conficere sacramentum Eucharistiæ est proprium sacerdotum.

Maior manifestatur: nam quicumque aliquid agit in persona alterius, oportet fieri per potestatem ab illo concessam. Potestas autem conficiendi hoc sacramentum, confertur sacerdoti cum ordinatur; per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est á Domino. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quia igitur soli sacerdoti confertur potestas, ut ex persona Christi hoc dignissimum sacramentum conficere possit; ideo proprium est sacerdotum illud conficere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod sacramentum Eucharistiæ conficitur, non solum per verba, sed per potestatem consecrandi quæ traditur sacerdoti in sua ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo, *accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis, quam pro mortuis.* Et ratio horum est, quia virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quæ agit principale agens. Et quia virtus sacramentalis est instrumentalis, in pluribus consistit, et non in uno tantum, sicut virtus baptismi consistit in verbis, et in aqua.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quia laicus justus est unitus Christo unione spirituali, quæ est per fidem et charitatem, habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, et Rom. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, de quibus etiam justis dicitur 1. Pet. 2. *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.* Sed quia laicus justus non habet sacramentalem potestatem quæ in sacerdotali ordinatione confertur, non potest hoc sacramentum conficere. Et ad confirmationem patet quid dicendum sit; omnis enim sanctus est sacerdos, quia quilibet justus Deo spirituales hostias offerre potest.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod perceptio hujus sacramenti non est tantæ necessitatis, sicut præceptio baptismi. Et ideo licet laicus in necessitatis articulo possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

Ad 4. Negat. maior. Ad probationem dicitur, quod Episcopus accipit potesta-

tem, ut agat etiam super corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex episcopi commissione. Et ideo ea quæ non pertinent ad dispositionem corporis mystici, sicut est consecratio hujus sacramenti, non reservantur episcopo; quia vero ad episcopum pertinet tradere, non solum populo, sed etiam sacerdotibus ea ex quibus possunt propriis officiis uti, et benedictio Chrismatis, et olei sancti, et olei infirmorum, et aliorum quæ consecrantur, puta altaris, Ecclesiæ, vestium, et vasorum, præstat quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda quæ pertinent ad officium sacerdotum, ideo tales consecrationes episcopo reservantur, tamquam principi totius ecclesiastici ordinis. Licet igitur horum consecratio non sit tantæ dignitatis, quantæ est consecratio corporis Christi, tamen quia pertinent ad prædictam idoneitatem perficiendi sacramenta, et ipsa consecratio corporis Christi tantum ipsum verum corpus Christi respicit; ideo illa, et non ista episcopis reservatur.

ARTICULUS II.

Utrum plures sacerdotes possint unam, et eamdem hostiam consecrare.

Pro negativa. = Videtur, quod plurea sacerdotes non possint unam et eamdem hostiam consecrare.

1. Plures simul non possunt unum baptizare, ut dictum est quæst. 67. art. 6. Ergo nec possunt plures simul unam et eamdem hostiam consecrare.

Conseq. prob., quia non est minor virtus sacerdotis consecrantis, quam hominis baptizantis. Sicut igitur quia vis baptizantis est perfecta et efficax ad baptizandum, non possunt duo simul baptizare, ita de consecrante hoc sacramentum dici debet.

2. Quod in sacramentis potest fieri per unum, superflue fit per multos. Sed consecratio hujus sacramenti perfecte potest fieri per unum sacerdotem. Ergo superflue fieret per plures.

Maior prob. Quia in sacramentis nihil debet esse superfluum.

3. Sacramentum Eucharistiæ est *sacramentum unitatis*, ut dicit August. super Joan. tract. 26. Ergo non videtur conveniens esse huic sacramento, quod plures sacerdotes eamdem hostiam consecrarent.

Conseq. prob., quia contrarium unitati videtur esse multitudo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum, sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant episcopo ordinanti.

Determinatio.

Conclusio. Plures sacerdotes simul possunt unam et eamdem hostiam consecrare.

Probatur. Quia sacerdos cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui á Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna. Unde quilibet sacerdos rite ordinatus habens intentionem consecrandi, proferens simul cum aliis consecrationis verba, consecrat; ac per hoc, si plures eamdem hostiam consecrare intendant, eam consecrare posunt.

Et ideo secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant, qui omnes simul cum episcopo eamdem hostiam consecrant.

Ad tacitam objectionem.

Nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam, quia sicut Innoc. III. dicit in lib. 4. de sac. Alt. myst. c. 25. *Omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod licet virtus consecrandi non sit minor in consecrante, quam virtus baptizandi in baptizante; tamen non pos-

sunt licite plures unum baptizare, quia non legitur quod Christus simul baptizaverit, quando injunxit Apostolis officium baptizandi; plures autem possunt simul cum episcopo eamdem hostiam consecrare, quia Christus Apostolos ordinans sacerdotes, simul ipsi Christo concelebraverunt.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod si quilibet sacerdotum operaretur virtute propria, superfluerent alii sacerdotes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat, nisi in persona Christi, et multi sunt unum in Christo; ideo non refert, utrum per unum, aut per multos hoc sacramentum consecretur, dummodo ritus Ecclesiæ servetur, qui est, ut solum dum episcopus ordinat sacerdotes, plures eamdem hostiam consecrent.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, attenditur per hoc quod multi sunt unum in Christo: et ideo multi sacerdotes consecrant virtute unius. Unde hæc multitudo non opponitur unitati, quam hoc sacramentum significat.

ARTICULUS III.

Utrum dispensatio sacramenti Eucharistiæ pertineat ad solum sacerdotem.

Pro negativa. = Videtur quod dispensatio hujus sacramenti non pertineat ad solum sacerdotem.

1. Dispensatio sanguinis non pertinet ad solum sacerdotem; ergo nec dispensatio corporis pertinet ad solum sacerdotem.

Antecedens prob., quia sanguis Christi dispensatur per diaconos. Unde et Beatus Laurentius dixit Beato Sixto, *experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.*

Conseq. probat., quia sanguis Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum, quam corpus.

2. Sacerdotes instituuntur ad faciendum ea in quibus perficiuntur sacramenta. Ergo non pertinet ad sacerdotes dispensare corpus Domini.

Conseq. prob., quia sacramentum Eucharistiæ perficitur in consecratione materiæ, non in usu, ad quem pertinet dispensatio.

3. Signare Chrismate baptizatos non pertinet ad sacerdotem, sed ad episcopum. Ergo etiam dispensare sacramentum Eucharistiæ pertinet ad episcopum, et non ad sacerdotem.

Conseq. prob., quia sacramentum Eucharistiæ habet perfectivam virtutem, sicut Chrisma, ut dicit Dionys. 3. c. Eccles. hierarch.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur de consec. dis. 2. c. « Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri, laico, aut fœminæ « corpus Domini tradunt, ad deferendum « in firmis. Igitur interdicit synodus, ne « talis præsumptio ulterius fiat, sed « presbyter per semetipsum infirmos « communicent. »

Determinatio.

Conclusio. Dispensatio corporis Christi pertinet ad solum sacerdotem.

Probatur tripliciter. Primo, ad solum sacerdotem pertinet corpus Domini consecrare. Ergo ad solum sacerdotem pertinet corpus Domini dispensare.

Consequentia prob., quia Christus, in cujus persona sacerdos consecrat, sicut corpus suum in cœna consecravit, ita et aliis sumendum dedit.

Secundo, sacerdos constituitur medius inter Deum et populum; ergo sicut ad sacerdotem pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere.

Tertio, quia in reverentiam hujus sacramenti á nulla re contingitur, nisi consecrata. Unde et corporale, et calix consecrantur; et similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum. Unde nulli alteri tangere licet, nisi in

necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo simili necessitatis casu.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de dispensatione corporis, et de dispensatione sanguinis, propter duo. Primo, quia sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet quod tangatur á dispensante, sicut tangitur corporis Christi. Secundo, quia sanguis designat redemptionem á Christo derivatam in populum; unde et sanguini miscetur aqua quæ populum significat. Et quia diaconi quasi propinqui sacerdotali ordini aliquid participant de ejus officio, et constituuntur inter sacerdotem et populum, convenit eis dispensatio sanguinis, et non tamen dispensatio corporis. Ad probationem igitur consequentiæ dicitur, quod etsi sanguis non minus quam corpus ad hoc sacramentum pertineat, tamen quia sine hoc quod tangatur, dispensari, potest, et propter ejus mysticam significationem potest á diacono dispensari, non autem corpus.

Ad 2. Negatur consequentia. Immo oppositum ex antecedente sequitur: ex hoc enim quod ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare, eidem convenit dispensare, rationibus in corpore assignatis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod aliquid potest esse perfectivum dupliciter; uno modo, ut perficiat hominem secundum se in ordine ad Christum; alio modo in ordine ad alios homines. Quæ perficiunt hominem secundo modo, reservantur episcopo quæ perficiunt primo modo, commissa sunt sacerdotibus, in quo participant perfectivam episcopalem virtutem, sicut diaconi in hoc quod dispensant sanguinem Christi, participant sacerdotalem illuminativam virtutem: et quia hoc sacramentum habet virtutem perfectivam priori modo, Chrisma vero secundo modo: ideo hujus dispensatio solis episcopis reservatur, illius vero etiam sacerdotibus est concessa.

ARTICULUS IV.

Utrum sacerdos consecrans teneatur sacramentum Eucharistiæ sumere.

Pro negativa. = Videtur quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum.

1. Sacramentum quod consistit in consecratione materiæ, non est necesse quod sumatur á consecrante. Sed sacramentum Eucharistiæ consistit in consecratione materiæ. Ergo non est necesse quod sacramentum Eucharistiæ sumatur á sacerdote consecrante.

Maior probat. Nam in aliis consecrationibus apparet quod ille qui consecrat materiam, non utitur ea, sicut episcopus consecrans chrisma, non linitur eodem.

2. In aliis sacramentis, minister non præbet sacramentum sibi ipsi, ut patet de baptismo, de quo dictum est qu. 66. art. 5. ad 4. quod nullus potest seipsum baptizare. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum, non potest ipsum á seipso sumere.

Conseq. probat., quia sicut baptismus ordinate dispensatur, ita et sacramentum Eucharistiæ ordinate dispensari debet.

3. Contingit quandoque miraculose, quod corpus Christi apparet in altari sub specie carnis, et sanguis sub specie sanguinis. Ergo sacerdos consecrans non semper tenetur sumere hoc sacramentum.

Conseq. prob., quia corpus Christi sub specie carnis, et ejus sanguis sub specie sanguinis non sunt apta cibo et potui, unde propter hoc sub alia specie traduntur, ut dictum est quæst. 75. art. 5. et 76. art. 8.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Legitur in Tolet. 5. conc. 5. c. 5. Et refertur de consecr. d. 2. c. Relatum: "Modis omnibus tenendum est, "ut quotiescumque sacrificans corpus "Christi et sanguinem Domini nostri

"Jesu Christi in altari immolat, toties "perceptionis corporis et sanguinis "Christi participem se præbeat."

Determinatio.

Conclusio. Necesse est quod sacerdos quotiescumque consecrat, sumat integre Eucharistiæ sacramentum.

Probat. Ille qui Deo sacrificium offert et populo illud dispensat; debet esse sacrificii oblati, et dispensati particeps. Sed sacerdos conficiens hoc sacramentum, sacrificium Deo offert, et dum hoc sacramentum aliis tradit, sacrificium Deo oblatum populo dispensat. Ergo sacerdos debet fieri hujus sacramenti particeps. Ergo sacerdos hoc sacramentum consecrans debet etiam sumere.

Maior probat. Et quoad primam partem, quia exterius sacrificium quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut Aug. dicit 10. de civit. Dei cap. 5. Unde per hoc quod sacerdos consecrans participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere. Altera ejusdem maioris pars prob. Quia per hoc quod sacerdos sacrificium á se oblatum populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinorum, quorum ipse primo debet esse particeps, ut Dionys. dicit cap. 3. Eccles. Hierarc. et confirmatur præcipue prima pars maioris, quia in eodem c. Relatum legitur, *quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*?

Minor prob., quia dictum est quæst. 79. art. 5. et 7. Quod Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium.

Consequentia vero ejus quod subsumitur, ostenditur quod sacerdos consecrans fit particeps sacrificii per hoc quod sacrificium sumit, secundum illud 1. Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris*? Et ideo ex hoc quod sacerdos debet fieri sacrificii particeps, necesse est quod quotiescumque consecrat, integre sumat hoc sacramentum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod sacramenta quæ consistunt in consecratione materiæ, sunt duplicia: quædam sunt tantum sacramenta, ut est sacramentum confirmationis; quoddam vero est non solum sacramentum, sed etiam sacrificium, et hoc est solum sacramentum Eucharistiæ. Maior est vera de sacramento quod est tantum sacramentum, non autem de sacramento quod est etiam sacrificium. Unde episcopus consecrans chrisma, non linitur eodem: sacerdos vero consecrans hoc sacramentum, quod etiam est sacrificium, tenetur ipsum integre sumere.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio in hoc de baptismo, et de Eucharistia. Sacramentum enim baptismi perficitur in ipso usu materiæ. Et quia in sacramento, non potest idem esse agens et patiens, nullus potest seipsum baptizare. Sicut nec in sacramento Eucharistiæ sacerdos non consecrat seipsum; sed panem et vinum, in qua consecratione perficitur sacramentum: usus autem est consequenter se habens ad hoc sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum: dicit enim Hieron. super Levit. et refertur de consecr. dist. 2. c. de hac ex Origen. hom. 7. in Levit. "De hac qui- "dem hostia, quæ in Christi comme- "moratione mirabiliter fit edere licet;" de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se, nulli edere licet. Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur, quia ea quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti, quod iterato corpus et sanguinem Domini consecraret et sumeret.

ARTICULUS V.

Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit.

Pro negativa.=Videtur, quod malus sacerdos Eucharistiam consecrare non possit.

1. Sacerdos qui habet Eucharistiam consecrare, debet habere vitam et merita huic sacramento convenientia. Sed sacerdos peccator non habet vitam et merita huic sacramento convenientia. Ergo sacerdos peccator non potest Eucharistiam consecrare.

Maior prob. Quia Hieron. dicit super Sophon. 3. Super illud "Sacerdotes polluerunt sanctum. Sacerdotes qui "Eucharistiæ serviunt et sanguinem Domini populis dividunt, impie agunt in "lege Christi, putantes Eucharistiam "precantis facere verba, non vitam, et "necessariam esse solemnem orationem, "et sacerdotis merita, de quibus dicitur: sacerdos in quacumque fuerit macula non accedat offerre oblationes Domino."

2. Per precationem sacerdotis qui potest Eucharistiam consecrare, advenit Spiritus Sanctus. Sed per precationem sacerdotis peccatoris non advenit Spiritus Sanctus. Ergo sacerdos peccator non potest Eucharistiam consecrare.

Maior prob., quia Dam. dicit 4. lib. Orthod. fid. c. 14. Quod "panis et vinum per adventum Sancti Spiritus supernaturaliter transit in corpus et sanguinem Domini."

Minor prob., quia Gelasius Papa dicit, et habetur in decret. 1. quæst. 1. cap. Sacrosancta. "Quomodo ad divini "mysterii consecrationem cœlestis spiritus invocatus adveniet, si sacerdos qui "eum adesse deprecatur, criminosis "plenus actionibus comprobetur?"

3. Benedictio sacerdotis peccatoris non est efficax ad consecrationem hujus sacramenti. Ergo sacerdos peccator non potest Eucharistiæ consecrare.

Conseq. prob., quia hoc sacramentum benedictione sacerdotis consecratur.

Antecedens probat., quia Malach. 2. dicitur: *maledicam benedictionibus vestris*, et Dion. dicit in Epist. ad Demophilum Monachum. "Perfecte cecidit á "sacerdotali ordine qui non est illuminatus, et audax quidem nimium mihi "videtur talis sacerdotalibus manum apponens, et audet immundas infamias "(non enim dicam orationes) super divina symbola Christi deformiter enuntiare."

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in lib. de corp. Domini, et refertur de consecr. dist. 2. cap. Utrum sub 1. quæst. 1. c. "Intra catholicam Ecclesiam, in mysterio corporis et sanguinis Domini, nihil á bono maius, nihil á malo minus perficitur sacerdote. Quia non in merito "consecrantis, sed in verbo perficitur "creatoris, et virtute Spiritus Sancti."

Determinatio.

Conclusio. Sacerdotes etiamsi non sint justi, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

Prob. Sacerdos peccator ex hoc quod est peccator et malus, non desinit esse minister Christi. Ergo sacerdos peccator potest Eucharistiam consecrare.

Conseq. prob. Quia sacerdos consecrat hoc sacramentum, non propria virtute, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc sacramentum. Unde sacerdos non desinens esse Christi minister, potest hoc sacramentum consecrare.

Antecedens prob. Quia Dominus habet non solum bonos, sed etiam malos ministros, vel servos. Unde Matth. 24. Dominus dicit: "Quis putas est fidelis "servus et prudens, etc." et postea subdit; "si autem dixerit malus ille "servus in corde suo, etc." et Apost. dicit 1. Cor. 4. "Sic nos existimet homo, ut ministros Christi," et tamen postea subdit. "Nihil mihi conscius

"sum, sed non in hoc justificatus sum." Erat ergo certus se esse ministrum Christi, tamen non erat certus se esse justum: potest ergo aliquis esse minister Christi, etiam si justus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui sicut vero Deo serviunt, non solum bona sed etiam mala quæ per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur. Sacerdos igitur ex hoc quod est malus, non desinit esse minister Christi; sed desinit esse bonus minister, et ideo potest consecrare Eucharistiam

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Sacerdos enim ad digne consecrandum debet habere vitam et merita huic sacramento convenientia, tamen ad consecrandum hæc non requiruntur, sed sufficit sola potestas consecrandi quæ per ordinationem confertur. Ad probationem dicitur, quod Hieronymus per illa verba, improbat errorem sacerdotum qui credebant se digne posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo quod sunt sacerdotes, etiam si sint peccatores. Quod improbat Hieronymus per hoc quod maculosi ad altare accedere prohibentur. Non tamen removetur, quin, si accesserint, verum sit sacrificium quod offerunt.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ante illa verba Gelasius Papa præmittit: "Sacro-sancta "religio quæ catholicam continet disci-"plinam, tantam sibi reverentiam ven-"dicat, ut ad eam quilibet (nisi pura "conscientia) non audeat pervenire," ex quo manifeste apparet ejus intentionem esse, quod peccator sacerdos non debet ad hoc sacramentum accedere. Unde per hoc quod subdit, *quomodo cælestis spiritus invocatus adveniet*? intelligi oportet quod non advenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cujus verba sacerdos profert.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod sicut eadem actio, in quantum fit ex prava intentione ministri, potest esse mala, bona autem in quantum fit ex bona intentione Domini; ita benedictio sacerdotis peccatoris, in quantum indigne ab ipso fit, est maledictione digna, et quasi infamia, sive blasphemia ejus oratio reputatur. In quantum autem profertur ex persona Christi est sancta et efficax ad sanctificandum; unde signanter dicitur: *maledicam benedictionibus vestris*, quia scilicet in quantum vestræ sunt, maledictione dignæ sunt.

ARTICULUS VI.

Utrum missa mali sacerdotis minus valeat, quam missa boni sacerdotis.

Pro negativa.==Videtur quod missa mali sacerdotis non minus valeat, quam missa sacerdotis boni.

1. Gregor. dicit in Registro, ut refertur 1. qu. 1. cap. Multi. "Heu in-"quam, in magnum laqueum incidunt "qui divina et occulta mysteria (quæ "scilicet in missa celebrantur) plus ab "aliis sanctificata posse fieri credunt, "cum unus idemque Spiritus Sanctus ea "mysteria occulte, atque invisibiliter "operando sanctificet." Ergo missa mali sacerdotis, non minus quam missa sacerdotis boni, valet.

2. A meliori ministro non datur melior baptismus, ut dictum est qu. 64. art. 3. et 67. art. 5. Ergo etiam neque á meliori sacerdote melior missa celebratur.

Conseq. prob., quia sicut baptismus traditur á ministro in virtute Christi qui baptizat, ita et hoc sacramentum in persona Christi consecratur.

3. Missa mali sacerdotis non est mala. Ergo missa boni secerdotis non est melior.

Antecedens probat. Quia *malitia ministrorum non potest redundare in mysteria Christi*, sicut August. in lib. 2. contr. litt. Petiliani. cap. 47. de bapt. dicit.

Conseq. prob. quia sicut merita sacerdotum differunt per bonum et melius,

ita etiam differunt per bonum et malum. Unde si missa mali sacerdotis non est mala; ita nec missa melioris sacerdotis erit melior.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Dicitur 1. quæst. 1. cap. 92. Ipsi sacerdotes. "Quanto sacerdotes fuerint "digniores, tanto facilius in necessita- "tibus, pro quibus clamant, exaudiun- "tur."

Determinatio.

Distinctio. In missa duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum quod est principale; et orationes quæ in missa fiunt pro vivis et mortuis.

Subdistinctio. Orationes quæ fiunt in missa, possunt considerari dupliciter: Uno modo in quantum habent efficaciam ex devotione sacerdotis orantis: alio modo in quantum proferuntur á sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos est minister, quod ministerium etiam in peccatoribus manet, ut artic. præced. dictum est.

1.ª CONCLUSIO. Missa mali sacerdotis quantum ad ipsum sacramentum non minus valet, quam missa boni sacerdotis.

Prob., quia utrobique idem conficitur sacramentum.

2.ª CONCLUSIO. Missa mali sacerdotis quantum ad orationes, ut habent efficaciam ex devotione sacerdotis, est minus fructuosa, quam missa boni sacerdotis.

Hæc relinquitur ut manifesta, et remanet probata ex argumento pro affirmativa.

3.ª CONCLUSIO. Orationes quæ dicuntur á sacerdote malo in missa, et in aliis ecclesiasticis officiis ex persona totius Ecclesiæ, sunt fructuosæ.

Hæc conclusio patet, quia Ecclesia non orat sine fructu.

4.ª CONCLUSIO. Orationes privatæ sacerdotis peccatoris non sunt fructuosæ.

Prob., quia Prov. 28. dicitur: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Greg. loquitur ibi quantum ad sanctitatem divini sacramenti; sic enim missa mali sacerdotis non valet minus, quam missa boni sacerdotis, ut in prima conclusione dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Nam non est simile de baptismo, et de missa. In baptismo enim non fiunt solemnes orationes pro omnibus fidelibus sicut in missa: et ideo in sacramento baptismi unus non confert meliorem baptismum, quam alius, sicut nec in missa unus offert melius sacramentum, quam alius. Tamen missa mali sacerdotis quantum ad orationes, ut habent efficaciam ex ejus devotione, minus valet, quam boni sacerdotis.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod per virtutem Spiritus Sancti qui per unitatem charitatis communicat invicem bona membrorum Christi fit quod bonum privatum quod est in missa sacerdotis boni, sit fructuosum aliis; malum autem privatum unius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliquem consensum, ut August. dicit in lib. 2. cont. Parmenianum, cap. 13. et tract. 5. in Joan.

ARTICULUS VII.

Utrum hæretici, schismatici et excommunicati possint consecrare.

Pro negativa. = Videtur quod hæretici, schismatici et excommunicati Eucharistiam consecrare non possint.

1. Qui sunt ab Ecclesia separati, Eucharistiam consecrare non possunt. Sed hæretici, schismatici et excommunicati sunt ab Ecclesia separati. Ergo hæretici schismatici et excommunicati Eucharistiam consecrare non possunt.

Maior prob., quia August. dicit lib. sentent. cap. 15. Quod *extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii.* Et Leo Papa dicit in ep. 38 et refertur 1. q. 1. c. In Ecclesia Dei. Aliter, scilicet quam in Ecclesia quæ corpus Chris-

ti est, *nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia.*

2. Qui carent sacerdotii dignitate, non possunt Eucharistiam consecrare. Sed hæretici, schismatici et excommunicati carent sacerdotii dignitate. Ergo non possunt Eucharistiam consecrare.

Maior patet, quia Eucharistia consecrari non potest, nisi ab eo qui sacerdotii habet dignitatem.

Minor prob., quia 1. quæst. 1. cap. 74. Arrianos, dicit innoc. Papa; « Arrianos, cæterasque ejusmodi pestes quia « laicos eorum sub imagine pœnitentiæ « suscipimus, non videntur clerici eorum « cum sacerdotii, aut cujuspiam mysterii suscipiendi dignitate esse, quibus « solum baptisma rarum esse permittimus. »

3. Illi qui possunt Eucharistiam consecrare, in persona totius Ecclesiæ agere possunt. Sed hæretici, schismatici et excommunicati non possunt in persona totius Ecclesiæ aliquid agere. Ergo nec possunt Eucharistiam consecrare.

Maior probat., quia sacerdos consecrans Eucharistiam, hoc agit in persona totius Ecclesiæ. Quod patet ex hoc quod omnes orationes proponit in persona Ecclesiæ.

Minor prob., quia illi qui sunt extra Ecclesiam, non videntur aliquid posse agere in persona totius Ecclesiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit lib. 2. contra parmenianum, cap. 33. *Sicut baptismus in eis*, scilicet hæreticis, schismaticis et excommunicatis, *ita ordinatio mansit integra.* Ergo hæretici schismatici et excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod possint consecrare Eucharistiam.

Conseq. prob. quia ex vi ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiam.

Aliter. Illi in quibus integra manet ordinatio, possunt consecrare Eucharistiam. Sed in hæreticis, schismaticis et excommunicatis manet integra ordinatio, ut Aug. dicit. Ergo hi possunt Eucharistiam consecrare.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt, quod hæretici, schismatici et excommunicati, non possunt Eucharistiam consecrare, quia sunt extra Ecclesiam.

Reprobatio.

Sed isti in hoc decipiuntur, quia sicut August dicit 2. contra parm. c. 13. « Aliud est aliquid omnino non habere, « aliud autem non recte habere. » Similiter etiam, « aliud non est dare, et aliud « non recte dare. » Illi igitur qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam in ordinatione sacerdotii, recte quidem habent potestatem, sed non recte ea utuntur, si postmodum per hæresim aut schisma vel per excommunicationem ab Ecclesia separentur. Quia utem sic separati ordinantur ab eo qui potestatem habet, nec recte habent potestatem, etsi eam habeant; nec recte et utuntur. Quod autem utriusque scilicet tam illi qui ordinantur antequam ab Ecclesia separentur, quam illi qui postquam sunt separati, ordinantur ab habente potestatem, potestatem consecrandi habeant, patet per hoc quod sicut August. ibidem dicit: cum redeunt ad unitatem Ecclesiæ, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Illi igitur qui sunt ab Ecclesia separati, si ante separationem fuerint ordinati, recte receperunt potestatem, sed post separationem non recte ea utuntur. Si vero post eorum lapsum fuerunt ordinati ab eo qui potestatem ordinandi habuit, accipiunt quidem potestatem, sed nec recte habent, nec recte ea utuntur; et in hoc decipiebantur auctores dictæ positionis.

Vera sententia.

Conclusio. Hæretici, schismatici et excommunicati qui per ordinationem, consecrandi potestatem, ante lapsum,

vel post lapsum, receperunt, possunt Eucharistiam consecrare; non tamen sacrificii fructum percipiunt.

Prob. Illi qui habent ordinis potestatem, possunt Eucharistiam consecrare; sed si non recte habent, vel non recte ea utuntur, non percipiunt sacrificii fructum. Sed hæretici et schismatici qui ante, vel post lapsum sunt ordinati sacerdotali ordine, habent ordinis potestatem, non tamen eam recte habent, vel saltem non recte ea utuntur. Ergo hæretici, et schismatici ad sacerdotium ordinati possunt Eucharistiam consecrare, et ab eis consecrata hostia verum Christi corpus et sanguinem continet, non tamen possunt sic separati permanentes fructum sacrificii quod est spirituale sacrificium, percipere.

Maior prob., quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens ordinis potestatem.

Minor patet, quoad primam partem, scilicet quod habeant ordinis potestatem, quia ut August. dicit redeuntes ad Ecclesiæ unitatem non reordinantur, quo vero ad aliam partem, quia sic separati peccant recipiendo vel utendo potestate, quam habent, ac per hoc non possunt spiritualem fructum percipere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod auctoritates illæ, et similes intelligendæ sunt quantum ad hoc quod non recte extra Ecclesiam sacrificium offertur. Unde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium quod est verum veritate fructus, licet sacramentum quod offertur extra Ecclesiam, possit esse verum veritate sacramenti, sicut etiam quæst. 80. art. 3. dictum est quod peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, non spiritualiter.

Ad 2. Negatur minor. Habent enim hæretici et schismatici et excommunicati, ordinati ab habente ordinandi potestatem, sacerdotii dignitatem. Ad probationem dicitur, quod hæreticis solum baptisma ratum permittitur, quia possunt licite in casu necessitatis baptizare, dicuntur autem non esse cum dignitate suscipiendi sacerdotium, quia post lapsum non recte hanc suscipiunt dignitatem, nec ea recte uti possunt.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem negatur assumptum, sacerdos enim in missa, in orationibus quidem loquitur in persona totius Ecclesiæ, in cujus unitate consistit, sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per ordinis potestatem; et ideo si sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus Missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi; sed quia est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes ejus efficaciam habere non possunt, quia scilicet ex persona Ecclesiæ, á qua est separatus, eas Deo offerre non potest, vel si sint privatæ, sunt execrabiles, ut art. præced. dictum est.

ARTICULUS VIII.

Utrum sacerdos degradatus possit Eucharistiæ sacramentum conficere.

Pro negativa.=Videtur quod sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum conficere.

1. Qui potest conficere hoc sacramentum, habet consecrandi potestatem. Sed presbyter degradatus non habet consecrandi potestatem, sed solum baptizandi ut dicitur 1. quæst. 1. c. quidam. Ergo presbyter degradatus non potest Eucharistiam consecrare.

2. Episcopus dat presbytero potestatem consecrandi ordinando ipsum. Ergo potest ei consecrandi potestatem auferre degradando ipsum.

Conseq. prob., quia ille qui aliquid dat; potest etiam auferre.

3. Sacerdos per degradationem non amittit tantum executionem potestatis. Ergo amittit etiam potestatem, ac per hoc non potest hoc sacramentum conficere.

Anteced. prob., quia si sacerdos per degradationem amitteret tantum executionem potestatis, non plus amitteret degradatus, quam excommunicatus, qui etiam executione caret.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Si degradatus reconcilietur, non est iterum ordinandus. Ergo per degradationem non amisit potestatem consecrandi, et ita sacerdos degradatus potest consecrare Eucharistiæ sacramentum.

Determinatio.

Conclusio. Sacerdos degradatus potest conficere sacramentum Eucharistiæ.

Prob. Potestas quæ pertinet ad characterem, semel accepta numquam potest amitti. Sed potestas consecrandi pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Ergo potestas consecrandi semel accepta, numquam potest amitti, et sic sacerdos etiam degradatus habet potestatem consecrandi.

Maior prob., quia character quilibet cum detur cum quadam consecratione, indelebilis est, ut dictum est q. 63. art. 5. Sicut et quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt.

Et confirmatur ratio, et conclusio, quia August. dicit lib. 2. contra parmenianum. cap. 13. Utrumque scilicet baptismos et ordo « sacramentum est, et « quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud « cum ordinatur, ideoquæ non licet á « catholicis utrumque iterari. » Sacerdos igitur per degradationem non potest amittere characterem, neque ea quæ ad characterem pertinent, et quia potestas consecrandi ad characterem sacerdotalem pertinet, sequitur quod semel habita non possit aliquo modo auferri.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod canon ille non loquitur assertive, sed inquisitive, sicut ex circumstantia litteræ haberi potest.

Ad 2. Negatur consequentia: episcopus enim non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute; sed instrumentaliter sicut Dei minister, cujus effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. 19. Quod *Deus conjunxit homo non separet.* Et ideo episcopus non potest hanc potestatem, auferre, sicut nec ille qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem. Ad probationem autem dicitur, quod est verum assumptum de eo qui alicui aliquid dat propria virtute, non autem de eo qui aliquid dat ut Dei minister.

Ad 3. Neg. antecedens: amittit enim sacerdos per degradationem tantum executionem. Ad probationem negatur consequentia: nam cum excommunicatio sit medicinalis, excommunicatis non auferatur executio sacerdotalis potestatis quasi in perpetuum, sed ad correctionem usque ad tempus. Degradatis autem auferatur executio, quasi in perpetuum condemnatis, et hoc est plus quod degradatus, quam excommunicatus amittit.

ARTICULUS IX.

Utrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere et eorum missam audire.

Pro affirmativa. — Videtur quod aliquis licite possit communionem recipere á sacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus; et eorum missam audire.

4. Ab his qui verum conficiunt sacramentum, licet communionem, recipere et eorum missam audire. Sed sacerdotes, quamvis sint peccatores, hæretici et excommunicati, verum conficiunt sacramentum. Ergo á sacerdotibus hæreticis, excommunicatis et peccatoribus licet communionem recipere, et eorum missam audire.

Maior prob., quia August. dicit contra Petil. et refertur 1. quæst. 1. cap. « Neque in homine bono, neque in ho-

« mine malo, aliquis Dei fugiat sacra-« menta. »

2. Cum sacrificiis eorum, á quibus verum Christi corpus consecratur, videtur quod illi qui sunt de corpore Christi mystico, possint communicare. Sed á supradictis sacerdotibus verum Christi corpus consecratur. Ergo cum sacrificiis dictorum sacerdotum possunt illi qui sunt de corpore Christi mystico communicare.

Maior prob., quia corpus Christi verum figurativum est corporis mystici, ut dictum est q. 80. art. 4. Unde qui sunt membra corporis Christi mystici, possunt cum his qui verum Christi corpus consecrant, communicare.

3. Non est prohibitum audire missam sacerdotum aliter, quam per fornicationem peccantium. Ergo neque debet esse prohibitum audire missas sacerdotum fornicatorum.

Prob. consequentia. Quia multa peccata sunt graviora, quam sit fornicatio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur dist. 32. c. Nullus. «Nullus « missam audiat sacerdotis, quem indu-« bitanter concubinam novit habere. » Et greg. dicit lib. 3. Dial. cap. 31. Quod « pater perfidus Arrianum episco-« pum misit ad filium, ut de ejus manu « sacrilegæ consecrationis communionem « reciperet. Sed ille vir Deo deditus Ar-« riano episcopo venienti exprobravit, « ut debuit. »

Determinatio.

Conclusio. Non licet accipere communionem ab hæreticis et excommunicatis et á peccatoribus qui sunt per sententiam Ecclesiæ ab executione suorum ordinum privati, nec eorum missas audire.

Probatur 1. Deinde declaratur. Probatur hac ratione. Quicumque communicat alicui in peccato, ipse etiam particeps peccati efficitur. Sed quicumque communionem accipit ab hæreticis et excommunicatis et á peccatoribus qui per sententiam Ecclesiæ sunt ab executione suæ potestatis privati, communicat peccatis eorum. Ergo recipientes sacramentum ab hæreticis et excommunicatis, vel etiam á peccatoribus privatis per Ecclesiæ sententiam executione suæ potestatis efficiuntur participes peccatorum quæ ipsi administrando sacramentum committunt; ac per hoc non licet ab eis communionem accipere, vel eorum missas audire.

Maior prob., quia dicitur in 2. Canon. Joan. Quod *Qui dixerit ei*, scilicet hæretico, *ave*, *communicat*, *operibus illius malignis.*

Minor prob. Ut dictum est art. 5. 7. et 8. Sacerdotes si sint hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, etsi habeant potestatem consecrandi Eucharistiam non tamen ea recte utuntur; sed peccant utentes. Unde qui ab eis communionem recipit, vel eorum missas audit, eorum peccatis communicat.

Declaratur, vero conclusio, quantum ad ultimam partem, scilicet quod á peccatoribus, qui sunt per sententiam Ecclesiæ ab executione suæ potestatis privati, per differentiam quæ est inter hæreticos schismaticos, et excommunicatos ex una parte, et alios peccatores ex altera: hæretici enim, schismatici et excommunicati sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi privati, et ideo peccat quicumque eorum missam audit, vel ab eis accipit sacramenta; sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ executione hujus potestatis privati. Unde peccatores, quamvis sint suspensi quantum ad se, ex sententia divina, non tamen sunt suspensi quantum ad alios ex sententia Ecclesiæ; et ideo usque ad sententiam Ecclesiæ licet ab eis communionem accipere, et eorum missam audire: quia hujusmodi peccatores non sunt vitandi ex propria uniuscujusque suspicione; sed sententia

Ecclesiæ est expectanda. Unde super illud 1. Cor. 5. *Cum hujusmodi, nec cibum sumere*, dicit Glos. ex August. lib. de Utilit. pœnit. «Hoc dicendo noluit "hominem ab homine judicari ex ar- "bitrio suspitionis, vel etiam extraor- "dinario usurpato judicio; sed potius ex "lege Dei, secundum ordinem Eccle- "siæ, sive ultro confessum, sive accusa- "tum et convictum» et hac ratione in conclusione, dum de hæreticis et excommunicatis esset sermo, absolute dictum est, quod non licet ab eis Eucharistiam sumere et eorum missas audire; de peccatoribus autem, non nisi sint per sententiam Ecclesiæ, suæ potestatis executione privati.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ab aliquibus enim, etsi verum conficiant sacramentum, non licet communionem accipere, nec eorum missas audire, ut in corp. dictum est. Ad probationem dicitur, quod in hoc, quod refugimus audire missas talium sacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei sacramenta; sed potius ea veneramur; unde hostia á talibus sacerdotibus consecrata est adoranda, et si reservetur, licite potest summi per manus legitimi sacerdotis: sed refugimus culpam indigne ministrantium.

Ad 2. Negatur maior. Non enim cum sacrificiis omnium, qui verum Christi corpus conficere possunt, debent illi qui sunt de corpore Christi mystico, communicare. Ad probationem dicitur, quod fructus corporis mystici es fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indigne percipiunt, vel ministrant, privantur fructu, ut dictum est quæst. 80. art. 4. Et ideo ex eorum dispensatione non est sumendum sacramentum ab his qui sunt in unitate Ecclesiæ.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod licet fornicatio non sit gravior cæteris peccatis, tamen ad eam proniores sunt propter carnis concupiscentiam: et ideo specialiter hoc peccatum sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, et ne quis audiat missam concubinarii sacerdotis. Sed hoc intelligendum est de notorio, vel per sententiam quæ fertur in convictum, vel per confessionem in jure factam, vel quando non potest peccatum aliqua tergiversatione celari.

ARTICULUS X.

Utrum liceat sacerdoti omnino á consecratione Eucharistiæ abstinere.

Pro affirmativa.=Videtur quod liceat sacerdoti, omnino á consecratione Eucharistiæ abstinere.

1. Sacerdos non tenetur ministrare in aliis sacramentis, nisi propter curam animarum susceptam. Ergo videtur quod nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

Consequentia probat. Quia sicut ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiam consecrare, ita etiam baptizare, et in aliis sacramentis ministrare.

2. Sacerdotes peccatores, et excommunicati non tenentur ad celebrandum. Ergo nec alii sacerdotes ad celebrandum tenentur, ac per hoc licet eis omnino á consecratione abstinere.

Antecedens probat. Nullus tenetur facere quod si non licet, alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel excommicato non licet Eucharistiam consecrare, ut artic. præced. dictum est. Ergo tales non tenentur ad celebrandum.

Consequentia probat., quia alioquin peccatores, et excommunicati ex sua culpa commodum reportarent.

3. Quandoque contingit quod ordinati in sacerdotes incurrunt aliquos defectus, ex quibus á celebratione impediuntur, sicut est lepra, vel morbus caducus, vel aliquid hujusmodi, per quos tamen defectus non perdunt sacerdotalem dignitatem. Ergo videtur quod sacerdotes ad celebrandum non teneantur.

Antecedens quantum ad secundam partem probatur, quia dignitas sacerdotalis

non amittitur per subsequentem infirmitatem: dicit enim Gel. Papa Epist. ad Palladium Episc. et habetur dist. 55. c. " Præcepta canonica, sicut non pa- " tiuntur venire ad sacerdotium debiles " corpore, ita si quis in eo fuerit cons- " titutus, ac tunc fuerit sauciatus, amit- " tere non potest quod tempore suæ sin- " ceritatis accepit. »

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ambrosius dicit in quadam oratione: « grave est quod ad mensam tuam mun- « do corde, et manibus innocentibus non « venimus, sed gravius est si dum pec- « cata metuimus, etiam sacrificium non « reddamus. »

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino á consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commisa celebrare populo, et sacramenta præbere.

Reprobatio.

Sed hoc irrationabiliter dicitur quod ostenditur. Sacerdoti in sua ordinatione datur potestas consecrandi et offerendi Domino sacrificium. Ergo omnis sacerdos tenetur quandoque uti hac potestate sibi data, quando fuerit hoc opportunum.

Conseq. prob., quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. Cor. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Est autem oportunum celebrare sacerdoti non solum curam animarum habenti; sed etiam aliis. Nam oportunitas sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministare; sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti offertur sacrificium.

Vera sententia.

Conclusio. Sacerdoti etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino á consecratione cessare.

Prob. ratione, et auctoritate ratio est qua reprobata est opposita positio quæ est: ei cui data est gratia et protestas consecrandi corpus Domini, non licet omnino á consecratione abstinere. Sed cuilibet sacerdoti, sive habeat, sive non habeat curam animarum, data est in sua ordinatione potestas et gratia consecrandi. Ergo nullus sacerdos debet omnino á consecratione cessare.

Maior prob. Primo ratione generali, quia scilicet unusquisque tenetur uti gratia sibi data, quando fuerit tempus opportunum, ut ex Apost. 2. Cor. 6. dictum est.

Secundo ratione speciali: datur enim sacerdoti potestas consecrandi non solum ut sacramentum Eucharistiæ fidelibus ministret; sed etiam, et principalius ut offerat Domino sacrificium: quod profecto facere quandoque debet, sive habeat sive non habeat animarum curam, ut in vanum Dei gratiam non receperit.

Secundo probatur, conclusio auctoritate. Nam. 2. Machab. 4. Adversus quosdam sacerdotes legitur quod « jam « non circa altaris sacrificia dediti erant « contempto templo et sacrificiis neglec- « tis. »

Videtur autem quod celebrare teneantur in præcipuis saltem festis, et maxime quando fideles communicare consueverunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod non est eadem ratio in proposito de Eucharistia, et de aliis sacramentis. Alia enim sacramenta perficiuntur in usu fidelium: et ideo in aliis ministrare non tenetur, nisi ille qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur, ad quod sacerdos obligatur Deo ex ordine jam suscepto.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod

sacerdotes peccatores sunt in duplici differentia, quidam sunt per sententiam Ecclesiæ executione ordinis privati; vel simpliciter, ut sunt illi qui degradantur vel ad tempus, ut sunt excommunicati; quidam vero non sunt per sententiam Ecclesiæ privati executione suæ potestatis. Si sermo sit de sacerdotibus per sententiam Ecclesiæ privatis executione suæ potestatis, conceditur antecedens; nam hujusmodi sacerdotes redduntur impotentes ad sacrificium offerendum, et ideo obligatio tollitur. Sed negatur consequentia. Ex hoc enim non sequitur quod alii non teneantur. Ad probationem dicitur, quod hæc privatio, non solum non cedit sacerdotibus sic privatis in aliquod emolumentum; sed in magnum detrimentum spiritualis fructus. Si vero sermo sit de sacerdotibus peccatoribus non privatis per Ecclesiæ sententiam executione suæ potestatis, negatur antecedens. Ad cujus probationem, negatur maior, et ad ejus probationem dicitur, quod tales sacerdotes peccatores non solvuntur ab obligatione celebrandi, nec tamen est perplexus, quia potest de peccato pœnitere, et celebrare.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod debilitas, vel ægritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit, executionem tamen ordinis tollit quantum ad consecrationem Eucharistiæ; quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, sicut si privetur oculis, aut digitis, aut usu linguæ; quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis, quandoque propter abominationem; sicut patet de leproso qui non debet publice celebrare, potest tamen missam dicere occultæ, nisi lepra adeo invaluerit quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 82.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Pauperum de Lugduno* dicentium: quod omnis homo justus suæ factionis, etiamsi laicus fuerit, potest consecrare corpus Christi. Et *Lutheri* dicentis, omnes christianos, nulla status, aut sexus discretione facta, esse sacerdotes, et æqualem potestatem habere. Secundum ergo istos (ut patet) non est proprium sacerdotis sacramentalis, idest rite ordinati ab Episcopo, consecrare Eucharistiam: et pro tanto hic adducuntur, et damnantur. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Concilio Lateranensi sub Innocentio III. extra de summa Trinitate, et fide cathol. cap. *firmiter*. " Hoc utique altaris sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos: qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ; quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus, Jesus Christus. » Item á Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. 4. et canon. 1. 6. item sess. 22. cap. 1. et canon. 2. Cujus verba, quoniam alibi explicite adducta sunt, ideo non replicantur. Item ab Ecclesia patenter dicente, in hymno festi corporis Christi. " Sic sacrificium istud instituit: cujus officium committi voluit solis presbyteris. » Item, et quidem á fortiori, damnari à Concilio *Rhemensi*, ut recitatur in Decretis, de consecr. dist. 2. " Pervenit ad notitiam nostram: quod quidam presbyteri in tantum parvipendunt divina mysteria, ut laico, vel fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: et quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committunt. Quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animadvertit pruden-

tia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat: sed omnino presbyter per semetipsum infirmum communicet. » Item, et quidem á fortiori, similiter á Papa Clemente. " Sacerdotum, aliorumque clericorum Ecclesiis servientium honores á laicorum loco discrete apparere, convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat, in eo loco, ubi sacerdotes, et reliqui clerici consistunt, quando missa celebratur, consistere: ut libere, ac honorifice possint sacra officia exercere. » Hæc ille: et recitantur in Decretis, de consecr. distinc. 2. Dixi utrobique ly *a fortiori*; quoniam, si horribile: detestabileque vehementer apud omnes recte sentientes appareat, quod laicus, sive mas, sive fœmina, contingat sacrum Domini corpus, multo utique magis pro horribilissimo, detestabilissimoque monstro habebit universorum bene ratiocinantium prudentia positionem hanc, scilicet quod laicus, vel mulier possit consecrare corpus Domini. Et, si illi, qui permittebant ipsam infandam abusionem, judicantur, et merito, quod valde nimis parvipendebant sacra Dei mysteria: magis utique in immensum de talium parvipensione judicandi meritissime sunt, qui consecrationem corporis Domini laicis, et (quod non eos magis pudet) mulieribus convenire fatentur. Quod autem deduco nunc á fortiori ex illo cap. *Pervenit:* tu quoque similiter (servata proportione) deducas ex illo cap. *Sacerdotum*. Ceterum, si prædictarum hæresum placuerit agnoscere ampliores damnationes, videbis supra articulorum num. 14. Item 2. 2. articulorum num. 81. item Additio. articulorum num. 28. 29. 31. 34. 123. ubique cum Elucid. Item veritates aureas super totam legem veterem, Exo. 28. concl. 1. et num. 3. concl. 3. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem excludas errorem quorumdam dicentium: quod non possunt plures sacerdotes unam et eamdem hostiam consecrare. *Secundo* habes: quomodo per rationem piæ imitationis, quam text. corp. dixit, ostendas, illum merito damnari á consuetudine Ecclesiæ Romanæ, quæ explicata est tum *in arg. cont.* tum in notationibus illis ante argumenta. Et talis Ecclesiæ consuetudo, etiamsi nihil aliud huic suffragaretur, sufficit et ad faciendum positionem illam esse habendam pro errore, et ad condemnationem ipsius erroris. Hoc enim non obscure videtur docuisse Apostolus per hoc, quod ad quamdam quæstionem terminandam, et imponendum silentium contradicentibus, dixit 1. Corinth. 1. *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ecce. Adducit consuetudinem Ecclesiæ Dei, tamquam magnum, quod vere est, sui dicti, de velando capite muliebri, fundamentum, et tamquam validum, quod vere est, pro adversariis convincendis responsum. Vide, quam optime consona huic Apostolicæ doctrinæ sint illa, quæ ex Divo Thoma adduximus supra not. 3. ante argumentum primum, et exam. 2. ac. 3. post argumentum secundum. Porro: quod alii, quicumque sint, Ecclesia docente, tacere debeant ponentes manum suam super os suum, ostendit sanctus Doctor abundanter 2. 2. qu. 11. art. 2. ad 3. Item, et clarius, monstratur ab Ecclesia oppositum prædictæ positionis (et per consequens ab ipsa error ille condemnatur) adhuc oppositum, inquam, demonstrat clarius: quando statuit: quod duo episcopi, scilicet consecrator, et consecratus debent concelebrare, idest, non tantum canonem missæ simul dicere, sed et eamdem hostiam consecrare. Unde in altari eodem sese mutuo expectant; super eamdem numero materiam verba consecrationis dicturi. Hæc certe consuetudo Ecclesiæ tam aperte per se loquitur, quod et Ecclesia vult, quod hi duo eamdem hostiam consecrent, et consequenter, quod de mente Ecclesiæ est, quod plures sacerdotes possunt consecrare eamdem hostiam; ut etiam, si quis ore proferiret, non posset tamen corde concipere contrarium, scilicet, quod Ecclesia in hac sua consuetudine non haberet mentem, qualem nunc diximus. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Papa, Ecclesia, et conciliis, quod ad sacerdotem solum, idest, non ad carentes ordine sacerdotali pertinet dispensatio corporis Christi. A Papa quidem Clemente, ut habes in Decretis, de consecr. dist. 2. c. sacerdotum. Vide hoc recitatum supr. art. 1. append. Per talem enim prohibitionem de laicis, sive maribus, sive fœminis, fac-

tam insinuat multo magis, quod dispensare sacrum corpus Domini non ad laicos, sed ad solum sacerdotem pertinet. A Concil. autem *Rhemensi*, ut patet in Decr. do consecr. dist. 1. c. *pervenit*. Vide verba ejus recitata *in arg. cont.* et diffusius supr. art. 1. append. Ubi ex ipso patet etiam: quod dicere, dispensationem corporis Domini posse pertinere ad laicos, est multum horribile, et detestabile; et consequenter ab oppositis, quod rationi valde consonum est, et commendatione necessario dignum, dicere: quod talis dispensatio ad solum sacerdotem pertinet. A Concilio quoque Trid. solis sacerdotibus datam esse ministrandi potestatem dicitur, sess. 23. cap. 1. " A Domino Salvatore nostro Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus, et sanguinem ejus, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. » Et in cap. 4. definit, laicos non esse sacerdotes. Ab Ecclesia etiam tota insinuatur per ly " Cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, et dent cæteris. » Hæc illa in hymno festi corporis Christi. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem *Lutheri*, ut refert, etc. ut in quæst. 81. art. 1. append. dicentis, quod sacerdotes consecrantes sumere non debent corpus Christi. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari á Concilio Tolet. secundum quod recitatur *in arg, cont.* Ubi valde pondera ly *modis omnibus*. Quod quidem Concilium in damnationem, atque detestationem majorem oppositi, et culpam ejus gravissimam pandit, et pœnam addit, per hæc verba. " Ecce Apostolus dicit. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altari sacrificium oblaturus accesserit, et se á communione suspenderit: ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. » Item á Papa *Gelasio* de sacerdotibus consecrantibus dicente: " Quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstinent. Qui procul dubio aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. » Hæc ille: ut recitatur in Decretis, de consecr. dist. 2. c. *comperimus*. Intellige ly *ab integris arceantur*, secundum quod explanatur á Concilio illo Toletano, idest, quod priventur officio celebrandi missam. Item á Concilio Trident. sess. 13 can. 10. secundum quod recitatur supra quæst. 81. art. 1. append. unde et nonnulla alia pro damnatione prædicti erroris elicere potes. Item ab eodem Trid. sess. 13. c. 8. " In sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici á sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent. Qui mos, tamquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet. » *Tertio* vides: etc. . . . . .

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Joannis Wicleff*, *Joannis Huss*, ut refertur in Concilio Constantiensi sess. 8. 15. dicentis, sacerdos, si est in peccato mortali, non consecrat. Et Valdensium, ut refert Directorium Inquisit. 2. part. quæst. 8. dicentium: sacerdotes rite, et legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos non posse conficere ecclesiastica sacramenta. Et Donatistarum dicentium: sacerdotum malorum, aut impurorum sacramenta nulla esse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á D. Aug. secundum quod est *in arg. cont* Item ab ipso Concilio Constantiensi in ead. sess. 8. et 15. ubi et pronunciat prædictum Wicleff esse hæreticum, et illius ossa mandat exhumari, atque comburi. Et sententiam dictat contra Huss sub forma simili. Item á Papa Joan. XXII. in extravag. quæ incipit. *Gloriosam Ecclesiam*, ut recitatur in eod. Directorio Inquisit. loco eod. citato. Item a Conc. Trid. sess. 7. de sacramentis can. 12. " Si quis dixerit: ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinet, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum: anathema sit. » Item et idem á fortiori damnari á dictis infra in art. 7. textu, et appendice. Item á

dictis, si recte huc inflectantur, sup. art. num. 24. 29. 33. cum Elucid. Et ab Addit. art. num. 74. 76. 78. 103 Eluc. Et á veritatibus aureis super legem veterem, Gen. 41. concl. 4. Item Exod. 32. concl. 5. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et concilio, quod missa boni sacerdotis est melior, seu magis valet, quam mali. A Papa quidem *Alexandro*, secundum quod ponitur *in arg. cont.* A Concilio autem *Toletano* 4. per hoc, quod dicit can. 20. « Abstineamus ergo nos sacerdotes ab omni opere malo, ut mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digni accedere, et Deum pro delictis omnium deprecari. Nisi enim missa boni sacerdotis esset fructuosior ad deprecandum pro delictis, et á simili pro ceteris necessitatibus omnium: non esset, quod concilium post exhortationem ad pure vivendum factam sacerdotibus, subjungeret ly *ut possimus digni pro delictis omnium deprecari.* Liquido igitur constat, mentem concilii ibi esse: quod missa, quam sacrificium Christi vocat, si á bono sacerdote celebretur, est melior, quam si á malo, et hoc, quantum ad efficaciam deprecandi pro omnibus. A scripturis item insinuatur illud per hoc quod in Ps. 144. *Voluntatem timentium se faciet.* Dicitur enim istud et ad ostendendum efficaciam orationis, quæ desiderii voluntatis est interpres. 2. 2. quæst. 8. factæ á timentibus Deum, et ad monstrandam differentiam inter valorem orationis timentium ac non timentium Deum. Ac si dictum fuisset in proposito. Voluntatem bonorum sacerdotum expressam in orationibus missarum á seipsis dictarum Dominus faciet plus admodum, quam sacerdotum malorum. Ubi et secundum regulam topicam, scilicet, " sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis, ad magis, ita maxime ad maxime.» notabis, id, quod etiam sentit præsens articulus, quod voluntatem in missa sacerdotum magis timentium Deum magis faciet, et optimorum adhuc magis, idest, quod missa boni est melior, quam mali, et melioris, est plus melior, et optimi est plus adhuc melior timentium, inquit, Deum, idest, recedentium ab omni peccato, et facientium bene, ut exponitur in lib. Tobiæ cap, 4. et hi procul dubio boni sunt: idem ergo est timere Deum, et esse bonum, et e converso, idest, esse bonum, et timere Deum. Textus enim libri Tobiæ, ut diximus, hanc veritatem docet per hoc, quod dicit cap. 4. *si timuerimus Deum.* Nam, tamquam exponens, quid importet timere Deum, subjungit immediate ly *recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam (qui licet non fuerint hæretici, utpote de quibus verificaretur illud B. Aug. recitatum in 2. 2. q. 1. art. 2. ad 3. tamen hæresis est hæc illorum positio) dicentium: quod hæretici consecrare non possunt. Hæresis enim indubitanter est sententia illa, ad quam necessario sequitur destructio alicujus dogmatis fidei catholicæ. Prædicta autem positio est hujusmodi, ut nunc patebit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concilio *Florentino* per hoc, quod dicit. « Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ characterem idest spirituale quoddam signum á ceteris distinctivum indelebile imprimunt in anima. Unde in eadem persona non reiterantur. » Hæc illud in constitutione super union. Armenor. Character ergo ordinis, cum sit indelebilis, manet semper in hæreticis post ordinem sacerdotii susceptum (ut patet necessario ex prædictis concilii verbis) ergo tales hæretici semper sunt veri sacerdotes, utpote sacerdotii charactere realiter insigniti. Ergo habent semper potestatem consecrandi corpus Christi. Nam talis potestas traditur unicuique ab episcopo, cum ordinatur ad sacerdotium, et per calicis cum vino, patenæque cum pane porrectionem, et per formam verborum, scil. " Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia, » etc. Secundum enim idem concilium in eadem constitutione, tunc ordo presbyteratus confertur. Quod est dicere secundum præmissa concilii verba; et quod tunc character ordinis talis imprimitur, et quod character talis est potestas illa, quam exprimit Episcopus dicens: *Accipe potestatem,* etc. Nec mireris, quod concilium dixerit supra, quod character est signum

et nunc denotet, quod character est potestas, quia utrumque, scilicet quod sit et signum, et potestas, verificatur de charactere: ut patet in q. 63. a. 2. ad 3. Potestas igitur consecrandi, et offerendi, quæ duo insimul jungit Concil. Trid. sess. 23. c. 1. et can. 1. indelebiliter sacerdotibus, postquam semel ad Episcopo taliter promoti fuerint, semper inhæret: alioquin potestas ipsa non esset character sacerdotalis; quod est, ut nunc patuit, contra Concil. Flor. Nec obstat immobilitati præmissæ potestatis, mobilitas voluntatis, quoniam, quantumcumque voluntas in hæresim, vel etiam in apostasiam á fide, moveatur, character non removetur: et hoc propter immobilitatem primi moventis, idest Dei, q. 63. ar. 5. ad secundum. Ex quo loco D. Thomæ patet, quam magna sit bonitas Dei; quæ beneficia grandia, quale est hujusmodi potestas, semel gratis collata hominibus conservat semper in ipsis, etiam si ipsi nolint. Unde et huic tantæ bonitati divinæ opponitur hæresis illa in principio appendicis dicta. Et ideo tanto magis damnanda est: quanto non solum veritatem dogmatum fidei á Concil. Flor. definitam tollit, sed et magnitudinem divinæ bonitatis impugnat. Item damnari á Concil. Trid. per hoc, quod dicit sess. 7. de sacramentis can. 9. " Si quis dixerit; in ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, anathema sit. Et per hoc, quod dicit sess. 2. ca. 4. " Quoniam in sacramento ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere. » Et canon 4. « si quis dixerit, per sacram ordinationem non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit. » Item damnari á D. Aug. ut cum discursu ponitur *in arg. cont. Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem interimas, hæresim quorumdam, qui licet non, etc. ut in a. 7. app. dicentium: quod degradati non possunt consecrare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á D. Aug. ut cum explicatione ponitur *in arg. contr.* Item ab eodem á fortiori, ut *in art.* 7. app. *cont.* Nam si de hæreticis verificatur, quod possint consecrare: multo utique magis de degradatis, quoniam pejores sunt, et plus extra Ecclesiam hæretici, cum et omnium infidelium deteriores existant, 2. 2. quæst. 10. art. 6 quam degradati. Peccant tamen etiam degradati conficiendo: sicut de aliis ab Ecclesia separatis dictum est art. 7. Item damnari á Conciliis Florentino, et Tridentino, secundum quod prudens, discurrendo ex dictis in ar. 7. app. ad propositum præsens, facile judicabit. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Papa *Nicolao*, *Gregorio*, et Concilio, quod nullus hæreticorum, aliorumque prædictorum debet audire missas, aut ab eis sacramentum Eucharistiæ recipere. A Papa quidem Nicolao, ut recitantur dist. 32. c. Nullus. A S. Gregorio autem, ut legitur in 3. dial. c. 31. secundum quod de utrisque patet *in arg. contr.* Imo idem Nicolaus ad majorem præmissæ suæ sententiæ dicit. " Sacerdotes, si in fornicationis ceciderint laqueum, et criminis manifestus sit actus, sacerdotii honorem habere non possunt, secundum canonicæ institutionis authoritatem. » Hæc ille, quæ et recitantur distin. 50. Expone ly honorem sacerdotii, idest executionem officii sacerdotalis, puta dicere missam, etc. Quomodo autem intelligenda sint præmissa, idem Nicolaus quasi exponens semetipsum respondendo ad consulta Bulgarorum inquit; " sciscitantibus vobis: si á sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus, debeatis communionem recipere, necne. Respondemus. Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere; quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualiscumque enim sacerdos sit: quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Id circo ab eo, quousque judicio episcoporum reprobetur, communio percipienda est. Quoniam mali bona administrando, se tantummodo lædunt. Et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat; et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo intrepi-

de ab omni sacerdote Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. » Hæc ille; quae et recitantur in decretis, 15. quaest. 8. A Concilio quoque Tridentino, per hoc, quod dicit sess. 22. decr. de, etc. celebr. missae. " Episcopi neminem, qui publice, et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo destruas errorem illorum, qui dicunt id, quod in principio tex. corp. ponitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas illum merito damnari á B. Ambrosio, secundum quod recitatur *in arg. cont.* Ubi diligenti consideratione pondera, quantam gravitatem peccati incurrere sacerdotem omnino á celebratione cessantem, sentiat ipse Ambrosius, quando respectu sacerdotis immundo corde, impurisque manibus celebrantis gravius esse dicit, non reddere sacrificium, idest, ut verbis tex. utamur, á consecratione Eucharistiæ, seu á celebratione missæ, omnino abstinere. Item ad facilius penetrandum ly *si dum peccata mentuimus, sacrificium non reddamus*, notabis verba Cyrilli super Joannem, quibus, tamquam á simili, et ipse damnat errorem prædictum. Sunt vero hujusmodi. « Sciant baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet, omnibus viribus á peccato mundari, et recte vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendum vitam concurrere. » In quibus tu ea ad propositum istud suaviter inflectendo pro ly mystice comunicare Christo, dices celebrare, et pro ly ad sumendam vitam concurrere; dices ad celebrandum missam concurrere. Item á Concilio Trid. per hoc, quod dicit sessione vigesima tertia capite decimo quarto, de reformatione: curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, et festis solemnibus: si autem curam habuerint animarum; tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missa celebrent. » Ubi et de curatis secundo loco, ut patet, et de non curatis sacerdotibus primo loquitur. *Secundo* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA TERTIA,

DE RITU HUJUS SACRAMENTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ritu hujus sacramenti: et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum in celebratione hujus mysterii Christus immoletur.

Secundo, de tempore celebrationis.

Tertio, de loco, et aliis, quæ pertinent ad apparatum hujus celebrationis.

Quarto, de his, quæ in celebratione hujus mysterii dicuntur.

Quinto, de his quæ circa celebrationem hujus sacramenti fiunt.

Sexto, de defectibus, qui circa celebrationem hujus sacramenti occurrunt.

ARTICULUS I.

Utrum in sacramento Eucharistiæ Christus immoletur.

Pro negativa.=Videtur, quod in celebratione hujus sacramenti Christus non immoletur.

1. Hebræorum cap. 10. dicitur: quod Christus una oblatione (quæ fuit ejus immolatio) « consummavit in sempiternum sanctificatos. » Ergo Christus non immolatur in celebratione sacramenti Eucharistiæ.

2. In celebratione hujus sacramenti Christus non crucifigitur. Ergo in celebratione hujus sacramenti Christus non immolatur.

Conseq. probatur, quia immolatio

Christi facta est in cruce, « in qua tra-« dit semetipsum oblationem et hostiam « Deo in odorem suavitatis, » ut dicitur ad Ephes. 5.

3. « In immolatione Christi idem est « sacerdos et hostia, » ut August. dicit in 4. de Trin. cap. 14. Sed in celebratione hujus sacramenti non est idem sacerdos, et hostia. Ergo celebratio hujus sacramenti non est Christi immolatio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in lib. sent. Prosp. et et habetur, de consec. dist. 2. c. « Semel. « immolatus est in semetipso Christus, « et tamen quotidie immolatur in sacra-« mento. »

Determinatio.

Conclusio. Celebratio sacramenti Eucharistiæ dicitur immolatio Christi.

Probatur dupliciter. Primo, imago repræsentativa passionis Christi quæ vera Christi immolatio fuit, convenienter dicitur Christi immolatio. Sed celebratio sacramenti Eucharistiæ est imago quædam repræsentativa passionis Christi quæ vera Christi immolatio fuit. Ergo celebratio hujus sacramenti immolatio Christi convenienter dicitur.

Maior prob. Quia sicut dicit August. lib. Qq. q. 3. ad Simplicium: " solent " imagines earum rerum nominibus ap-" pellari, quarum imagines sunt, sicut " cum intuentes tabulam, aut parietem " pictum, dicimus: ille est Cicero, et ille " Salustius. » Imago igitur veræ immolationis Christi immolatio dicitur.

Et confirmatur ratio, quia Ambr. dicit super Epist. ad Heb. cap. 10. " In " Christo semel oblata est hostia ad sa-" lutem sempiternam potens, quid ergo " nos? Nonne per singulos dies offeri-" mus? sed ad recordationem mortis " ejus. »

Secundo probatur conclusio: illud per quod efficimur participes fructus passionis Christi, convenienter dicitur Christi immolatio. Sed per celebrationem hujus sacramenti efficimur participes fructus passionis Christi quæ ejus immolatio fuit. Ergo celebratio hujus sacramenti dici debet Christi immolatio.

Minor prob., quia in quadam Dominicali secreta oratione, scilicet Dominicæ septimæ post oct. Trin. dicitur: *quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur.*

Est tamen differentia inter has duas inductas rationes. Quia enim prima ostendit quod celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi ex hoc, quod est imago veræ immolationis, sequitur quod etiam in sacrificiis antiquæ legis Christus immolaretur, quia etiam illa sacrificia erant repræsentativa passionis Christi. Unde et Apoc. 13. dicitur: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi.* Quia vero secunda ratio procedit ex hoc quod per celebrationem hujus sacramenti percipimus fructum Dominicæ passionis, quantum ad hoc solum celebratio hujus mysterii potest dici Christi immolatio, et non sacrificia antiquæ legis, quia in celebratione illorum sacrificiorum non percipiebatur fructus nostræ redemptionis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. Quod sicut Ambr. dicit loc. cit. in corp. *Una est hostia*, quam scilicet Christus obtulit, et nos offerimus; *et non multæ, quia semel oblatus est Christus*; hoc autem sacrificium exemplum illius est. Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Negatur igitur consequentia; idem est enim sacrificium quod obtulit Christus, et quod nos offerimus.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in celebratione hujus sacramenti non crucifigitur Christus; repræsentatur tamen Christi crucifixio. Ipsa enim celebratio est repræsentativa passionis, et altare

representat crucem, in qua Christus fuit immolatus.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod etsi in celebratione hujus sacramenti, non sit idem hostia et sacerdos, tamen celebrans repræsentat Christum qui fuit sacerdos et hostia; in persona enim Christi verba ad consecrandum pronunciat; et ita etiam in celebratione hujus mysterii est idem sacerdos et hostia.

ARTICULUS II.

Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis sacramenti Eucharistiæ.

Pro negativa.=Videtur, quod non convenienter sit determinatum tempus celebrationis hujus mysterii.

1. Sacramentum Eucharistiæ est repræsentativum dominicæ passionis. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari, nisi semel anno.

Consequentia prob. Quia commemoratio Dominicæ passionis fit in Ecclesia semel in anno: dicit enim August. in 2. præfat. super Psalm. 21. "Quoties-"cumque Pascha celebratur, numquid "toties Christus occiditur? Sed tamen "anniversaria recordatio repræsentat "quod olim factum est, et sic nos facit "moneri tamquam videamus in cruce "pendentem Dominum."

2. Passio Christi commemoratur in Ecclesia feria sexta ante Pascha, non autem in festo Natalis. Ergo inconveniens videtur quod hoc sacramentum quod est commemorativum Dominicæ passionis, ter in die Natalis celebretur, et in parasceve totaliter intermittatur.

3. Christus consecravit hoc sacramentum in sero. Ergo videtur quod in sero et non in mane hoc sacramentum debeat celebrari.

Consequentia prob., quia in celebratione hujus sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi.

4. Leo Papa scribit Epist. 81. cap. 2. Dioscoro Alexandrino Episcopo, et habetur de consecrat. distin. 1. c. Necesse est. Quod *in prima parte diei missas celebrare licet.* Ergo videtur quod etiam post mediam noctem liceat celebrare.

Consequentia prob., quia dies incipit á media nocte.

5. In oratione secreta Dominicæ septimæ post oct. Trin. dicitur: *Concede nobis Domine quæsumus hæc frequentare mysteria.* Ergo videtur quod non debeat prohiberi sacerdos, ne pluries in die celebrare possit.

Consequentia prob., quia maior erit frequentia, si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est consuetudo, quam servat Ecclesia, secundum canonum statuta.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter determinatum est tempus celebrationis mysterii Eucharistiæ, ut sit quotidiana ab hora tertia usque ad horam nonam.

Probat. In sacrificio Eucharistiæ attenditur participatio fructus Dominicæ passionis et repræsentatio ejusdem passionis, ut dictum est art. præced. Ergo celebratio hujus sacrificii debet esse quotidiana, et ab hora tertia usque ad horam nonam.

Consequentia quoad primam partem probatur, quia fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus; quotidie in Ecclesia hoc sacramentum regulariter offerri debet. Unde et Dominus nos Lucæ 11. petere docet. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod exponens August. in lib. de verb. Dom. serm. 28. dicit: "Si "quotidianus est panis, cur post annum "illum sumas, quemadmodum græci in "oriente facere consueverunt? accipe "quotidie quod quotidie tibi prosit."

Quantum vero ad secundam partem, probatur consequentia, quia Dominica passionis celebrata est á tertia hora, us-

que ad nonam, ideo regulariter in illa parte dici solemniter in Ecclesia hoc sacramentum celebratur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, qmod passio Christi dupliciter repræsentari potest. Uno modo secundum quod in ipso capite nostro fuit effecta. Alio modo secundum quod ejus effectus ad fideles derivatur. Primo modo repræsentatur semel in anno, quia semel Christus passus est. Secundo modo repræsentatur quotidie, quia quotidie fideles fructum Dominicæ passionis percipiunt.

Ad 2. Dicitur antecedens, quod hoc sacramentum est figura quædam, et exemplum Dominicæ passionis, ut dictum est supra, artic. præced. et quia præsente veritate cessat figura, ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito sit, corpus Christi consecratum die præcedenti reservatur, sumendum in illo die: sanguis autem non reservatur, tum propter periculum effusionis, tum etiam quia sanguis specialius est imago Dominicæ passionis, ut dictum est quæst. 78. art. 3. ad 2. ideo sanguis illo die, nec consecrari, nec reservari debuit.

Nec est verum quod quidam dicunt quod per immissionem particulæ corporis Christi in vinum, vinum convertatur in sanguinem. Hæc enim conversio aliter fieri non potest, nisi per consecrationem factam sub debita forma verborum. Et hæc est ratio prioris partis antecedentis, scilicet quare in feria sexta non celebretur consecratio hujus sacramenti. Quia scilicet illo die celebratur memoria ipsius passionis Christi, ut secundum veritatem effecta fuit.

In die autem Nativit. Domini tres missæ celebrantur propter triplicem Christi Nativitatem, quarum una est æterna quæ quantum ad nos est occulta, et ideo una missa cantatur in nocte, in cujus introitu dicitur: *Dominus dixit ad me filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur *tamquam Lucifer in cordibus nostris*, ut dicitur 2. Pet. 1. et propter hoc cantatur missa in aurora, in cujus introitu dicitur. *Lux fulgebit hodie super nos.* Tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis, secundum quam nobis processit visibilis ex utero virginali, carne indutus; et propter hoc cantatur tertia missa in clara luce, in cujus introitu dicitur: *Puer natus est nobis.*

Quamvis etiam é converso possit dici quod quia Nativitas æterna secundum se est plena luce, ideo tertia missa in cujus Evangelio fit mentio de Christi æterna nativitate, in plena luce cantatur. Quia vero secundum nativitatem corporalem ad litteram natus est de nocte in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostræ, in missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi nativitate: missa vero auroræ semper temporalem spiritualem Christi nativitatem repræsentat. Celebrantur igitur in die Natalis tres missæ ad recolendam triplicem Christi Nativitatem, sicut etiam in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures missæ celebrantur in die, puta una pro festo, et alia pro jejunio, vel pro mortuis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Christus voluit ultimo hoc sacramentum discipulis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur, sicut dictum est quæst. 73. art. 5. Et ideo post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecravit, et discipulis suis tradidit. A nobis tamen celebratur hora dominicæ passionis, scilicet diebus festis in hora tertia, quando crucifixus est linguis judæorum, ut dicitur Marc. 1. Et quando Spiritus Sanctus descendit

super discipulos; vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est in manibus militum, ut habetur Jo. 19. Vel diebus jejuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit spiritum, ut dicitur Matt. 27. Potest tamen tardari, maxime quando sunt ordinationes faciendæ, et præcipue Sabbato sancto, tum propter prolixitatem officii, tum quia ordines pertinent ad diem Dominicam, ut habetur dist. 75. c. *Quod á patribus.* Possunt tamen missæ celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur de consec. dist. 1. c. *Necesse est*, etc.

Ad 4. Neg. conseq. Debet enim regulariter missa celebrari in die et non in nocte, quia in hoc sacramento est præsens ipse Christus qui Joan. 9. dicit: "Me oportet operari opera ejus qui mi- "sit me, donec dies est, venit nox, "quando nemo potest operari, quamdiu "in mundo sum, lux sum mundi." Ad probationem dicitur, quod principium diei, de quo est sermo non accipitur á media nocte, nec etiam ab ortu solis, idest quando substantia solis apparet super terram; sed quando incipit apparere aurora; tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet; unde Marc. 16. dicitur, quod *mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole*; cum tamen venerint, *cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*, ut dicitur Joan. 20. Sic enim hanc contrarietatem solvit August. in lib. 3. de consensu Evangel. cap. 27. Specialiter tamen in nocte Natalis Domini missa celebratur propter hoc quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur de consec. dist. 1. c. *Nocte*. Et similiter etiam in sabbato sancto circa noctis principium propter hoc quod Dominus nocte surrexit, idest cum adhuc tenebræessent ante solis ortum.

Ad 5. Dicitur, quod sicut habetur de consec. dist. 1. ex decreto Alexan. Papæ c. "Sufficit sacerdoti unam missam "in die una celebrare, quia Christus se- "mel passus est, et totum mundum re- "demit, et valde fœlix est qui unam "digne celebrare potest. Quidam tamen "pro defunctis unam faciunt, alteram de "die, si necesse sit. Qui vero pro pe- "cunia, aut adulationibus sæcularium "una die præsumunt plures celebrare "missas, non æstimo evadere damna- "tionem," et extra de celeb. missarum in decret lib. 3. tit. 41. c. Consuluisti, Innoc. 3. dicit quod "exceptio die Na- "tivitatis Dominicæ (nisi causa neces- "sitatis suadeat) sufficit sacerdoti semel "in die unam missam solummodo cele- "brare." Collecta igitur citata, non est intelligenda de frequentatione, ut plures in die hoc sacramentum celebretur, sed de frequentatione quotidiana; et petimus quod concedatur nobis, ut per singulos dies hoc sacrificium ei offerre possimus.

ARTICULUS III.

Utrum oporteat sacramentum Eucharistiæ celebrari in domo et vasis sacris.

Pro negativa. = Videtur quod non oporteat hoc sacramentum celebrari in domo et vasis sacris.

1. Christus non est passus in domo; sed extra portam civitatis, secundum illud Heb. ult. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Ergo videtur quod hoc sacramentum non debeat celebrari in domo; sed magis sub divo.

Consequentia prob., quia hoc sacramentum est repræsentativum Dominicæ passionis.

2. Domus in qua primo Christus hoc sacramentum confecit, non erat consecrata; sed fuit quoddam commune cœnaculum á quodam patrefamilias præparatum, ut habetur, Luc. 22. Legitur etiam Act. 2. Quod "Apostoli erant perdu- "rantes unanimiter in templo, et fran- "gentes circa domos panem, et sume- "bant cibum cum exultatione." Ergo nec nunc oportet domos esse consecratas,

in quibus hoc sacramentum celebratur.

Consequentia probatur, quia in celebratione hujus sacramenti debet Ecclesia imitari morem Christi et Apostolorum.

3. Frustra videtur adhiberi consecratio Ecclesiæ, vel altari, et hujusmodi rebus inanimatis. Ergo inconvenienter hujusmodi consecrationes in Ecclesia fiunt.

Antecedens prob., quia res inanimatæ non sunt susceptivæ gratiæ, vel spiritualis virtutis.

Consequentia probat., quia in Ecclesia quæ á Spiritu Sancto gubernatur, nihil frustra fieri debet.

4. Ecclesia, vel altare opere humano consecratur, sicut calix et ministri et alia hujusmodi, quorum consecrationes non recoluntur solemniter in Ecclesia. Ergo neque consecratio Ecclesiæ, vel altaris cum solemnitate recoli debet.

Consequentia prob., quia solum divina opera debent recoli cum quadam solemnitate, secundum illud Psalm. 91. *In operibus manuum tuarum exultabo.*

5. In veteri testamento quod gerebat figuram novi, non fiebat altare de lapidibus sectis, dicitur enim Exod. 20. "Altare de terra facietis mihi: quod si "altare lapideum feceris mihi, non ædi- "ficabis illud de sectis lapidibus." Exod. etiam 27. Mandatur fieri altare *de lignis sethim vestitis ære, vel etiam auro*, ut habetur Exod. 25. Ergo videtur inconvenienter observari in Ecclesia quod altare fiat solum de lapide.

Conseq. prob., quia veritas debet respondere figuræ.

6. Calix cum patena repræsentat sepulchrum Christi quod fuit excisum in petra, ut in Evangeliis habetur. Ergo calix debet de petra fieri, et non solum de auro, vel argento, vel stanno.

7. Calix debet fieri de auro. Ergo pallæ altaris debent fieri de serico, et non solum de panno lineo.

Probatur consequentia, quia sicut aurum pretiosius est inter materias vasorum, ita panni serici pretiosiores sunt inter pannos.

8. Si circa dispensationem rerum temporalium aliquid fiat contra statuta principum temporalium, habetur irritum. Ergo si circa dispensationem spiritualium aliquid fiat contra ea quæ ordinata sunt per Ecclesiæ prælatos, erit irritum; et sic si supradicta, scilicet quod hoc sacramentum celebretur in loco et vasis sacris, convenienter sint instituta á prælatis Ecclesiæ, erit irritum id quod contra has prælatorum ordinationes fit. Quod est inconveniens dicere. Ergo non videtur conveniens quod hæc circa celebrationem hujus sacramenti fuerint statuta.

Prima consequentia prob. Quia dispensatio sacramentorum, et ordinatio eorumdem ad ministros Ecclesiæ pertinet, sicut dispensatio rerum temporalium subjacet ordinationi principum secularium. Unde et Apost. dicit 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Quod autem inconveniens sit quod quicquid in hoc sacramento fit, præter ordinationes prælatorum, sit irritum; ostenditur, quia si sine prædictis corpus Christi confici non posset, videtur sequi quod verba Christi non sint sufficientia ad hoc sacramentum conficiendum.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Ea quæ sunt ab Ecclesia ordinata, sunt convenientia. Sed quod hoc sacramentum celebretur in domo, et vasis sacris, est ab Ecclesia ordinatum, ut ex dictis patet, et ex dicendis patebit. Ergo hoc sacramentum debet celebrari in domo et vasis sacris.

Maior prob., quia ea quæ ad Ecclesia statuuntur, ordinantur á Christo qui dicit Matth. 18. *Ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Eucharis-

tiæ debet celebrari in domo, altari et vasis sacris.

Manifestatur: nam in sacramento Eucharistiæ continetur Christus non solum in figura, sed secundum veritatem; et iterum in hujus sacramenti celebratione repræsentantur ea quæ circa Dominicam passionem sunt acta, et ratione utriusque, hoc sacramentum debet celebrari in vasis sacris: quia enim Christus in hoc sacramento continetur ea in quibus celebratur, debent esse sancta, propter sacramenti reverentiam; et etiam ad repræsentandum effectum Dominicæ passionis, qui est sanctificatio fidelium, secundum illud Heb. ult. *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum*, etc. Debent ea quæ hoc sacramentum circumstant, quæ sunt locus et vasa sanctificata esse per consecrationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Regulariter enim hoc sacramentum debet celebrari in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud 1. Tim. 3. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est Ecclesia Dei vivi*; extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificii, ut ex August. sentent. cap. 15. dicitur: et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis judaicæ; sed in universo mundo erat fundanda; ideo passio Christi non est celebrata intra civitatem judæorum; sed sub divo, ut sic totus mundus se haberet, ad passionem Christi, ut domus celebrata: igitur fuit passio Christi sub divo, ut significaretur fructus passionis ejus universo mundo profuturum. Hoc autem sacramentum celebratur in domo sacra ad significandum quod solum in Ecclesia quæ per domum signatur, hoc sacramentum est celebrandum. Ad probationem igitur consequentiæ dicitur, quod ex hoc quod hoc sacramentum est repræsentativum Dominicæ passionis, non sequitur quod debeat celebrari sub divo, sicut fuit celebrata passio Christi, propter repræsentationem diversorum mysteriorum, ut dictum est. Conceditur tamen "in itinere positis, si Ecclesia defuerit, sub "divo, seu in tentorio, si tabula altaris "consecrata, cæteraque sacra mysteria "ad id officium pertinentia ibi affuerint, "missarum solemnia celebrare," ut patet de consecrat. dist. 1. c. *Concedimus*.

Ad 2. Negatur consequentia quantum ad priorem partem: ex hoc enim quod Christus celebravit hoc mysterium in domo non consecrata, non sequitur quod debeat á nobis in domo non consecrata celebrari: domus enim debet consecrari ad repræsentandum sanctificationem, quam Ecclesia significata per domum, per passionem, Christi est consecuta, et etiam ad significandam sanctitatem quæ requiritur in his qui hoc sacramentum suscipere debent, debet etiam esse consecratum altare, quia altare, quia altare significat Christum, de quo dicit Apost. Heb. ult. *Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo*; consecratio autem altaris significat sanctitatem Christi. De qua dicitur Luc. 1. Quod enim *ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*. Unde regulariter non licet celebrare hoc mysterium, nisi in domibus et altaribus consecratis, licet propter necessitatem possit hoc sacramentum peragi etiam in domibus non consecratis, de quibus omnibus habetur de consec. dist. 1. cap. altaris. Altare tamen semper debet esse consecratum, unde in necessitate sufficit altare portabile consecratum in quo debent esse sanctorum reliquiæ reconditæ, ut in eadem dist. habetur. Domum autem, in qua Christus celebravit, non oportuit esse consecratam, neque mensam; et de domo quidem, cujus consecratio Ecclesiæ sanctificationem significat, quia Ecclesia nondum erat fundata, sed per passionem Christi fundanda. Mensa vero non erat consecranda, quia aderat ipse Christus qui erat fons totius sanctitatis, unde non erat

necessaria figura, præsente figurato, ut ad 2. præced. articul. dictum est. Quantum vero ad aliam partem, negatur antecedens. Nam verisimile est Apostolos consecrasse domos et vasa, in quibus hoc sacramentum celebrabant, ex quorum traditione Ecclesia consecrationes eorum quæ ad celebrationem tanti mysterii requiruntur, ordinavit.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Ecclesia et altare et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva; sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta divino cultui reddantur, ut scilicet homines devotionem quamdam inde percipiant, ut sint paratiores ad divina. Unde 2. Machab. 3. dicitur: « vere Dei vir- « tus quædam est in loco; nam ipse qui « habet in cœlis habitationem, visitator « et adjutor est loci illius, et inde est quod hæc ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur, et eadem ratione ecclesiæ quæ sanguinis effusione, aut cujuscumque semine pollutæ fuerint, reconciliantur, ut dicitur de consec. d. 1. c. Eccl. Arrianorum, quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua inimici operatio: et ideo quidam probabiliter dicunt quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquæ benedictæ, inducentes illud Psal. 84. « Benedixisti, domine, « terram tuam, remisisti iniquitatem ple- « bis tuæ. » Unde propter virtutem quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non reiteratur, ut in ead. dist. habetur cap. 18. Ecclesia semel. Ex Niceno Concil. 2. et eadem dist. c. Eccles. vel altar. Quod Ecclesiæ, de quarum consecratione ambigitur, debent iterum consecrari. Et eadem dist. cap. 36. ligna Eccles. quod ligna Ecclesiæ consecratæ non debent in prophanum usum converti; sed potius sunt combrenda, sicut etiam palla altaris, et candelabrum, si sint vetustate consumpta, ut habetur eadem distin. cap. 30. Altaris palla.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod consecratio Ecclesiæ et altaris, cum habeat spiritualem virtutem, non est opus solius hominis; sed Dei virtute ab homine agitur. Convenientius autem cum solemnitate recolitur consecratio Ecclesiæ et altaris, quam aliorum quæ consecrantur, quia consecratio altaris repræsentat sanctitatem Christi: consecratio vero domus, sanctitatem totius Ecclesiæ; propter quod etiam octo diebus solemnitas dedicationis agitur, ad significandam beatam resurrectionem Christi et membrorum Ecclesiæ. Unde de consecr. dist. dist 1. c. « Solemnitates dedicationis Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ. Quod autem octo diebus Encenia sint celebranda in lib. 3. Reg. cap. 8. perfecta dedicatione templi reperies.

Ad 5. Negatur consequentia. Altaria enim, in quibus hoc sacramentum celebratur, debent esse lapidea, ut habetur de consecr. dis. 1. cap. 29. Altaria, quod competit significationi et usui hujus sacramenti; significationi quidem, quia *altare significat Christum qui est petra*, ut dicitur 1. cor. 10. Et etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Usui vero, quia lapis est solidus, et de facili potest inveniri ubique; in veteri autem lege hoc non erat necessarium, quia in uno loco tantum erat altare. Quod autem mandatur; ut altare fieret de terra, vel de lapidibus insectis, fuit ad idololatriam removendam ut alibi diffuse dictum est. Unde ad probationem consecuentiæ dicitur, quod non est necesse figuratum in omnibus figuræ respondere; alioquin figura figuratum esset dicenda.

Ad 6. Dicitur ad antecedens, quod sicut dicitur, de consec. distin. 1. cap. Vasa. « Quidam sacerdotes non aureis

« sed ligneis calicibus utebantur. Ze-« pherinus autem Papa patenis vitreis « missam celebrari constituit deinde « Urbanus omnia fecit argentea, » post-modum autem statutum est « ut calix « domini cum patena, sive ex auro om-« nino, sive ex argento fiat, vel saltem « calix stanneus habeatur. De ære au-« tem, aut ex auricalco non fiat, quia hoc « vini virtute rubiginem parit, et vomi-« tum provocat. Nullus autem in ligneo « seu vitreo calice præsumat missam « cantare, » quia lignum porosum est, et sanguis consecratus in eo remaneret vi-trum autem fragile est, et posset frac-tionis periculum imminere, et eadem ra-tio est de lapide: debet igitur ex præ-dictis tantum materiis fieri.

Ad 7. Negatur conseq. Ad probatio-nem dicitur, quod in his quæ assumun-tur ad celebrationem hujus sacramenti, magis attendi debet repræsentatio pas-sionis Christi, quam pretiositas materiæ, et ideo Ecclesia ubi potuit sine periculo fieri statuit id quod expressius repræ-sentat passionem Christi; et quia nullum periculum imminet ex hoc quod corpus ponitur in corporali lineo; Ecclesia uti-tur lineo corporali ad repræsentandum quod corpus Christi in sindone fuit invo-lutum: si autem sanguis ponatur in ca-lice lapideo, aut vitreo, aut ligneo, im-minet periculum; ideo Ecclesia statuit quod ex auro, argento, vel stanno fiat calix, ut habetur de consecr. d. 1. c. 44. Consulto, et etiam pannus lineus significat puritatem conscientiæ qua sa-cramentum sumi debet, et passionem Christi, propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur.

Ad 8. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod aliud est loqui de dispensatione, et aliud est loqui de consecratione sa-cramentorum, dispensatio est pertinens ad ministros; consecratio autem est á Deo; et ideo ministri non possunt ali-quid statuere circa formam consecratio-nis; sed solum circa usum sacramenti, et modum celebrandi. Et ideo sacerdos, si verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione conse-crandi, absque omnibus prædictis, sci-licet domo, altari et calice et corporali consecratis per Ecclesiam institutis, con-secrat quidem in rei veritate; graviter tamen peccat non servans Ecclesiæ sta-tutum. Dispensatio autem rerum tem-poralium est omnimode á principe, et ideo irritum est quicquid contra eorum statutum fiat sicut irritum esset, quic-quid fieret in sacramentis, si non serva-retur forma á Deo instituta.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter ordinentur ea quæ circa sacramentum Eu-charistiæ dicuntur.

Pro negativa. = Videtur quod non convenienter ordinentur ea quæ circa hoc sacramentum dicuntur.

1. Sacramentum Eucharistiæ verbis Christi consecratur, ut Amb. dicit in lib. de sacram. Ergo non debent aliqua alia in hoc sacramento dici, quam verba Christi.

2. Quædam dicuntur circa consecra-tionem hujus sacramenti quæ in evan-geliis non ponuntur: non enim legitur in evangelio quod Christus in consecratione hujus sacramenti oculos ad cœlum leva-verit: nec dicitur *accepite, et comedite*, nec (*omnes*) et tamen in consecratione hujus sacramenti dicitur: *elevatis oculis in cœlum*, et iterum, *accipite et manduc-cate ex hoc omnes*. Ergo inconvenienter hujusmodi verba dicuntur in celebratio-ne hujus sacramenti.

Conseq. probat., quia verba et facta Christi nobis per evangelium innotes-cunt.

3. In celebratione aliorum sacramen-torum non fit communis oratio pro salu-te fidelium defunctorum. Ergo inconve-nienter fit in hoc sacramento.

Consequentia probatatur, quia omnia sacramenta ordinantur ad salutem fide-lium.

4. Baptismus specialiter dicitur fidei sacramentum. Ergo ea quæ pertinent ad instructionem fidei, ut sunt doctrina Apostolorum et evangelia, magis debent circa baptismum, quam circa hoc sacramentum tradi.

5. In omni sacramento exigitur devotio fidelium. Ergo non magis in hoc sacramento, quam in aliis deberet excitari devotio fidelium per laudes divinas et per admonitiones, puta cum dicitur: *Sursum corda*, et gratias agamus Domino Deo nostro.

6. Minister hujus sacramenti est sacerdos, ut dictum est quæst. præced. art. 1. Ergo omnia quæ in hoc sacramento dicuntur, á sacerdote dici debent, et non quædam á ministris, et quædam á choro.

7. Hoc sacramentum per certitudinem operatur virtus divina. Ergo superflue sacerdos petit hujus sacramenti perfectionem, cum dicit: *quam oblationem tu Deus*, etc.

8. Sacrificium novæ legis multo excellentius est, quam sacrificium antiquorum patrum. Ergo inconvenienter sacerdos petit quod hoc sacrificium acceptum habeatur, sicut sacrificium Abel, Abrahæ et Melchisedech.

9. Corpus Christi, sicut non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem, ut supra dictum est quæst. 75. art. 2. ita etiam nec esse desinit. Ergo inconvenienter sacerdos petit, « jube hæc « perferri per manus sancti Angeli tui « in sublime altare tuum. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur de consec. dist. 1. c. « Jacobus frater Domini secundum carnem « et Basilius Cæsariensis episcopus addiderunt nobis missæ celebrationem. » Ex quorum auctoritate patet singula convenienter circa hoc dici.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter ordinantur ea quæ in celebratione sacramenti Eucharistiæ dicuntur.

Prob. Ea quæ pertinent ad solemnem celebrationem sacramenti Eucharistiæ, convenienter in missa sunt ordinata. Sed omnia quæ in celebratione hujus sacramenti in missa dicuntur, pertinent ad solemnem celebrationem hujus sacramenti. Ergo omnia quæ in missa dicuntur, sunt convenienter ordinata.

Maior prob., quia in hoc sacramento, totum misterium nostræ salutis comprehenditur, et ideo præ cæteris sacramentis maiori solemnitate agitur. Omnia igitur quæ ad solemnem celebrationem hujus sacramenti pertinent, convenienter sunt in missa ordinata.

Minor manifestatur, ostendendo singillatim quod omnia quæ in missa dicuntur ad solemnem celebrationem hujus sacramenti pertineant.

Ea enim quæ in missa dicuntur, in tres distinguuntur partes. Quædam enim dicuntur ante consecrationem. Quædam pertinent ad ipsam consecrationem. Alia vero ipsam consecrationem sequuntur.

Illa quæ ante consecrationem dicuntur, sunt in duplici differentia: quædam pertinent ad preparationem populi, et quædam ad ejusdem instructionem. Præparatur enim populus quantum ad affectum, ut scilicet devote ad celebrationem hujus sacramenti assistat; et instruitur quantum ad intellectum. Est autem necessaria præparatio ad celebrationem tanti mysterii, quia scriptum est Eccl. 4. *Custodi pedem tuum: ingrediens domum Dei.* Et Eccl. 18. *Ante orationem præpara animam tuam.*

Prima missæ pars.

Continet autem hæc præparatio quatuor partes.

Prima pars est divina laus quæ fit in introitu, secundum illud Psal. 49. « Sacrificium laudis honorificabit me, et « illiciter, quo ostendam illi salutare Dei. » Et sumitur hoc ut plurimum de Psalmis, vel saltem cum Psalmis cantatur, quia

ut Dion. dicit in 3. c. Eccl. hierarc. « Psalmi comprehendunt, per modum lau- « dis, quicquid in sacra scriptura conti- « netur. »

Secunda pars hujus primæ partis continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur dicendo novies *Kyrie eleison*. Ter quidem pro persona Patris, ter pro persona Filii, cum dicitur: *Christe eleison*. Et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur: *Kyrie eleison*; et dicitur ter ad quamlibet personam, contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, et pœnæ; vel ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem.

Tertia pars hujus primæ partis, scilicet præparationis commemorat cœlestem gloriam, ad quam tendimus per præsentem vitam et miseriam, dicendo. *Gloria in excelsis Deo*. Quæ cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria. Intermittitur autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent, ut in septuagesima, et in missis defunctorum.

Quarta pars præparationis continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis, et sic terminatur affectus præparatio.

Secunda pars eorum quæ celebrationem hujus mysterii præcedunt, continet fidelis populi instructionem; et quia instructio duplex est, scilicet dispositiva et perfecta, et ex utraque instructione quædam in populo qui instruitur sequi debent; propterea hæc secunda pars continet quatuor partes.

Primo, enim instruitur populus dispositive per doctrinam prophetarum et Apostolorum, dum lectores prophetias legunt, et subdiaconi epistola cantant.

Secundo, cantatur in choro graduale quod significat profectum vitæ, et alleluia, quod significat spiritualem exultationem, vel tractus in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum: ex doctrina enim prophetarum et Apostolorum debet sequi in populo profectus vitæ, spiritualis exultatio, et spiritualis gemitus.

Tertio, instruitur populus perfecte per doctrinam Christi in evangelio contentam quæ á summis ministris legitur, scilicet á diaconibus, ex qua doctrina debet sequi confessio fidei, ideo.

Quarto, lecto Evangelio, symbolum fidei cantatur, in quo populus ostendit se per fidem doctrinæ Christi assentire. Cantatur autem simbolum in festis, de quibus fit in simbolo aliqua mentio, sicut in festis Christi, Beatæ Virginis, et Apostolorum qui fidem fundaverunt, et sic terminatur prima pars principalis missæ.

Secunda missæ pars.

Præparato, et instructo populo, consequenter acceditur ad mysterii celebrationem, quod pertinet ad secundam partem principalem missæ. Habet autem pars hæc tres partes: sacrificium enim Eucharistiæ offertur, consecratur, et sumitur. Primo igitur peragitur oblatio. Secundo, materiæ consecratio. Tertio, sacramentum percipitur.

Circa oblationem duo aguntur. Primum est laus populi in cantu offertorii, per quod significatur lætitia offerentium. Alterum est oratio sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta, dum dicit: *suscipe sancta Trinitas etc.* Unde 1. paral. 29. Dixit David: « Do- « mine in simplicitate cordis mei lætus « obtuli universa hæc, et populum « tuum, qui hic repertus est, vidi cum « ingenti gaudio tibi offerre donaria, » quod signatur in offertorio, et postea orat dicens, « Domine Deus custodi hanc voluntatem. »

Secundo, peragitur consecratio materiæ, quæ fit supernaturali virtute. Circa quam tria principaliter fiunt. Primo, excitatur populus ad devotionem in præfatione. Unde monetur *sursum corda habere ad Dominum*: et ideo, finita præfatione, populus devote laudat divi-

nitatem Christi cum Angelis dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. Et humanitatem cum pueris dicens, *benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Secundo, sacerdos præmittit quædam ad ipsam consecrationem, circa quod tria facit. Primo, commemorat eos, pro quibus hoc sacrificium in generali offertur, scilicet pro universali Ecclesia, *et pro his qui sunt in dignitate constituti*, ut dicitur 1. Tim. 2. dum dicit: *te igitur*, etc. Et specialiter quosdam, qui offerunt, et pro quibus offertur dum dicit: *memento Domine*, etc.

Secundo, commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit. *Communicantes et memoriam venerantes*, etc.

Tertio, petitionem concludit, *ut hæc oblatio sit illis, pro quibus offertur salutaris*, dicens. *Hanc igitur*, etc.

Deinde principaliter sacerdos ad ipsam consecrationem accedit; circa quam quinque facit.

Primo, petit consecrationis effectum, cum dicit: *quam oblationem tu Deus*, etc.

Secundo, consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit: *qui pridie quam pateretur, accepit panem* dicens: *hoc est corpus meum*: deinde calicem dicens. *Hic est calix sanguinis mei*, etc.

Tertio, excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, quod fuit hæc: quotiescumque feceritis, etc. dum dicit: *unde et memores Domine nos tui servi*, etc.

Quarto, petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit. *Supra quæ propitio*, etc.

Quinto, petit hujus sacramenti effectum.

Primo, quantum ad sumentes, cum dicit; *Supplices te rogamus*, etc.

Secundo, quantum ad mortuos dicens. *Memento etiam*, etc.

Tertio, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit. *Nobis quoque peccatoribus*, etc.

In tertia parte principali hujus secundæ partis agitur de perceptione hujus sacramenti. In qua duo principaliter aguntur.

Primo, præparatur populus, tum per communem orationem dominicam, in qua petitur quotidianum panem nobis dari, tum per orationem privatam, quam specialiter sacerdos offert pro populo, cum dicit, *Libera nos quæsumus Domine*, etc.

Secundo, præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo, *Agnus Dei*: est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. In missis tamen defunctorum, in quibus offertur sacrificium, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax non datur.

Deinde sequitur ipsa perceptio sacramenti, primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante, juxta illud Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. *Ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.*

Tertia pars missæ.

Ultima missæ pars continet gratiarum actiones, populo exultante pro sumptione mysterii, quod signat cantus post communionem, et sacerdote per orationes gratias offerente. Sicut et Christus celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit ut dicitur Matth. 26.

Ex quibus omnibus patet quod omnia quæ in missa dicuntur ad solemnem celebrationem hujus mysterii pertinent, quæ erat minor; ac per hoc quod omnia convenienter sunt instituta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod consecratio solis verbis Christi conficitur, alia vero necesse est addere ad præparationem populi sumentis, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur ad anteced. Quod sicut dicitur Joan. ult. Multa sunt á Domino facta vel dicta, quæ Evangelistæ non scripserunt, inter quæ fuit hoc quod

Dominus in cœna oculos levavit in cœlum, quod tamen Ecclesia ex traditione apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, ut qui in suscitatione Lazari (ut habetur Joan. 11.) Et in oratione, quam pro discipulis fecit, Joan. 17. Oculos levavit ad patrem, in hujus sacramenti institutione magis hoc fecerit, tamquam in re potiori. Quod autem dicitur: *manducate et comedite*, non differt quantum ad sensum, nec multum refert quid dicatur, præsertim cum verba illa non sint de forma. Quod autem additur (Omnes) intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur, quia ipse dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Ad 3. Negatur conseq. Eucharistia enim est sacramentum totius Ecclesiasticæ unitatis: et ideo specialiter in hoc sacramento, magis quam in aliis, debet fieri mentio de omnibus quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ. Alia autem sacramenta, etsi ad salutem fidelium ordinentur, non tamen sunt sacramenta Ecclesiasticæ unitatis, sicut sacramentum Eucharistiæ.

Ad 4. Dicitur ad conseq. Quod instructio fidei est duplex: una quæ fit noviter imbuendis, scilicet cathecumenis, et talis instructio fit in baptismo; alia est instructio, qua instituitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio, et talis instructio fit in hoc sacramento; á qua tamen instructione non repelluntur cathecumeni et infideles: unde dicitur de consec. dist. 1. cap. 64. Episcopus. «Episcopus nullum prohibeat ingredi «Ecclesiam, et audite Verbum Dei, sive «gentilem, sive hæreticum, sive ju«dæum, usque ad missam cathecumeno«rum,» in qua scilicet continetur instructio fidei.

Ad 5. Dicitur ad anteced. Quod in omni quidem sacramento requiritur devotio; in hoc tamen sacramento maior requiritur devotio, quam in aliis sacramentis, et etiam communior. Maior quidem quia in hoc sacramento continetur ipse Christus: communior autem, quia in hoc sacramento requiritur devotio totius populi Christi, pro quo sacrificium offertur, et non solum devotio percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis; et ideo, ut Cyprianus dicit in lib. de oratione Domini, «sacerdos, præfatione præmissa, parat «fratrum mentes dicendo: sursum cor«da. Ut dum respondet plebs, habemus «ad Dominum, admoneantur nihil aliud «se, quam Deum, cogitare debere.

Ad 6. Dicitur ad consec. Quod quia in hoc sacramento tanguntur ea, quæ pertinent ad totam Ecclesiam; ideo etsi sacerdos sit minister hujus sacramenti, tamen non omnia, quæ in celebratione hujus mysterii dicuntur, necesse est ut á sacerdote dicantur, sed quædam ab aliis ministris, et quædam á choro dicuntur. Eorum quæ á choro dicuntur, quædam chorus totaliter prosequitur, ut Introitus, et *kyrie eleison*, ad significandum quod quædam eorum, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, toti populo inspirantur.

Quædam vero sacerdote inchoante populus prosequitur, ut sunt *Gloria in excelsis: et Credo in Deum*, ad significandum quod revelatio fidei, et gloriæ cœlestis, pervenit ad populum ex revelatione Dei, cujus personam sacerdos gerit.

Quædam vero dicuntur per ministros, scilicet per lectores doctrina veteris testamenti, per subdiaconos doctrina apostolorum, et per diaconos doctrina Christi, ad significandum quod per ministros á Deo missos hæc doctrina est populis annunciata.

Quædam vero sacerdos solus prosequitur, et hæc sunt quæ pertinent ad proprium officium sacerdotis, scilicet ut *offerat Deo hostias, et præces pro populo*, ut dicit Heb. 5.

Hæc tamen sunt in duplici differentia;

quædam enim sacerdos publice dicit, et hæc sunt, quæ pertinent ad sacerdotem et ad populum, sicut sunt communes orationes.

Quædam vero pertinent ad solum sacerdotem, ut sunt oblatio et consecratio, et hæc occulte á sacerdote dicuntur.

In utrisque tamen excitat attentionem populi dicendo, *Dominus vobiscum*, vel *per omnia sæcula sæculorum*, et expectat populi assensum dicentis: *et cum spiritu tuo*, vel *amen*.

Vel ideo sacerdos aliqua secrete dicit, ad significandum quod circa Christi passionem Discipuli, non nisi occulte Christum confitebantur.

Ad 7. Dicitur tripliciter: primo ad antecedens, quod etsi virtus divina operetur per certitudinem in hoc sacramento, potest tamen effectus impediri per intentionem sacerdotis; et ideo non superflue orat ut sequatur perfectio hujus sacramenti. Dicitur secundo negando consequentiam; non enim est inconveniens ut á Deo petamus id quod certissime scimus ipsum esse facturum, sicut Christus Joan. 17. petiit suam clarificationem, quam certo sciebat futuram.

Tertio, dicitur quod cum sacerdos dicit: hanc igitur oblationem, etc. Non videtur orare, ut consecratio implacatur, sed orat ut nobis fiat fructuosa: unde signanter dicit: *ut nobis corpus, et sanguis fiat.* Et hoc significant verba, quæ præmittit dicens. *Hanc oblationem facere digneris benedictam*, idest *per quam benedicamur*, scilicet per gratiam: *ascriptam*, idest *per quam in cælo scribamur*: *ratam* idest *per quam de visceribus Christi esse censeamur*; *rationabilem*, idest «per quam á bestiali sensu «exuamur. Acceptabilem, ut qui nobis «ipsis displicemus, per hanc acceptabi-«les ejus unico filio simus.»

Ad 8. Negatur conseq. Licet enim hoc sacramentum ex seipso præferatur omnibus antiquis sacrificiis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos, ut sic hoc sacrificium acceptetur á Deo, ex devotione offerentium sicut illa Deo accepta fuerunt.

Ad 9. Negatur consequentia. Sacerdos enim non petit quod species sacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore mystico, quod in hoc sacramento significatur, ut scilicet orationes sacerdotis et populi Angelus assistens divininis mysteriis Deo repræsentet, secundum illud Apoc. 8. *Ascendit fumus insensorum de oblationibus sanctorum de manu angeli.* Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triunfans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cujus participationem petimus; de hoc enim altari dicitur, Exod. 20. «Non ascendes ad altare «meum per gradus,» idest *in Trinitate gradus non facies.* Vel per angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii Angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri et Ecclesiæ triumphanti conjungit, propter quod etiam missa nominatur, quia sacerdos per Angelum preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa á Deo: unde et in fine missæ diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens: *ite missa est*, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut sit Deo accepta.

ARTICULUS V.

Utrum ea quæ in celebratione sacramenti Eucharistiæ aguntur, sint convenientia.

Pro negativa. ==Videtur, quod ea quæ in celebratione hujus sacramenti, aguntur, non sint convenientia.

1. In novo testamento, ad quod hoc sacramentum pertinet, ut ex forma ipsius patet, non sunt observandæ ceremoniæ veteris testamenti. Ergo non est

conveniens quod sacerdos inter missarum solemnia manus lavet.

Conseq. prob., quia ad ceremonias veteris testamenti pertinebat, quod sacerdos et ministri ejus aqua lavantur, quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exod. 30. « Lavabunt Aaron « et Filii ejus manus suas ac pedes, « quando ingressuri sunt tabernaculum « testimonii, et quando accessuri sunt ad « altare.

Thurificatio pertinebat ad ceremonias veteris legis, quæ non sunt servandæ in nova. Ergo inconvenienter sacerdos in missa thurificatione utitur.

Antecedens probat. Quia Exod. 30. Dominus mandavit quod « Aaron adole- « ret insensum suave fragans super al- « tare quod erat ante propitiatorium. »

3. Ea quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda. Ergo inconvenienter sacerdos toties iterat crucesignationes super hoc sacramentum.

4. Christus, qui est in hoc sacramento post consecrationem, est multo maior sacerdote. Ergo inconvenienter sacerdos post consecrationem hoc sacramentum crucesignando benedicit.

Conseq. prob. quia maior á minori non benedicitur, sed é converso, ut dicitur Heb. 7.

5. Ridiculum videtur gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus jungit, digitos complicat, et se incurvat. Ergo hæc non debent fieri in hoc sacramento.

Conseq. prob., quia in sacramentis Ecclesiæ nihil debet fieri quod ridiculum videatur.

6. Ridiculum etiam videtur, quod sacerdos multoties se ad populum vertit, et multoties salutat. Ergo non debent hæc fieri in celebratione hujus sacramenti.

7. Apost. 1. Cor. 1. Pro inconvenienti habet quod Christus sit divisus. Ergo inconvenienter sacerdos frangit hostiam consecratam, in qua est totus Christus.

8. In passione Christi corpus fuit divisum in locis quinque vulnerum. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet magis, quam in tres.

Conseq. probat., quia ea quæ in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repræsentant.

9. Totum corpus Christi in hoc sacramento consecratur seorsum á sanguine. Ergo inconvenienter una ejus pars sanguini miscetur.

10. Sumptioni corporis Christi non adjungitur in celebratione missæ alius corporalis cibus. Ergo inconvenienter sacerdos post sumptionem sanguinis Christi vinum non consecratum sumit.

Consequentia prob., quia sicut corpus Christi pro ponitur in hoc sacramento ut cibus, ita sanguis Christi ut potus.

11. De Agno Paschali, qui fuit figura hujus sacramenti mandatur quod non remaneret ex eo quicquam usque mane. Ergo inconvenienter hostiæ consecratæ reservantur, et non statim sumuntur.

Consequentia prob., quia veritas debet respondere figuræ.

12. Sacerdos pluraliter loquitur audientibus, cum dicit: « Dominus vobis- « cum, et gratias agamus Domino Deo « nostro. » Ergo inconveniens videtur quod sacerdos, ministro tantum præsente, celebret missam.

Conseq. prob., quia inconveniens videtur pluraliter loqui uni soli, et maxime minori.

Ex quibus omnibus videtur quod inconvenienter aliqua agantur in celebratione hujus sacramenti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesiæ consuetudo est facere in celebratione hujus sacramenti, ea quæ dicta sunt. Ergo omnia convenienter fiunt.

Conseq. prob., quia Ecclesia non po-

test errare, utpote quæ sunt á Spiritu Sancto instructa.

Determinatio.

Conclusio. Ea quæ in celebratione sacramenti Eucharistiæ aguntur, sunt convenientia.

Manifestatur. Quia omnia quæ in celebratione hujus sacramenti aguntur, vel repræsentant Christi passionem, cujus repræsentatio agitur in hoc sacramento, vel pertinent ad devotionem, et reverentiam hujus sacramenti, ut in responsionibus argumentorum erit manifestum. Ergo omnia convenienter aguntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ecclesia enim non servat manuum ablutionem tamquam ceremoniale antiquæ legis præceptum, sed quasi ab ipsa institutum propter reverentiam hujus sacramenti. Pertinet enim ablutio manuum ad reverentiam tanti sacramenti dupliciter. Primo, quia non consuevimus aliqua pretiosa tractare, nisi manibus ablutis: unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat, manibus, etiam corporalibus inquinatis. Secundo, propter significationem, quia (ut Dion. dicit 3. Eccles. Hier.) Extremitatum ablutio significat emundationem etiam á minimis peccatis, secundum illud Joan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*; et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc sacramentum quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante introitum missæ, et hoc idem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege, ut ibidem Dion. dicit: Et ut appareat quod hæc ablutio non servatur tamquam antiquæ legis ceremoniale, prætermittitur ablutio pedum (debebant enim sacerdotes antiquæ legis non solum manus, sed etiam pedes abluere, ut patet ibidem). Et servatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in prompto, et quæ sufficit ad significandum perfectam emundationem. Cum enim manus sit organum organorum, omnia opera attribuuntur manibus. Unde dicitur in Psal. 23. *Lavabo inter innocentes manus meas.*

Ad 2. Dicitur ad antecedens. Quod etiam thurificatione non utimur, quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto; unde non eodem modo utimur, sicut in lege veteri erat statutum, ut patet. Pertinet autem thurificatio ad duo; primo quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris quod posset provocare horrorem, in loco fuerit. Secundo, pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit, secundum illud Gen. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*, et á Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud 2. Cor. 2. *Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco*; et ideo undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam. Quod sacerdos in celebratione missæ utitur crucis signatione ad exprimendam passionem Christi, quæ ad crucem est terminata; est autem passio Christi quasi quibusdam gradibus peracta.

Primo, enim fuit Christus traditus, et ejus traditio facta fuit á Patre, á Juda, et á judæis. Et hanc triplicem traditionem significat trina crucis signatio, quæ fit cum illis verbis: *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.*

Secundo, fuit Christus venditus; est autem venditus sacerdotibus, scribis, et pharisæis. Ad quod significandum fit iterum trina crucis signatio cum illis verbis: *benedictam, ascriptam, ratam.* Vel hæc trina crucis signatio fit ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. Additur autem et duplex crux ad illa verba. *Ut nobis corpus et sanguis*, ad designandam personam Judæ venditoris et Christi venditi.

Tertio, fuit Christi passio prædicta in

cœna, ad quod designandum fiunt duæ cruces in consecratione, una quidem in consecratione hostiæ, et alia in consecratione calicis, et in utraque dicitur: *benedixit.*

Quarto, fuit ipsa passio Christi, unde ad repræsentandum quinque plagas Christi, fit quarto quintuplex crucesignatio ad illa verba: *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ.*

Quinto, repræsentatur extensio corporis, et effusio sanguinis, et fructus passionis per trinam crucesignationem ad illa verba: *corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, et gratia repleamur.*

Sexto, repræsentatur triplex oratio, quam Christus fecit, in cruce: unam pro persecutoribus, cum dixit: *Pater ignosce illis.* Secundam pro liberatione á morte, cum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Tertiam pro adeptione gloriæ, cum dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et ad hoc significandum fit trina crucesignatio ad illa verba: *Sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis.*

Septimo, repræsentantur tres horæ, quibus Christus pependit in cruce, scilicet á sexta usque ad nonam, ad illa verba: *per ipsum, cum ipso et in ipso.*

Octavo, repræsentatur separatio animæ á corpore per duas cruces subsequentes extra calicem factas, ad illa verba: *est tibi Deo Patri, in unitate Spiritus Sancti.*

Nono, repræsentatur resurrectio tertia die facta, per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Potest autem brevius ad argumentum dici, quod in missa reiterantur cruces, quia consecratio hujus sacramenti, et acceptatio hujus sacrificii, et fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi; et ideo ubicumque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucesignatione utitur.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sacerdos post consecrationem non utitur crucesignatione ad benedicendum et consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem crucis, et modum passionis Christi, ut in præcedenti solutione patet.

Ad 5. Dicitur ad antecedens. Quod ea quæ sacerdos in missa facit, non sunt ridiculæ gesticulationes: fiunt enim ad aliquid repræsentandum; quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce. Levat etiam manus orando ad designandum, quod oratio ejus dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud Tren. 3. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos*, et Exod. 17. dicitur: quod *cum levaret Moyses manus vincebat Israel.* Quod autem manus interdum sacerdos jungit, et se inclinat, est suppliciter, et humiliter orantis, et designat humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem jungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi tetigerat, ut si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur quod pertinet ad reverentiam sacramenti.

Ad 6. Dicitur ad antecedens. Quod sacerdos quinquies se vertit ad populum, ad significandum quod Dominus in die resurrectionis quinquies se manifestavit, ut dictum est quæst. 55. art. 3. ad 3. Salutat autem sacerdos populum septies, scilicet quinque vicibus, quibus se ad populum vertit, et bis quando se non convertit, scilicet cum ante præfationem dicit: *Dominus vobiscum*, et cum dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandam septiformem gratiam Spiritus Sancti, episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit: *Pax vobis*, quod post resurrectionem dixit discipulis Dominus, cujus personam repræsentat præcipue episcopus.

Ad 7. Dicitur ad conseq. Quod fractio hostiæ non inducit aliquam fractionem in corpore Christi, sed solum franguntur species sacramenti. Significat autem fractio hostiæ tria. Primo quidem divisionem corporis Christi, quæ facta est in passione ipsius. Secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status. Tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, ut Dion. dicit c. 3. cœl. Hierarch.

Ad 8. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod divisio hujus sacramenti non significat vulnera Christi: plagarum enim numerus signatur per quintuplicem crucesignationem, quæ fit ad illa verba hostiam puram, etc. ut dictum est in responsione ad 3. Sed sicut Sergius Papa dicit, et habetur de consec. dist. 2. cap. « Triforme est corpus Domini; pars obla-« ta in calicem missa, corpus Christi quod « jam resurrexit monstrat, » scilicet ipsum Christum, et beatam Mariam virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus jam sunt in gloria. « Pars comesta « ambulans adhuc super terram, » quia scilicet viventes in terra sacramento utuntur, et passionibus conteruntur, sicut panis comestus conteritur dentibus; « pars remanens in Alari usque ad finem « missæ, et corpus in sepulchro, quia us-« que in finem sæculi corpora sanctorum « in sepulchris erunt,» quorum tamen animæ sunt, vel in purgatorio, vel in cœlo. Hic tamen ritus non servatur modo, ut scilicet una pars servetur usque in finem misæ propter periculum; manet tamen eadem significatio partium, quam quidem metrice expresserunt dicentes.

Hostia dividitur in partes, tincta beatos.
Plene, sicca notat vivos, servata sepultos.

Quidam tamen dicunt quod pars in calicem missa significat eos, qui vivunt in hoc mundo. Pars autem extra calicem servata significat plene beatos, scilicet quantum ad animam et corpus. Pars autem comesta significat sepultos.

Ad 9. Dicitur ad conseq. Quod per sanguinem duo possunt significari, unum est ipsa passio Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento; et secundum hoc per partem in calice missam significantur illi, qui adhuc sunt participes passionum Christi. Alterum est fruitio beata, quæ etiam in hoc sacramento præfiguratur, et tunc per partem in calice missam significantur illi, qui etiam quantum ad corpus sunt in plena beatitudine; et ratione harum significationum una pars hostiæ in calicem mittitur. Et notandum quod pars, quæ in calicem mittitur, non debet dari populo, quia Christus panem intinctum dedit solum Judæ.

Ad 10. Dicitur ad consequentiam, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum; et ideo sumitur post sumptionem hujus sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reverentiam sacramenti. Unde in Decretal. lib. 3. tit. 41. de celeb. Miss. c. 5. Ex parte dicitur: « semper « sacerdos vino os perfundere debet, « postquam totum percepit Eucharisitiæ « sacramentum: nisi cum eadem die « aliam missam debuerit celebrare, ne « si forte vinum perfusionis acciperet, « celebrationem aliam impediret. »

Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat. Negatur igitur ipsa conequ. ad cujus probationem dicitur, quod non est eadem ratio de pane et vino: si sumeretur enim panis post sumptionem corporis non abstergeret os, sicut vinum abstergit.

Ad 11. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod veritas debet respondere figuræ, non quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua, respondet quidem sumptio hujus sacramenti manducationi agni paschalis, quia non debet pars hostiæ consecratæ de qua sacerdos et ministri, vel etiam populus communicat, in crastinum reservari; unde et habetur de consec. dist. 2. c. Tribus gradibus. Quod

Clemens Papa statuit quod « tanta holocausta in altari oferantur quanta populo sufficere debeant: quod si remanserint, in crastinum non reserventur, « sed cum timore et tremore, clericorum « diligentia consumantur. » Non respondet autem figuræ in omnibus, quia hoc sacramentum quotidie sumendum est, et non tantum semel in anno, ut Agnus paschalis sumebatur; ideo oportet alias hostias consecratas pro infirmis conservare ne sine communione moriantur, ut dicitur eadem dist. c. presbyter.

Ad 12. dicitur ad conseq. quod in solemni celebratione missarum plures debent adesse. Unde, ut habetur eadem dist. 2. de conser. c. Hoc quoque. Soter Papa dicit: « hoc quoque statutum « est, ut nullus presbyterorum missarum « solemnia celebrare præsumat, nisi duo- « bus præsentibus, sibique respondenti- « bus, ipse tertius habeatur, quia cum « pluraliter ab eo dicitur, Dominus vo- « biscum, et illud in secretis: orate fratres, « apertissime convenit, ut ipsius respon- « deatur salutationi. » Unde, et ad maiorem solemnitatem ibidem statutum legitur quod episcopus cum pluribus missarum solemnia peragat. Unde in solemni celebratione missarum concreditur totum argumentum: non debent enim missæ solemniter celebrari, nisi plures adsint. In missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius catholici populi, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet. *Habemus ad Dominum.*

ARTICULUS VI.

Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem sacramenti Eucharistiæ occurrentibus, observando Ecclesiæ statuta.

Pro negativa. — Videtur, quod non possit sufficienter occurri defectibus, qui circa celebrationem hujus sacramenti occurrunt, observando Ecclesiæ statuta.

1. Contingit quandoque quod sacerdos ante consecrationem, vel post moritur vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentum sumere possit, et missam perficere. Ergo videtur quod non possit impleri statutum Ecclesiæ, quo præcitur quod sacerdos consecrans suo sacrificio communicet.

2. Contingit quandoque quod sacerdos ante consecrationem, vel potest, recolit se aliquid comedisse vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subjacere, vel etiam excommunicationi, cujus prius memoriam non habuerit. Ergo necesse est quod ille; qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter, contra statutum Ecclesiæ faciens, sive sumat, sive non sumat: si enim sumat, non accedit jejunus, vel purus; si non sumat, non perficit sacramentum.

3. Contingit quandoque quod in calicem musca, vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem, vel etiam cognoscit sacerdos calici venenum esse immissum ab aliquo malevolo, causa occidendi ipsum; in quo casu si sumat, videtur mortaliter peccare se occidendo, vel Deum tentando; si vero non sumat, peccat contra statutum Ecclesiæ faciens. Ergo videtur quod sit perplexus, et subjectus necessitati peccandi, quod est inconveniens.

4. Contingit quandoque, quod per negligentiam ministri aut aqua non ponitur in calice, aut vinum, et hoc sacerdos advertit. Ergo etiam in hoc casu videtur esse perplexus, sive sumat corpus sine sanguine, quasi imperfectum faciens sacramentum, sive non sumat corpus, nec sanguinem.

5. Contingit quandoque, quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia quæ in celebratione hujus sacramenti dicuntur. Ergo videtur peccare in hoc casu, sive reiteret verba super eamdem materiam, quæ forte jam dixerat, sive utatur pane et vino non consecratis, quasi consecratis.

6. Contingit quandoque propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in

calicem, sive ante fractionem, sive post. In quo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesiæ implere, vel de fractione, si ante fractionem cadat, vel etiam de hoc quod sola tertia pars mittatur in calicem.

7. Contingit quandoque, quod per negligentiam sacerdotis sanguis effunditur vel etiam quod sacerdos sacramentum sumptum vomit, aut etiam quod hostiæ consecratæ tamdiu conservantur, ut putrefiebant, vel etiam á muribus corrodantur, vel etiam qualitercumque perdantur, in quibus casibus non videtur posse huic sacramento debita reverentia exhiberi secundum Ecclesiæ statuta; non videtur ergo quod his defectibus, seu periculis occurri possit, salvis Ecclesiæ statutis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia, sicut nec Deus, non præcipit aliquid impossibile.

Determinatio.

Conclusio. Defectibus circa celebrationem hujus sacramenti occurrentibus potest sufficienter occurri, observando Ecclesiæ statuta.

Manifestatur. Defectibus enim, sive periculis, quæ circa celebrationem hujus sacramenti occurrere possunt, dupliciter potest occurri. Uno modo præveniendo, ne scilicet periculum accidat. Alio modo subsequendo, ut scilicet id quod accidit, emendetur; vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam ejus, qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod si sacerdos morte, aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis, et sanguinis Domini, non oportet ut per alium suppleatur; si vero incæpta consecratione hoc acciderit, puta post consecrationem corporis, et ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet missæ celebritas per alium expleri. Unde (ut habetur in decret. 7. q. 1. c. Nihil) in Toletano Concilio 7. can. 1. vel 2. legitur, « Censuimus convenire, ut cum sacerdotibus missarum « tempora mysteria sacra consecrantur, « si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cæptum nequeat expleri mys« terium, sit liberum Episcopo vel pres« bytero alteri consecrationem exequi « incepti officii, etc. »

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ubi dificultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est illud quod est contra ejus perfectionem, quod est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo si sacerdos, post consecrationem inceptam, recordetur se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, et sumere sacramentum: similiter si recordetur se peccatum aliquid commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, et satisfaciendi, et sic non indigne, sed fructuose sumet sacramentum. Et eadem ratio est si meminerit se excomunicationi cuicumque subjacere, debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, et sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum quod peragat divina mysteria. Si vero ante consecrationem, alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem, et maxime in casu manducationis et excommunicationis quod missam incæptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, et abluto calice, denuo aliud vinum poni consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi et di-

ligenter lavari et comburi, et ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi deprehenderit fuisse immissum, nullo modo debet sumere, nec aliis dare, ne calix vitæ vertatur in mortem. sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apte cum reliquiis conservari. Et ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, et resumere á consecratione sanguinis, si tamen hostiam non sumpserit, et sacrificium perficere.

Ad 4. Dicitur ad anteced., quod si sacerdos ante consecrationem sanguinis, et post consecrationem corporis percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, et consecrare.

Si vero post consecrationis verba perceperit quod aqua desit, debet nihilominus ulterius procedere, quia appositio aquæ non est de necessitate sacramenti, ut dictum est quæst. 74 artic. 7. Debet tamen puniri ille, ex cujus negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti in aliqua parte, ut dictum est quæst. 77. art. 8.

Si vero percipiat post verba consecrationis, quod vinum non fuerit positum in calicem, siquidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet deposita aqua si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, et resumere á verbis consecrationis sanguinis.

Si vero hoc perceperit post sumptionem corporis, aliam hostiam ponere debet consecrandam simul cum sanguine; quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi. Et sicut dicitur in predicto cap. Tolet. Conc. « Prefecta videri non possunt sacrificia, « nisi perfecto ordine compleantur; » Si enim inciperet á consecratione sanguinis, et repereret omnia verba sequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata, cum in illis verbis occurrant quædam dicenda et fienda, non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus, et debet in fine sumere etiam hostiam consecratam et sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquam, quæ erat in calice, quia præceptum de perfectione, vel de perceptione hujus sacramenti, maioris est ponderis, quam præceptum quod hoc sacramentum á jejunis sumatur, ut dictum est qu. 80. art. 8. et q. 82. art. 4.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnia quæ dixit, nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione jam dicti; sic enim aliquid efficitur memorabile: unde si aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolit se dixisse; sic enim aliquid fit objectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in lib. de mem. cap. 1. ex Arist.

Si tamen sacerdoti probabiliter constat se aliqua omisisse, si non sint de necessitate sacramenti, non existimo esse resumenda immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere. Si vero certificetur se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate sacramenti, scilicet formas consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate sacramenti, sicut et materia, idem faciendum videtur cum eo quod dictum est in defectu materiæ, ut scilicet resumatur forma consecrationis, et cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificii.

Ad 6. Dicitur anteced., quod fractio hostiæ consecratæ, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit ad imperfectionem

sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti.

Ad 7. Dicitur ad antecedens, quod sicut legitur de consecrat. dist. 2. Et decret. Pii Papæ, cap.: « Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, et tabula radetur; si vero non fuerit tabula, terra radetur, et igni consumetur, et cinis intra altare condetur, et sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat; si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. »

Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat et linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lavet minister, calice subtus posito, et aqua ablutionis juxta altare recondatur: posset etiam sumi in potum á ministro, nisi propter abominationem omiteretur. Quidam autem ulterius partem illam linteaminum incidunt, et comburunt, et cinerem in altari, vel sacratio reponunt.

Subditur autem ibidem dist. 2. cap. si quis per ebrietatem, ex pœnitentiali Bedæ Præsbyteri. « Si quis per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si Laicus est: Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, et Præsbyteri, septuaginta diebus pœniteat, Episcopus nonaginta. »

Si autem infirmitatis causa evomuerint, septem diebus pœniteant.

In eadem dist. ex conc. Arelat. cap. Qui bene; legitur; « qui non bene custodierit sacramentum, et mus, vel alius quod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat; qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars ejus ceciderit, et non inventa fuerit, triginta diebus pœniteat.

Et eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cujus negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt.

Prædictis autem diebus pœnitentiæ, debet pœnitens jejunare, et á communione cessare, pensatis tamen conditionibus negotii et personæ, potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam.

Hoc tamen observandum est quod ubicumque species integræ inveniuntur sunt reverenter conservandæ, vel etiam sumendæ, quia manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, ut dictum est q. 7. art. 5. Ea vero in quibus inveniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario reposito, sicut de rasura tabulæ superius dictum est.

Ex quibus patet quomodo omnibus defectibus occurrentibus circa celebrationem hujus sacramenti potest occurri: vel præveniendo ne occurrant, vel adhibendo, remedium per pœnitentiam ejus, qui negligenter egit. Et hæc de sacramento Eucharistiæ dicta sufficiant.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 83.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam (hæc est in text. corp.) tum indirectam (hæc est solutio argumentorum. Ratio autem hæc duplex semper in similibus appendicum locis subintelligitur in ly *quomodo per rationem*) interimas hæreses Arnoldi, sive Arnaldi (ut refert Directorium Inquisit. secunda parte, quæst. undecima) dicentis; missæ sacrificio sacerdos nihil offert Deo. Et forsan propter hoc addentis, quod missæ sacrificio Deus non laudatur opere, sed ore tantum. Et

adhuc annectentis, quod opus misericordiæ magis placet Deo, quam sacrificium altaris: seu (ut refert Gabriel Prateolus, titul. Arnoldus á Villanova) quod opus medicinæ est gratius Deo, quam sacrificium altaris. Item hæresim Henricianorum dicentium: missam nihil esse, ideo celebrari non debere. Item hæresim Lutheri dicentis, missam non esse sacrificium quia in ea nulla prorsus offertur oblatio. Item pejora, et magis diabolica, atque horrendissima evomendo, addentis: missæ, quas sacrificia vocant, summa sunt idololatria, et impietas. Et missarum usum nomine sacrificiorum, et titulo sacerdotum tenere, est negare Christum. Et missam esse opus bonum, et sacrificium persuadere in Ecclesia impiissimus est abusus. Et missa est summa perversitas. Et missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodesse vivis, aut defunctis, sed soli sacerdoti. Et missam cantari pro defunctis impium est. Item hæresim eorum, qui vocantur Bogomiles, dicentium: missam esse dæmonum sacrificium. Item hæresis Arianorum dicentium: missas applicari non posse pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut pro aliis quibusvis Ecclesiæ necessitatibus. Item hæresim Calvini dicentis. Missam non esse á Deo institutam, non esse sacrificium, non esse opus bonum. Item Joannis Wicleff dicentis: missam á Christo fuisse ordinatam, non est fundatum in Evangelio. Item quorumdam dicentium: sacrificia privata esse prohibita. Articulus enim præsens ex eo, quod efficacissime probat, in celebratione Eucharistiæ, idest in missa, Christum veraciter immolari, vult manifestissime simul probatum esse: tum, quod missa et est aliquid, et est sacrificium: et est opus bonum; et est opus Deo magis gratum, quam opus misericordiæ, puta medicinæ; et est celebranda, etiam quam privatam vocant; et potest offerri pro peccatis, pro satisfactionibus, pro quibusvis necessitatibus, pro vivis, pro defunctis: tum, quod in missa et sacerdos aliquid offert Deo, et fit Deo grata oblatio, et Deus laudatur non tantum ore, sed multo magis opere: tum, quod falsissimum est, et missam esse sacrificium dæmonum, et missam esse perversitatem, esse impietatem, esse idololatriam, et missarum usum tenere, est negare Christum; et missas esse bonas, esse sacrificia persuadere, esse abusum, et missam posse prodesse soli sacerdoti: et missam non esse á Deo in Evangelio institutam: et missam cantari pro mortuis, esse impium. Ratio omnium istorum sub triplici numero, quod est ly tum, distincte contentorum una, et eadem est, scilicet in missa Christus vere immolatur. Si enim in ea vere immolatur: ergo missa est aliquid; est sacrificium, etc. ergo est summa pietas, non impietas, est summa bonitas, non perversitas, est summa latria, non idololatria, etc. ergo tenere usus missarum est et ore, et opere illo confiteri Christum, non negare, item persuadere missam esse opus bonum, atque sacrificium, est optimus in Dei Ecclesia usus, non abusus; item celebrationem missæ esse maximam ruinam dæmonum, non ipsorum sacrificium, etc. Discurre modo tu prudens, ac vigilans lector ex ratione illa contra reliqua hæresum prædictarum: et tunc, omnibus simul consideratis, aperte conspicies, quam feliciter, quam fideliter, quam abundanter sanctus Ecclesiæ catholicæ Doctor, more suo, contra hostes fidei mira hic brevitate conflixerit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, aliquas illarum merito damnari á semetipsis ex patenti contradictione, quam ibi Lutherus implicat. Dicit enim, missam esse summam impietatem, perversitatem, idololatriam, quod dicere missam est negare Christum, et ex alia parte tamquam sui, quod erat, oblitus, inquit, missam soli sacerdoti prodesse. Hæc namque duo, scilicet missam esse tantam impietatem, et tantam impietatem sacerdoti eam committenti, idest missam celebranti, posse prodesse, pugnant implacabiliter ad invicem: ut patet etiam cæcutientibus. *Tertio* habes: quomodo per articuli rationem ostendas, illas omnes merito damnari á Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 1. " Deus, et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile (sicut hominum natura exigit) relinquerent sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permane-

ret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ á nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo obtulit: ac sub earum rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem (uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit). Et cap. 2. Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit: docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens crimina, et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerrens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur. Et capite 6. Nec tamen propterea sacrosancta synodus, missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent: partim quod in eis populus spiritualiter communicet: partim vero, quod á publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum; sed pro omnibus fidelibus celebrentur. Et cap. 9. Quia adversum veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem multi hoc tempore disseminati sunt errores, multaque á multis docentur, atque disputantur: sacrosancta synodus post multos, gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei adversantur, damnare, et á sancta Ecclesia eliminare per hos canones constituit. Unde ait canon. 1. Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit. Et can. 2. Si quis dixerit: illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum: anathema sit. Et canone 3. Si quis dixerit; missæ sacrificium esse tantum laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, offerri debere, anathema sit. Et canon. 4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit. Et canon. 8. Si quis dixerit: missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse: ideoque abrogandas: anathema sit.» Hæc omnia ibi locis citatis. Item damnari Joannem Wicleff cum ejus hæresi nominatum á Concilio Constantiensi, sessione 8. Item á Luc. 22. et 1. Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam exponi hic debet ly *facite*, sacrificate, seu immolate. Sic enim in consimili materia invenimus scripturam sacram uti solere hoc verbo, facere, et in tali sensu. Ut, cum de sacrificando bove Elias dicit tertio Regum decimo octavo. *Ego faciam bovem alterum.* Et in subsequentibus ibidem ait ly *facite primi* et iterum ly *fecerunt*, scilicet bovem. Ubi tamen expresse tractatur, ut legenti capitulum patet, de offerendo holocausto. Dicit ergo Dominus ly *hoc* facite idest hoc offerte, hoc immolate, hoc sacrificate. Præcipit igitur per ly *hoc facite*, ut consecrent, atque offerant, seu sacrificent, corpus, et sanguinem suum. Et hoc est præcipere, ut celebretur missa: quandoquidem ipsa principaliter, non in cæteris, sed in consecrati c orporis, et sanguinis Domini oblatione consistit. Alia

enim universa ibi reperta, ut sacræ vestes, orationes, cæremoniæ, etc. ordinantur, ut patet, ad ipsam oblationem vel ut disponatur, tamquam adminiculis illis adjuti, ad illam devotissime peragendam, vel ut de eadem jam peracta gratias ferventissimas Deo subsequenter agamus. A principali ergo, ut decet, denominationem missæ totius fecit Dominus: quando missam ipsam instituendo et præcipiendo nihil aliud dixit, nisi ly *hoc facite in meam commemorationem*. Hæc dicta sint de missa novi testamenti. Verumtamen, si missam veteris testamenti, imo et antiquiorem, utpote legis naturæ, figurativam novæ missæ videre vis, quod valde pro catholicis, et contra hæreticos juvat in subacta materia, consule veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 14. concl. 5. 7. Cæterum pro ampliori campo ad condemnandum hæresum prædictarum nonnullas, recurre ad Addition. art. num. 308. et ad 2. 2. art. num. 180. et ad veritates aureas nunc præmissas, lib. Levit. 21. concl. 7. Item cap. 24. concl. 2. Ne prætermittas quoque et sensum verum Apostoli ad Hebræos, et quædam alia necessaria contra extorsiones ignorantia plenas hæreticorum, diligenter videre in tertia parte de Sal. quæst. 22. art. 3. post ad 2. not. 1. 2. 3 *Quarto* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á summis Pontificibus, etc. ab Ecclesiaque catholica: quod determinatum tempus est observandum, quoad celebrationem sacramenti Eucharistiæ, idest (quod in idem redit) quoad celebrationem missarum. Nam sine missa non conficitur absque peccato mortali hoc sacramentum. A summis quidem Pontificibus, etc. insinuatur per suos canones, idest regulas á seipsis de hoc editas. Ut patet *in lib. juris* Pontificii, et speciatim *in decretis de consecr. dist.* 1. Quanti autem canones Romanorum Pontificum, etc. faciendi sint, demonstrat Concilium Trident. sess. 25. c. 18. de reform. dicens: « sciant universi: sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. » Item concilium Constantiense ostendit idipsum per hoc, quod sess. 8. damnat hunc *Joan Wicleff* errorem, scilicet decretales epistolæ sunt apocryphæ. Per quod intelligitur et condemnare Arnoldum dicentem: quod decretis, canonibus, atque constitutionibus papalibus nulla subest scientia: sed mere tantum humana sunt opera. Item Concilio Cabilonense sub Eugenio primo, canon. 2. dicens: « canonum statuta ab omnibus intemerata serventur. » Item concilium 6. generale Constantinopoli celebratum dicit canon. 2. « hoc quoque huic sanctæ synodo pulcherrime, et honestissime placuit; ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, et perturbationum curationem firmi, stabilesque maneant; qui á sanctis patribus, qui nos præcesserunt, suscepti, ac confirmati sunt, atque á Deo nobis etiam traditi sunt sanctorum Apostolorum nomine 85. Canones. » Item Conc. 8. generale Constinopoli celebratum idem de canonibus universaliter ostendens action. 10. canon. 1. ut refertur in summa Conciliorum, ait: « Regulas, quæ sanctæ, et Apostolicæ Ecclesiæ tam á S. Apost. quam ab orthodoxorum universalibus, necnon et localibus Conciliis, vel etiam á quolibet Dei loco patre, ac magistro Ecclesiæ; traditæ sunt, servare, ac custodire profitemur: quibus regulis et propriam vitam, et mores et omnem sacerdotii, catalogum, regamus. Sed et omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus, et justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, canonice subjici decernimus. Tenere quippe traditiones, quas accepimus, sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum, qui ante nos fuerunt, Paulus aperte admonet. » Item de hac materia vide scitu necessaria in lib. decretorum, dist. 19. c. si Romanorum, et 1. quæst. 7. c. si quis omnem, vide et in lib. decretalium, de constitution. c. 1. et de voto, cap. primo. Ab Ecclesia vero catholica idem in principio appendicis dictum insinuatur factis ipsis, dum talia in celebrando tempora determinata observat, ut quotidie patet. Quam autem venerandæ ab omnibus auctoritatis sit consuetudo Ecclesiæ alibi sæpius dictum est. Nunc sufficiat videre 2. 2. quæst. 10. art. 12. corp. in princ. et reminisci: quod Spiritu Sancto regitur Ecclesia. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, Ecclesia, Concilio, et Bernardo, quod oportet in domo, et vasis sacris celebrare hoc Eucharistiæ mysterium. Ab Ecclesia quidem, ut patet etiam per experientiam, et *in arg. cont.* Pro cujus textus maiori notitia, applicanda á te ad subjectam materiam (ut in similibus semper præsupponitur) vide quæst. 67. art. 7. ad 3. et quæst. 72. art. 12. A scripturis autem, secundum quod illas citatas videbis in veritatibus aureis super legem veterem, indicatis supra exam. 1. post ad primum, et exam. post ad tertium. De quibus etiam vasis sacris in quanta reverentia sint habenda, vide veritates easdem «Levit. vigesimo secundo, conclus. prima, et cap. vigesimosexto, conclus. prima, et cap. vigesimoseptimo, conclus. quinta; item num. quarto, conclus. prima; et cap. 18. conclus. secunda.» A Concilio quoque Trid. sess. 22. Decr. de observ. et evit. in celebr. Miss. « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis culte, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum á Christi fidelibus tractari posse, quam hoc tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Decernit igitur sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi sedulo curent, ac teneantur é medio tollere, quæ vel avaritia, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit, etc. Non patiantur, privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Episcopis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium á sacerdotibus sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi, etc. Ne superstitioni aliquis locus detur, edicto, et pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis, quam debitis, horis, celebrent, ne ritus alios, et alias cæremonias, et preces in missarum celebratione adhibeat, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, et laudabili usu receptæ fuerint. » Pro quibus maxime facit idem Concilium sess. septima, de sacramentis, canon decimotertio, « si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit. » A. D. Bernardo autem insinuatur, quod conveniens est, in locis consecratis, ut quæ ex consecratione adipiscantur spiritualem virtutem, missam celebrare. Dicit ergo in sermon. dedicationis Ecclesiæ, qui incipit, Dominica. « Quid parietes istos dicere sanctos vereamur, quos manus Pontificum tantis sanctificavere mysterii? Ex tunc quoque, et deinceps sanctarum inibi lectionum resultavit frequentia, sanctarum orationum murmurare suspiria, sanctarum reliquiarum honoratur præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur vigilare custodia. Super muros tuos Hierusalem, ait Dominus per prophetam, constitui custodes. Licet ergo parietes hos (charissimi fratres) et dici, et esse sanctos, faciat consecratio episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquiæ sanctorum, visitatio Angelorum, minime tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari: quinimmo sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter sanctum inhabitantem spiritum. » Quibus et supra ad reverendam illam sanctitatem loci ostendendam præmiserat: « Testantur sanctæ literæ, olim positum in Paradiso primum Adam: ut operaretur, et custodiret illum. Sic secundus Adam in Ecclesia sanctorum, in horto, delitiarum si quidem delitiæ suæ, sunt, esse cum filiis hominum, ita, inquam, est in loco isto, ut operetur et custodiat. Porro, Angelos ascendentes, et descendentes esse in loco isto, patriarchalis ipsa visio manifestat. Ascendentes, ut videant faciem patris, descendentes, ut provideant nobis. Quid ergo nos, quomodo hic esse debemus, cum qua reverentia

stare in loco isto: ubi Deus est operans, et servans: Angeli ascendentes, et descendentes? » Ubi ad intelligendum recte ly ascendentes, ut videam faciem patris, consule D. Thomam in prima par. quæst. 107. art. 3. *Secundo* ex articulo per rationem, et cæteris per auctoritatem merito damnari noveris errorem Adiaphoristarum, qui Ecclesiae, et conciliorum legitimas constitutiones, et caeremonias adeo sentiunt esse indifferentes; ut, qui eas sive observet, sive violet, sive mutet, nihil eum peccare dicant. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina haec angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem tum directam, hæc est in corp. tum indirectam, hæc est solutio argumentorum, destruas errores illorum, " qui non intelligentes neque, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, » 1. Timoth. 1. dicunt, ut ex Concilio Tridentino nunc videre erit, quod in canone, vel etiam in aliqua alia parte missæ continentur errores. Ex solutione enim argumentorum pulcherrime, more suo, facta sanctus Doctor demonstratum reliquit, et quod nulla falsitas in canone missae, nec in allis partibus eorum, quae in missa dicuntur, invenitur, et quod illi, qui contrarium asserunt, quorum locum tenent argumenta, ignorantiae morbo gravissimo laborant. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illorum merito damnari á Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. " Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne, reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis ante seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. » Et cap. 8. " Missa magnam continet populi fidelis eruditionem. » Et canone 6. " Si quis dixerit: Canonem missae errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit. » Haec ibi, et in prioribus locis citatis. Item á synodo 6. ut recitatur dist. 1. " Jacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Hierosolymitana Ecclesia, et Basilius Caesariensis Episcopus cujus claritas per totum orbem refulsit in scripturis, addiderunt nobis missae celebrationem. » Ubi dicit Glos. *Ordinem missæ celebrandæ tradiderunt.* Item á sancto Damaso Papa institutum est, quod confessio in principio missae praemitteretur. A sancto Gregorio Papa, quod *Kyrie eleison* novies in missa diceretur, ut patet in vitis eorum. De aliis vide rationale divinorum officiorum. Item ab Apostolis missam traditam nobis fuisse, docet B. Ignatius martyr, et S. Joannis Apostoli discipulus in Epistola 5. ad Smyrnenses: qui et inter alia ibi dicit. " Non licet sine episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque missas celebrare. » Item Beatus Dionysius martyr, et Sancti Pauli Apostoli discipulus, ab ipsis Ecclesiæ columnis, idest Apostolis institutam fuisse missam affirmat: et cum quanta reverentia in primitiva Ecclesia celebraretur missa ipsa, idem manifestat in lib. Ecclesiast. hierarch. c. 2. Item Beatus Marcus Evangelista Sancti Petri Apostoli discipulus idipsum de missa insinuare videtur per hoc, quod ipse fuit dignitate sacerdos, ut testatur B. Hieronym. in lib. de viris illustribus, et tamen pollicem sibi amputasse dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Hoc est, ut ad sacerdotii executionem in celebranda missa, tamquam mysterio tanto indignum se reputans, non adstringeretur. Ex hoc enim facto Beati Marci patet, quod missa tempore suo celebrabatur, et consequenter, quod á S. Petro Apostolo tunc vivo approbata fuit. Item prædictos malitiose errantes in sua illa erronea positione merito damnari, et quidem factis ipsis, ab omnibus SS. Pontificibus, Martyribus, Confessoribus, Ecclesiæ catholicæ Doctoribus, qui missas, dum in præsenti viverent, personaliter devotissime á mille quingentis nonaginta annis, continua successione celebraverunt. Absit enim á communi omnium sapientum animi conceptione vel minimum suspicari, tantos virorum proceres omni virtutum genere decoratos, ac splendidos admisisse aliquando aliquod erroneum dictum in missarum solemniis á sese celebratarum: vel, si affuisset in dictis ipsis etiam minutissimus error numquam suis pers-

picacissimis intellectibus deprehendisse, eumque é suis libris non abrasisse, aliosque tum præsentes, tum futuros verbo, aut scripto de eodem abradendo non admonuisse. Ex his ergo omnibus hactenus præmissis, quæ et pro tanto à nobis adducta fuerunt, patet abundantissime destructio errorum in principio appendicis narratorum. *Tertio* vides: qũomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Sectariorum* dicentium; cæremonias nullas debere esse in Ecclesia. Et *Antidiaphoristarum* dicentium; cæremonias antiquas nullas debere esse in Ecclesia. Per ly antiquas non intelligunt veteris legis, sed novæ, á primis tamen seculis hujus legis observatas. Antidiaphoristæ siquidem sunt ex rigidorum Confessionistarum nostri seculi factione, qui impugnant Ecclesiam in praedicta positione, quam tamen non impugnarent tunc, cum Ecclesia nullas veteris legis, ut veteris, observet cæremonias. Voluerunt ergo et hi Antidiaphoristae per illud suum dictum esse Novatores, idest primitivæ Ecclesiæ cæremoniarum damnatores. Et, quoniam illae, quæ nunc fiunt ab Ecclesia in missarum celebratione, á primoribus nostris Patribus, quin et ab Apostolis (ut videre est supra ex art. 4. append.) traxerunt originem: ideo dicuntur antiquæ, et pro tanto articulum praesentem Divi Thomæ militare contra Antidiaphoristarum insanam positionem, asseruimus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 5. "Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum mediationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet, quaedam summissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur." Et canone 7. "Si quis dixerit: caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit." Et canone 9. "Si quis dixerit: Ecclesiae Romanae ritum, quo sumissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo, quod sit contra Christi institutionem: anathema sit." Item damnari á dictis in 2. 2. art. num. 432. 500. 614. 663. cum Elucidation. Item á scripturis in figura, ut patet per veritates aureas super totam legem veterem, num. 18. concl. 2. et cap. 4. concl. 1. et cap. 10. concl. 2. et cap. 18. concl. 2. item Exod. 25. concl. 4. Ibi etiam de cultu externo multa reperies contra indoctos, et instabiles, 2. Pet. 3. quae ad hunc locum (secundum quod solerti ingenio prudens lector suaviter applicabit) magnam partem utilitatis conferunt. Quocirca etiam in eisdem veritatibus aureis vide Exod. 26. concl. 1. et cap. 38. concl. 1. et cap. 39. concl. 1. item Levit. 26. concl. 1. Quia vero de caeremoniis Ecclesiasticis in missa, earumque convenientia, dignitate, ac utilitate et articulus, et superiora meminerunt, ideo ad pleniorem notitiam talium caeremoniarum, convenientiae suae, dignitatis, excellentiae, atque utilitatis (quod maxime ad articulum praesentem elucidandum faciet) vide libellum nostrum: cujus titulus latinus est: *Sacerdos in æternum*, et immediate vulgaris, *Cærimonie della messa*. Cujus tituli duplicis ratio tibi in frontispicio reddita gravissimus erit testis notitiae plenioris rerum earum, quas illinc habendas á te nunc ipse promisimus. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum a scripturis, quod, salvis Ecclesiae statutis, potest sufficienter occurri defectibus inter missarum celebrationem contingentibus. Hoc est. Quod Ecclesiae statuta circa missarum celebrationem in sui discretionis sale condita: et consequenter, quod non obligant ad impossibile, et consequenter quod potest occurri defectibus in celebratione missarum recidentibus absque scrupulo transgressionis statutorum Ecclesiae praedictorum. Sed et fieri debet secundum intentionem Ecclesiae hoc ipsum, scilicet occur-

rere periculis, seu defectibus hujusmodi modo per articuli doctrinam declarato absque conscientia erronea, idest absque scrupulo contraveniendi illis statutis sic faciendo. Illud autem, quod in principio appendicis dictum est, insinuatur á scripturis per hoc, quod de divina sapientia, et ex consequenti de Ecclesia, quae spiritu divinae sapientiae specialiter gubernatur (ut patet in art. 3. et art. 5. arg. cont.) proportionaliter dicitur Proverb. 8. " Justi sunt omnes sermones mei: non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et aequi invenientibus scientiam. » Ac si ex his in proposito, immo et in aliis similibus communiter, dicatur. Intelligantur bene statuta Ecclesiae: et tunc, sicut secundum se justa sunt, et recta, et aequa: ita etiam secundum ipsos bene ea intelligentes erunt justa, et recta, et aequa. Intelligantur bene statuta Ecclesiae: et tunc, sicut in eis secundum se non est pravum quid, neque perversum, ita etiam secundum ipsos bene ea intelligentes non erit in eis pravum quid, neque perversum. Dentur illi, qui inveniunt scientiam (ut D. Thomas semper veritatis Doctor, et amator) et tales in Ecclesiae statutis videbunt id, quod eis secundum se ipsa inest, videlicet justitiam, rectitudinem, aequitatem, nihil pravi, nihil perversi. At si è contrario dentur et male intelligentes statuta Ecclesiae, et non scientiam, sed insipientiam invenientes (ut sunt imprimis haeretici, vel etiam alii indocti) tunc hi statuta eadem in sua semper secundum se sinceritate, quae dicta est, permanentia incusare tentabunt, vel de injustitia, vel de obliquitate, vel de immisericordia: aut certe ipsi de suo aliquid somniatum, seu confictum, pravi, sive perversi, statutis illis aliquando impingere non erubescent. Cæterum post statutorum Ecclesiae in praesenti articulo adductorum, et glossatorum fundamento videndo, unde, scilicet, Doctor sanctus originem talis veri sensus illorum trahere potuerit: consule á simili eumdem de epicheia tractantem in 2. 2. q. 120. art. 1. 2. Quanto vero diligenti studio Ecclesiae sanctae statuta sint servanda (quod saepius docuit D. Thomas, maxime in 2. 2. q. 5. art. 3. et q. 10. art. 12.) non pigeat audire, tamquam pro confirmatione supradictorum, illud, quod ad talem materiam pertinens protulit Concil. Caroli Imper. ut recitatur in decr. dist. 19. c. " In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam Ecclesiam, et Apostolicam Sedem: ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis Ecclesiasticae, esse debet magistra rationis. Quare observanda est cum mansuetudine humilitas: et licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponeretur jugum tamen feramus, et pia devotione toleremus. » *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA QUARTA,

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de sacramento pœnitentiæ. Circa quod primo considerandum est de ipsa pœnitentia. Secundo, de effectu ipsius. Tertio, de partibus ejus. Quarto, de suscipientibus hoc sacramentum. Quinto, de potestate ministrorum, quæ ad claves pertinet. Sexto, de solemnitate hujus sacramenti.

Circa primum duo consideranda sunt. Primo de pœnitentia, secundum quod est sacramentum. Secundo de pœnitentia, secundum quod est virtus.

Circa primum quæruntur decem.

Primo, utrum pœnitentia sit sacramentum.
Secundo, de propria materia ejus.
Tertio, de forma ipsius.
Quarto, utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.
Quinto, utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.
Sexto, de ordine ejus ad alia sacramenta.
Septimo, de institutione ejus.
Octavo, de duratione ipsius.
Nono, de continuitate ejus.
Decimo, utrum possit iterari.

ARTICULUS I.

Utrum pœnitentia sit sacramentum.

Pro negativa.==Videtur quod pœnitentia non sit sacramentum.

1. Illud est sacramentum, in quo sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur salutem. Sed in pœnitentia non adhibentur aliquæ corporales res, sub quibus divina virtus operetur salutem. Ergo pœnitentia non est sacramentum.

Maior prob. Quia Greg. dicit et habetur 1. q. 1. cap. Multi. « Sacramenta " sunt baptismus, chrisma, corpus et " sanguis Christi, quæ ob id sacramenta " dicuntur, quia sub tegumento corpo- " ralium rerum divina virtus secretius " operatur salutem in eis. »

Minor patet, quia in pœnitentia non est aqua oleum, vel aliquid simile corporale, ut in baptismo et chrismate.

2. Sacramenta Ecclesiæ á ministris Christi exhibentur, secundum illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed pœnitentia non exhibetur á ministris Christi, sed interius á Deo inspiratur secundum illud Hierem. 31. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* Ergo pœnitentia non est sacramentum.

3. In sacramentis est aliquid quod est sacramentum tantum; aliquid quod est res et sacramentum; aliquid vero quod est res tantum, ut dictum est, quæst. 66. art. 1. Sed in pœnitentia hoc non invenitur. Ergo penitentia non est sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Baptismus est sacramentum. Ergo etiam pœnitentia est sacramentum.

Conseq. prob., quia sicut baptismus adhibetur ad purificandum á peccato, ita et pœnitentia, unde et Petrus dixit Simoni Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

ARTIC. I.

Determinatio.

Conclusio. Pœnitentia quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum.

Prob. Illud quod cum res gesta ita fit, ut aliquid sanctum significet, est sacramentum. Sed in pœnitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significat. Ergo pœnitentia est sacramentum.

Maior est Greg. Qui (ut refertur 1. qu. 1. cap. Multi. dicit: « Sacramentum « est in aliqua celebratione, cum res « gesta ita fit, ut aliquid significative « accipiamus quod sancte accipiendum « est. »

Minor prob., res enim gesta in pœnitentia aliquid sanctum significat, et ex parte peccatoris, et ex parte sacerdotis absolventis. Nam peccator pœnitens per ea quæ facit et dicit, ostendit cor suum á peccato recessisse. Similiter etiam sacerdos per ea quæ agit et dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Nomine enim corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in sacramento pœnitentiæ, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione.

Est autem attendendum quod in illis sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius, sicut inbaptismo, ubi fit plena remissio peccatorum, et quantum ad culpam et quantum ad pœnam, et in confirmatione ubi datur plenitudo Spiritus Sancti, et in Extrema unctione, ubi confertur plena sanitas spiritualis, quæ provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis acti-

bus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia et matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus, quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra et electuaria, quædam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes.

Ad 2. Neg. minor. Nam sacramentum pœnitentiæ exhibetur á ministris Christi. Sicut et alia sacramenta. Diversimode tamen. Nam in sacramentis, quæ habent corporalem materiam, ut sunt baptismus, confirmatio, et Extrema-unctio, oportet quod illa materia adhibeatur á ministro Ecclesiæ qui gérit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est á Christo; in sacramento autem pœnitentiæ non est corporalis materia, sed sunt actus humani per materia, qui proveniunt ex interna inspiratione. Unde materia non adhibetur á ministro, sed á Deo interius operante; minister tamen exhibet complementum hujus sacramenti, dum pœnitentem absolvit.

Ad 3. Negatur minor. Nam etiam in pœnitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem; res autem et sacramentum est poenitentia interior peccatoris; res autem tantum, et non sacramentum est remissio peccatorum. Quorum primum totum simul sumptum, scilicet exterior actus pœnitentis et sacerdotis est causa secundi; primum autem et secundum sunt quodammodo causa tertii.

ARTICULUS II.

Utrum peccata sint propria materia sacramenti pœnitentiæ.

Pro negativa. = Videtur quod peccata non sint propria materia hujus sacramenti.

1. Materia sacramenti sanctificatur. Sed peccata non possunt sanctificari. Ergo peccata non possunt esse materia sacramenti pœnitentiæ.

Maior patet, quia in aliis sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur materia, et sanctificata effectum sacramenti operatur, ut patet in baptismo et confirmatione.

Minor probat., quia peccata contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata.

2. Augustin. dicit in lib. de medic. pœnit. cap. 2. *Nullus potest inchoare novam vitam, nisi eum veteris vitæ pœniteat.* Ergo peccata non sunt propria materia hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia ad vetustatem vitæ pertinent, non solum peccata, sed etiam pœnalitates.

3. Sacramentum pœnitentiæ non ordinatur contra peccatum originale quod tollitur per baptismum; neque contra peccatum mortale quod tollitur per confessionem, nec etiam contra veniale quod tollitur per tunsionem pectoris, et per aquam benedictam, et per alia hujusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia pœnitentiæ.

Conseq. patet, quia non sunt nisi hæc tria peccatorum genera, scilicet originale, et mortale, et veniale.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit 2. Cor. 12. « Non egerunt pœnitentiam super immunditia et « fornicatione et impudicitia quam gesserunt. »

Determinatio.

Conclusio. Materia remota pœnitentiæ sunt peccata non acceptanda, sed detestanda et destruenda.

Prob. Materia materiæ proximæ pœnitentiæ est materia remota pœnitentiæ. Sed peccata sunt materia materiæ proximæ pœnitentiæ. Ergo peccata sunt materia remota pœnitentiæ.

Maior manifest. Nam materia est duplex scilicet proxima et remota; sicut statuæ proxima materia est metallum: remota vero aqua, ex qua metallum generatur. Unde sicut materia materiæ proximæ

statuæ, scilicet aqua, est materia remota statuæ ita materia materiæ proximæ pœnitentiæ, est ejus materia remota.

Minor ostenditur: nam materia proxima pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, ut dictum est art. præced. ad 1. et 2. Materia autem horum actuum sunt peccata, de quibus pœnitens dolet, et quæ confitetur, et pro quibus satisfacit: sunt igitur peccata materia materiæ proximæ pœnitentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod illa ratio procedit de materia proxima sacramenti, et in sacramentis quæ habent materiam exteriorem. Unde formaliter dicitur quod maior est vera de materia proxima sacramenti, et in sacramentis quæ habent exteriorem materiam, ut est baptismus.

Ad 2. Negatur consequ. Ad prob. dicitur, quod vetus et mortalis vita est objectum pœnitentiæ, non ratione pœnæ, sed ratione culpæ annexæ.

Ad 3. Negatur antecedens; est enim pœnitentia de quolibet illorum peccatorum, diversimode tamen. Nam de peccato actuali mortali est pœnitentia proprie et principaliter; proprie quidem quia proprie dicimur pœnitere de his quæ nostra voluntate commisimus. Principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter institutum.

De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia proprie, in quantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra hæc principaliter est hoc sacramentum institutum.

De peccato autem originali pœnitentia, nec principaliter est, quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus; nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apost. dicit Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* In quantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest pœnitentia dici de peccato originali, et sic loquitur Aug. in lib. de ver. et falsa pœnit. cap. 8. et lib. de Medic. pœnit. cap. 2.

Ad prob. autem dicitur, quod confessio est pœnitentiæ pars, tunsio etiam pectoris et similia etiam ad pœnitentiam quodammodo pertinent.

ARTICULUS III.

Utrum hæc sit forma sacramenti pœnitentiæ; ego te absolvo.

Pro negativa. — Videtur quod hæc non sit forma hujus sacramenti; ego te absolvo.

1. Non legitur quod Christus instituerit hanc formam *ego te absolvo*; neque etiam in communi usu habetur. Ergo hæc non est forma hujus sacramenti. Ego te absolvo.

Conseq. prob., quia formæ sacramentorum ex institutione Christi, et ex usu Ecclesiæ habentur.

Antecedens quoad priorem partem patet. Quoad secundam ostenditur, quia in quibusdam absolutionibus, quæ publice in Ecclesia fiunt, sicut in prima et completorio et in cœna Domini, absolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat, *ego vos absolvo*, sed oratione deprecativa, cum dicit: *misereatur vestri omnipotens Deus*, vel *absolutionem et remissionem tribuat vobis omnipotens Deus.*

2. Leo Papa Epist. 89. ad Theodorum dicit, et refertur de pœnit. dist. 1. c. Multiplex quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri, de indulgentia Dei quæ præstatur pœnitentibus. Ergo forma hujus sacramenti debet esse per modum deprecationis.

3. Ille qui á peccatis absolvit, potest peccata dimittere. Sed sacerdos non potest peccata dimittere. Ergo non potest dicere: *ego te absolvo.* Sicut non dicit. *Ego tibi peccata dimitto.*

Maior prob., quia absolvere á peccato, idem est quod peccatum remittere.

Minor prob., quia solus Deus peccatum remittit, qui etiam solus interius hominem á peccato mundat, ut dicit August. tract 5. in Joan.

4. Apostoli sanando infirmos, non utebantur his verbis. *Ego te sano* sed *sanet te Dominus Jesus Christus*, sicut Petrus dixit Paralytico Act. 9. Ergo sacerdotes, qui habent potestatem Apostolis concessam á Christo, non debent uti hac forma verborum, ego te absolvo. Sed: absolutionem tribuat tibi Christus.

Conseq. prob., quia sicut Dominus dedit discipulis potestatem absolvendi á peccatis, ita dedit eis potestatem curandi infirmitates, ut dæmones ejicerent, et ut languores sanarent, ut habetur Matth. 10. et Luc. 9.

5. Quidam hac forma, ego te absolvo utentes sic eam exponunt, *ego te absolvo* idest *ego te absolutum ostendo*. Sed sacerdotes non possunt quemquam absolutum ostendere, nisi eis divinitus reveletur, unde legitur Matt. 16. antequam Petro diceretur: « quodcumque « solveris super terram, » etc. dictum est ei, « beatus es Simon Barjona, quia « caro et sanguis non revelavit tibi, sed « Pater meus, qui est in cœlis. » Ergo videtur quod sacerdos, cui non est facta revelatio, præsumptuose dicat: ego te absolvo, etiamsi exponatur, ego te absolutum ostendo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdos fretus auctoritate verborum quæ Dominus Apostolis dixit Matth. ult. « Euntes docete omnes gentes baptizan- « tes eos, dicit: ego te baptizo. » Ergo sacerdos fretus auctoritate verborum, quæ Christus dixit Petro Matth. 16. « Quodcumque solveris super terram: « potest dicere, ego te absolvo. »

Determinatio.

Conclusio. Convenientissima forma sacramenti pœnitentiæ est, ego te absolvo.

Prob. Illud per quod significatur remotio peccatorum á pœnitente, est conveniens forma sacramenti pœnitentiæ. Sed per hoc quod dicitur, ego te absolvo, significatur remotio peccatorum á pœnitente. Ergo hoc quod dicitur. Ego te absolvo, est convenientissima forma sacramenti pœnitentiæ.

Maior manifestatur: illud per quod perficitur sacramentum pœnitentiæ, est ejus conveniens forma. Sed remotio peccatorum est perfectio sacramenti pœnitentiæ. Ergo illud quod significat remotionem peccatorum, est forma sacramenti pœnitentiæ.

Maior hujus prob., quia in qualibet re, perfectio attribuitur formæ, unde illud per quod sacramentum perficitur, est forma ejus.

Minor hujus manifestatur ex differentia, quæ est inter sacramentum pœnitentiæ, et alia sacramenta. Differunt enim alia sacramenta á sacramento pœnitentiæ in hoc quod aliorum sacramentorum perfectio consistit, vel in usu materiæ, ut est in sacramento baptismi, confirmationis et Extremæ-unctionis, vel in consecratione materiæ, ut in sacramento Eucharistiæ. Sacramentum autem pœnitentiæ non consistit in consecratione, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ; sed magis in remotione cujusdam materiæ scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ (ea enim quæ in hoc sacramento sunt ex parte pœnitentis, sive verba sive facta, sunt materia, et ea quæ sunt ex parte sacerdotis, habent locum formæ) remotio igitur peccatorum est perfectio hujus sacramenti, quæ erat minor probanda.

Minor principalis rationis ostenditur. Quia peccata sunt quædam vincula, secundum illud Prov. 5. « Iniquitates suæ « capiunt impium, et funibus peccatorum « suorum quisque constringitur. » Unde convenienter hæc peccatorum remotio significatur per hoc quod dicitur, *Ego te absolvo*.

Aliter formatur ratio hujus articuli pro conclusione.

Illud per quod significatur id, in quo perficitur sacramentum poenitentiæ, est conveniens ejus forma. Sed per hoc quod dicitur: Ego te absolvo, significatur id in quo perficitur sacramentum poenitentiæ. Ergo hæc verba: Ego te absolvo, est conveniens forma sacramenti poenitentiæ.

Maior prob., quia in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Unde id quod in sacramentis significat perfectionem sacramenti habet rationem formæ.

Minor manifestatur, quia Ego te absolvo, significat remotionem peccatorum, quæ sunt vincula quædam, in qua remotione consistit perfectio hujus sacramenti, ut patet ex dictis in alia forma.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur primo ad priorem antecedentis partem, quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus dixit Petro; *quodcumque solveris super terram*, et tali forma utitur Ecclesia in sacramentali absolutione. Ad aliam antecedentis partem dicitur, quod absolutiones in publico factæ non sunt sacramentales; sed sunt orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere: « misereatur « tui omnipotens Deus, vel absolutionem « et remissionem tribuat tibi Deus; » quia per hæc verba sacerdos absolutionem non significat fieri sed petit ut fiat. Præmittitur enim hæc oratio in sacramentali absolutione, ne impediatur effectus sacramenti ex parte poenitentis, cujus actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo, vel in confirmatione.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod verbum Leonis est intelligendum quantum ad deprecationem, quæ præmittitur absolutioni, non autem removet, quin sacerdotes absolvant.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod solus Deus per auctoritatem á peccato absolvit et peccatum remittit: sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus divina est, quæ interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res, ut aqua in baptismo, sive verba, ut ex supradictis in q. 62. art. 4. et 64. art. 1. ad 2. patet. Unde et Dominus expressit utrumque. Nam Matth. 16. dixit Petro. *Quodcumque solveris super terram*, etc. et Joan. 20. dixit discipulis, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ideo tamen sacerdos potius dicit, ego te absolvo, quam ego tibi peccata remitto, quia hoc magis congruit verbis quæ Dominus dixit, virtutem clavium ostendens per quas sacerdotes absolvunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid, quo pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur « Ego te absolvo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » vel per virtutem passionis Christi, vel auctoritate Dei, ut Dionys. exponit 3. cap. Cœlest. Hierarch. et cap. 7. Eccl. Hierarch. quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter in sacramentis; et ideo magis in formis sacramentalibus possunt exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmorum. Dicitur tamen ad antecedens, quod Apostoli in sanationibus infirmorum, non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo et imperativo, sicut Act. 3. legitur quod Petrus

dixit claudo. « Quod habeo hoc tibi do. « In nomine Jesu Christi Nazareni sur- « ge et ambula. » Si igitur Apostoli in curationibus infirmorum poterant uti indicativo et imperativo modo, cum tamen non haberent virtutem ut sanarent; sed solum, ut ad eorum orationes infirmitates fugarentur, multo magis tali modo poterant uti in formis sacramentorum, respectu quorum maiorem habuerunt potestatem.

Ad 5. Dicitur ad anteced., quod ista expositio: *ego te absolvo*, idest *absolutum ostendo*, quantum ad aliquid vera est, non tamen est perfecta; sacramenta enim novæ legis, non solum significant, sed etiam faciunt quod significant, unde sicut sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, et non solum significative; sed etiam effective. Ita etiam cum dicit, ego te absolvo, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. Nec tamen loquitur quasi de re incerta, quia sicut alia sacramenta novæ legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis; ita etiam et hoc sacramentum. Unde August. dicit in lib. 2. de adult. conju. cap. 9. « Non est turpis, nec dificilis post pa- « trata et purgata adultera, reconciliatio « conjugii, ubi per claves regni cœlorum « non dubitatur fieri remissio peccato- « rum. » Unde nec sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. Esset autem perfectior expositio formæ sacramenti pœnitentiæ: si diceretur. Ego te absolvo, idest sacramentum absolutionis tibi impendo.

ARTICULUS IV.

Utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad sacramentum pœnitentiæ.

Pro affirmativa. = Videtur quod impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.

1. In sacramento, per quod ægroti spiritualiter, idest peccatores, bonam habitudinem recipiunt, requiritur manuum impositio. Sed per sacramentum pœnitentiæ ægroti spiritualiter recipiunt bonam habitudinem. Ergo in sacramento pœnitentiæ requiritur manuum impositio.

Maior prob. A simili in ægris corporaliter, qui per impositionem manuum sanitatem recipiebant: dicitur enim Marci. ult. « Super ægros manus impo- « nent et bene habebunt. »

2. In sacramento, per quod homo recuperat Spiritum Sanctum amissum, requiritur manuum impositio. Sed in sacramento pœnitentiæ recuperat homo Spiritum Sanctum amissum. Ergo in sacramento pœnitentiæ requiritur manuum impositio.

Maior prob., quia Spiritus Sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Act. 8. Quod « apostoli im- « ponebant manus super illos, et accipie- « bant Spiritum Sanctum, » et Matth. 19. dicitur quod « oblati sunt Domino « parvuli, ut eis manus imponeret. »

Minor prob., quia ex persona poenitentis dicitur in Psalm. 50. « Redde mi- « hi lætitiam salutaris tui, et spiritu « principali confirma me. »

3. In aliis sacramentis non sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exerceat, sicut in baptismo, simul cum quod sacerdos dicit, ego te baptizo, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam simul cum hoc quod sacerdos dicit, ego te absolvo, oportet quod aliquem actum exerceat circa poenitentem, imponendo ei manus.

Conseq. prob., quia verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciæ, quam in aliis sacramentis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quando Dominus dixit Petro, *quod*

cumque solveris super terram etc. Nullam mentionem de manus impositione fecit; neque etiam quando omnibus apostolis simul dixit: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo ad hoc sacramentum non requiritur impositio manuum.

Determinatio.

Conclusio. Ad sacramentum poenitentiæ non requiritur manuum impositio.

Prob. Sacramentum, ad quod requiritur manuum impositio, ordinatur ad consequendam excellentiam gratiæ. Sed sacramentum poenitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccati. Ergo ad sacramentum poenitentiæ non requiritur manuum impositio.

Maior manifestatur: nam impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illiquibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuatur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti. Et in sacramento ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis, in divinis mysteriis. Unde 2. Tim. 1. dicitur: « resuscites « gratiam Dei, quæ est in te, per im« positionem manuum mearum. » Sacramentum igitur, ad quod requiritur manuum impositio, ordinatur ad consequendam gratiæ excellentiam.

Et confirmatur concl. Quia ad baptismum, in quo non confertur excellentia gratiæ, et si in eo fiat plenior peccatorum remissio, non requiritur manus impositio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod illa manus impositio, quo apostoli infirmitates corporales curabant, non erat sacramentalis; sed ordinabatur ad perficienda miracula, [ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam infirmitas corporalis tolleretur. Unde legitur quod etiam ipse Christus Mar. 6. Quod *infirmos manibus impositis curavit*; et Matth. 8. legitur quod *leprosum mundavit per contactum.*

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod non quælibet acceptio Spiritus Sancti requirit manus impositionem. Nam etiam in baptismo accipit homo Spiritum Sanctum, et tamen non fit ibi manus impositio. Sed acceptio Spiritus Sancti cum plenitudine requirit manus impositionem: quod pertinet ad confirmatonem.

Ad 3. Dicitur, quod antecedens est verum in his sacramentis, quæ perficiuntur in usu materiæ: in his enim minister habet aliquem actum corporalem exercere circa eum qui suscipit sacramentum, sicut patet in baptismo, in Extrema – unctione et confirmatione. Non autem est verum de sacramentis quæ non perficiuntur in usu materiæ. Sacramentum poenitentiæ non consistit in usu alicujus materiæ exterius appositæ, sed loco materiæ sunt ea quæ sunt ex parte poenitentis. Unde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materia perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super poenitentem, perficiunt sacramentum absolutionis. Et si aliquis actus esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competeret crucis signatio, quæ adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio, in signum, quod per sanguinem Christi remittunt peccata. Et tamen non est de necessitate sacramenti poenitentiæ, sicut nec est de necessitate Eucharistiæ.

ARTICULUS V.

Utrum sacramentum pœnitentiæ sit de necessitate salutis.

Pro negativa.=Videtur, quod sacramentum poenitentiæ non sit de necessitate salutis.

1. Illud de cujus ratione est tristitia, non est de necessitate salutis. Sed de

ratione poenitentiæ est tristitia. Ergo poenitentiæ sacramentum non est necessarium ad salutem.

Maior prob., quia tristitia non est necessaria ad salutem, si adsit bona voluntas, ut dicit Glos. ex Augu. super illud Psal. 125. *Qui seminant in lachrymis*, in exultatione metent.

Minor prob., quia 2. Cor. 7. dicitur: *quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

2. *Universa delicta operit charitas*, dicitur Prover. 10. *Et per misericordiam, et fidem purgantur peccata*, ut dicitur Prov. 15. Ergo habendo charitatem et fidem et misericordiam potest unusquisque salutem consequi, etiam sine poenitentiæ sacramento.

Conseq. prob., quia hoc sacramentum non est, nisi ad purgandum peccata.

3. Christus non instituit sacramentum poenitentiæ. Ergo poenitentia non est de necessitate salutis.

Anteced. prob., quia Joan. 8. Christus absolvit mulierem adulteram absque sacramento poenitentiæ.

Conseq. prob., quia sacramenta Ecclesiæ initium habent ab institutione Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Luc. 8. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.* Ergo poenitentia est necesaria ad salutem consequendam.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid potest dici necessarium ad salutem dupliciter: Uno modo absolute. Alio modo ex suppositione. Absolute necesarium est ad salutem illud, sine quo nullus salutem consequi potest, sicut sunt gratia Christi, et sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione vero dicitur necessarium illud, sine quo non potest quis consequi salutem, supposito tamen aliquo.

1.ª Conclusio. Sacramentum poenitentiæ non est necessarium ad salutem, absoluta necessitate.

Prob. Quia aliqui sine poenitentia consecuti sunt salutem: dicitur enim 2. Paral. ult. *Tu Domine Deus justorum non posuisti pœnitentiam justis Abraham, Isaac et Jacob, qui tibi non peccaverunt.*

2.ª Conclusio. Poenitentiæ sacramentum est necessarium ad salutem, suppositio peccato.

Probat. Illud sine quo peccatum á peccatore non removetur, est necessarium ad salutem, supposito peccato. Sed sine poenitentia non removetur peccatum á peccatore. Ergo poenitentia est necessaria ad salutem ejus qui peccavit.

Maior prob., quia peccatum *cum consumatum fuerit, generat mortem*, ut dicitur Iac. 1. Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo. Illud igitur sine quo non removetur peccatum, est necessarium ad salutem peccatoris.

Minor prob., quia in sacramento poenitentiæ operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati: sicut enim Aug. dicit Tract. 72. Super Joannem colligitur ex et Serm. 15. de Verbis Apost. *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te.*

Et confirmatur concl. Nam poenitentia est necessaria, sicut medicatio corporalis, quæ non est necessaria, nisi ei qui in morbum periculosum incidit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced. Quod Glos. illa videtur esse intelligenda de eo, cui adest bona voluntas, sine interpolatione, quæ fit per peccatum: talis enim non habet tristitiæ, aut poenitentiæ causam, vel necessitatem. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua quis dolet de

peccato præterito, quod pertinet ad poenitentiam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens. Quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides et misericordia non liberant hominem á peccato sine poenitentia: requirit enim charitas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat justificari á peccatis; requirit etiam ipsa misericordia ordinata, ut homo subveniat poenitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit, secundum illud Prov. 14. *Miseros facit populos peccatum*. Unde Ec. 30. dicitur: *miserere animæ tuæ placens Deo*. Unde patet quod charitas, fides et misericordia non remittunt peccata sine poenitentia.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit, ut dictum est quæst. 64. artic. 3. Pertinuit quod Chistus effectum sacramenti poenitentiæ, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulteræ sine exterioris poenitentiæ sacramento, licet non sine interiori poenitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

ARTICULUS VI.

Utrum pœnitentia sit secunda tabula post naufragium.

Pro negativa. ═Videtur, quod poenitentia non sit secunda tabula post naufragium.

1. Poenitentia non abscondit peccata, sed magis revelat; ergo poenitentia non est secunda tabula.

Conseq. prob., quia Glos. et Hieron. Super illud Isaiæ 3. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, dicit secunda tabula post naufragium est peccata abscondere.*

2. Fundamentum in spiritnali ædificio, non est secunda tabula. Sed poenitentia in spirituali ædificio est fundamentum. Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula.

Maior prob., quia fundamentum in ædificio non tenet secundum, sed primum locum.

Minor prob., quia Hebr. 6. dicitur: *non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*. Unde et præcedit ipsum baptismum, secundum illud Act. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*.

3. Poenitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, ut patet quæst. 65. art. 1. et 2. Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

Conseq. prob., quia omnia sacramenta sunt quædam tabulæ, idest remedia contra peccatum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hieron. dicit super illud Isaiæ 3. *Peccatum suum quasi Sodoma. etc. Quod secunda tabula post naufragium est pœnitentia.*

Determinatio.

Conclusio. Poenitentia dicitur metaphorice secunda tabula post naufragium.

Prob. Illud quod ordinatur ad salutem hominis, quasi per accidens, convenienter dicitur per metaphoram secunda tabula post naufragium. Sed poenitentia ordinatur ad salutem hominis, quasi per accidens, supposito quodam, scilicet ex suppositione peccati. Ergo poenitentia convenienter dicitur per metaphoram secunda tabula post naufragium.

Maior probat., quia id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens, sicut substantia prior est accidente: et ideo illud quod ordinatur per se ad salutem, tenet primum locum; quod vero ordinatur ad salutem, quasi per accidens, tenet secundum locum.

Minor prob. Ex differentia quæ est

inter tria priora sacramenta, scilicet baptismum, confirmationem et Eucharistiam ex una, et pœnitentiam ex altera parte. Illa enim priora sacramenta per se ordinantur ad salutem hominis. Baptismus enim est spiritualis regeneratio, confirmatio est spirituale augmentum, et Eucharistia est spirituale nutrimentum poenitentia vero ordinatur ad salutem hominis ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, poenitentia non indigeret. Indigeret tamen baptismo, confirmatione et Eucharistia, sicut et in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur. Indigeret tamen homo per se ad vitam generatione, augmento et nutrimento. Et propter hoc poenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis quod confertur, et conservatur per tria; priora sacramenta.

Consistit autem metaphora in hoc quod sicut primum remedium mare transeuntibus est, ut conserventur in navi integra. Secundum autem remedium post navem fractam est, ut quis tabulæ adhæreat. Ita etiam primum remedium in mari hujus vitæ est quod homo integritatem servet, secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, per poenitentiam redeat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod abscondere peccata contingit dupliciter uno modo, dum ipsa peccata fiunt: est enim pejus peccare publice quam occulte, tum quia peccator publicus videtur ex maiori contemptu peccare tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideo quoddam remedium est in peccatis, quod aliquis in occulto peccet. Et secundum hoc dicit Glossa citata in argumento, quod *secunda tabula post naufragium est peccata abscondere*, non quod per hoc tollatur peccatum, sicut per poenitentiam; sed quia per hoc peccatum fit minus. Alio modo, aliquis abscondit peccatum prius factum per negligentiam confessionis, et hoc contrariatur poenitentiæ, et sic abscondere peccatum non est secunda tabula, sed magis est contrarium tabulæ: dicitur enim Prov. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.*

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod pœnitentia non potest dici fundamentum, spiritualis ædificii simpliciter, idest in prima ædificatione; sed est fundamentum in secunda ædificatione, quæ fit per destructionem peccati: nam primo redeuntibus ad Deum occurrit poenitentia. Unde negatur absolute ipsa minor. Ad probationem dicitur, quod si verba Apostoli intelligantur de fundamento spiritualis vitæ, debent intelligi de fundamento secundæ ædificationis: tamen ibi Apostolus loquitur de fundamento spiritualis doctrinæ. Et ad id quod subditur in dicta probatione ex Act. 2. dicitur, quod poenitentia quæ præcedit baptismum, non est sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod poenitentia non tenet secundum locum in numero sacramentorum: dicitur tamen tenere secundum locum, quia est prima inter sacramenta pertinentia ad spiritualem ædificationem: nam primo ponuntur sacramenta pertinentia ad statum integritatis. Deinde ponitur sacramentum pertinens ad statum eorum qui naufragium passi sunt, quod est poenitentia, quæ propterea dicitur secunda tabula, idest remedium salutis post naufragium.

ARTICULUS VII.

Utrum sacramentum pœnitentiæ fuerit in nova lege convenienter institutum.

Pro negativa. = Videtur quod hoc sacramentum non fuerit convenienter in nova lege institutum.

1. Ea quæ sunt de jure naturali, institutione non indigent. Sed poenitere de malis quæ quis gessit, est de jure naturali. Ergo poenitentia non fuit convenienter in nova lege instituta.

Minor prob., quia non potest aliquis bonum diligere, quin de contrario doleat.

2. Illud quod fuit in veteri lege, non erat instituendum in nova. Sed poenitentia fuit etiam in veteri lege. Ergo poenitentia non debuit institui in nova lege.

Minor prob., quia Dominus conqueritur Jerem. 28. dicens: *nullus est qui agat pœnitentiam pro peccato suo, dicens: quid feci?*

3. Poenitentia est instituta á Domino ante baptismum. Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter in nova lege institutum.

Antec. prob., quia in principio prædicationis suæ Dominus dixisse legitur Matth. 4. *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Conseq. prob., quia poenitentia consequenter se habet ad baptismum, cum sit secunda tabula, ut dictum est art. præced. Ergo debuit non ante, sed post baptismum institui.

4. Christus non videtur instituisse sacramentum poenitentiæ. Ergo non fuit hoc sacramentum convenienter in nova lege institutum.

Antec. prob., quia Christus non est usus hoc sacramento, sicut est usus aliis sacramentis ab eo institutis.

Conseq. prob., quia sacramenta novæ legis habent institutionem á Christo, ex cujus virtute operantur.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Luc. ult. "Oportebat "Christum pati, et resurgere á mortuis "die tertia, et prædicari in nomine ejus "poenitentiam in remissionem peccato- "rum, in omnes gentes. »

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum poenitentiæ fuit convenienter in nova lege institutum.

Prob. Christus in Evangelio instituit determinatum modum agendi poenitentiam. Formam etiam hujus sacramenti tradidit, et virtutem hujus sacramenti, et virtutis originem manifestavit. Ergo institutio hujus sacramenti in nova lege est conveniens.

Antecedens manifestatur. Et quantum ad primum, quia Dominus in principio suæ prædicationis indixit hominibus, ut non solum poeniterent, sed etiam poenitentiam agerent; significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc sacramentum; determinavit etiam id quod pertinet ad officium ministrorum, scilicet formam. Matth. 16. ubi dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum, etc.* Efficaciam autem hujus sacramenti et originem virtutis ejus manifestavit post resurrectionem, Luc. ult. ubi dixit quod "oporteret prædicari in nomine ejus pœ- "nitentiam in remissionem peccatorum, "in omnes gentes, » præmisso de passione et resurrectione ejus; ex virtute enim nominis Jesu Christi patientis et resurgentis, hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum; et sic patet quod Dominus in Evangelio instituit modum, tradidit formam, et monstravit efficaciam et originem efficaciæ, sive virtutis hujus sacramenti,

Conseq. prob. Nam materia sacramenti poenitentiæ, sicut etiam aliorum sacramentorum, præexistit á natura, ut aqua in sacramento baptismi; vel ab arte, ut panis in sacramento Eucharistiæ; sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante: forma autem sacramenti, et virtus ipsius, totaliter est ex institutione Christi, ex cujus passione procedit virtus sacramentorum. In sacramento poenitentiæ actus poenitentis se habet ut materia: id autem quod se habet ex parte sacerdotis, qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale et completivum sacramenti. Ex hoc ergo quod Christus instituit modum faciendi poenitentiam, determinando actus ipsius poenitentis esse assumendos ad poeni-

tentiam, et tradidit formam hujus sacramenti, manifestando etiam virtutem et virtutis originem, sufficienter instituit sacramentum poenitentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ea enim quæ sunt de jure naturæ, determinationem aliquam ex divina institutione recipiunt, ut 1. 2. quæst. 91. art. 4. de lege naturæ, et quæstione 101. artic. 1. de præceptis Decalogi dictum est. Licet ergo de jure naturali sit quod aliquis poeniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quærat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat: tamen ex institutione divina aliquid adjungitur, ut scilicet talis dolor sit cum spe veniæ, et talis fuit poenitentia ninivitarum, Jonæ 3. qui doluerunt, et signa doloris ostenderunt ex dictamine naturæ; sed quod hoc fecerint cum spe veniæ dicens: *quis scit si convertatur Deus, et ignoscat*? etc. hoc fuit ex divina inspiratione. Poenitentia igitur quoad aliqua, est de naturali jure quoad aliqua vero, ex divina institutione.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod illud quod erat in veteri lege, non est inconveniens fuisse institutum etiam in nova, sed secundum diversum modum. Pro quo est considerandum quod ea quæ sunt juris naturalis, determinationem accipiunt per divinam institutionem; diversimode tamen determinationem accipiunt in veteri lege, et in nova: in veteri enim lege fuerunt determinata, secundum quod conveniebat imperfectioni illius legis; et in nova determinationem accipiunt, secundum quod convenit perfectioni novæ legis, et hoc patet in multis præceptis, quæ in veteri lege imperfectam determinationem habebant, quæ in nova Christus perfecte determinavit, de quibus abunde dictum est 1. 2. qu. 107. art. 2. Tunc ad minorem dicitur, quod poenitentia, quæ (ut in præcedenti responsione dictum est) est juris naturalis, habuit aliquam determinationem in veteri lege, quantum ad duo, idest quantum ad dolorem, et quantum ad remedium doloris. Quantum quidem ad dolorem, quem natura dictat; ut habeatur lex vetus determinavit quod esset magis in corde, quam in exterioribus signis, juxta illud Joel. 2. « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra: » quantum vero ad remedium doloris, quod natura dictat quærendum, lex vetus determinat esse quærendum confitendo ministris Dei peccata sua, ad minus in generali. Unde Dominus Levit. 5. dicit: « anima si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram, æstimationemque peccati, qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, et dimittitur ei. » In hoc enim quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quoddammodo sacerdoti suum peccatum confitebatur, et secundum hoc dicitur: Prov. 28. « Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea misericordiam consequetur. » In nova autem lege poenitentia determinationem maiorem accepit per hoc quod dolor esse debet de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem, et satisfactionem clavibus Ecclesiæ, quarum potestas, quæ á passione Christi derivatur, non erat in veteri lege, et quod hæc subjectio, confessio et satisfactio sit cum spe veniæ consequendæ, virtute passionis Christi. Poenitentia igitur quæ erat in veteri lege, requirebat solum dolorem interiorem, et quod per generalem peccati manifestationem ministris Dei, quæreretur remedium doloris. Poenitentia autem novæ legis multo plura exigit, ut modo dictum est: debet enim esse interior dolor de peccatis cum spe veniæ consequendæ, virtute passionis Christi, et cum proposito se clavibus Ecclesiæ subjiciendi.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod si quis recte consideret ea quæ Dominus dixit de necessitate baptismi Joan. 3. Tempore præcesserunt ea quæ dixit Matt. 4. de necessitate poenitentiæ: nam id quod dixit Nicodemo de baptismo Jo. 3. Fuit ante incarcerationem Joannis de quo postea subditur quod baptizabat; illud vero quod de poenitentia dixit Matth. 4. fuit post incarcerationem Joannis. Prius ergo á Domino fuit baptismus institutus, deinde poenitentia.

Dicitur secundo negando conseq. dato enim quod poenitentia ante baptismum fuerit á Domino instituta, non tamen et ex hoc sequitur quod sacramentum poenitentiæ fuerit ante baptismum institutum: nam poenitentia illa, ad quam homo ante baptismum inducebatur, sive á Domino, sive ab Apost. sicut Petrus dixit Act. 2. « Poenitentiam agite, et « baptizetur unusquisque vestrum, » hujusmodi poenitentia non erat sacramentum, sed solum dispositio ad sacramentum baptismi.

Ad 4. Negatur antecedens: Christus enim instituit sacramentum pœnitentiæ, sicut et alia sacramenta, ut suo loco dictum est, quæst. 64. Ad prob. Negatur consequentia; ex hoc enim quod Christus non est usus hoc sacramento, non sequitur quod non sit institutum á Christo. Christus enim non est usus baptismo quem ipse instituit, sed baptizatus est baptismo Joannis, ut dictum est q. 39. art. 1. et 2. Sed nec etiam active usus est suo baptismo, quia ipse communiter non baptizabat, sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. 4. Quamvis credendum sit quod discipulos suos baptizaverit, ut Aug. dicit Epist. 308. ad Celeusianum et lib. 3. de Ani. et ejus orig. cap. 9. Sacramenti autem poenitentiæ usus nullo modo Christo competebat; nec quantum ad hoc quod ipse poeniteret, cum in eo peccatum non esset: neque quantum ad hoc quod sacramentum poenitentiæ aliis præberet, quia ad ostendendam misericordiam et virtutem suam, effectum hujus sacramenti, sine sacramento præbebat, ut dictum est supra art. 5. Sacramentum autem Eucharistiæ ipse sumpsit, et aliis dedit, tum ad commendandam excellentiam hujus sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale dominicæ passionis, in qua Christus est sacerdos et hostia.

ARTICULUS VIII.

Utrum pœnitentia debeat durare usque ad finem vitæ .

Pro negativa. = Videtur quod poenitentia non debeat durare usque ad finem vitæ.

1. Poenitens statim consequitur remissionem peccatorum. Ergo non oportet ulterius poenitentiam protendi.

Antecedens prob., quia Ezech. 18. dicitur: " Si impius egerit poenitentiam " ab omnibus peccatis suis, quæ opera- " tus est, vita vivet, et non morietur. »

Conseq. prob., quia poenitentia ordinatur ad deletionem peccati.

2. Poenitentiam agere pertinet ad statum incipientium: Ergo non debet homo poenitentiam agere usque ad finem vitæ.

Conseq. probat., quia homo de statu poenitentiæ debet procedere ad statum proficientium, et ulterius ad statum perfectorum, in quibus debet cessare poenitentia.

3. Secundum canones determinata sunt tempora poenitendi, ut scilicet ille, qui hoc vel illud peccatum commiserit, tot annis poeniteat. Ergo videtur quod poenitentia non sit extendenda usque ad finem vitæ.

Conseq. prob., quia sicut in aliis sacramentis homo debet servare statuta Ecclesiæ, ita et in hoc sacramento.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de ver. et falsa poenit. cap. 13. " Quid restat nobis, nisi " semper dolere in vita? Ubi enim dolor " finitur, deficit poenitentia; si vero

"poenitentia finitur, quid relinquitur "de venia?»

Determinatio.

Distinctio. Duplex est pœnitentia, scilicet interior et exterior. Interior pœnitentia est, qua quis dolet de peccato commiso. Pœnitentia vero exterior est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, et juxta ejus arbitrium satisfacit.

1.ª Conclusio. Pœnitentia interior debet durare usque ad finem præsentis vitæ.

Prob. Semper homini debet displicere quod peccavit. Ergo interior pœnitentia debet durare usque ad finem præsentis vitæ.

Antecedens prob. Quia si homini placeret se peccasse, ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniæ perderet, ut Aug. in auctoritate inducta dicit.

Conseq. prob. Quia displicentia dolorem causat in eo, qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita, post hanc vitam sancti non sunt susceptivi doloris. Unde displicebunt eis peccata præterita sine omni tristitia, secundum illud Isaiæ 65. *Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores.*

2.ª Conclusio. Poenitentia exterior non oportet, quod duret usque ad finem vitæ, sed usque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

Quæ conclusio remanet probata per tertium argumentum inductum pro negativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod vera poenitentia, non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem á peccatis futuris. Quamvis igitur homo in primo instanti vere poenitentiæ remissionem consequatur præteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseverare poenitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod agere poenitentiam interiorem simul et exteriorem, pertinet ad statum incipientium qui scilicet de novo redeunt á peccato. Sed poenitentia interior habet locum etiam in proficientibus, et perfectis, secundum illud Ps. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Unde et Paulus dicebat: *non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* 1. Cor. 15.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod illa tempora præfiguntur poenitentibus quantum ad actionem exterioris poenitentiæ. Unde probat secundam conclusionem, ut dictum est.

ARTICULUS IX.

Utrum pœnitentia possit esse continua.

Pro negativa. = Videtur, quod poenitentia non possit esse continua.

1. Non semper est plorandum, et lachrimandum. Ergo poenitentia non potest esse continua.

Antecedens prob., quia Hyerem. 31. dicitur: *quiescat vox tua á ploratu, et oculi tui á lachrymis.*

Conseq. prob., quia poenitentia consistit in ploratu et lachrymis.

2. De hoc quod est agere poenitentiam, debet homo gaudere. Ergo poenitentia non potest esse continua.

Antecedens prob. De quolibet bono opere debet homo gaudere, secundum illud Ps. 99. *Servite Domino in lætitia.* Sed agere poenitentiam est bonum opus. Ergo de hoc ipso debet homo gaudere.

Consequentia prob., quia non potest homo simul gaudere, et tristari, ut patet 9. Ethic. Et sic non potest homo continue tristari de peccatis præteritis, quod pertinet ad rationem poenitentiæ.

3. Poenitens est consolandus. Ergo poenitentia non debet esse continua.

Antecedens prob., quia 2. Cor. 2. dicit Apost. *Consolamini*, scilicet poenitentem *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui hujusmodi est.*

Consequentia prob., quia consolatio

depellit tristitiam quæ pertinet ad rationem poenitentiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in lib. de ver. et falsa poenit. c. 13. *Dolor in pœnitentia continue custodiatur.*

Determinatio.

Distinctio. Pœnitere dicitur dupliciter; uno modo secundum actum; alio modo secundum habitum.

1.ª CONCLUSIO. Impossibile est hominem actu continue poenitere.

Prob. Quia necesse est quod actus poenitentis, sive interior sive exterior interpolletur, ad minus somno, et aliis quæ ad necessitatem corporis pertinent.

2.ª CONCLUSIO. Oportet hominem continue pœnitere, secundum habitum.

Manifestatur: debet enim hominem pœnitere secundum habitum quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod numquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur. Secundo quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere quod semper sibi præterita peccata displiceant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ploratus et lachrymæ ad actum exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non solum non debet esse continuus, sed nec etiam oportet quod duret usque ad finem vitæ, ut art. præced. dictum est. Unde signanter in auctoritate inducta subjungitur: *quia est merces operi tuo*; est autem merces pœnitentis plena remissio peccati, et quantum ad culpam et quantum pœnam, post cujus consecutionem, non est necesse quod homo ulterius exteriorem pœnitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ, de qua in prima conclusione dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod de dolore et gaudio dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi, et sic nullo modo possunt esse simul, eo quod sint omnino contrariæ; vel ex parte objecti, puta cum sunt de eodem, vel saltem ex parte motus cordis: nam gaudium est cum dilatatione cordis; tristitia vero cum constrictione, et hoc modo loquitur Phil. loc. cit. in arg. Alio modo possumus loqui de gaudio, et tristitia, secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet, vel displicet, et secundum hoc dolor et gaudium non possunt habere contrarietatem, nisi ex parte objecti, puta cum sunt de eodem et secundum idem; secundum quem modum non possunt esse simul gaudium et tristitia, quia non potest idem secundum idem placere et displicere. Si vero gaudium et tristitia non sint de eodem secundum idem: sed vel de diversis, vel de eodem, secundum diversa, non est contrarietas gaudii, et tristitiæ; unde nihil prohibet hominem simul gaudere, et tristari, puta si videamus justum affligi, simul placet nobis ejus tristitia, et displicet ejus afflictio, et hoc modo potest simul displicere alicui quod peccavit, et placere quod ei displicet cum spe veniæ; ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii. Unde et August. dicit in lib. de ver. et fals. poenit. cap. 13. *Semper doleat pœnitens, et de dolore gaudeat:* sed dato quod tristitia nullo modo compateretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas poenitentiæ: sed tantum actualis.

Ad 3. Dicitur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod consolatio non tollit tristitiam, sed moderatur ipsam: nam ut colligitur ex Phil. in 2. Ethic. c. 3. 6. et 9. Ad virtutem pertinet tenere remedium in passionibus, tristitia autem quæ est in appetitu poenitentis, ex displicentia voluntatis, passio quædam est. Unde moderanda est secundum virtutem, et ejus superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperatio-

nem quod significat Apostolus ibidem dicens: *ne maiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est*, et sic consolatio, de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa tristitiæ, non autem totaliter ablativa.

ARTICULUS X.

Utrum sacramentum pœnitentiæ debeat iterari.

Pro negativa. — Videtur, quod sacramentum poenitentiæ non debeat iterari.

1. Sacramentum per quod homines illuminati, perceperunt donum Spiritus Sancti, non debet iterari. Sed quicumque poenituerunt, sunt illuminati, et acceperunt donum Spiritus Sancti. Ergo sacramentum poenitentiæ non debet iterari.

Maior prob., quia Apost. dicit ad Heb. 6. « Impossibile est eos qui semel « sunt illuminati, et gustaverunt cœleste « donum, et participes facti sunt Spiri- « tus Sancti, et prolapsi sunt, renovari « rursus ad poenitentiam. »

2. Baptismus non iteratur. Ergo nec poenitentia iterari debet.

Consequentia prob., quia Amb. dicit in lib. 2. de poenitent. cap. 10. « Reperiuntur qui sæpius agendam poe- « nitentiam putant qui luxuriantur in « Christo: nam si vere in Christo poeni- « tentiam agerent, iterandum postea non « putarent quia sicut unum est baptisma, « ita unica est poenitentia. »

3. Non legitur quod Dominus aliquem cæcum bis illuminaverit, vel quod aliquem leprosum bis mundaverit, aut aliquem mortuum bis suscitaverit. Ergo videtur quod nec alicui peccatori bis per poenitentiam veniam largiatur.

Probatur consequentia. Nam miracula, quibus Dominus infirmitates corporales sanavit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus homines á peccatis liberantur.

4. Ille quem vere poenitet, non iterum peccat. Ergo non potest esse quod poenitentia iteretur.

Antecedens prob., quia Gregor. dicit in Hom. Quadragesimæ quæ est 34. in Evang. *Pœnitentia est ante acta peccata deflere et deflenda iterum non committere.* Et Isid. dicit in lib. 2. de Sum. bono c. 16. *Irrisor est non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet;* et sic videtur quod ille quem vere poenitet, non peccet iterum.

5. Baptismus non iteratur propter unitatem passionis, et mortis Christi. Ergo pari ratione nec poenitentia iteratur.

Consequentia prob., quia sicut baptismus habet efficaciam ex passione Christi, ita et poenitentia.

6. Si Deus veniam frequenter per poenitentiam præbet, videtur quod ipse hominibus præveat incentivum delinquendi, et sic videtur quod Deus delectetur in peccatis: quod ejus bonitati non congruit. Ergo non potest poenitentiam iterari.

Conseq. prob., quia Ambros. dicit Serm. 8. in Psalm. 118. « Quod facili- « tas veniæ incentivum præbet delin- « quendi. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus hanc misericordiam discipulis suis imponit, ut sæpius remittant fratribus contra se peccantibus: unde sicut dicitur Matth. 18. Petro quærenti, « quoties peccabit in me frater meus, et « dimittam ei, usque septies? » Respondit Jesus. « Non dico tibi usque septies: « sed usque septuagies septies. » Ergo etiam Deus sæpius per poenitentiam veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos petere. « Dimitte nobis « debita nostra, sicut et nos demittimus « debitoribus nostris. »

Consequentia prob., quia homo inducitur ad misericordiam exemplo divinæ misericordiæ, secundum illud Luc. 6.

« Estote misericordes, sicut et Pater ves- « ter misericors est. »

Determinatio.

Diversorum errores.

Circa pœnitentiam quidam erraverunt dicentes, non posse hominem per poenitentiam secundo consequi veniam peccatorum; quorum quidam, scilicet Novatiani hoc in tantum extenderunt, ut dicerent post primam poenitentiam quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per poenitentiam iterum restitui.

Alii vero fuerunt hæretici (ut Augus. refert in lib. de ver. et falsa poenit. c. 5.) Qui post. baptismum dicebant esse quidem utilem poenitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum.

Confutatio.

Hujusmodi errores videntur ex duobus processisse. Primo ex hoc quod errabant circa rationem vere poenitentiæ. Cum enim ad veram poenitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata, credebant quod charitas semel habita non posset amitti, et per consequens quod poenitentia, si sit vera, numquam per peccatum tollatur, ut sit necesse eam iterari. Hoc autem improbatum est 2. 2. quæst. 24. art. 11. Ubi ostensum est quod charitas semel habita potest propter libertatem arbitrii amitti, et per consequens post veram poenitentiam potest aliquis mortaliter peccare.

Secundo ex eo quod errabant circa æstimationem gravitatis peccati. Putabant enim adeo grave esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam quod non sit possibile ipsum remitti.

In quo quidem errabant, et ex parte peccati quod etiam post remissionem consecutam potest esse et gravius et levius, quam fuerit primum peccatum remissum; errabant etiam et multo magis contra infinitatem divinæ misericordiæ quæ superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum illud Psalm. 50. « Miserere mei Deus secun- « dum magnam misericordiam tuam, et « secundum multitudinem miserationum « tuarum dele iniquitatem meam. » Unde et reprobatur verbum Cain dicentis Gen. 4. « Maior est iniquitas mea, quam « ut veniam mereat; » et ideo misericordia Dei peccantibus per poenitentiam veniam præbet absque ullo termino. Unde dicitur 2. Paral. ultim. « Immen- « sa et investigabilis misericordia pro- « missionis tuæ super malitiam homi- « num, ex quibus sequitur conclusio res- « ponsiva, et ejus ratio. »

Conclusio. Poenitentia pluries est iterabilis.

Probatur. Tum quia post veram peractam poenitentiam potest quis denuo peccare; tum etiam, quia misericordia Dei omnem numerum et magnitudinem peccatorum superat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur, quod maior est vera de sacramento baptismi, non autem de omnibus aliis, et præcipue de poenitentia. Ad probationem dicitur, quod quia apud judæos, quibus Apostolus loquebatur in inducta auctoritate, erant secundum legem quædam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditiis purgabant, credebant aliqui judæorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari posset, ad quod excludendum ipsis scribit Heb. 6. « Quod « imposibile est eos qui semel sunt illu- « minati » scilicet per baptismum, « rursum « renovari ad poenitentiam, » scilicet per baptismum qui « est lavacrum regene- « rationis, et renovationis Spiritus Sanc- « ti, » ut dicitur ad Titum. 3. Ratio autem, quare baptismus non possit itetari, est; quia per baptismum homo commoritur Christo; et hoc est quod Apostolus ibidem subdit; « rursum cru- « cifigentes sibi metipsis Filium Dei, » qui semel tantum mortuus est.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Ambr. loquitur de poenitentia « solemni quæ in

Ecclesia non iteratur, ut dicetur infra, quæst. 118. art. 2.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod sicut August. dicit in lib. de ver. et falsa pœnit. cap. 5. « Multos cæcos, et « diverso tempore Dominus illuminavit, « et multos debiles confortavit, ostendens in diversis illis, eisdem sæpe peccata dimitti, ut quem prius sanavit leprosum, alio tempore illuminet cæcum. Ideo enim tot salvavit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos et aridos, ne desperet de se peccator; ideo autem non scribitur aliquem, nisi semel sanasse, ut quilibet timeat jungi peccato; medicum se vocat, et non sanis; sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est centies infirmum, centies curare qui cæteris minor esset, si aliis possibilia ignoraret. » Negatur igitur consequentia. Ex hoc enim quod non legitur Dominum bis aliquem curasse, non sequitur quod pœnitentia non possit iterari. Et ad probationem dicitur, quod iteratio veniæ signatur per multitudinem sanatorum á Domino corporaliter.

Ad 4. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod pœnitere est anteacta peccata deflere, et flenda non committere, scilicet simul dum flet, vel actu, vel proposito; ille enim est irrisor, et non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccet actu, vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit, qui postea peccat.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quædam spiritualis generatio cum spirituali, morte præcedentis vitæ, « statutum est autem hominibus semel mori, et semel nasci; » ideo semel tantum debet homo baptizare. Pœnitentia autem habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio quæ frequenter iterari potest.

Ad 6. Negatur consequentia. Ex hoc enim quod Deus sæpe peccata dimittit, « ostenditur Deo maxime displicere « peccata, qui semper præsto est ea desruere, ne solvatur quod creavit, nec « corrumpatur quod amavit, » scilicet per desperationem. Quod autem ex hoc aliquis incentivum accipiat delinquendi, ex propria malitia provenit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 84.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Conciliis, quod pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum. Ut á Concil. Flor. in decreto, seu constitut. super union Armen. *Quartum sacramentum est pœnitentia.* Item á concil. Trid. sess. 7. de sacramentis. can. 1. Vide hoc supra quæst. 65. art. 1. append. Item ab eod. sess. 14. c. 1. « Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio, et gratiam susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit sigmentum nostrum; *illis* etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet pœni-

tentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. » Et canon. 1. « Si quis dixerit: in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere, et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, á Christo Domino nostro institutum; anathema sit. » Et can. 2. « Si quis sacramenta confundens ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo sacramenta distincta non sint; atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit. *Secundo* vides: quomodo, ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem, *Lutheri* dicentis, ut refertur in Bulla Papæ Leonis X. contra errores illius: *nullo modo præsumas confiteri peccata venialia*. Cum enim articulus Sancti Doctoris hic efficiter probet, quod peccata etiam venialia sunt proprie materia pœnitentiæ; patet: quod per hoc efficaciter demonstrat, quod rationi congruum est, confiteri venialia. Vide dicta elucidationum in ad 3. Addebat autem idem Lutherus, tamquam pro fundamento prædicti erroris, alium errorem, dicens: " Dum volumus confiteri pure omnia peccata; nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem illum merito damnari á Papa Leone in eadem Bulla simul cum ejus fundamento erroneo. Item á Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. " Venialia, quibus á gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur; quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. « Ex quibus patet, quod etiam piorum hominum usus quotidie errorem illum, facto suo, condemnat: id, quod est etiam valde ponderandum; cum ii, qui filii Dei sunt, Spiritu Dei agantur, Roman. 8. Item ab eodem Concil. sess. ead. can. 7. " Si quis dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut non licere confiteri peccata venialia; anathema sit. » Vide Episcopum Roffensem *in lib. Assertionis Lutheranæ confutatio*, loquentem optime, satisque abunde contra art. 8. qui est primus errorum illorum, et contra Lutheri art. 9. qui est secundus eorumdem. Utrumque vero eorum, si profunde, á quo dicatur, utpote á versipelle, et vafritie pleno, consideraveris, conspicies, illo demum subtiliter tendere, ut paulatim, et quasi insensibiliter á timore Dei, tamquam pallio misericordiæ ipsius dealbati, tandem aliquando omnino evacuemur. Mos enim hæreticorum, quem preterire Lutheri delicata conscientia pro grandi scrupulo habere solet, est his, de quo Tertulianus in lib. de præscrip. hæretic. ait. « Hæretici negant Deum timendum, atque ita libera sunt eis omnia, et soluta. » Hæc ille. Quid autem est hoc, prudens lector: nisi radix totius ruinæ spiritualis, et via aperta ad omnem malitiam? Contemplare tu in practica illius sententiæ verificationem circa multitudinem hæresum passim occurrentium. *Tertio* habes: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á conciliis, quod materia poenitentiæ sunt actus poenitentis. A Florent. quidem, in decr. super union. Armenor. " Quantum sacramentum est poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiso cum proposito non peccandi de caetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator peccata omnia, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium confessoris, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, eleemosynam. » A Trid. autem sess. 14. cap. 3. " sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius poenitentis actus; nempe contritio, confessio, et satisfactio. Qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur: hac ratione poenitentiæ partes dicuntur. Et c. 4. Si quis negaverit: ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem; quæ tres poeni-

tentiæ partes dicuntur; anathema sit. » *Quarto* vides: quomodo ex articulo, et conciliis prædictis damnetur hæresis Lutheri, ut refertur in Bulla Leonis supradicta; per quam et damnatur, dicentis: tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus. Per hanc enim phrasim Lutherus negat, tres illas esse partes pœnitentiæ. Vide Roffensem lib. ubi supra contra Luther. artic. 5. *Quinto* vides: quomodo ex iis supradictis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis et conciliis, quod sacramenti pœnitentiæ forma est hæc, scilicet: *Ego absolvo te.* A scripturis quidem per hoc, quod Dominus promittens claves regni cœlorum Petro, et consequenter simul de usu ipsarum clavium loquens dicit Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram,* etc. ut cum discursu comparativo ad Matth. ult. ponitur *in arg. cont.* A Concilio autem Florentino in decreto super union. Armen. *Forma hujus sacramenti est: Ego te absolvo.* Item á Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. " Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio: tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi, remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut á judice, sententia pronunciatur. » Et canon. 9. " Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi, remissa esse peccata confitenti; anathema sit. » Quæ speciatim ad doctrinam responsionis ad quintum faciunt. Item á catechismo edito ex decr. Concilii Tridentini, et Pii V. Pont. Max. jussu: in, de sacramento pœnitentiæ. " Hujus sacramenti forma est: Ego te absolvo. Quam non solum ex illis verbis licet colligere: quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo; sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. Ac quoniam sacramenta id significant, quod efficiunt; illa : Ego te absolvo, ostendunt, peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici; planum est, hanc esse pœnitentiæ perfectam formam. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et conciliis, quod non requiritur manuum impositio in sacramento pœnitentiæ. A scripturis quidem per hoc, quod, *cum Dominus dixit Petro*, etc. ut *in arg. cont.* Pro cujus efficaciæ captu nota, quod licet locus ab auctoritate negative, simpliciter, idest, nullo alio addito, nihil efficaciæ habeat, ut patet in logicalibus, tamen idem locus, si cum aliquo alio addito affirmativam auctoritatem importante accipiatur, validam efficaciam habet. Verbi gratia, in proposito. Dominus intendebat assignare omnia assignanda ad remissionem peccatorum ex parte sacerdotis (ut patet, ne, scilicet esset diminutus in sua doctrina) quando dixit Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris*, etc. simulque omnibus Jo. 20. *Quorum remiseritis*, etc. At nullam alicubi mentionem de manuum impositione facit (ut patet Evangelii citata loca legenti). Ergo ad sacramentum pœnitentiæ non requiritur manuum impositio. Ecce argumentum ab auctoritate negative (quod ostendit minor) sumptum tamen cum aliquo addito affirmativam importante, quod ostendit major, et ideo est validum, et efficax, ut de se patet. Sic intellexit D. Thom. illud suum arg. cont. Nec obstat, quod non expresserit illam majorem; quoniam ipsa propositio, ut communis animi conceptio subintelligenda de necessitate præsupponebatur ibi. Quis enim non concipiat, quod Christus Dei sapientia, quando tractat ex professo aliquid, illud et intendit tractare, et tractat sufficienter, idest sine diminutione ? Sufficienter ergo, secundum etiam communem animi conceptionem, tractavit Christus de requisitis ex parte absolventis ad remissionem peccatorum. Stante hoc addito affirmativam circa illam auctoritatem importante, et ideo faciente, quod ille non est locus ab auctoritate pure negative (in quo sensu loquebantur logici) sed est ab auctoritate æquivalenter affirmative, constat omnibus manifeste, quod, si Christus in locis præmissis Evangelii nullam de impositione manuum fecit mentionem, non requiritur hic ipsa impositio. A Conciliis item similiter illud insinuatur per hoc, quod, cum tractant de requisitis ad remissionem peccatorum

ex parte absolventis, non faciunt mentionem de manuum impositione. Hoc patet legenti Concilium Florentinum, et Tridentin. recitata verbatim supra art. 2. append. Constat vero, Florentinum intendisse de requisitis ad sacramenta pleniter ibi instruere Armenos ipsos, et idem intendisse ibi Concilium Tridentinum respectu quorumcumque, cum certum sit, neutrum ipsorum notam insufficientiæ, seu diminutionis (quam et natura fugere docet) incurrere voluisse, quod, si de loco ab auctoritate negative quæstio moveatur pro infirmanda insinuatione prædicta, quam á Conciliis accepimus: tunc videantur præmissa circa scripturas de simili quæstione, et loquentia, et definientia, et mox, ad propositum præsens ipsa applicando, per locum á simili plene satisfactum erit. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Catharorum* (ut refer Car. Turrecr. de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium, quod non est pœnitendum de peccatis. Item Petri de Osma (ut refertur in Extrav. Sixti IV.) dicentis: quod peccata mortalia, quoad culpam, et pœnam alterius seculi delentur sola cordis contritione absque ordine ad claves, idest absque confessione etiam in voto habita. Item Albanensium dicentium: quod homo non potest, nec debet confiteri post commissum peccatum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas cum similibus (quod semper, et ubique intelligitur. Quoniam, damnata una hæresi, omnes aliæ similes, absque nova, et speciali damnatione, intelliguntur esse damnatæ) merito condemnari ab illa Extravaganti Papæ Sixti IV. Item á Concilio Trid. sess. 14. cap. 2. " Est autem hoc sacramentum poenitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. » Item á Conciliis, et multis aliis, ut patet in quæst. 69. art 1. Elucidat. et in Addit. artic. num. 1. 19. 20. 29. 59. 62. 108. semper cum Elucidat. Quæ loca citata, cum adversus hæreses agatur, videas omnino. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á S. Hieronymo, et conciliis, quod poenitentia est secunda tabula post naufragium. A. S. Hieron. quidem, ut *in arg. cont.* A concilio autem Florent. per hoc, quod dicit in decreto Armenis dato: " Per baptismum spiritualiter renascimur: per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem, et roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ: per poenitentiam spiritualiter sanamur. » Intelligas enim terminum, scilicet, quid importet ly secunda tabula post naufragium: et mox conspicies, quod per illa verba omnia Concilium dixit in sensu, quod sacramentum poenitentiæ est secunda tabula post naufragium. A Concilio etiam Trident. sessione 6. cap. 14. " Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari potuerunt: cum, excitante Deo, per poenitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverunt. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio: quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt.» Et sess. 14. canone 2. " Si quis, sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiæ sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo sacramenta distincta non sint: atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit: « *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Trid. quod sacramentum poenitentiæ á Christo institutum est convenienter. Ut sess. 7. de sacramentis, can. 1. " Si quis dixerit: sacramenta novæ legis non fuisse omnia á Christo instituta: anathema sit.« Vide quæst. 64. art. 2. append. Item ab eod. sess. 6. c. 14. " Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus sacramentum instituit poenitentiæ, cum dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Et sess. 14. c. 1. " Dominus sacramentum poenitentiæ tunc præcipue instituit, cum á mortuis excitatus insufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insig-

ni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica, tamquam hæreticos, explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc synodus probans, et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem, falso detorquent. Et c. 3. Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit. » Cæterum de convenientia institutionis patet ex hoc, quod Christum instituisse sacramentum istud, affirmat. Nam Christus, cum sit Dei sapientia, 1. Cor. 1. et non possit negare seipsum, 2. Tim. 2. non potest non convenienter, immo non convenientissime facere, quæcumque facit, ut alias docuimus, ita, quod idem sunt convertibiliter, Christus fecit hoc, vel illud, et Christus convenientissime fecit hoc, et illud. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem primæ conclusionis interimas hæreses *Begardorum* dicentium: quod perfectionis gradum tantum potest homo in hac vita acquirere, ut nec peccare amplius, nec in gratia proficere possit: et ita Spiritui sensum subjiciet, ut amplius nec jejunare, nec orare, nec alicujus obedientiæ etiam Ecclesiæ se subjicere oporteat, sed libere corpori, quidquid placet, concedere potest. Et addentium: quod perfecta anima licentiat á se virtutes, quia imperfecti hominis est, exercere se in actibus virtutum. Cum enim agere poenitentiam contraponatur (ut coecutientibus etiam patet) his hæresibus: dum articulus præsens, poenitentiam nostram per totum tempus vitæ hujus debere protendi, monstrat, impugnat é diametro illas, in quantum poenitentiam et cordis, et doloris á seipsis rejiciunt. Cordis, inquam; quoniam, si detestarentur (ut facit poenitentia interior) peccata, non fugerent obedientiam præsertim Ecclesiæ, nec quæcumque placentia corpori concederent. Nam rejicere á se obedientiam, et speciatim Ecclesiæ, est aperire viam spatiosam, et portam latam vitiis: tantum abest, ut is, qui facit illud, detestetur vitia. Similiter concedere corpori, quidquid placet, non detestationem, sed complacentiam vitiorum, secundum cujusque vere sapientis judicium, importat. Doloris etiam dixi, quoniam, si dolorem sensus (ut facit poenitentia interior) amplecterentur, non repudiarent ipsum orare, jejunare, et exercere se in actibus virtutum. Ex his igitur omnibus constat: quod et illæ, pro quanto sufficit ad propositum, breviter summatæ dicunt. Poenitentia interior non debet durare usque ad finem vitæ; et conclusio articuli dicto huic contraria ad litteram illarum extensa pro earumdem manifestiori confusione, dicit: homo debet usque ad finem vitæ subjicere se obedientiæ præsertim Ecclesiæ sanctæ, et corpori suo non concedere, quæcumque placent, et juxta mensuram rationabilem orare, jejunare, in actibusque virtutum seipsum exercere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas, pro quanto important errorem prænarratum, scilicet. Poenitentia interior non debet durare usque ad finem vitæ, damnari á D. Aug. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item á Concilio Trident. sess. 14. in doctrina de sacr. extr. unction. "Quod" (scilicet sacramentum Extremæ-unctionis) "non modo poenitentiæ, sed totius christianæ vitæ, quæ perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est á patribus." Item á scripturis per hoc, quod dicitur Eccl. 5. "De propitiato peccato noli esse sine metu." Hoc est. Ad propitiatum peccatorum habendum, vel etiam conservandum, nitaris semper per poenitentiam interiorem. Puta et detestando peccata, et assumendo dolorem sensitivum, scilicet satisfactiones sponte per seipsum pro vindicandis peccatis. Item per hoc, quod dicitur Eccl. 18. "Non impe-

diaris semper orare, et ne verearis, usque ad mortem justificari. » Item per hoc, quod dicitur Proverb. 28. " Beatus homo, qui semper est pavidus. » Scilicet de peccatis suis ad quærendam á Deo misericordiam, ut ex circumstantia litteræ habetur ibidem. Hoc autem totum est poenitentia interior. Quoad illum pavorem, et quoad illud, non esse sine metu, concordat Concilium Trid. sess. 6. cap. 9. 13. et canon. 14. 15. 16. 23. Item illæ hæreses, ut jacent, damnantur, et consequenter articuli conclusio aliqualiter roboratur á Papa Clemente V. in Concilio Viennensi, in lib. Clementinar. tit. de hæret. cap. ad nostrum. Item á multis aliis dictis 2. 2. art. num. 127. 559. cum Elucid. et veritatibus aureis super totam legem veterem. Gen. 4. concl. 10 et cap. 19. concl. 3. 5. item Levit. 18. concl. 1. item num. 15. concl. 10. et cap. 20. concl. 4. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, August. Concilio, et Ecclesia, quod poenitentia debet esse continua. A D. August. quidem, ut *in arg. cont.* et respon. ad 2. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Prov. 23. *in timore Domini esto tota die.* Item per hoc, quod dicitur Eccles. 27. " Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. » Ubi nota ly *instanter*, idest continue. Item per illud Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et illud Eccl. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et illud Eccl. 21. *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum:* scilicet agendo poenitentiam de peccato suo, dicens. *Quid feci.* Ut per locum ab oppositis patet ex Hier. 8. " Nullus est, qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci ? » Ex his namque collectis in unum patet intentum, sic. Si scriptura sacra nos monet ad persistendum tota die, et ad continendum instanter nosmetipsos in timore Dei, et timor Dei facit nos nihil negligere, idest expellere præ displicentia peccatum, convertique ad cor, agendo poenitentiam de peccato cordialem, dicentes singillatim, *quid feci?* utique scriptura ipsa per hoc demonstrat, quod poenitentia nostra debet esse continua. Nam ly *tota die*, et ly *instanter* important manifeste continuitatem, et eam non negligenter, sed diligenter factam. Ab Ecclesia item insinuatur idipsum per hoc, quod in Collecta Dominicæ infra octav. SS. Corp. Christi dicit: " Sancti nominis tui Domine timorem pariter, et amorem fac nos habere perpetuum; » hoc est, juxta declarationem de timore Domini præmissam, poenitentiam Domine ex amore tuo provenientem fac nos habere perpetuam. A Concilio quoque Trident. sess. 4. secundum quod ponitur in a. 8 append. Nam ly *perpetua* non tantum dicit durationem usque ad finem vitae, pro quo sensu ibi adducebatur, sed etiam dicit continuitatem, in quo sensu nunc adducitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem destruas errorem *Begardorum* in suis illis haeresibus inclusum, scilicet quod poenitentia non debet esse continua. Ex declaratione facta ar. 8. append. ad ostendendum errorem ibi condemnatum, scilicet poenitentiam non debere durare usque ad terminum vitae, in eisdem contineri; demonstrare potes tu, quod error hic ultimo dictus includitur in ipsorum haeresibus. ut dicebatur. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc, scilicet poenitentiam non debere esse continuam, damnari merito á praedictis nunc scripturis Ecclesia, Concilio, et Aug. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et conciliis; quod sacramentum poenitentiae reiterari potest pluries. A scripturis quidem, ut per dictum Luc. 6. simul cum Matth. 18. eo modo discurrendo, quo fit *in arg. cont.* A Concilio autem Florentino, in decreto super union. Armenor. " Sacramenta tria, baptismus, confirmatio, ordo characterem imprimunt: unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt: et reiterationem admittunt. » Ex quibus patet, quod ex characteris impressione vel non impressione judicatur reiteratio, vel non reiteratio. Ideo juvabit videre q. 63. a. 6. Item á Concilio Lateranensi sub Innoc. III. c. 21. *Omnis utriusque sexus*, etc. Vide sup qu. 80. art. 10. ad 5. Ibi namque pluries in anno, vel saltem semel in anno confessionem fieri mandatur. A Concilio quoque Trid. sess. 13. can.

9. " Si quis negaverit; omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctae matris Ecclesiae, anathema sit. » Et canon. 11. " Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur, sancta synodus statuit, atque declarat, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat. » Ex his enim simul junctis patet, quod non tantum potest, sed etiam debet iterari poenitentiae sacramentum: et quod excommunicatus est dicens contrarium). Caeterum contra Novatianos, de quibus loquitur tex. corp. vide 2. 2. art. num. 22. cum Elucidation. et veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 45. concl. 1. et cap. 4. concl. 17. Item Num. 15. concl. 2. Item Deuteron. 10. concl. 1. De gratia quoque, quod possit amitti, ut dicit text. ibid. vide 1. quaest. 23. art. 1. et quaest. 82. art. 4. cum Elucid. Item 1. 2. art. num. 356. 619. cum Elucid. Et veritates aureas praedictas, num. 13. concl. 4. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA QUINTA,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, SECUNDUM QUOD EST VIRTUS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de poenitentia, secundum quod est virtus.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum poenitentia sit virtus.
Secundo, utrum sit virtus specialis.
Tertio, sub qua specie virtutis contineatur.
Quarto, de subjecto ejus.
Quinto, de causa ipsius.
Sexto, de ordine ejus ad alias virtutes.

ARTICULUS I.

Utrum peonitentia sit virtus.

Pro negativa. ==Videtur, quod poenitentia non sit virtus.

1. Nullum aliud sacramentum est virtus; ergo neque poenitentia est virtus.

Conseq. prob., quia poenitentia connumeratur aliis sacramentis.

2. Illud quod est passio habens corporalem immutationem, et est de turpi actu non est virtus. Sed poenitentia est quædam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum; est enim poenitentia secundum Greg. hom. 34. in Evang. et lib. 9. Registri c. 39. *Præterita mala plangere:* et est etiam de turpibus factis, scilicet de peccatis quæ non habent locum in homine virtuoso. Ergo poenitentia non est virtus.

Maior prob., quia secundum Phil. 4. Ethic. cap. ult. Ideo *verecundia non est virtus*, quia est passsio habens corporalem immutationem, et quia non est dispositio perfecti, cum sit de turpi actu quod non habet locum in homine virtuoso.

3. Illud quod pertinet ad stultitiam, non est virtus. Sed poenitentia pertinet ad stultitiam. Ergo non est virtus.

Maior prob., quia Phil. dicit 4. Ethic. Quod *nullus est stultus eorum quæ secundum virtutem.*

Minor prob., quia stultum videtur dolore de commisso præterito; quod tamen pertinet ad poenitentiam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud de cujus actu datur divinæ legis præceptum, est virtus. Sed de poe-

nitentiæ actu datur divinæ legis præceptum. Ergo poenitentia est virtus.

Maior prob., quia cum *legislator intendat facere homines virtuosos*, ut dicitur 2. Ethic. cap. 1. Præcepta legis de actibus virtutum dantur.

Minor prob., quia Matthæi 4. dicitur: *poenitentiam agite*, etc.

Determinatio.

Distinctio. Dolor qui ad rationem poenitentiæ pertinet, ut dictum est art. 9. quæst. præced. Dupliciter dicitur. Uno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi. Alio modo secundum quod consistit in voluntate, secundum quem modum est cum quadam electione.

1.ª Conclusio. Poenitentia, secundum quod est dolor qui est passio appetitus sensitivi, non est virtus.

Hanc probat secundum argumentum factum pro negativa.

2.ª Conclusio. Poenitentia, secundum quod est dolor consistens in voluntate, est virtus.

Prob. Illud cujus actus est cum electione recta, est virtus. Sed actus poenitentiæ est cum electione recta. Ergo poenitentia est virtus.

Maior probatur, quia virtus est habitus electivus secundum rationem rectam, ut dicitur 2. Ethic. capit. 2. et cap. 6.

Minor prob., quia pertinet ad rationem rectam, quod aliquis doleat, de quo dolendum est, eo modo et fine quo dolendum est. Quod quidem abservatur in poenitentia, de qua nunc loquimur: nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea; et ideo poenitentia, de qua nunc loquimur, est virtus, vel virtutis actus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de poenitentia, quantum ad hoc, et de aliis sacramentis, in sacramento enim poenitentiæ materialiter se habent actus humani, quid non contingit in baptismo, vel in confirmatione; et cum virtus sit principium boni actus, potius poenitentia est virtus, vel cum virtute, quam alia sacramenta.

Ad 2. Jam dictum est quod probat. primam conclusionem; concludit enim quod poenitentia quæ est dolor appetitus sensitivi, non sit virtus, quia est passio. Sic enim poenitentia non est virtus, et sic habet corporalem transmutationem adjunctam. Est tamen virtus, secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam: quod tamen dicitur de poenitentia, et non de verecundia, quia verecundia respicit turpem factum, ut præsens, pro quo timet confundi, poenitentia vero, ut præteritum; est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis habeat turpe factum præsens, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.

Ad formam igitur argumenti negatur minor: poenitentia enim de qua nunc loquimur, non est passio. Negatur etiam maior quoad illud quod dicitur, quod illud quod est de turpi actu, non possit esse virtus: et ad probationem dicitur, quod contra rationem virtutis est turpis actus præsens, quem respicit verecundia, non autem actus turpis præteritus, quem respicit poenitentia.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod dolere de eo quod prius factum est cum intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit poenitens, sed dolor ejus est displicentia, seu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, et reatum poenæ; quod non pertinet ad stultitiam; sed ad virtutem.

ARTICULUS II.

Utrum pœnitentia sit specialis virtus.

Pro negativa. — Videtur quod poenitentia non sit specialis virtus.

1. Gaudium de bono prius facto non est specialis virtus; sed est quidam affectus laudabilis ex charitate proveniens ut patet per August. 14. de civit. Dei c. 7. Unde et Apost. 1. Cor. 13. dicit, quod *charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Ergo pari ratione nec poenitentia quæ est dolor de peccatis præteritis, est specialis virtus; sed est quidam affectus ex charitate proveniens.

Conseq. prob., quia ejusdem rationis videtur esse gaudere de bonis prius factis, et dolore de malis perpetratis.

2. Quælibet virtus specialis habet materiam specialem. Sed poenitentia non habet materiam specialem. Ergo poenitentia non est virtus specialis.

Maior probat., quia habitus distinguntur per actus, et actus per objecta: unde specialis habitus, sive virtus, specialem habet actum, et speciale objectum, seu materiam.

Minor prob., quia materia peonitentiæ sunt peccata præterita, circa quamcumque materiam.

3. Quod contrariatur omnibus peccatis, non est specialis virtus; sed poenitentia contrariatur omnibus peccatis. Ergo poenitentia non est specialis virtus.

Minor probat., quod expellit omnia péccata, contrariatur omnibus peccatis. Nihil enim expellitur, nisi á suo contrario, poenitentia expellit omnia peccata. Ergo poenitentia contrariatur omnibus peccatis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud de quo datur speciale præceptum legis, est specialis virtus; sed de poenitentia datur speciale legis præceptum, ut dictum est in quæst. præced. art. 5. in arg. pro affirmativa. Ergo poenitentia est specialis virtus.

Determinatio.

Conclusio. Necesse est ponere quod poenitentia sit specialis virtus.

Prob. Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Sed in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis. Ergo poenitentia est specialis virtus.

Maior prob., quia species habituum distinguuntur secundum species actuum, ut dictum est 1. 2. quæst. 54. art. 1. ad 1. et ideo specialis actus laudabilis specialem virtutem exigit.

Minor prob., quia actus poenitentiæ est operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod á charitate derivatur aliquis actus dupliciter, uno modo sicut ab ea elicitus. Alio modo sicut ab ea imperatus; actus virtuosus á charitate elicitus non requirit aliam virtutem præter charitatem; sicut sunt diligere bonum, gaudere de eo, et tristari de opposito. Actus vero á charitate imperatus potest etiam ad aliam specialem virtutem, á qua eliciatur, pertinere. Imperat enim charitas omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum. Tunc ad formam argumenti dicitur, quod in gaudio de bono, duo possunt considerari, scilicet ipsum simplex gaudium de bono, et ipsa intentio operandi bonum. Primum pertinet ad solam charitatem, secundum pertinet ad alias virtutes. Gaudere enim de bono justitiæ ad charitatem pertinet; operari autem justitiæ bonum propter ultimum finem imperatur á charitate; sed elicitur á virtute justitiæ. Hoc idem consideratur in dolore de malo, qui ad poenitentam pertinet. Scilicet ipsa sola displicentia de malo propter Deum, et hoc elicitur á charitate: et intentio operandi ad destructionem peccati, et hoc

imperatur á charitate, et elicitur á speciali virtute quæ est poenitentia. Si igitur in antecedente sit sermo de sola delectatione, sive de solo gaudio de bono, et in consequente de sola displicentia peccati, conceditur totum: sicut enim simplex gaudium de bono ad solam charitatem pertinet, sic et displicentia de malo. Si vero sit sermo de intentione operandi bonum ad destructionem peccati negatur antecedens, á quo nec consequens sequitur, cum tam intentio operandi bonum, quam intentio destruendi peccatum á specialibus virtutibus provenire possint.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod pœnitentia realiter quidem habet generalem materiam, in quantum omnia peccata respicit: tamen hanc generalem materiam respicit sub ratione speciali, in quantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod aliquid contrariari omnibus peccatis contingit duplicter. Uno modo formaliter, sicut albedo nigredini, et justitia injustitiæ. Alio modo effective. Sicut calor frigori. Maior est vera de contrarietate formali; si enim esset aliquid oppositum formaliter omnibus peccatis, non posset esse specialis virtus. Sed est falsa de eo quod opponitur omnibus peccatis effective. Tunc ad minorem dicitur, quod poenitentia formaliter non opponitur omnibus peccatis, vel vitiis, sed solum uni, scilicet impœnitentiæ; effective autem omnibus peccatis opponitur, in quantum operatur ad destructionem omnium peccatorum, prout sunt remissibilia ex divina gratia, homine cooperante. Ex qua effectiva contrarietate non sequitur quod non sit specialis virtus.

ARTICULUS III.

Utrum virtus pœnitentiæ sit species justitiæ.

Pro negativa. ==Videtur quod virtus poenitentiæ non sit species justitiæ.

1. Virtus theologica non est species justitiæ. Sed poenitentia est virtus theologica. Ergo pœnitentia non est species justitiæ.

Maior prob., quia justitia non est virtus theologica, sed moralis, ut dictum est 1. [2. quæst. 62. art. 2. et 3.

Minor prob., quia pœnitentia habet Deum pro objecto; satisfacit enim Deo, cui et reconciliat peccatores.

2. Justitia consistit in medio. Sed poenitentia non consistit in medio. Ergo poenitentia non est pars justitiæ.

Maior prob., quia justitia est virtus moralis.

Minor prob., quia poenitentia consistit in quodam excessu, secundum illud Hierem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.*

3. Poenitentia non continetur sub justitia commutativa, neque sub distributiva. Ergo poenitentia non est pars justitiæ.

Conseq. prob., quia illæ duæ tantum sunt justitiæ species, ut dicitur 5. Ethic. c. 4.

4. Super illud Luc. 6. « Beati qui nunc fletis, dicit Glos. ordin. Ecce prudentia, qua ostenditur quam hæc terrena sint misera, et quam beata coelestia. » Ergo poenitentia magis est species prudentiæ, quam justitiæ.

Consequentia prob., quia flere est actus poenitentiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Virtus ad quam pertinet vindictam facere, est pars justitiæ. Sed ad poenitentiam pertinet vindictam facere. Ergo poenitentia est species justitiæ.

Maior prob., quia vindictam facere pertinet ad justitiam: unde Tull. in lib. 2. suæ Rhetor. de inventione, ponit vindictam unam speciem justitiæ.

Minor prob., quia August. dicit in lib. de vera et falsa poen. c. 8. « Poe- « nitentia est quædam dolentis vindicta

« semper puniens in se quod dolet com-« misisse. »

Determinatio.

1.ª Conclusio. Poenitentia, secundum quod est virtus, est species justitiæ.

Prob. Virtus ad quam pertinet recompensatio et retributio, est species justitiæ. Sed ad poenitentiam pertinet recompensatio et retributio. Ergo poenitentia est pars justitiæ.

Maior prob., quia utrumque, scilicet tam retributio, quam recompensatio, pertinet ad materiam justitiæ, cum utrumque sit quædam commutatio.

Minor manifestatur: Nam (ut dictum est art. præced. ad 1. Poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo) quod dolet de malo perpetrato: ad hoc enim sufficeret charitas; sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ; sed ulterius exigitur quædam recompensatio quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio, nisi quod recompensatio est ex parte ejus, qui offendit; retributio autem est ex parte ejus, in quem est offensa commissa. Et sic patet quod ad poenitentiam pertinet recompensatio et reretributio, quod erat probandum.

2.ª Conclusio. In poenitentia attenditur justum, non simpliciter, sed secundum quid.

Declaratur deinde probatur. Sciendum igitur quod secundum Phil. 5. Ethic. c. 6. Dupliciter dicitur justum; scilicet simpliciter et secundum quid. Simpliciter quidem justum est inter æquales, quia justitia est æqualitas quædam quod justum simpliciter, ipse Phil. vocat justum politicum, vel civile, quia omnes cives æquales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes. Justum autem secundum quid dicitur quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub Domino, Filius sub patre, uxor sub viro, et hoc est justum secundum quid quod consideratur in poenitentia.

Manifestatur igitur conclusio. Quia poenitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad Dominum, secundum illud Psalm. 122. « Sicut oculi servorum in manibus do-« minorum suorum, ita oculi nostri ad « Dominum Deum nostrum, donec mi-« sereatur nostri. » Et sicut Filius ad Patrem, secundum illud Lucæ 15. « Pa-« ter peccavi in coelum, et coram te. » Et sicut uxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. «Fornicata es cum amatori-« bus multis, tamen revertere ad me, « dicit Dominus.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem negatur assumptum: nam pœnitentia non habet Deum pro objecto: justitia enim, cujus species est pœnitentia, est virtus ad alterum, ut dicitur 5. Ethic. c. 1. Ille autem, ad quem est justitia non dicitur esse materia, sive objectum justitiæ; sed materia justitiæ dicuntur res quæ distribuuntur, vel commutantur. Unde materia pœnitentiæ non est Deus; sed actus humani quibus Deus offenditur, vel placatur: Sed Deus se habet sicut ille ad quem est justitia. Ex quo patet quod pœnitentia non habet Deum pro objecto, nec est theologica virtus.

Ad 2. Negatur minor. Pœnitentia enim consistit in medio, non quidem simpliciter (cum in ea non consideretur justum simpliciter, ut dictum est in cor.) sed secundum quid. Medium enim justitiæ est æqualitas quæ constituitur inter illos; inter quos est justitia, ut dicitur 5. Ethic. c. 1. et 2. In quibusdam autem non potest perfecta æqualitas constitui propter alterius excellentiam, sicut inter patrem et filium, inter Deum

et hominem, ut dicitur 8. Ethic. c. ult. Unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quicquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter; sed solum secundum acceptationem superioris. Et hoc dicitur excessus in pœnitentia, quia scilicet homo pœnitens debet quicquid potest facere ad placandum Deum, et ad satisfaciendum ipsi. Quod etsi sit excessus quidam respectu pœnitentis, respectu tamen justitiæ deficit á vero medio, quod ad justum simpliciter requiritur.

Ad 3. Negatur minor. Continetur enim pœnitentia sub justitia commutativa. Sicut enim est commutatio quædam in beneficiis, cum scilicet aliquis pro beneficio accepto gratiam rependit; ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam; vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam quæ respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis. Unde manifestum est quod tam vindicatio, quam pœnitentia ad justitiam commutativam pertinent.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod pœnitentia, licet directe sit species justitiæ comprehendit tamen quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes, in quantum enim pœnitentia est justitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ sunt virtutum theologicarum quæ habent Deum pro objecto; unde pœnitentia est cum fide passionis Christi, per quam justificamur á peccatis; et cum spe veniæ, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ quæ est directiva omnium moralium virtutum; et hac ratione Gloss. cit. appellavit eam prudentiam

In quantum autem est species justitiæ, non solum habet id quod justitiæ est: sed etiam ea quæ sunt temperantiæ et fortitudinis: in quantum scilicet ea quæ delectationem causant, ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem justitiæ veniunt. Et secundum hoc ad pœnitentiam pertinet abstinere á delectationibus quod pertinet ad temperantiam; et sustinere dura quod pertinet ad fortitudinem, et sic patet quod pœnitentia omnes virtutes quodammodo includit, ac per hoc rationabiliter Glos. eam prudentiam appellavit.

ARTICULUS IV.

Utrum voluntas sit proprie subjectum pœnitentiæ.

Pro negativa. = Videtur quod subjectum pœnitentiæ, non sit proprie voluntas.

1. Tristitia non est in voluntate; sed in concupiscibili, sicut et gaudium. Sed pœnitentia est species tristitiæ. Ergo pœnitentia non est in voluntate; sed in concupiscibili.

2. Vindicta non pertinet ad voluntatem; sed ad irascibilem: sed pœnitentia est vindicta quædam ut August. lib. de ver. et falsa pœnit. cap. 8. dicit: ergo pœnitentia non est in voluntate.

Maior prob., quia ira est appetitus vindictæ.

3. Præteritum est propium objectum memoriæ, ut dicit Arist. in lib. de mem. c. 1. Sed poenitentia est de præterito, ut dictum est. Ergo poenitentia est in memoria.

4. Poenitentia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ. Ergo poenitentia est in qualibet vi animæ.

Conseq. prob., quia nihil agit, ubi non est.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Offerre sacrificium est actus voluntatis, secundum illud Ps. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Poenitentia est sacrificium quoddam secundum illud Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ergo poenitentia est in voluntate.

Determinatio.

Distinctio. De poenitentia dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum quod est passio quædam. Alio modo secundum quod est virtus.

1.ª Conclusio. Poenitentia secundum quod est passio, est in concupiscibili, sicut in subjecto, et non in voluntate.

Probatur per primum argumentum pro negativa inductum, quia scilicet poenitentia sic accepta est species tristitiæ.

2.ª Conclusio. Poenitentia secundum quod est virtus, est in voluntate, sicut in subjecto, et propius ejus actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est.

Prob. Virtus quæ est species justitiæ, est in voluntate, sicut in subjecto; sed poenitentia est species justitiæ, ut art. præced. dictum est. Ergo poenitentia est in voluntate, sicut in subjecto.

Maior prob., quia justitia habet pro subjecto appetitum rationis qui est voluntas, ut dictum est 1. 2. quæst. 56. art. 6.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est, quod probat primam conclusionem; sed in quantum potest tangere secundam, negatur minor; pœnitentia enim virtus non est species tristitiæ: sed displicentia, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod appetere vindictam de alio ex passione pertinet ad irascibilem: sed appetere vel facere vindictam ex ratione de se, vel de alio pertinet ad voluntatem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod præteritum est proprium objectum memoriæ, quatenus á memoria apprehenditur; est vero pœnitentiæ objectum, quatenus de malo præterito apprehenso pœnitet. Unde pœnitentia non est memoria; sed præsupponit eam.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi pœnitentia sit tantum in voluntate, quia tamen voluntas omnes alias potentias movet, ut dictum est 1. p. q. 82. art. 4. Pœnitentia in voluntate existens aliquid in singulis potentiis operatur.

ARTICULUS V.

Utrum principium pœnitentiæ sit ex timore.

Pro negativa.=Videtur quod principium pœnitentiæ non sit ex timore.

1. Pœnitentia incipit in displicentia peccatorum. Ergo pœnitentia magis oritur ex amore, quam ex timore.

Conseq. prob, quia displicentia peccatorum pertinet ad charitatem, ut art. 3. dictum est.

2. Homines ad pœnitentiam provocantur per expectationem regni cœlestis, secundum illud Matth. 3. et 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ergo pœnitentia magis procedit ex spe, quam ex timore.

Conseq. prob., quia regnum cœlorum est objectum spei.

3. Timor est quidam actus interior hominis. Ergo pœnitentia non procedit ex timore.

Conseq. prob., quia poenitentia non videtur in nobis esse ex opere hominis: sed ex opere Dei, secundum illud Hiere. 31. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isaiæ 26. dicitur: « sicut quæ concipit « cum appropinquaverit ad partum, do« lens clamat. In doloribus suis, sic facti « sumus, » scilicet per poenitentiam. Et postea subditur secundum aliam litteram. « A timore tuo Domine concepi« mus, et quasi parturivimus, et pepe« rimus spiritum salutis, » idest poenitentiæ salutis, ut per præmissa patet. Ergo poenitentia procedit ex timore.

Determinatio.

Distinctio. De poenitentia loqui possumus dupliciter; uno modo quantum ad habitum; alio modo quantum ad ac-

tus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur.

1.ª Conclusio. Habitus poenitentiæ non est in nobis ex timore.

Manifestatur: quia habitus poenitentiæ immediate á Deo infunditur, sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.

2.ª Conclusio. Actus poenitentiæ procedit sicut á primo motu affectus ad poenitentiam ordinato, á timore servili; á timore autem filiali procedit poenitentia, sicut ab immediato et proximo principio.

Manifestatur: nam actuum, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur primum principium est Dei operatio, convertentis cor. Secundum illud Tren. ult. *Converte nos Domine ad te, et convertemur.*

Secundus actus est motus fidei. Accedentem enim ad Deum oportet credere, ut dicitur Heb. 10.

Tertius, est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum á peccatis retrahitur.

Quartus, est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ, assumit propositum emendandi.

Quintus, actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum; et non jam propter supplicia.

Sextus, actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Ex quibus patet quod primus actus affectus nostri, á quo poenitentiæ actus oritur, est timor servilis. Nam prior actus simpliciter non noster, sed Dei fuit. Secundus vero fuit quidem noster, sed non fuit actus affectus, sed intellectus captivari in obsequium Christi. Et per hoc patet prior conclusionis pars. Procedit autem á timore filiali sicut á proximo principio, quia filialis timor est ultimus inter actus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur, ut ex assignato ordine patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod displicentia peccati duplex est. Una est, qua displicent peccata propter supplicia, et hæc non est á charitate, sed charitatem præcedit. Altera est, qua peccata displicent propter Dei offensam. Et hæc est á charitate. Peccatori displicent primo peccata propter supplicia quæ displicentia est ex timore servili, et ideo timor servilis est primus motus affectus ad pœnitentiam.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in regno coelorum appropinquante duo considerantur, scilicet adventus regis punientis, et adventus ejusdem regis præmiantis. Quantum ad primum est objectum timoris; quantum ad secundum est objectum spei. Unde per adventum regni coelorum, non solum excitatur spes; sed etiam et prius excitatur timor.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etiam ipse motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor, ut dicitur Deuter 5. « Quis det « eos talem habere virtutem, ut timeant « me? » Unde ex hoc quod timor procedit ex operatione Dei convertentis cor, non sequitur quod non sit primus motus affectus ad poenitentiam: sed solum quod et ipse procedat ex Dei operatione.

ARTICULUS VI.

Utrum pœnitentia sit prima virtutum.

Pro affirmativa.=Videtur quod poenitentia sit prima virtutum.

1. Super illud Matth. 3. Poenitentiam agite, dicit Glos. ordin. « Prima virtus « est per poenitentiam punire veterem « hominem, et vitia odisse. »

2. Virtus per quam receditur á termino, prior est ea, per quam acceditur ad terminum. Sed per virtutem poenitentiæ homo recedit á termino, scilicet peccati, et per omnes alias virtutes accedit ad terminum scilicet ad bonum. Er-

go poenitentia est prima inter omnes virtutes.

Maior prob., quia recedere á termino prius est quam accedere ad terminum.

3. Ante poenitentiam in anima est peccatum, cum quo nulla inest animæ virtus. Ergo nulla virtus est ante poenitentiam; sed ipsa videtur esse prima quæ aliis aditum aperit excludendo peccatum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Poenitentia procedit ex fide, spe et charitate, ut art. præced. dictum est. Ergo poenitentia non est prima virtutum.

Determinatio.

Sensus quæsiti.

Ille terminus (prima) quæ ponitur in hoc quæsito denotat ordinem poenitentiæ ad alias virtutes. Ordo autem duplex est, scilicet temporis, et naturæ. In virtutibus non potest attendi ordo temporis quantum ad habitum, quia cum virtutes sint connexæ, ut 1. 2. quæst. 65. art. 1. dictum est, omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur una earum esse prior altera ordine natturæ qui ordo consideratur in virtutibus ex ordine actuum, secundum scilicet quod actus unius virtutis præsupponit actum alterius. Unde illa virtus ordine naturæ dicetur esse prior, cujus actus præsupponitur tempore, vel natura ab actu alterius virtutis, et illa posterior, cujus actus actum alterius virtutis præsupponit. Sensus igitur quæsiti est, an poenitentia ordine naturæ, vel temporis, secundum suos actus omnes alias virtutes præcedat.

Ad quæsitum.

1.ª Conclusio. Poenitentia non est simpliciter prima virtutum, nec ordine temporis secundum suos actus, nec ordine naturæ secundum habitum.

Probatur primo, quantum ad primam partem, scilicet quod poenitentia quantum ad suos actus non præcedat tempore actus omnium aliorum virtutum; quia quidam laudabiles actus etiam tempore præcedere posssunt actum et habitum poenitentiæ, sicut actus fidei et spei informium, et actus timoris servilis. Actus tamen et habitus charitatis, etsi sint simul tempore cum actu et habitu poenitentiæ et cum habitibus aliarum virtutum; tamen actus charitatis ordine naturæ præcedit actum poenitentiæ. Ut enim dictum est 1. 2. quæst. 113. art. 3. et 8. in justificatione impii simul est motus lib. arb. in Deum qui est actus fidei per charitatem formatus, et motus liberi arbitrii in peccatum qui est actus poenitentiæ. Quorum duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis poenitentiæ est contra peccatum ex amore Dei. Unde primus actus est ratio et causa secundi.

Quoad aliam partem prob., quia ordine naturæ præcedunt poenitentiam virtutes theologicæ, ut ex dictis patet.

2.ª Conclusio. Virtus poenitentiæ, quantum ad aliquid est prima inter virtutes morales ordine temporis, quantum ad ejus actum.

Manifestatur: quia actus poenitentiæ primus occurrit in justificatione impii.

3.ª Conclusio. Poenitentia non est prior omnibus moralibus virtutibus ordine naturæ.

Manifestatur: virtutes quæ per se sunt necessariæ ad bonum hominis, sunt priores virtutibus quæ sunt necessariæ ad bonum hominis tantum per accidens. Sed aliæ morales virtutes sunt per se necessariæ ad bonum hominis. Poenitentia vero est necessaria tantum per accidens, supposito scilicet peccato: sicut etiam dictum est de poenitentia quæ est sacramentum. Ergo virtus poenitentiæ non præcedit, secundum naturæ ordinem, alias morales virtutes.

Maior prob. Quia quod est per se, est prius eo quod est per accidens.

Ex quibus ominibus patet quod actus poenitentiæ non est prior actibus et ha-

bitibus aliarum omnium virtutum, ordine temporis: quia actus aliqui laudabiles præcedunt tempore et actum et habitum pœnitentiæ.

Nec est prior secundum actum, ordine naturæ, quia actus charitatis, quo liberum arbitrium fertur in Deum, præcedit actum, quo movetur in peccatum, qui est actus pœnitentiæ, ordine naturæ.

Nec est prior secundum habitum, quia ordine naturæ virtutes theologicæ ipsam præcedunt.

Est tamen prior tempore aliis virtutibus moralibus, quantum ad actum. Ordine tamen naturæ aliæ virtutes morales pœnitentiam præcedunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Glos. illa loquitur quantum ad hoc quod actus pœnitentiæ est primus tempore inter actus aliarum virtutum moralium: unde probat secundam conclusionem.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod in motibus sucessivis, recedere á termino est prius tempore, quam pervenire ad terminum, et etiam prius natura secundum ordinem causæ materialis. Sed secundum ordinem causæ agentis et finalis prius est pervenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo præcipue attenditur in actibus animæ, inter quos est actus pœnitentiæ. Probat igitur argumentum quod pœnitentiæ actus sit prior tempore, secundum ordinem causæ materialis, non autem quod sit omnibus modis prior.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam, quod pœnitentia aperit aditum virtutibus expellendo peccatum per virtutem fidei et charitatis quæ sunt naturaliter priores pœnitentia, ita tamen aperit eis aditum, quod ipsæ simul cum ipsa intrant: nam in justificatione impii simul cum motu liberi arbit. in Deum et in peccatum, est remissio culpæ, et infusio gratiæ, cum qua simul infunduntur omnes virtutes, ut dictum est 1. 2. quæst. 113. art. 7. et 8.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 83.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Concilio, quod pœnitentia est virtus, seu actus virtutis. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 4. secundum quod cum discursu patet *in arg. cont.* A Concilio autem Trid. sess. 6. c. 6. " Diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. De hac dispositione scriptum est. Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. Denique præparate corda vestra Domino. » Præparatur enim cor Domino mediis virtutibus, seu virtutum actibus. Unde ad hoc designandum inquit D. Aug. in sermone dedication. Eccles. " Habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, et virtutibus repleatur: claudatur diabolo, et aperiatur Christo. » Item á Conc. eod. sess. 14. c. 1. " Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut, perversitate rejecta, et eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur. Unde propheta ait: convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. » Ex quibus patet, quod Concilium pœnitentiam dicit esse virtutem: dum dicit ipsam esse peccati odium, animique pium dolorem, detestantem offensam Dei: atque facientem, quod iniquitas non sit nobis in ruinam. Universa si-

quidem hæc, quæ sunt quædam descriptio poenitentiæ, important electionem quamdam, et actionem, secundum rectam rationem, ut patet consideranti, et hoc est virtus seu actus virtutis, ex 2. Ethic. citato in tex. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod poenitentia est specialis virtus. Ut per hoc quod dicitur Matth. 4. *Pœnitentiam agite*. Ibi enim patet, quod de ea datur mandatum speciale. Correspondere siquidem solent mandata virtutibus ita, ut ad virtutes generales exercendas sufficiat dare mandata generalia, ad exercendum autem speciales requiratur speciale mandatum, ut etiam apparet in humanis legibus per quotidianam experientiam Vide 2. 2. q. 58. a. etc. item per hoc, quod de homine, qui peccato speciali peccavit dicitur Lev. 5. " agat poenitentiam pro peccato, et offerat de gregibus agnum, sive capram. » Et similiter per multa capitula ly *Levitici*, imponitur speciale quid pro poenitentia diversorum specialium peccatorum correspondenter. Ex isto enim exteriori facto, tamquam per figuram, ostenditur aliquod interius, scilicet quod cordialis poenitentia est virtus specialis. Quod autem á factis antiquorum, tamquam á figuris, liceat argumentari valide ad aliquid interius, seu in novo requisitum: habes ex Concilio Hispalensi 2. prout refertur in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 8. concl. 2. Item per hoc, quod poenitentia specialiter describitur, Hierem. 2. " Scito, et vide, quia malum, et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. » Ecce dolor, seu displicentia de peccato præterito. Et Apocal. 2. " Memor esto, unde exciderís, et age poenitentiam, et prima opera fac. » Ecce intentio operandi ad destructionem peccati commissi. Et facit Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ecce idem: secundum proportionem tamen correspondentem ad gravitatem peccati. Quod et clarius habetur in Psalm. 79. " cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis in mensura. » Dixi ly *clarius*, propter ly *in mensura:* id quod valde notandum est in poenitentia. Et Psalm. 3. *Revela Domino viam tuam*; *et spera in eo*. Ecce, spes veniæ consequendæ per misericordiam Dei: in revelando ei per poenitentiam interiorem viam nostram, illam scilicet de qua dicitur Isa. 38. " Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum à scripturis, Concilio, et Augustino, quod poenitentia est pars justitiæ. A D. August. quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. contr.* A scripturis vero per hoc quod dicitur 1. Corinth. 1. « Si nos ipsos judicaremus, non utique á Domino judicaremur. » Hoc est, si nos poenitentiam spontaneam de nobis, scilicet, satisfactorias poenas sponte sumendo, ageremus: non utique a Domino in vindictam peccatorum nostrorum castigaremur. Id, quod litteraliter ab oppositis dictum fuerat Eccles. 2. : « Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini. » Clarum etenim est, quod hoc verbum judicare pertinet ad justitiam: 2. 2., quæst. 60. art. 2. ö. Apostolus ergo, dum in casu poenitentiæ utitur hoc verbo judicare, monstrat eo ipso, quod poenitentia virtus est pars justitiæ. A Concilio autem Trid. sess, 14. cap. 9. « Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut poenis sponte á nobis pro vindicando peccato susceptis apud Deum patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. » Poenæ enim sponte susceptæ, ut patet ex textu corp. pertinent ad poenitentiam virtutem; et hæ poenæ, secundum Concilium, assumuntur pro vindicando peccato. Cum ergo vindicta sit pars justitiæ, 2. 2. quaest. 108. art. 2. patet, quod poenitentia virtus, secundum concilium, est pars justitiae. Sed et nomen satisfactio, quo utitur concilium, pertinet ad justitiam, ut patet. Et notat, quod hujusmodi justitiam satisfactionum poenitentiae virtutis attendi secundum acceptationem divinae bonitatis, ut habetur ex text. ad 2., ostendit aperte concilium ipsum per ly « tantam ese divinae munificentiae largitatem. » et per ly *per Christum Jesum*. *Secundo* habes et ex articuli ratione, et ex praedictis hic auctoritatibus; quod haeretici negantes opera satisfactoria, sive poenitentiam virtutem requiri necessario ad salutem peccatoris, dicunt per hoc, quod aliquis potest salvari sine justitia, ut patet

considerantibus ex praemissis terminos ly *pœnitentia* ly *satisfactio*. Id, quod manifestissime est contra totam sacram scripturam, quae semper injustos damnat: tantum abest, ut secundum veritatem ipsius possint salvari sine justicia. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod poenitencia est in voluntate, tamquam in subjecto, idest tamquam in eliciente actum poenitentiæ. Ut per dictum Ps. 50. *Sacrificium* etc. Simul cum dicto Ps. 53. *Voluntarie*, etc. secund. quod ponuntur cum discursu *in arg. contr.* Ubi nota, quod prophetа loquitur de voluntate, ut elicit ipsum sacrificium, non de ea, ut solum imperat actum idest, ut illud fiat. His quippe *duobus* modis aliquid est á voluntate factum, ut patet ex 1. 2. qu. 11. etc. et quaest. 17. art. etc Cum enim loquatur ibi de interiori sacrificio, ut constat ad litteram, et postea nihil aliud, nisi voluntatem, assignet, ad oferendum illud sacrificium, consequens est, quod ipsam, tamquam elicientem actum hunc introducat, non tamquam imperantem. Nam, si eam, ut imperantem, adduceret, assignandum erat primum sacrificii talis elicitivum; cui postea voluntas ipsa imperaret, ut eliceret actum hunc. Item per hoc, quod ad poenitentiam virtutem Propheta Joel exhortans ex persona Domini dicit cap. 2. « Convertimini ad me in toto corde vestro, et scindite corda vestra.» Nomine enim cordis intelligitur voluntas: quoniam, sicut cor est principium movens omnes partes corporis, ita voluntas est principium active movens omnes vires animæ, 1. quaest. 82. art. 4. Item per hoc, quod volens ostendere Dominus animam, cui tunc loquebatur, esse impoenitentem, dicit Hier. 3. Noluisti erubescere. Item per hoc, quod Apostolus attribuit contrarium poenitentiae, idest impoenitentiam, cordi: Roman. 2. « Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor » Cum ergo contraria habeant fieri circa idem subjectum (ut ait Philosophus) censequens est, quod per illa verba Apostoli ponatur poenitentia in corde, tamquam in subjecto. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis: quod poenitentia, quae ex timore gehennae oritur, est non solum inanis, sed etiam noxia, et pestifera. Et tamquam ad principium viae, se, viam totam impeditурus, ponens, idest, principium poenitentiae, scilicet, displicentiam, seu dolorem, seu contritionem (quae tria in idem redeunt) praecludere volens, addentis, quod contritio, quae paratur per discusionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis cogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et acquisitionem aeternae damnationis, facit hominem hypocritam, imo magis peccatorem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ab Eccles. 1. «Timor Domini expellit peccatum: » nam, qui sine timore est, non poterit justificari. Item á Luc. 12. « Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis: hunc timete. » Item ab Apocal. 14. « Timete Deum, et date illi honorem: quia venit hora judicii ejus.» Ubi ex ipsa litterali serie constat, quod timere Deum etiam timore servili, quem manifeste importat ly quia venit hora judicii ejus, est dare ipsi Deo honorem. Id, quod et per experientiam patuit. Nam sanctus Vincentius magnus prædicator ordinis prædicatorum, cui ideo pro insigni suo adscribitur judicium, quia scilicet prædicabat specialiter de hora ventura judicii Dei, projecit in tantum animarum fructum, sic eis timorem Domini incutiendo, ut Ecclesia sancta de hoc in festi ejus collecta dicat; " Deus, qui gentium multitudinem mira B. Vicentii confessoris tui prædicatione ad agnitionem tui nominis venire tribuisti.» Et bene inquit, gentium multitudinem, quoniam (ut legitur in vita ejus ab Eccl. recepta) Judæor. supra viginti quinque millia, sarracenorum octo millia, aliorumque flagitiosorum hominum innumerabilem multitudinem ad Deum convertit. Sicut ergo timere Deum, timore etiam servili, est dare illi honorem (secundum scripturam sacram) ita ab oppositis peccatores non sic timere Deum est illos non dare, seu sub-

trahere illi honorem, id, quod Lutherus illis suis hæresibus in tot millibus hominum sibi credentium (experientia teste fecit.) Item merito damnari á Concil. Trid sess. 6. c. 6. " Disponuntur autem ad ipsam justiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt, atque illud in primis, á Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU: et dum peccatores se esse intelligentes á divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium, et detestationem, hoc est, per poenitentiam: denique, dum proponunt inchoare novam vitam, et servare divina mandata. „ Ubi patet, timorem servilem, qui est timor divinæ justitiæ utiliter nos concutiens, esse viam ad spem, ad caritatem, ad moveri per detestationem adversus peccata, ad propositum bonum, scilicet inchoandi novam vitam et servandi mandata divina. Hæc ergo omnia tanta bona aufert *Lutherus*, per hoc quod timorem servilem dissuadet hominibus. Quo contra illa nobis tot bona inferre cupit Apostolus per hoc, quod timorem servilem, divini scilicet judicii, inserere conatur hominum cordibus dicens 2. Cor. 5. " Scientes ergo (scilicet, quod omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,) etc. timorem Domini hominibus suademus. „ Item ab eod. Concil. sess. 14. c. 4. " Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et poenarum metu communiter concipitur (si voluntatem peccandi excludat, et sit cum spe veniæ) declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam á Domino impetrarunt. Et sess. 6. can. 8. Si quis dixerit: gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel á peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit. » Et sess. 14. canon. 5. " Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum, et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum illum esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium: anathema sit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et á concilio, quod pœnitentia est, et non est prima inter virtutes. A scripturis quidem, quod sit, insinuatur per hoc, quod tam Christi praecursor, Matth. 3. quam Christus, Matth. 4. in primæ suæ prædicationis ingressu dicunt, pœnitentiam agite. Prædicatio enim ordinatur (ut patet) ad inferendum virtutes pectoribus auditorum: et uterque illorum, maxime Christus, ad faciendum homines virtuosos venerat. Ab eisdem quoque scripturis, quod non sit insinuatur per hoc, quod ponunt, fidem esse primum fundamentum totius boni, et propterea priorem aliis virtutibus, inter quas est pœnitentia. Ut per ly fides est substantia sperandarum rerum, Hebr. 11. et per ly accedentem ad Deum oportet credere, ibidem. A Concilio autem Trid. quod non sit prima, insinuatur sess. 6. cap. 6. ut recitatur sub. art. 5. append. Patet siquidem ibi ex ordine literæ concilii, quod fides, spes, charitas, seu fidei, spei, atque charitatis actus præcedunt pœnitentiam formaliter dictam, idest perfectum odium (Psal. 138.) seu meritoriam detestationem peccati, et firmum propositum inchoandi novam vitam per observationem mandatorum Dei. *Secundo* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA SEXTA,

DE EFFECTU PŒNITENTIÆ QUOAD MORTALIUM PECCATORUM REMISSIONEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu pœnitentiæ. Et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium: secundo quantum ad remisionem peccatorum venialium: tertio, quantum ad reditum peccatorum dimissorum: quarto, quantum ad restitutionem virtutum.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum omnia peccata mortalia per pœnitentiam auferantur.

Secundo, utrum possint sine pœnitentia tolli.

Tertio, utrum unum possit remitti sine alio.

Quarto, utrum pœnitentia auferat culpam, remanente reatu.

Quinto, utrum remaneant reliquiæ peccatorum.

Sexto, utrum auferre peccatum sit effectus pœnitentiæ, in quantum est virtus, an in quantum est sacramentum.

ARTICULUS I.

Utrum per pœnitentiam omnia peccata removeantur.

Pro negativa. = Videtur quod per poenitentiam non omnia peccata removeantur.

1. Dicit Apost. Heb. 12. Quod *Esau non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Glos. interl. idest *non invenit locum veniæ, et benedictionis per pœnitentiam.* Et 2 Mach. 9. dicitur de Antiocho: *orabat scelestus Deum, á quo non erat misericordiam consecuturus.* Ergo videtur per quod poenitentiam non tollantur omnia peccata.

2. August. dicit in lib. 1. de serm. Dom. in mont. quod « tanta labes est " illius peccati, scilicet cum post agni- " tionem Dei per gratiam Christi oppug- " nat aliquis fraternitatem, et adversus " ipsam gratiam, invidiæ facibus agita- " tur, ut deprecandi humilitatem subire " non possit, etiam si peccatum suum " mala conscientia agnocere et annun- " tiare cogatur. » Ergo per poenitentiam non potest omne peccatum tolli.

3. Dominus dicit Matth. 12. « Qui « dixerit verbum contra Spiritum Sanc- « tum, non remittetur ei, neque in « hoc sæculo, neque in futuro. » Ergo per poenitentiam non potest omne peccatum remitti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur Ezech. 18. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius.*

Determinatio.

Distinctio. Hoc quod aliquod peccatum non possit per poenitentiam tolli, dupliciter potest contingere. Uno modo per hoc quod aliquis de peccato poenitere non possit. Alio modo quia poenitentia non posset delere peccatum.

1.° Conclusio. Nullum est peccatum de quo homo non possit, quamdiu est in præsenti vita, agere poenitentiam.

Probatur dupliciter. Primo ex differentia quæ est inter hominem viatorem et angelos et homines damnatos. Peccata enim dæmonum et hominum damnatorum non possunt remitti ex hoc, quia non possunt de illis agere poenitentiam; et ratio est quia affectus eorum sunt in malo confirmati, ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis poena, quam patiuntur. Ratione cujus displicentiæ aliquam poenitentiam, licet infructuosam habere dicuntur. Secundum illud Sap. 5. *poenitentiam agentes, et præ angustia Spiritus gementes.* Unde talis poenitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum.

Secundo probatur conclusio, quia dicere quod sit aliquod peccatum in hac

vita, de quo quis poenitere non possit, est erroneum, propter duo.

Primo, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii.

Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad poenitendum, secundum illud Prov. 21. *Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit, vertet illud.*

2.ª Conclusio. Omne peccatum in hac vita per veram poenitentiam deleri potest.

Manifestatur: quia oppositum est erroneum. Primo, quia dicere quod in hac vita aliquod peccatum per veram poenitentiam deleri non possit, repugnat divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joel. 2. Quod *Dominus benignus et misericor est et patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia:* vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri quod Deus non vellet delere. Secundo, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam poenitentia operatur, sicut et cætera sacramenta, cum scriptum sit 1 Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris; sed etiam totius mundi.* Ex quibus patet quod simpliciter dicendum est quod omne peccatum in hac vita per poenitentiam veram deleri potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Esau non vere poenituit; quod patet ex hoc quod dixit. *Venient dies luctus Patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Similiter autem nec Antiochus vere penituit; dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei; sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod illud verbum August. sic intelligendum est; *tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit* (scilicet de facili) secundum quod dicitur: ille non posse sanari, qui non potest de facili sanari. Potest tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem quæ etiam interdum *in profundum maris convertit*, ut dicitur in Psalm. 67.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo, intelligendo per verbum, vel blasphemiam contra Spiritum Sanctum finalem impoenitentiam, ut Aug. dicit in lib. de verb. Dom. Ser. 11. Quæ poenitus est irremissibilis, quia post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum. Dicitur secundo quod si per peccatum in Spiritum Sanctum intelligatur peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus Sancti, dicitur non remitti scilicet de facili, vel quia tale peccatum ex certa malitia non habet in se causam excusationis, vel quia pro tali peccato punitur aliquis et in hoc sæculo et in futuro, de quibus, in 2. 2. quæst. 14. præcipue art. 1. 2. et 3. abunde dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum sine pœnitentia peccatum remitti possit.

Pro affirmativa.=Videtur quod sine poenitentia peccatum remitti possit.

1. Deus dimittit peccata pueris sine poenitentia. Ergo etiam adultis potest sine poenitentia peccata dimittere.

Conseq. prob., quia non est minor virtus Dei circa adultos, quam circa pueros.

2. Deus virtutem suam sacramentis non alligavit. Sed poenitentia es quoddam sacramentum. Ergo virtute divina possunt peccata sine poenitentia dimitti.

3. Homo interdum remittit offensam sibi factam homini etiam non petenti remissionem. Quod et ipse Dominus mandat Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Ergo multo magis Deus dimittit offensam suam hominibus non poenitentibus.

Conseq. prob., quia maior est misericordia Dei, quam misericordia hominis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Hierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa á malo quod fecit, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei*; et sic é contrario videtur quod si homo poenitentiam non agat, quod Deus ei non remittat offensam.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Impossibile est quod peccatum mortale remittatur alicui sine poenitentia, secundum quod est virtus.

Prob. Offensa Dei quæ procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa á Deo, per conversionem ad bonum commutabile, non potest remitti sine virtute poenitentiæ. Sed peccatum mortale est offensa Dei, procedens ex hoc quod voluntas peccantis est aversa á Deo per conversionem ad bonum commutabile. Ergo offensa peccati mortalis non potest remitti sine virtute poenitentiæ.

Maior manifestatur: nam offensa opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod eum á gratia sua repellit: hoc autem interest inter gratiam Dei, et gratiam hominis, ut dictum est 1. 2 quæst. 110. art. 1. quod gratia hominis non causat; sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato. Sed gratia Dei bonitatem in homine grato causat, eo quod bona voluntas Dei quæ in nomine divinæ gratiæ intelligitur, est causa omnis boni crati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis offendentis: non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui sine immutatione voluntatis ejus qui offendit: oportet enim ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum, á quo fuerat aversa, cum detestatione conversionis ad commutabile bonum, et cum proposito emendæ, quæ conversio ad Deum, et detestatio, et propositum emendæ ad virtutem poenitentiæ pertinent. Ergo non potest divina offensa quæ est per peccatum mortale sine virtute poenitentiæ remitti.

2.ª Conclusio. Sine poenitentia, ut est sacramentum, potest á Deo peccatum mortale remitti.

Manifestatur: quia sacramentum poenitentiæ perficitur per oficium sacerdotis ligantis et solventis, ut dictum est quæst. 84. art. 3. Sine quo officio potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mlieri adulteræ Joan. 8. et Peccatrici Lucæ 7. Quibus tamen non fuerunt peccata remissa, sine virtute poenitentiæ. Nam sicut Greg. dicit Hom. 33. in Evang. *Per gratiam traxit intus*, scilicet per poenitentiam, *quam per misericordiam suscepit foris.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia, non enim est eadem ratio de pueris, et adultis. In pueris enim non est nisi peccatum originale, quod cum non consistat in actuali deordinatione voluntatis; sed in quadam habituali deordinatione naturæ, ut dictum est 1. 2. quæst. 82. art. 1. ideo remittitur eis peccatum, cum habituali immutatione, per infusionem gratiæ et virtutum, non autem cum immutatione actuali; adulto autem in quo sunt actualia peccata quæ consistunt in actuali deordinatione, non remittuntur peccata, etiam in baptismo, sine actuali immutatione voluntatis: quod fit per virtutem poenitentæ. Unde non est minor virtus Dei in adultis; sed maior.

Ad 2. Dicitur quod ratio illa procedit de poenitentia, ut est sacramentum, et probat secundam conclusionem.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de Deo, et de homine in proposito, quia homo potest dimittere offensam, nulla mutatione facta in offendente; Deus autem dum dimittit, voluntatem immutat, ut dictum est, et

in hoc consistit magnitudo divinæ misericordiæ super misericordiam hominis, quia misericordia Dei immutat hominis voluntatem ad poenitendum, quod misericordia hominis facere non potest.

ARTICULUS III.

Utrum per penitentiam possit unum peccatum sine alio remitti.

Pro affirmativa.=Videtur quod per penitentiam possit unum peccatum sine alio remitti.

1. Dicitur Amos 4. *Plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui, pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit.* Quod exponens Greg. super Ezech. Hom. 10. dicit: « Cum ille qui proximum odit, ab « aliis vitiis se corrigit, una eademque « civitas ex parte compluitur, et ex « parte arida manet; quia sunt qui cum « quædam vitia resecant, in aliis gravi- « ter perdurant. » Ergo potest unum peccatum per poenitentiam dimitti, sine alio.

2. Ambr. dicit super Psam. 118. *Beati immaculati*, serm. 18. *Prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri Deus. Secunda per punitionem, ubi etsi fides desit, poena satisfacit et relevat.* Potest ergo aliquis relevari ab aliquo peccato, manente peccato infidelitatis.

3. Eorum quæ non necesse est esse simul, unum potest auferri sine alio. Sed peccata, ut in 1. 2. quæst. 73. art. 1. habitum est, non sunt connexa; et ita unum eorum potest esse sine alio. Ergo unum eorum potest remitti sine alio per poenitentiam.

4. Homo quandoque dimittit unum debitum sine alio. Ergo etiam Deus per pœnitentiam dimittit unum peccatum sine alio.

Conseq. prob., quia peccata sunt debita, quæ nobis relaxari petimus, cum dicimus in oratione dominica: *dimitte nobis debita nostra*, etc.

5. Nihil prohibet quin Deus diligat hominem quantum ad unum, et sit ei offensus quantum ad aliud. Sicut peccatorem diligit, quantum ad naturam odit autem quantum ad culpam. Ergo videtur possibile quod Deus per pœnitentiam remittat unum peccatum sine alio.

Conseq. prob., quia per dilectionem Dei relaxantur hominibus peccata, secundum illud Hiere. 31. « In charitate « perpetua dilexi te, ideo attraxi te mi- « serans. »

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de vera et falsa pœnit. c. 6. « Sunt plures, quos pœnitet « pecasse. Sed non omnino, reservantes « sibi quædam, in quibus delectentur; « non animadvertentes Dominum simul « mutum et surdum á dæmonio liberas- « se: per hoc docens nos numquam, nisi « de omnibus, sanari. »

Determinatio.

Conclusio. Impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti.

Prob. tripliciter. Primo, omne peccatum mortale contrariatur gratiæ, et excludit eam. Ergo impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur.

Conseq. prob., quia peccatum remittitur in quantum tollitur Dei offensa per gratiam, propter quod nullum peccatum sine gratia remittitur, ut dictum est 1. 2. q. 109. art. 7. et quæst. 113. art. 2. Ad hoc igitur quod culpa remittatur debet advenire gratia, quæ cum nullo peccato mortali stare potest. Unde non est possibile quod unum sine alio remittatur.

Secundo probatur eadem conclusio. Peccatum mortale non potest remitti sine vera pœnitentia, ut art. præced. dictum est. Ergo non potest unum peccatum mortale sine alio remitti.

Conseq. prob., quia ad veram pœnitentiam pertinet dolere de omnibus pec-

catis mortalibus commissis. Et ratio est, quia ad pœnitentiam pertinet dolere de peccato mortali, in quantum est Dei offensa, et est contra Deum. Hoc autem commune est omnibus peccatis mortalibus; ubi autem est eadem ratio, est etiam idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens, qui de uno peccato poenitet, et non de alio: si enim displicet ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum; quod requiritur ad rationem vere poenitentiæ; sequitur quod de omnibus peccatis poeniteat, et sic impossibile est quod unum peccatum sine alio dimittatur.

Tertio prob. conclusio. Quia oppositum esset contra perfectionem miseridiæ Dei, cujus perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. 32. Unde cujus miseretur, totaliter miseretur.

Et confirm. Auctoritate Aug. dicentis in libr. de vera et falsa poenitent. cap. 6. Quod *quædam impictas infidelitatis est, ab illo, qui justus et justitia est, dimidiam veniam sperare.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod illud verbum Greg. non est intelligendum quantum ad remissionem culpæ, sed quantum ad cessationem ab actu, quia interdum ille qui plura peccata consuevit committere, deserit unum, et non aliud. Quod quidem fit auxilio divino, quod tamen non pertingit usque ad dimissionem culpæ.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in illo verbo Ambrosii fides non potest accipi, qua creditur in Christum, ut Aug. tract. 89. in Joan. dicit super illud Jo. 15. *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum,* scilicet infidelitatis, *non haberent.* Sed accipitur fides pro conscientia, quia interdum per poenas, quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati, cujus conscientiam non habet.

Ad 3. Negatur minor: quamvis enim peccata non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile quod est materiale peccati; sunt tamen invicem connexa quantum ad aversionem á bono incommutabili quod est formale peccati. Et ex hac parte peccata habent rationem offensæ, quam oportet per pœnitentiam tolli.

Ad 4. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de debito exterioris rei, puta pecuniæ, et de debito culpæ, quale est peccatum, debitum enim exterioris rei, non contrariatur amicitiæ, ex qua debitum remittitur; et ideo potest unum tale debitum remitti sine alio. Debitum autem culpæ contrariatur amicitiæ, et ideo una culpa, vel offensa non remittitur sine alia; ridiculum enim videtur quod etiam ab homine aliquis peteret veniam de una offensa, et non de alia.

Ad 5. Dicitur, quod antecedens est verum de dilectione Dei, qua non ordinatur homo ad bonum gloriæ, non autem de ea qua homo ordinatur ad bonum gloriæ. Dilectio, qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, á quo impeditur homo per peccatum mortale. Dilectio autem gratiæ, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam, secundum illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Potest igitur Deus dilectione non ordinata ad gloriam diligere hominem quantum ad unum, puta quantum ad naturam, et odio habere ipsum quantum ad aliud, puta quantum ad peccatum. Dilectioni autem gratiæ quodlibet peccatum opponitur. Et ideo non potest homo á Deo hac dilectione diligi, nisi omnia peccata expellantur et deleantur.

ARTICULUS IV.

Utrum remissa culpa per pœnitentiam remaneat reatus pœna.

Pro negativa. = Videtur, quod remissa culpa per per pœnitentiam, non remaneat reatus pœnæ.

1. Remota causa, removetur effectus. Sed remota culpa, removetur causa reatus. Ergo, remissa culpa, non potest remanere reatus pœnæ.

Minor prob., quia ideo est aliquis dignus pœna, quia culpam commisit.

2. Homo peccando incurrit simul culpam et pœnæ reatum. Ergo multo magis per donum gratiæ simul remittitur culpa et tollitur pœne reatus.

Conseq. prob., quia Apost. dicit Rom. 5. Donum Christi est efficacius, quam sit peccatum.

3. Passio Christi est sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, ut dictum est quæst. 68. et 69. et 79. art. 5. Ergo post remissionem culpæ non remanet aliquis reatus.

Conseq. prob., quia remissio peccatorum fit in pœnitentia per virtutem passionis, secundum illud Ro. 3. «Quem «proposuit Deus propitiatorem per fi«dem in sanguine ipsius, propter remis«sionem præcedentium delictorum.»

PRO AFFIRMATIVA.

Quæsiti sensus.

Distinctio. In peccato mortali sunt duo, ut dictum est 1. 2. q. 87. art. 4. Primum est aversio ab incommutabili bono; alterum est inordinata conversio ad commutabile bonum. Ex parte aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, ut qui contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur. Ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum reatus alicujus pœnæ. Et hoc quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem justitiæ, nisi per pœnam. Justum enim est, ut qui voluntati suæ plus indulsit, quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit æqualitas. Unde Apocal. 18. dicitur: «quantum glorificavit se, et in de«litiis fuit, tantum date illi tormentum «et luctum.»

Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita: non habet ex hac parte peccatum, quod debeatur ei pœna æterna; et hoc patet, quia si sit inordinata conversio ad commutabile bonum, sine aversione á Deo, ut in peccatis venialibus fit, non debetur peccato pœna æterna, sed temporalis.

Ex quibus patet quid et quotuplex est reatus pœnæ. Reatus enim pœnæ est qui consequitur culpam; et est duplex, scilicet qui consequitur culpam ex parte aversionis, et hic est reatus pœnæ æternæ; et qui consequitur culpam ex parte conversionis, et hic secundum suam rationem est reatus temporalis.

1.ª CONCLUSIO. Quando per gratiam remittitur culpa, simul tollitur reatus pœnæ æternæ. Manifestatur, quia quando per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animæ á Deo, in quantum anima per gratiam Deo conjungitur. Non enim æternæ pœnæ reatus potest remanere cum conjunctione animæ ad Deum per gratiam.

2.ª CONCLUSIO. Quando per gratiam remittitur culpa, potest remanere reatus aliquis pœnæ temporalis.

Manifestatur, quia per temporalem pœnam, quæ cum conjunctione animæ ad Deum per gratiam stare potest, fit justitiæ æqualitas.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod in mortali culpa sunt duo, scilicet aversio á Deo, et inordinata conversio ad commutabile bonum. Sed sicut dictum est 1. 2. q. 71. art. 6. aversio á Deo in peccato est sicut formale, conversio ad bonum creatum est sicut materiale. Remoto autem formali cujuscumque rei tollitur species rei, sicut remoto rationali tollitur species humana: potest tamen remanere quod est materiale. Reatus æternæ pœnæ est effectus culpæ, ut est aversio á Deo. Reatus vero temporalis pœnæ est effectus peccati, ut habet conversionem ad commutabile bonum. Quia igitur per contritionem tollitur cul-

pa, secundum quod habet aversionem á Deo, ideo simul tollitur ejus effectus, scilicet reatus pœnæ æternæ. Sed quia remanere potest quod erat materiale in peccato, scilicet conversio ad commutabile bonum non quidem secundum rationem culpæ, quæ jam per contritionem fuit deleta, sed solum quatenus erat causa reatus temporalis pœnæ: non enim tollitur hæc conversio, nisi per recompensationem, quæ fit per pœnam voluntarie assumptam, vel patienter toleratam.

Ad 2. Conceditur illud quod infertur scilicet quod per donum gratiæ remittatur culpa, et poena: non tamen hoc fit semper simul: et ratio est, quia ut dictum est 1. 2. q. 109. art. 7. et q. 111. art. 2. Ad gratiam pertinet operari in homine justificando ipsum á peccato. Ad gratiam etiam pertinet cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpæ et reatus poenæ æternæ pertinet ad gratiam operantem; sed remissio reatus poenæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum scilicet homo cum auxilio divinæ gratiæ patienter poenas tolerando absolvitur etiam á reatu poenæ temporalis; sicut igitur prius est effectus gratiæ operantis, quam gratiæ cooperantis, ita etiam prius est remissio culpæ, et poenæ æternæ, quam plena absolutio á poena temporali: utrumque enim, ut dictum est, est á gratia; sed primum á gratia sola, secundum est á gratia et libero arbitrio. Negatur igitur consequentia, in quantum inferre intendit simultatem. Ad cujus prob. dicitur quod remissio culpæ, et reatus est per gratiam Christi, ut dictum est; quomodo autem donum Christi sit efficacius quam peccatum, dictum est 1. 2. quæst. 109. art. 10. ad 3.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenæ, non solum æternæ, sed etiam temporalis: tamen hoc non efficit, nisi secundum modum, quo homo participat virtutem ipsius passionis Christi. Quia enim in baptismo homo totaliter participat virtutem passionis Christi (utpote per aquam et spiritum, Christo commortuus peccato, et in eo regeneratus ad novam vitam) ideo in baptismo consequitur homo remissionem reatus totius poenæ. In poenitentia vero consequitur homo virtutem passionis Christi, secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiæ sicut aqua est materia baptismi, ut dictum est quæst. 84. art. 1. et 3. Ideo non statim per primum actum poenitentiæ quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenæ, sed completis omnibus poenitentiæ actibus; et propterea, remissa culpa per contritionem, remanet reatus, qui tollitur per confessionem et satisfactionem.

ARTICULUS V.

Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.

Pro affirmativa.=Videtur, quod remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.

1. «Numquam Dominus aliquem sanavit, quem omnino non liberavit: totum enim hominem sanavit in sabbatho, «quia et corpus ab omni infirmitate, et «animam ab omni contagione liberavit.» ut Aug. dicit in lib. de vera et falsa poenit. cap. 9. Ergo non videtur possibile quod, remissa culpa, remaneant peccati reliquiæ, quæ ad peccati infirmitatem pertinent.

2. Homo peccando simul totam infectionem peccati incurrit. Ergo multo magis pœnitendo liberatur ab omnibus peccati reliquiis.

Conseq. prob., quia bonum est efficacius quam malum quod non nisi virtute boni agit.

3. Per exercitium humanorum operum ad bonum, tolluntur reliquiæ peccati contrarii. Ergo multo magis tolluntur per remissionem culpæ, quæ est opus Dei.

Conseq. prob., quia opus Dei efficacius est quam opus hominis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Matt. 8. Legitur quod cæcus illuminatus á Domino, primo restitutus est ad imperfectum visum. Unde ait: «video « homines vellut arbores ambulantes.» Deinde restitutus est perfecte, *ita ut clare omnia videret.* Ergo post remissionem culpæ, qua peccator ad visum spiritualem restituitur, adhuc remanent in eo aliquæ reliquiæ peccati præteriti.

Prob. conseq., quia illuminatio cæci significat liberationem peccatoris á tenebris peccatorum.

Determinatio.

CONCLUSIO. Nihil prohibet, quin remissa culpa remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicantur peccati reliquiæ.

Prob. Ea, quæ inveniuntur in peccato ex parte conversionis, posunt remanere, remissa culpa mortali. Sed reliquiæ peccatorum se tenent ex parte conversionis. Ergo possunt remanere, sublata culpa.

Maior prob., quia conversio inordinata ad commutabile bonum convenit peccato, ut materiale ipsius, ut dictum est art. præced. ad 1. arg. Materiale autem peccati potest remanere, etiam sublata culpa, secundum quod dicit aversionem á Deo, ut etiam in eodem art. dictum est. Ergo ea, quæ inveniuntur in peccato se tenentia ex parte conversionis, possunt remanere, etiam sublata culpa.

Minor prob. Nam peccatum mortale ex parte inordinatæ conversionis ad bonum commutabile, causat quamdam dispositionem in anima, vel etiam habitum, si actus frecuenter iterentur, et istæ dispositiones, vel etiam habitus causati, ex conversione inordinata ad commutabile bonum dicuntur peccatorum reliquiæ.

Declaratur conclusio. Remanent tamen istæ dispositiones debilitatæ et diminutæ: sic ut homini non dominentur, et remanent magis per modum dispositionum, quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post susceptum baptisma.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Deus totum hominem perfecte curat, sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, *ita ut surgens ministraret illis*, ut legitur Luc. 4. Quandoque autem successive, sicut dictum est, de cæco illuminato, Matt. 8. et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum per remissionem culpæ, sed etiam per sublationem reliquiarum omnium peccatorum, ut patet de Magnalena Luc. 7. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccatorum reliquias.

Ad 2. Negatur antecedens. Peccatum enim quandoque successive inducit dispositiones, vel habitus, qui sunt peccatorum reliquiæ, inducendo primo debilem dispositionem utpote per unum solum actum causatam, et postea fortiorem. Et sic etiam per gratiam successive sanatur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod uno humano actu non tolluntur omnes reliquiæ peccati; quia, ut dicitur in Prædicamentis, «pravus ad meliores " exercitationes deductus ad modicum " aliquid proficiet, ut melior sit. Mul- " tiplicato autem exercitio, ad hoc per- " venit, ut sit bonus virtute acquisita.» Hoc autem multo efficacius facit divina gratia, sive uno, sive pluribus actibus.

ARTICULUS VI.

Utrum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.

Pro negativa. = Videtur, quod remissio culpæ non sit effectus poenitentiæ, ut est virtus.

1. Humanus actus non operatur ad remissionem culpæ. Sed poenitentia virtus dicitur, secundum quod est principium humani actus. Ergo remissio culpæ non est effectus poenitentiæ, secundum quod est virtus.

Maior probat., quia remissio culpæ est effectus gratiæ operantis.

2. Remissio culpæ non dicitur effectus alicujus alterius virtutis. Ergo nec etiam est effectus poenitentiæ, secundum quod est virtus.

Conseq. prob. Quia quædam aliæ virtutes sunt excellentiores, quam sit poenitentia.

3. Remissio culpæ non est, nisi ex virtute passionis Christi. Ergo remissio culpæ non est effectus poenitentiæ, inquantum est virtus, sed inquantum est sacramentum.

Antecedens prob. Quia Heb. 9 dicitur, *sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Conseq. prob., quia poenitentia operatur in virtute passionis Christi, sicut et cætera sacramenta.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Remissio culpæ potest esse á Deo sine sacramento poenitentiæ, non autem sine virtute poenitentiæ. Ergo remissio culpæ est præcipue effectus poenitentiæ, secundum quod est virtus.

Antecedens patet ex dictis art. præc. et confirmatur. Quia ante sacramenta novæ legis Deus poenitentibus peccata remittebat.

Conseq. prob., quia illud est proprie causa alicujus, sine quo esse non potest: omnis enim effectus á sua causa dependet.

Determinatio.

Conclusio. Remissio culpæ est effectus poenitentiæ, secundum quod est virtus, principalius tamen, secundum quod est sacramentum.

Prob. Ab eo quod se habet, ut formale in sacramento, principalius dependet effectus, quam ab eo quod se habet, ut materiale. Sed in poenitentia id quod pertinet ad virtutem, se habet ut materiale, quod vero pertinet ad sacramentum, se habet ut formale. Ergo remissio culpæ, quæ est poenitentiæ effectus, dependet quidem á poenitentia, ut est virtus, principalius tamen dependet ab ea, ut est sacramentum.

Maior prob., quia etsi omne sacramentum producat effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, ex utroque enim est unum sacramentum, ut dictum quæst. 60. art. 6. ad 2. principalius tamen virtute ejus quod se tenet ex parte formæ, producitur effectus. Unde in baptismo fit remissio culpæ non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; et hoc idem accidit in aliis sacramentis, et sic patet maior.

Minor ostenditur, et primo quod id quod pertinet ad virtutem, se teneat in sacramento poenitentiæ ex parte materiæ: poenitenta enim est virtus, secundum quod est principium quorumdam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento poenitentiæ; id quod pertinet ad poenitentiam, ut est virtus, se tenet ex parte materiæ. Quod vero illud quod in poenitentia se habet ut forma, pertineat ad poenitentiam, ut est sacramentum, ostenditur. Nam forma sacramenti sunt verba ministri absolventis virtute clavium quas habet. Peccatorum igitur remissio est ex actibus virtutis poenitentiæ, prout tamen hujusmodi actus ad claves ordinantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod effectus gratiæ operantis est justificatio impii, ut dictum est 1. 2. quæst. 113. In exordio quæst.

In qua justificatione, ut in dicta quæstione dictum est, non solum est gratiæ infusio, et remissio culpæ, quod pertinet ad solam gratiam operantem, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui motus est actus poenitentiæ, quæ est virtus. Hujusmodi autem humani actus sunt in justificatione, ut effectus gratiæ operantis, simul producti cum remissione culpæ. Unde ex hoc quod remissio culpæ est effectus gratiæ operantis, non sequitur quod non concurrant etiam humani actus, ut dictum est.

Ad 2. Negatur antecedens: in justificatione enim impii, non solum est actus poenitentiæ, sed etiam actus fidei, ut nunc dictum est; unde remissio culpæ non ponitur effectus solius poenitentiæ virtutis, sed principalius fidei et charitatis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ad passionem Christi ordinatur actus poenitentiæ virtutis, et per fidem et per ordinem ad claves Ecclesiæ; et ideo poenitentia ut est virtus et ut est sacramentum causat remissionem culpæ, virtute passionis Christi.

Ad argumentum pro affirmativa.

Dicitur dupliciter. Primo ad antecedens quod ratio, qua peccati remissio non fit sine virtute poenitentiæ, est, quia virtus poenitentiæ est insæparabilis effectus gratiæ, per quam principaliter culpa remittitur, ex quo sequitur solum quod gratia sit principaliter causa remissionis culpæ, quam sacramentum poenitentiæ, quod verum est.

Dicitur secundo ad id, per quod confirmatur antecedens quod etiam in veteri lege et in lege naturæ erat aliqualiter sacramentum poenitentiæ, ut dictum est quæst. 84. art. 7. ad 2. Unde regulariter non fit peccatorum remissio absque poenitentiæ sacramento in re, vel figura.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 86.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Novatianorum*, et *Montanistarum* dicentium: pœnitere eos non posse, ut remissionem peccatorum consequantur, qui semel lapsi sunt in peccatum post baptismum. Et addentium: quod in peccatum prolapsi post baptismum non ad pœnitentiam sunt admittendi, sed ad luporum rapinam, et diaboli prædam projiciendi. Et *Melchioritarum* dicentium: quod, qui post acceptam gratiam voluntarie peccat, numquam in gratiam recipi potest. Et quorumdam innominatorum (ut refert Joseph Angles ordinis minorum, in lib. Flores quæst. theolog. de sacr. pœnit. q. 1. a. 3.) dicentium: peccatorum esse certum numerum irremissibilem, ita ut qui illum attingat, veniam consequi non possit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á 2. Paralip. ult. » immensa, et investigabilis misericordia promissionis tuæ super malitias hominum. » Quod dictum, tamquam exponens D. Thomas ait q. 84. a. 10. quod misericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet absque ullo termino. Item ab Apostolorum can. 51. " Si quis episcopus, aut presbyter, eum qui á peccato revertitur, non recipit, sed rejicit, deponatur: eo, quod Christum offendat. Qui dixit: ob unum peccatorem, qui resipiscat, gaudium oboriri in cœlo. » Et ca. 61. " Si quis clericus per metum, vel judæi, vel græci, vel hæretici, negaverit nomen Christi, ab Ecclesia rejicitur. Pœnitentia tamen ductus, vel laicus recipitur. » Item á sancta Ecclesia per hoc, quod celebrat festum de SS. Francisco, et Marcellino Papa: quorum primus post las-

civiam juvenilem ad tantam postea sanctitatem per pœnitentiam evectus est, ut stigmatibus Christi ab ipso adhuc vivens corporaliter insigniri promeruerit: alter vero post thurificationem idolis factam, pœnitentia media, gloriosus Dei martyr effectus est. Item á Beato Petro Apostolo per hoc, quod Simoni mago jam baptizato Act. 8. offerenti pecuniam pro emptione gratiæ dandi Spiritum Sanctum, dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua.* Patet enim hic, quod post baptismum lapsis in peccatum, etiam maximum, quale est simonia, persuaderi debet pœnitentia, secundum catholicum dogma á principe Apostolorum immediate procedens. Item á facto Christi circa ipsum Petrum jam ab eo baptizatum, 3. de Sal. q. 36. art. 6. ad 2. Nam Petrus negaverat Christum, Matth. 26. ideoque mortaliter peccaverat (ut d. S. Doctor. quolib. 9. art. 14.) et tamen Christus non solum ei trinam negationem per ejus veram pœnitentiam remisit, sed et eum in promissam Matth. 16. dignitatem pastoralis officii exaltavit. Joan. 21. ut dicamus in eo mirifice adimpletum ly *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia,* Rom. 5. Item ab eodem Christo per hoc, quod Thomæ Apostolo voluntarie, magis, idest obstinatione quadam, non pura fragilitate, ut Petrus, peccanti, Joan. 20. ipse Christus culpam, media pœnitentia, condonavit. Unde intelligendum necessario relinquitur, quod prædictis non obstat illud Hebr. 10. "Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis." Quem vero sensum genuinum habeant ista verba Apostoli (ut ex abundanti loquamur: quoniam proposito sufficit, quod non obstent) monstrat expressus Apostoli contextus. Postquam enim dixerat ly *Abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem*, mox, paucis interjectis, subjungit, et quidem cum conjunctione causali ly *voluntarie enim peccantibus*, etc. Contextus ergo, addita etiam ibi ad majorem hujus rei claritatem causali, seu rationali conjunctione, demonstrat aperte, quod de baptismo, ubi corpus aqua munda abluitur, intelligitur illa sententia, scilicet: *Voluntarie peccantibus*, etc. Ac si secundum planum sensum litteræ dicat. Ablutis corpus aqua munda per baptismum, idest, baptizatis, si postea voluntarie peccent, non relinquitur locus iterum suscipiendi baptismum, tamquam hostiam salutiferam pro delendis ipsis peccatis. Recole datam tibi alias regulam non errandi in rebus fidei, interpretando scripturas, si quæ videantur in contrarium, licet revera non sint, nec esse possint: quandoquidem impossibile omnino est, quod scriptura sacra contrarietur veritati fidei. Regula illa erat; et est, ut semper á notioribus venire conemur in cognitionem ignotorum, seu minus notorum: non autem é converso, scilicet á minus notis ad notiora. Si enim, á minus notis procedas: non cognitionem, sed offuscationem quæris notiorum: quoniam (ut patet) illud, quod est notius, est tamquam lumen respectu minus noti, quod respectu illius est tamquam tenebra, et tenebrarum non est clarificare, sed offuscare lumen, cujus é contra est clarificare, non offuscare tenebras; verbi gratia in proposito. Ab Ecclesia sancta manifestissime habes, quod peccantes post baptismum possunt per veram pœnitentiam consequi veniam (ut SS. Marcellino, et Francisco patuit) habes ab Apostolo quod "voluntarie peccantibus post baptismum non relinquitur hostia pro peccatis." Siste pedem; et dic. Horum duorum quid est notius? Utique illud, quod Ecclesia tam aperte docet, non solum, quia illum apertum sensum veritatis demonstrat, sed etiam, quia Ecclesia data est nobis á Deo pro regula infallibili veritatis in his, quæ fidei sunt, 2. 2. q. 5. art. 3. Nam id, quod Apostolus dicit, sensum quidem veritatis in se habet, sed non tam aperte illum demonstrat, imo sub apertis in superficie verbis latet aliqualiter occultum. Rursum scriptura sacra non est data á Deo pro tam clara nobis regula veritatis, licet et ipsa in se sit infallibilis: sicut data est nobis Ecclesia. In cujus rei signum manifestum Christus scripturis tribuit officium non judicandi, sed testificandi, dicens Joan. 5. *Illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, et lex vetus vocatur testimonium, Exod. 40. *Posuit testimonium in arca.* Ecclesiæ autem assignatur á Deo officium judicandi: ut patet et in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 13. concl. 1. Item Deut. 17. concl. 7. et in Conc. Trid. sess. 4. decr.

de edit. lib. " Nemo in rebus fidei, et morum scripturam sacram interpretari audeat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia. Cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione scripturarum sanctarum. » Sed et quod scriptura sit testis, Ecclesia vero judex, manifestavit in suis ipsis verbis, dicens sess. 5. decr. de pec. orig. " sacrosancta synodus sacrarum scripturarum testimonia, et Ecclesiæ judicium secuta, hæc de peccato orig. statuit. » Stantibus his, reverteretur ad regulam universalem pro dirigendo tuo processu, et dic. Si dictum Ecclesiæ est notius, quam dictum Apostoli; quomodo mihi in prædicto dubio apparenti, ne errem, est procedendum ad cognoscendum firmiter veritatem? Hoc utique modo, scilicet, ut accipiam pro stabilissimo medio (quod ajunt) seu principio, dictum Ecclesiæ, et ipso tamquam duce conductus, non declinans ab eo neque á dextris, neque á sinistris, vadam ad inquirendum, quisnam sit verus sensus Apostoli, semper tenendo pro firmo (sicuti est) quod sensus ipsius, dummodo sit verus, non potest importare contrarium ejus, quod docet Ecclesia. Quod, si per meipsum non potero invenire sensum illius Apostolici dicti verum; consulam peritos, seu peritiores. Quod si mihi ad manum non fuerint periti, neque peritiores; interim differetur inquisitio talis dicti, semper tamen in dogmate dato ab Ecclesia firmissime absque ulla formidine contrarii persistendo. Porro de Apostolo quid interim dicam? Utar verbo et sensu coapostolorum suorum non penetrantium verba Christi, quando humiliter, nihil hæsitantes de salutifera veritate magistri, pro exemplo aliorum catholicorum in simili casu quandoque existentium dixerunt: *Nescimus quid loquitur*. Joann 16. At si oppositum (quod in æternum absit) prædictæ regulæ universalis faceres, scilicet, propter ignotius tibi dictum Apostoli dubitare, vel leviter de notiori tibi hactenus doctrina Ecclesiæ, actum est de salute tua; et quoniam dubius in fide infidelis est, et quoniam dubiorum quotidie insurgentium nullus erit finis. Nam remoto judice, qui Ecclesia est (ut supra) et discordantium ad pacem adducendorum aufertur spes, et discordiis in infinitum augendis latissima via aperitur. Exemplum sit de hæreticis, qui quoniam et judicem, et regulam (de quibus supra) abjiciunt: ideo Babylonia omni in rebus fidei confusiores sunt; et semper proficiunt in pejus errantes, et tam se, quam alios in errorem mittentes. 2. Timoth. 3. Hæc dicta sint ex occasione respondendi Novatianis etc. tali dicto Apostolico ad suum errorem confirmandum abutentibus. Cæterum pro ampliori adhuc earum hæresum damnatione (si placet) vide pri. part. art. num. 253. 564. cum Elucid. et 2. 2. art. num. 22. 14. cum Elucid. et Addit. art. num. 43. 260. cum Elucid et veritates aureas super legem veterem, Genes. 4. concl. 17. item cap. 45. concl. 1. item cap. 3. concl. 21. et num. 15. concl. 2. et Deuter. 20. concl. 1. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Catharorum* (ut refert Cardinalis Turrecremata, de Ecclesia lib. 4. c. 35.) dicentium: non esse poenitendum de peccatis. Hoc est (ut videntur velle dicere) peccata posunt remitti sine poenitentia, seu peccatoribus poenitentia non est necessaria. Mitto, quod miselli Cathari, se esse sine peccato jactabant: ideo potuerunt forsan hoc suum dictum de seipsis solum intelligere. Sed, quoniam absolute eorum positio sic jacet. Non est poenitendum de peccatis, idcirco, dimissa illa possibilitate, adduximus eam secundum litteram, pro quanto et præsenti articulo opponitur, et ab eodem validissime expugnatur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Hier. 18. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item á Papa Gelasio, in epistola ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli. Ibi enim docet, nullum absolvi posse ab errore præterito, nisi resipiscat. " Remitti, inquit, culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam, si mansura perversitas finitur: non est benignitas remittentis, sed consentientis assentio. » Propter ly *correctione*, vide q. 72. ar 1. app. Item á Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* Quod quidem dictum tanto magis poenitentiæ necessitatem peccatoribus ostendit, ac per hoc illam hæresim tanto magis damnat: quanto bis ibi repli-

catur. Item á Luc. 15 " Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super 99. justis, qui non indigent poenitentia. » Per hoc enim patet, inferendo ab oppositis, quod peccatores indigent poenitentia. Nam, si Christus hoc non præsupponeret de peccatoribus, non esset, quod ad ipsorum differentiam de justis adderet, quod non indigent poenitentia. Suffecisset enim tunc dixisse, quod " magis gaudent Angeli de uno peccatore poenitentiam agente, quam de 99. justis. » Addendo igitur ly *qui non indigent pœnitentia*, monstravit, Christus patenter, quod illi, qui non sunt justi, idest, qui sunt mortali peccato involuti, indigent poenitentia. Item á Luc. 23. " Pater dimitte illis. Nos quidem justi: nam digna factis recipimus. Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Centurio autem, et qui simul aderant, etc. percutientes pectora sua revertebantur. » Per hos enim quod, Christo orante pro peccatoribus non remittuntur peccata illis absque sua ipsorum poenitentia, quæ per ly *nos quidem*, etc. *memento mei*, etc. per ly *percutientes*, etc. designatur, patet, á fortiori etiam, quod peccatoribus omnibus, et singulis necessaria est omnino poenitentia ad remissionem peccatorum suorum. Ecce. Si, de quo magis, inquit regula Philosophi, videtur inesse, et non inest: ergo de quo minus videtur inesse, non inerit. Applicetur hæc ad propositum præsens, et dicatur. Si Christo etiam corporaliter præsente, si ipso tum verbis illis, tum factis, scilicet tanta sanguinis, cum tantis doloribus effusione pro peccatorum venia ad patrem orante, non datur venia alicui illorum sine ipsorum poenitentia, cum tamen, si absque poenitentia posset dari, magis tunc, quam alias umquam, videretur danda, ut cuique sapienti patet, ut ergo pro constanti veritate ex hoc utique relinquitur, quod peccatoribus, quicumque sint illi, numquam poterit dari venia suorum delictorum sine propria ipsorum poenitentia. Quid ergo profuit oratio Christi? Ad hoc (ut ipse intendebat orando) profuit, et quod donatum est illis præambulum poenitentiæ necessarium, idest, cognitio proprii peccati, et quod donatum est illis peccatoribus *cor contritum, et humiliatum*, scilicet poenitentia ipsa, et donatum est simul illis, ut tale donum, idest, poenitentiam acciperent, juxta illud Psal. 67. *accepisti dona in hominibus*, et donatum etiam est illis, ut poenitentiam ipsam tunc digne exequerentur, et denique, per ipsam illis donatam poenitentiam condonata est eisdem omnium suorum delictorum venia. Quinque has donationes pro ipsis petiit Christus per ly *dimitte illis:* et ideo veniam illis dandam, non sine, sed cum poenitentia, postulavit. Item merito damnari á Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. " Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjecta, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur. Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. » Quibus in ultimis monstrat aperte, quod, quando poenitentiam fuisse semper, esse, et futuram esse necessariam, dixit, intendebat loqui tantum de poenitentia, quæ non est sacramentum. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Concilio, et Aug., quod non remittitur umquam unum peccatum mortale sine alio. A D. Aug quidem, secundum quod ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Ro. 13 *Quæcumque á Deo sunt, ordinata sunt.* Hoc est, illa, quæ sunt convenientia, á Deo sunt, et è contra, scilicet, quæ non sunt convenientia, illa, ut sic, á Deo esse non possunt. Si igitur ad propositum præsens particulare applicetur illud Apostoli, est idem, ac si reddita causa, in qua implicite continebatur, diceretur. Quia, unum peccatum mortale sine alio remitti, est inordinatum idest inconveniens: ideo á Deo non potest unum illorum remitti sine alio. Quod autem, ut supponitur, hoc ipsum sit inconveniens, constat ex terminis suis, scilicet peccatum mortale, et remitti. Nam peccatum mortale est illud, quod inducit mortem animæ, in qua ipsum peccatum est. Mors autem animæ est aversio a Deo, qui solus est spiritualis vita animæ; juxta illud Ecclesiæ in hymno Angelorum: *Tibi Christe*

splendor patris, vita, virtus cordium, et illud Deut. 30. *Diligas Dominum Deum tuum, ipse enim est vita tua.* Alter vero terminus, scilicet remitti, est, stando in proposito, prædictam mortem, idest aversionem á Deo ex anima tolli: et consequenter vitam, idest conversionem, ipsi animæ reddi. Declaratis his terminis, nonne vides inconveniens, quod ibi latebat? Nam ex declaratione facta subito, vel tenuiter consideranti patet, quod dicere, unum peccatum mortale sine alio posse remitti, est dicere contradictoria, scilicet eamdem animam, in qua sunt illa peccata, esse simul vivam, et mortuam, hoc est, simul esse conversam ad Deum, et aversam á Deo. Quia enim unum peccatum mortale est remissum ei, ideo de necessitate constat, quod ipsa vivit, idest, quod est conversa ad Deum: quia autem: aliud mortale peccatum in ea remansit, utpote non remissum ei, ideo de necessitate constat, quod ipsamet non vivit, sed est mortua, idest quod non est conversa ad Deum, sed ab ipso aversa. A Concilio quoque Lateranensi sub Innocentio III. illud in principio appendicis dictum insinuatur per hoc, quod dicit cap. 21. *omnis utriusque sexus omnia sua peccata confiteatur.* Ex eo enim, quod præcipit peccata omnia confiteri, ut absolvatur peccator, secundum quod ex subjunctis ibid. patet, relinquit pro manifesto intelligendum, quod de mente sua est, non posse peccatum unum mortale sine alio mortali remitti. Item similiter insinuatur á Concilio Florentino sic. "Ad quam," scilicet oris confessionem, "pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, confiteatur integraliter." Hæc in decreto super un. Armenorum. Dic, ut sup. Concordat. et Conciliis præmissis Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. "Universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse á Domino integram peccatorum confessionem. Sacerdotes suiipsius vicarios reliquit, ad quos omnia mortalia crimina deferantur: quo pro potestate clavium remissionis, aut retensionis peccatorum sententiam pronuntient." Ex quibus patet, et quod Concilia præmissa loquebantur de mortalibus, dicendo ly *omnia*; et quod ad finem, ut possit remissio fieri, dicuntur omnia. Aliter ergo, secundum planam Concilii sententiam, remitti non possent: nisi omnia simul. Cæterum cave, ne ex veritate prædictorum incidas in errorem Jacobi Præpositi: hoc est, ne exinde inferas, quod poenitentia, seu dolor de uno peccato sine dolore omnium, est peccatum. Multum enim distant inter se illa veritas, scilicet unum peccatum per poenitentiam remitti non potest sine alio, et ista falsitas, scilicet poenitentia de uno peccato sine dolore omnium est peccatum. Quam quidem falsitatem et ipse Jacobus Præpositus pro errore recognovit, ac revocavit, ut refert Bernardus á Lutzemb. in suo cathalogo hæretic. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, ut refert Alphonsus de Castro adversus hæreses titul. poenitentia, quod, dimissa culpa, simul etiam dimissa est omnis poena peccato debita. Et propter hoc (inquit) nulla debet fieri satisfactio pro delictis perpetratis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari a. 2. Reg. 12. per hoc quod ibi legitur; quod *cum David pœnitens*, etc. ut *in arg. cont.* Item per dictum Num. 14. "Ait Moyses ad Dominum: Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum: Attamen omnes, homines qui, etc. non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum." Patet enim hic, ad planam litteræ texturam, quod dimissa culpa, remanet adhuc poena temporalis, puta, non videre terram promissionis. Ne autem putemus, quod hoc, scilicet poenam temporalem post culpæ deletionem remanere, proveniat ex parva misericordia Dei, signanter ibi scriptura ad deletionem illius peccati apposuit ly *secundum verbum tuum*; hoc est (ut petierat Moyses, secundum magnitudinem misericordiæ meæ). Ac si in proposito hujus articuli clarius dictum sit. Quod, dimisso peccato mortali, reatus poenæ temporalis remaneat, non est ex defectu misericordiæ divinæ, sed aliunde, puta ex defectu poenitentiæ hominum, quia scilicet illorum conversio ad Deum non est tanto spiritus fervore facta, ut sufficiat ad tollendum etiam poenam temporalem. Vide exam. post ad 1. Item damnari á Concilio Tridentin. sess. 6. cap. 14.

" Docendum est: christiani hominis poenitentiam post lapsum continere cessationem à peccatis, eorum detestationem, cor contritum, et humiliatum, eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem, non pro poena æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali: quæ ut sacræ litteræ docent, non tota semper dimittitur. » Et can. 30. " Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori, poenitenti culpam remitti, et reatum æternæ poenæ deleri dixerit, ita, ut nullus remaneat reatus poenæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit: anathema sit. » Et sess. 14. cap. 8. " Sancta synodus declarat: falsum omnino esse, et á verbo Dei alienum, culpam á Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim, et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus hic error quam manifestissime revincitur. » Ubi per totum capitulum contra hanc erroneam in fide positionem quam pulcherrime, et efficacissime multis rationibus invehitur, quæ omnia vide tu, ne nimis in longum protrahatur hæc Elucidationum formula. Et can. 15. " Si quis dixerit: fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna aeterna, poena temporalis plerumque exolvenda remaneat: anathema sit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis: quod remissa culpa quandoque non tolluntur omnes reliquiæ peccati: quandoque autem sic. Ut per id, quod á simili dicitur Mar. 8. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod legitur Psal. 37. " Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. » Patet siquidem, quod cicatrix ex vulnere relinquitur, et consequenter, quod istæ cicatrices, de quibus loquitur propheta, sunt reliquiæ peccati alicujus sibi jam dimissi: de quibus reliquis lamentabiliter dicit, quod *putruerunt, et corruptæ sunt.* Nam secundum D. Thomam ibi super Psalmos, sicut per imperitiam medici quandoque infirmitas generat intu putredinem, et corrumpit aliquod membrum: sic est quandoque in peccatore, cui dimissum est peccatum, et adhuc remansit pronitas ad peccandum; quasi cicatrix ex vulnere. Quando enim peccatum illud non curatur per correctionem, id est per fructus dignos poenitentiæ, scilicet per satisfactionem, et exercitium bonorum operum: tunc fid putredo interius, id est delectatio peccati præteriti, et consentit in aliud simile. Hoc est, ut brevius dicatur. Sicut quandoque per insipientiam medici vulnus putrefit: ita ex insipientia hominis, in quo reliquiæ peccati remanserunt, nescientis sibi bene cavere, contingit recidivum. Hæc S. Doctor in sententia. Item, quod quandoque tollantur ipsæ reliquiæ remissa culpa, per hoc insinuatur, quod ex persona Dei culpam remittentis ad animam dicitur: Hierem 30. *Obducam cicatricem tibi, et á vulneribus tuis sanabo te.* Ecce, quod Deus ex bonitate sua promittit aliquibus: se non tantum in eis sanaturum vulnera, idest peccata, sed etiam vulnerum cicatricem idest peccatorum ipsorum reliquias. Vide tex. ad 1. *Secundo* vides: quomodo ex his bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur atque confirmetur.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et á Concilio, quod remissio culpæ non est sine ordine ad claves Ecclesiæ: hoc est, quod principalius est effectus poenitentiæ, secundum quod sacramentum, quam, secundum quod virtus est. A Concil. quidem Trid. sess. 14. cap. 4. " Declarat sancta Synodus, contritionem non solum cessationem á peccato, et vitæ novæ propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere; juxta illud: projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. Docet præterea: etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectum esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc poenitentiæ sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. »

Quorum ultima sententia, ly *docet præterea*, etc. sufficiebat proposito demonstrando: sed ideo prima adducta fuit, ut omnibus patefieret, quod sub nomine contritionis ibi accipitur poenitentia virtus, secundum quod manifestat ejus descriptio praesens, si conferatur descriptioni poenitentiae virtutis datae supra q. 85. a. 1. 2. 3. A scripturis vero insinuatur per hoc, quod dicitur Joan. 20. " Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » His enim verbis Christus instituit sacramentum poenitentiae secundum Concil. Trid. sess. 14. c. 1. " tamquam lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus, » secundum idem Conc. ibid. c. 2. " ex cujus institutione universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, ut docet idem Concilium ibid. c. 5. Stante igitur tali institutione per ly *accipite*, etc. sic explanata ab Ecclesia, facile constat ex scriptura illa propositum, quod quaeritur. Nam, si remissio peccati posset esse effectus poenitentiae virtutis absque ordine ad claves, idest ad poenitentiam, secundum quod est sacramentum: jam poenitentiae sacramentum non esset necessarium, neque integra confessio sacramentalis esset necessaria: quorum utrumque est contra institutionem á Christo factam, ut dictum est. Ex praemissis quoque patet, quod illud emendationis propositum, de quo loquitur q. 85. a. 3. cadens in definitione poenitentiae virtutis, est intelligendum secundum ordinem ad claves. Ac si ibi dictum sit. Poenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum proposito emendationis, idest confitendi sacramentaliter ipsum peccatum, et pro ipsius mensura satisfaciendi secundum arbitrium confessarii ministri Ecclesiae. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA SEPTIMA,

DE REMISSIONE VENIALIUM PECCATORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de remissione venialium peccatorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum sine poenitentia peccatum veniale possit dimitti.

Secundo, utrum possit dimitti sine gratiæ infusione.

Tertio, utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, et episcopalem benedictionem, et tunsionem pectoris, et orationem Dominicam, et alia hujusmodi.

Quarto, utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia.

Pro affirmativa. = Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine poenitentia.

1. Peccata venialia possunt remitti sine proposito cavendi in futurum. Ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia.

Anteced. prob., quia certum est quod homo sine peccatis venialibus præsentem vitam ducere non potest.

Conseq. prob., quia ad rationem veræ poenitentiæ pertinet quod homo doleat, non solum de peccato præterito, sed etiam quod proponat cavere de futuro.

2. Peccata venialia possunt dimitti sine actuali displicentia eorum. Ergo possunt remitti sine poenitentia.

Anteced. prob., quia si aliquis dormiens occideretur propter Christum, statim in coelum evolaret quod non contingit, manentibus peccatis venialibus.

Conseq. prob., quia poenitentia non est sine actuali displicentia peccatorum.

3. Peccatorum venialium remissio fit per fervorem charitatis. Ergo remissio venialium potest fieri sine poenitentia.

Antecedens prob. Unum oppositorum tollitur per aliud. Sed peccata venialia opponuntur fervori charitatis ut dictum est 1. 2. quæst. 71. et 2. 2. quæst. 24. art. 8. ad 2. Ergo venialia per fervorem charitatis tolluntur.

Conseq. prob., quia fervorem charitatis contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, quæ tamen actualis displicentia est de ratione poenitentiæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de medic. poenit. et lib. de utilit. poenit. cap. 2. Quod *est quædam pœnitentia, quæ quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus.* Ergo peccata venialia non possunt sine poenitentia dimitti.

Conseq. prob., quia frustra esset poenitentia, quæ fit in Ecclesia pro venialibus, si sine poenitentia possent venialia dimitti.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Peccatum veniale non potest remitti sine poenitentia.

Prob. Culpa per quam fit separatio hominis á Deo, non potest remitti sine poenitentia. Sed per peccatum veniale fit aliqualis reparatio hominis á Deo. Ergo peccatum veniale non remittitur sine poenitentia.

Maior prob., quia remissio culpæ fit per conjunctionem hominis ad Deum, á quo separat culpa, ut dictum est q. præced. art. 2. et art. 4.

Minor manifestatur, nam separatio á Deo potest dupliciter fieri, scilicet perfecte et imperfecte. Perfecte fit separatio hominis á Deo, quando hominis mens omnino á Deo avertitur, et hæc separatio fit per mortale peccatum, utpote contra charitatem agens. Imperfecte autem fit separatio hominis á Deo, quando hominis mens non avertitur á Deo, sed retardatur ejus affectus, ne prompte in Deum feratur.

Quia igitur per utrumque peccatum deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum, neutrum potest sine poenitentia remitti. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas peccato adhæret; ita nec peccatum veniale. Nam, manente causa, necesse est manere effectum.

2.ª Conclusio. Ad remissionem peccati venialis non requiritur tam perfecta poenitentia, sicut ea, quæ requiritur ad remissionem peccati mortalis.

Manifestatur. Nam ad remissionem peccati mortalis exigitur quod homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula destestetur, quod non requiritur ad remissionem venialium peccatorum.

3.ª Conclusio. Ad remissionem venialium peccatorum non sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel per habitum poenitentiæ, quæ est virtus.

Prob. Quia sic charitas, vel virtus poenitentiæ, non compateretur secum peccatum veniale quod tamen esse falsum.

4.ª Conclusio. Ad remissionem peccati venialis, requiritur displicentia virtualis.

Manifestatur. Requiritur enim ad remissionem venialis peccati, ut aliquis secundum affectum sic feratur in Deum et in res divinas, ut quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hæc commisisse; etiam si actu de illo retardante non cogitaret. Quæ tamen virtualis displicentia non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum

ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur anteced. Ad prob. dicitur, quod homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia, et etiam singula. Potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia, ut patet ex his quæ dicta sunt 1. 2. quæst. 109. art. 8. Et ideo poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ad omnibus et singulis peccatis mortalibus; sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere á singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non compatitur; debet tamen ille, qui de peccatis venialibus poenitentiam facit, habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, si desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, ut dictum est quæst. 66. art. 11. Et ideo purgat ab omni culpa veniali et mortali, nisi actualiter invenerit voluntatem peccato inhærentem.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod fervor charitatis implicat virtualiter displicentiam venialium peccatorum; ut dictum est supra q. 79. art. 4. in corp. Quæ sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Unde non sequitur quod remittantur sine poenitentia.

ARTICULUS II.

Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio.

Pro affirmativa. = Videtur quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio.

1. Propria causa remissionis peccatorum, est gratia. Ergo peccata venialia non remittuntur sine infusione gratiæ.

Antecedens prob., quia peccata hominis remittuntur ex merito. Unde dicitur ad Ephes. 2. *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.*

Consequentia prob., quia effectus non est sine propria causa.

2. Peccata venialia non remittuntur sine poenitentia. Ergo peccata venialia non remittuntur sine infusione gratiæ.

Conseq. prob., quia in poenitentia infunditur gratia, sicut et in aliis sacramentis novæ legis.

3. Peccatum veniale maculam quamdam animæ infert. Ergo peccatum veniale non dimittitur sine infusione gratiæ.

Conseq. prob., quia macula non aufertur, nisi per gratiam, quæ est spiritualis animæ decor.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Peccatum veniale adveniens non tollit gratiam neque etiam diminuit eam, ut dictum est 2. 2. quæst. 24. art. 10. Ergo pari ratione ad hoc quod peccatum veniale remittatur, non requiritur infusio novæ gratiæ.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Ad hoc ut peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia; sed ad ejus remissionem sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis.

Prob. Peccatum veniale non contrariatur habituali gratiæ, vel charitati, sed retardat actum ejus, in quantum inhæret homo bono creato, licet non contra Deum ut dictum est 1. 2. q. 88. art. 1. et 2. 2. q. 24. art. 10. Ergo ad ejus ablationem non requiritur infusio novæ gratiæ, vel charitatis, sed sufficit motus aliquis gratiæ, vel charitatis jam præexistentis.

Conseq. prob., quia unumquodque tollitur per suum oppositum.

2.ª Conclusio. Quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

Manifestatur, quia in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et in peccatum, per quem motum tolluntur venialia, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, non quidem per novam gratiæ infusionem, sed per actum, quem de novo elicit.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod verificatur de pœnitentia, quæ est sacramentum, non de actu pœnitentiæ, quæ est virtus. Peccata enim venialia numquam dimittuntur sine aliquo actu pœnitentiæ virtutis, explicito, vel implicito, ut art. præced. dictum est. Possunt tamen remitti sine pœnitentiæ sacramento quod absolutione sacerdotis formaliter perficitur. Et ideo non sequitur quod ad remissionem peccatorum venialium requiratur gratiæ infusio. Etsi enim in quolibet sacramento infundatur gratia, non tamen infunditur in quolibet virtutis actu.

Ad 3. Neg. conseq. Non enim quælibet macula animæ requirit novam gratiæ infusionem ad sui deletionem. Sicut enim in corpore contingit esse maculam dupliciter; uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum. Alio modo per soperinductionem alicujus impedientis decorem, puta luti, aut pulveris; ita etiam animæ inducitur macula dupliciter: uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem inordinatam affectus ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ; sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens á gratia, per quem removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem, etc.

ARTICULUS III.

Utrum venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, et cætera hujusmodi.

Pro negativa. = Videtur quod venialia peccata non remittantur per aspersionem aquæ benedictæ episcopalem benedictionem, et alia hujusmodi.

1. Pœnitentia, sine qua peccata venialia non remittuntur, per se sufficit ad remissionem venialium. Ergo prædicta nihil operantur ad eorum remissionem.

2. Si per aliquod prædictorum remitteretur aliquod peccatum veniale, sequeretur quod pari ratione remittantur omnia; et ita per unam tunsionem pectoris, vel per unam aspersionem aquæ benedictæ homo redderetur immunis ab omnibus peccatis venialibus. Quod videtur inconveniens.

Conseq. prob., quia quodlibet istorum eamdem rationem habet ad unum peccatum veniale, et ad omnia.

3. Ea, per quæ peccata remittuntur debent habere in se aliquam pœnam. Sed hujusmodi, per quæ dicuntur venialia peccata dimitti, nullam vel minimam habent pœnam. Ergo per hujusmodi non possunt venialia peccata dimitti.

Maior prob., quia peccata etiam venialia inducunt reatum alicujus pœnæ, licet temporalis; unde dicitur 1. cor. 3. De eo, qui «superædificat lignum, fænum et stipulam quod salvus erit, sic «tamen quasi per ignem.»

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de Med. pœn. c. 2. «Pro levioribus peccatis pectora nostra «tundimus, et dicimus dimitte nobis de«debita nostra.» Ergo videtur quod tunsio pectoris, et oratio dominica cau-

sent remissionem venialium peccatorum.

Determinatio.

Conclusio. Peccata venialia remittuntur per susceptionem sacramentorum novæ legis. Per confessionem generalem, tunsionem pectoris, et dominicam orationem. Per benedictionem episcopalem, aspersionem aquæ benedictæ, quamlibet sacramentalem unctionem, et orationem factam in Ecclesia dedicata.

Prob. Per ea, in quorum susceptione infunditur gratia, vel quæ fiunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, vel cum aliquo motu in Deum, vel in res divinas exercentur, dimittuntur peccata venialia. Sed in susceptione sacramentorum novæ legis infunditur gratia. Confessio generalis, tunsio pectoris, et oratio dominica, sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et benedictio episcopalis, et aspersio aquæ benedictæ, et quælibet sacramentalis unctio, et oratio, quæ fit in Ecclesia consecrata, sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et in res divinas. Ergo per omnia hujusmodi peccata venialia remittuntur.

Maior manifest. Quia ut dictum est art. 2. hujus qu. Ad remissionem venialis peccati non requiritur novæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis fervenˉter movetur in Deum. Dictum est etiam art. præced. in corp. Quod etsi ad remissionem venialium peccatorum, non sit necessaria gratiæ nova infusio, tamen per gratiæ infusionem remittuntur: et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium. Vel quia in eis fit infusio gratiæ, ut fit in susceptione Eucharistiæ, extremæ unctionis, et aliorum sacramentorum. Vel quia sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, ut sunt confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica, in qua petimus nobis peccata dimitti. Vel quia sunt cum motu reverentiæ in Deum, vel in res divinas, ut sunt aqua benedicta episcopalis benedictio, sacramentalis unctio, et si quæ sunt alia hujusmodi, et sic patet maior, quæ erat probanda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. Quod hæc, quæ dicta sunt, causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ qui est detestatio peccatorum implicite, vel explicite.

Ad 2. Conceditur sequela: omnia enim ista, in quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ: potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret, sicut per fictionem impeditur interdum effectus baptismi. Unde nullum sequitur inconveniens, ex concesso antecedente, et consequentia.

Ad 3. Dicitur, quod supponit unum falsum, scilicet quod per prædicta remittantur venialia, quantum ad culpam, et quantum ad reatum pœnæ: hoc enim supposito, esset vera maior et inde totum argumentum. Quod tamen supposˉitum est falsum. Per prædicta enim tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cujus motus per prædicta excitatur. Non autem per quodlibet prædictorum tollitur semper totus reatus pœnæ, quia sic qui esset omnino immunis á peccato mortali, aspersus aqua benedicta, statim evolaret ad cœlum. Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum modum fervoris in Deum, qui fervor per prædicta excitatur quandoque magis et quandoque minus. Ad formam igitur dicitur, quod maior est vera de eo, per quod remittuntur venialia semper, etiam quantum ad totum pœnæ reatum, non autem de eo, per quod remittitur solum quantum ad culpam, et ad minorem subsumendam dicitur, quod per hujusmodi

non semper remittuntur venialia quantum ad totum reatum.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum veniale possit remitti sine mortali.

Pro affirmativa. ═Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine mortali.

1. Super illud Jo. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Dicit quædam Glos. ex Cirillo; lib. 5. in Joan. cap. 16. et 17. *Quod omnes illi erant in peccato mortali; venialia enim dimittebantur eis per cæremonias.* Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

2. Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio, sicut requiritur ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest sine mortali remitti.

3. Unum veniale potest remitti sine alio, ut dictum est art. præced. Ergo multo magis veniale potest sine mortali remitti.

Conseq. prob., quia plus distat mortale á veniali, quam unum veniale ab alio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Matt. 5. dicitur: *amen dico tibi, non exies inde* (scilicet ex carcere, in quem intruditur homo pro peccato mortali) *donec reddas novissimum quadrantem*: per quem significatur peccatum veniale. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

Determinatio.

Conclusio. Ei qui est in peccato mortali non remittitur veniale sine mortali.

Probatur. Ei, qui caret gratia Dei, nullum peccatum potest dimitti. Sed ille qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Ergo ei, qui est in peccato mortali, non potest veniale sine mortali dimitti.

Maior prob., quia remissio culpæ cujuscumque numquam fit, nisi per virtutem gratiæ, ut dictum est, quæst. præced. artic. 6. et præcedentibus, quia ut Apostolus dicit Rom. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum quod Glos. interlin. in illud ps. 31. *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum*, ibi exponit de veniali. Ei igitur, qui non est in gratia, non potest aliquod peccatum dimitti, nisi per infusionem gratiæ ei dimittatur peccatum mortale.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Glos. cit. in arg. per venialia intellexit irregularitates, sive immunditias, quas secundum legem contrahebant judæi.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiæ requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui peccato mortali subjacet propter carentiam gratiæ.

Ad 3. Negatur consequentia. Potest enim unum veniale sine alio dimitti, quia peccatum veniale non excludit omnem actum gratiæ, per quem possunt venialia dimitti. Peccatum autem mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale, vel veniale remittitur et ideo potest unum veniale sine altero; non autem veniale sine mortali dimitti.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 87.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Aug. quod veniale peccatum non potest remitti sine poenitentia.

A D. Aug. quidem, ut ponitur *in arg. contr.* A Papa Bonifacio autem per hoc, quod in sexto de reg. juris, reg. 5. dicit: *Peccati venia non datur, nisi correcto.* Per correctum enim intelligit poenitentem, secundum illud B. Aug. quod recitatur 23. q. 7. c. ult. " Quo modo (inqnit) gaudebis, te esse correctum, nisi doleas, te fuisse perversum? » Idem ergo est ly *nisi correcto*; ac si diceretur, nisi dolenti de peccato suo, idest, nisi poenitenti. Et loquitur regula de peccato sine additione aliqua, idest non determinando se ad mortale, aut veniale, sed in communi, hoc est, de peccato, ut peccatum est. Tamquam si dixisset. Nec mortalis, nec venialis, nec originalis, dummodo sit adultus ille, qui habet originale, peccati venia datur: nisi poenitenti, idest dolenti de peccato cum proposito emendationis, q. 86. ar 2. Ratio autem illius regulæ, inquit Glossa ibi, est, quia actus activorum non fiunt, nisi in patiente bene disposito, ut ait Phil. in Metaph. A scripturis vero idipsum insinuatur per hoc, quod universaliter dicunt Rom. 13. *Quæcumque á Deo sunt, ordinata sunt.* Hoc est: convenientia sunt. Ab oppositis ergo denotant, quod inconvenientia non sunt á Deo, seu quod Deus numquam facit illa, quæ sunt inconvenientia. Cum igitur inconveniens, imo et maxime inconveniens, utpote contradictorium sit hoc, scilicet veniale remitti sine poenitentia, ut patet in corol. ante concl. 3. sequitur manifeste, quod scriptura illa Rom. 13. si ad particulare præsentis articuli propositum applicetur, dicit quod á Deo numquam potest esse remissio peccati venialis sine interiori poenitentia. Vide aliquid simile q. 86. ar. 2. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Trid. quod ad remissionem peccatorum venialium non requiritur nova gratiæ infusio. Ut per hoc, quod dicit sess 6. c. 11. " Licet in hac mortali vita, quantumvis sancti, et justi, in levia saltem, et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi. Nam justorum est illa vox et humilis, et verax, dimitte nobis debita nostra. » Patet enim his verbis denotari, quod peccatum veniale stat simul in eodem subjecto cum gratia justificante: et consequenter etiam necessario patet, quod ad remissionem venialis non exigitur, quod de novo gratia infundatur: cum jam et infusa habeatur, antequam veniale committatur, et infusa perseveret, postquam veniale commissum est. Numquam ergo deleretur veniale; si nil aliud, nisi gratia infusa, requireretur. Oportet igitur dare aliquid aliud ultra gratiam ipsam, quo dato, deleatur: hoc vero aliud non est nova gratiæ infusio: quia gratia, ut diximus, jam habetur. Unde, si ratione gratiæ, ut sic, deleretur; jam deletum esset, antequam gratia illa de novo adveniret. Sicut ergo, ut colligamus omnia in unum, peccatum veniale justis adveniens non tollit gratiam: ita, é contra pari ratione, ad hoc, quod veniale remittatur, non requiritur nova gratiæ infusio. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Ecclesia, Augustino, Papa, Evangelio, et Concilio, quod per aquæ benedictæ aspersionem, per orationem Dominicam, tunsionem pectoris, etc. devote exercita, dimittitur peccatum veniale. A B. Augustino quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* A Sancta Ecclesia vero per hoc, quod dicit in benedictione aquae ly *ut, qui ea aspersus fuerit, liberetur á noxia.* Et universaliter, quae ad praedicta, cum sint quaedam supplicationes, possunt recte applicari, in quadam collecta dicit: " Deus, cui numquam sine spe misericordiae supplicatur. » A Papa autem Alexandro I. " Aquam sale conspersam benedicimus; ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, etc. Quanto magis aqua divinis precibus sacrata coinquinatos sanctificabit? » Haec illae, ut recitatur, de consec. d. 3. c. aquam. Vide sup. a. num. 2. 35. cum Elucid. Ab Evangelio item Luc. 16. " Percutiebat pectus suum dicens, etc. descendit hic justificatus in domum suam. » A Conc. denique Trid. sess. 14. c. 5. " Venialia in confessione taceri circa culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. » *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatumá

scripturis; quod peccatum veniale non remittitur homini, quamdiu est in peccato mortali. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 5. *Amen dico tibi*, etc. secundum quod cum expositione ponitur *in arg. contr.* Quæ expositio confirmatur ex Luc. 12. " Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. » Nam peccata minuta vocantur ad litteram á Doctoribus peccata venialia. Ac si dicamus. Donec reddas etiam novissimum minutum, idest ultimum peccatum veniale, vel novissimum minutum, idest minutissimum peccatum inter alia venialia. Ergo, secundum scripturam hanc, non remittitur veniale, etiam quantumcumque minimum, homini existenti in peccato mortali. De mortali enim agitur in praeannexo contextu, ut patet legenti, et intelligenti, propter quod dicitur quis tradendus tortoribus, et mittendus in carcerem. Item insinuatur per hoc, quod dicitur Genes. 4. " Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Cain autem, et munera illius non respexit. » Horum enim verborum ordine denotatur, quod amicitia personae alicujus ad Deum praesupponitur, antequam aliquid de manu ipsius personae, ut sic, acceptetur á Deo: et quod persona, quae est in peccato mortali, hoc enim solum personam reddit Deo inimicam, quamdiu sic manet, tamdiu affectus ejus, á quo deinde munera procedunt, non est gratus Deo. Id, quod et apertius monstratum est per illud Is. 1. " Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos á vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt.» Ubi nota ly *enim*, quod in ultima sententia ponitur, reddit orationem omnium praedictorum. Cum igitur peccatum mortale faciat ista omnia, quae alias erant grata Deo, utpote ab ipso praecepta, 1. 2. q. 99. a. 3. et q. 101. a. 4. et q. 102. a. etc. non esse grata, imo esse odiosa Deo; patet, quod ipsum peccatum multo magis faciet illud, quod de se est ingratum Deo (quale est veniale peccatum) remanere, sicuti erat, idest remanere ingratum Deo, hoc est, faciet ipsum veniale non remitti. Patet, inquam, haec sequela de multo magis, per illam regulam philosophi in logicalibus quae est: Si de quo minus videtur inesse, inest: ergo et de quo magis videtur inesse, magis inerit. Subsume tu huic regulae quod minus videtur verisimile, quod peccatum mortale reddat ingrata Deo, quae alias ipsi grata sunt: quam quod faciat remanere ingratum Deo illud, quod secundum se eidem ingratum est: et mox applicando haec ad supradicta videbis; non modo verum, sed etiam clarum esse, quod ibi concludebatur. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA OCTAVA,

DE REDITU PECCATORUM PER PŒNITENTIAM DIMISSORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum, peccata per pœnitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.

Secundo, utrum aliquo modo per ingratitudinem redeant specialius secundum quædam peccata.

Tertio, utrum peccata redeant in æquali reatu.

Quarto, utrum illa ingratitudo, per quam redeunt, sit speciale peccatum.

ARTICULUS I.

Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum.

Pro affirmativa.==Videtur quod peccata dimissa redeant per sequens peccatum.

1. Aug. dicit in lib. 1. de baptis. contr. Donat cap. 12. « Redire dimissa « peccata, ubi paterna charitas non est, « apertissime Dominus in Evangelio do-

« cet, in illo servo, á quo dimissum de- « bitum Dominus repetit, eo quod ille « conservo suo debitum nollet dimittere.» Ergo per quodlibet sequens peccatum mortale redeunt peccata per poenitentiam prius dimissa.

Consequentia prob., quia per quodlibet peccatum tollitur fraterna charitas.

2. Super illud Luc. 11. *Revertar in domum meam unde exivi*, dicit Beda lib. 4. in Luc. cap. 48. *Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat quod non esset, nisi culpa rediret.* Ergo culpa per poenitentiam dimissa redit.

3. Ezech. 18. Dominus dicit. *Si averterit se justus á justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo postquam poenitens peccat, non imputatur ei præcedens poenitentia, per quam consequutus est veniam peccatorum, ac per hoc peccata prius per poenitentiam dimissa redeunt.

Conseq. prob., quia inter alias justitias quas fecit, etiam præcedens poenitentia continetur, cum poenitentia sit pars justitiæ.

4. Peccata præterita per gratiam teguntur, ut patet per Apost. Rom. 4. inducentem illud Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Ergo peccata, quæ fuerant prius comissa, remanent detecta per peccatum sequens, et ita videtur quod redeant.

Conseq. prob., quia per peccatum mortale sequens tollitur gratia, per quam peccata tecta erant.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Peccata poenitentis sunt dimissa per donum Dei. Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata.

Consequetia prob., quia Apost. dicit Rom 11. *Sine pœnitentia sunt dona, et vocatio Dei.*

2. Aug. dicit in lib. resp. Prosperi, et refertur de poenit. dist. 4. c. 14. « Qui recedit á Christo, et alienus á gra- « tia finit hanc vitam, quid nisi in per- « ditionem vadit? Sed non in id quod « remissum est, recidit, nec pro origi- « nali peccato damnabitur.»

Determinatio.

Distinctio. In peccato mortali sunt duo, scilicet aversio á Deo, et conversio ad bonum creatum: differt autem peccatum, ut consideratur in eo aversio á Deo, á peccato ut in eo attenditur conversio ad bonum creatum, in hoc quod quidquid convenit peccato ex parte aversionis, est commune omnibus peccatis mortalibus; ea vero, quæ conveniunt peccato ex parte conversionis, non sunt omnibus peccatis communia, sed propria singulis. Peccato mortali ex parte aversionis duo conveniunt scilicet macula, quæ est per privationem gratiæ, et reatus poenæ æternæ, quæ duo communia sunt omnibus peccatis mortalibus; per quodlibet enim mortale homo avertitur á Deo, incurrit maculam culpæ, et reatum æternæ poenæ. Ea vero, quæ conveniunt peccatis ex parte conversionis, non sunt omnibus communia, sed propria singulis, et quandoque contraria, ut patet de pecatis avaritiæ et prodigalitatis et hujusmodi. Unde sicut magis vel minus gravia ex hac parte, maiorem vel minorem exigunt poenam.

Verum, quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo causatur, ea quæ sunt in peccato ex parte aversionis, recipiunt quodammodo diversitatem per comparationem ad diversas conversiones, sicut ad diversas causas, ita quod sit alia aversio, et alia macula, et alius reatus, prout consurgit ex alio, et alio actu peccati mortalis.

2.ª *Distinctio.* Ea igitur, quæ sunt in peccato ex parte aversionis, possunt considerari dupliciter. Uno modo, ut conveniunt peccato ex parte aversionis absolute, et secundum se considerato,

nullo habito respectu ad conversionem. Alio modo ut ea, quæ conveniunt peccato ex parte aversionis sunt causata ex conversione, puta macula, quæ est per privationem gratiæ et reatus æternæ poenæ, consideratur, vel prout consequuntur aversionem á Deo absolute vel prout consequuntur aversionem á Deo causatam ex tali conversione ad bonum creatum, ut ex blasphemia, furto, homicidio, avaritia, vel ex aliquo hujusmodi. Et hic est intentus sensus quæsti: vertitur enim indubium, an macula et reatus pœnæ secundum quod causabantur ex peccato dimisso, redeant per peccatum mortale sequens.

1.ª Conclusio. Ea, quæ consequuntur peccatum mortale ex parte aversionis absolute consideratæ, redeunt per sequens peccatum mortale.

Manifestatur, quia hæc sunt communia omnibus peccatis mortalibus. Unde si post dimissum mortale peccatum aliud mortale committatur, peccans incurrit maculam et reatum poenæ, in quem prius incurrerat. Et secundum hoc intelligitur id quod dicitur Jacob. 3. *Qui in uno offenderit factus est omnium reus*: quia scilicet qui committit unum peccatum mortale, incurrit maculam, et æternæ poenæ reatum.

2.ª Conclusio. Peccatum mortale sequens non facit redire peccatum prius dimissum quantum ad ea, quæ conveniunt peccato ex parte conversionis.

Manifestatur: nam alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum, vel in dispositionem avaritiæ prius abolitæ, et sic contrarium esset causa contrarii, quod est impossibile.

An autem per sequens peccatum redeat peccatum prius dimissum quantum ad maculam et quantum ad reatum, secundum quod causabantur ex peccato jam dimisso. An scilicet committens furtum post dimissum homicidium, incurrat maculam et reatum, non solum ut debentur furto, sed etiam ut debentur homicidio prius dimisso, variæ sunt sententiæ.

Prima positio.

Quibusdam enim visum est quod peccata prius dimissa, per sequens peccatum simpliciter hoc modo redeant, quod scilicet ille, cui dimissum est homicidium, si postea committat furtum, incurrat in poenam debitam furto et homicidio. Quæ positio potest ex argumentis pro affirmativa firmari.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse quod sic ostenditur. Opus Dei, per opus hominis irritari non potest. Sed dimissio prioris peccati est opus Dei, peccatum vero sequens est opus hominis. Ergo non potest peccatum dimissum per sequens redire.

Prob. maior, et confirmatur ratio. Quia Rom. 3. dicitur: *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit.*

Altera positio.

Et ideo alii ponentes etiam peccata redire, dixerunt quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo, secundum præscientiam, sed solum secundum præsentem justitiam. Præscit enim se pro his peccatis eum æternaliter puniturum, et tamen per gratiam facit cum præsentialiter justum.

Reprobatio.

Sed nec hoc stare potest, quia si causa absolute ponatur, ponitur absolute etiam effectus: si igitur per gratiam, et gratiæ sacramenta non fieret absolute remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, sequeretur quod gratia, et gratiæ sacramenta, non essent sufficiens causa remissionis peccatorum. Quod est erroneum, utpote derogans gratiæ Dei.

Vera sententia.

3.ª Conclusio. Nullo modo potest esse quod macula et reatus præcedentium peccatorum redeant, secundum

quod ex actibus dimissorum peccatorum causabantur.

Quæ conclusio patet ex reprobatione harum positionum; quia scilicet derogaretur gratiæ Dei; et quia remissio est opus Dei quod non potest per opus hominis evacuari.

4.ª Conclusio. Peccata dimissa redeunt per peccatum sequens non simpliciter, sed secundum quid.

Manifestatur: nam contingit quod sequens actus peccati virtualiter contineat reatum prioris peccati, in quantum scilicet aliquis homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat, secundum illud Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ* ex hoc scilicet solo quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat. Multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati, secundo peccatum iteretur, quanto maius est beneficium peccatum remittere, quam peccatorem sustinere. Sic igitur per peccatum sequens pœnitentam, redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrando quod est ex prioribus peccatis aggravatur. Et hoc est peccata remissa redire, non simpliciter, sed secundum quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur illud verbum August. videtur esse intelligendum de reditu peccatorum, quantum ad reatum pœnæ æternæ, in se considerandum, quia scilicet post pœnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ æternæ, sicut et prius; non tamen omnino propter eamdem rationem. Unde August. dicit in lib. de resp. Prosp. ad 2. objectionem Gallorum, et refertur de pœnit. dist. 4. cap. qui recidit. Cum dixisset quod « non id « quod remissum est recidit, nec pro « originali peccato damnabitur, subdit. « Qui tamen propter postrema crimina « ea morte afficietur quæ ei propter illa « quæ remissa sunt, debebatur; » quia scilicet incurrit mortem æternam, quam meruerat per peccata præterita.

Ad. 2. Dicitur quod Beda in illis verbis non intendit dicere quod culpa prius dimissa hominem opprimat per reditum reatus præteriti, sed per iterationem novi actus.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod per sequens peccatum justitiæ prioris oblivioni traduntur, in quantum erant meritoriæ vitæ æternæ non tamen in quantum erant impeditivæ peccati. Unde si aliquis peccet mortaliter, postquam restituit debitum, non efficitur reus, quasi debitum non reddidisset. Et multo minus traditur oblivioni pœnitentia prius acta, quantum ad remissionem culpæ, cum remissio culpæ magis sit opus Dei, quam hominis.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod gratia non solum tegit, sed simpliciter tollit maculam, et reatum æternæ pœnæ. Tegit autem actus peccati præteritos, ne Deus propter eos hominem gratia privet: et reum habeat pœnæ æternæ. Illud autem quod gratia semel fecit, perpetuo manet.

ARTICULUS II.

Utrum peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum odium fraterum, apostasiam á fide, contemptum confessionis, et dolorem de pœnitentia habita.

Pro negativa. = Videtur, quod peccata dimissa non redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum quatuor genera peccatorum: scilicet secundum « odium fraternum, apostasiam « á fide, contemptum confessionis, et « dolorem de pœnitentia habita. » Secundum quod quidam metrice dixerunt.

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri;
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

1. Quædam peccata sunt graviora, quam sunt prædicta quatuor genera peccatorum, sicut sunt blasphemia contra Deum, et peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod peccata dimissa non redeant magis per ingratitudinem commissam secundum hæc peccata, quam secundum alia, quæ sunt his graviora.

Conseq. prob., quia tantum est maior ingratitudo, quanto gravius est peccatum quod quis contra Deum committit, post beneficium remissionis peccatorum.

2. Rabanus dicit, et habetur de pœnit. dist. 4. c. Si Judas. « Nequam « servum tradidit Deus tortoribus, « quoad usque redderet universum debi- « tum, quia non solum peccata, quæ « post baptismum homo egit, reputa- « buntur ei ad pœnam, sed et venialia, « quæ in baptismo sunt ei dimissa. » Ergo per ingratitudinem redeunt etiam peccata venialia. Ergo pari rationem videtur quod per peccata venialia redeant peccata prius dimissa, et non solum per prædicta peccata.

Prima conseq. prob., quia etiam peccata venialia inter debita computantur, pro quibus dicimus: *dimitte nobis debita nostra.*

3. Maius donum est innocentia, qua peccatum vitamus quod August. lib. 2. Confess. cap. 7. *Gratiæ Dei deputo, quam remissio etiam omnium peccatorum.* Ergo non minus est ingratus Deo, qui primo peccat post innocentiam, quam qui peccat post pœnitentiam, et ita videtur quod per ingratitudinem, quæ fit secundum peccata prædicta, non maxime redeant peccata dimissa.

Conseq. prob., quia tanto est maior ingratitudo, quanto post maius beneficium acceptum aliquis peccat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. dicit lib. 4. Dialog. cap. 6.... « Ex dictis Evangelicis constat, quia si « quid in nos delinquitur, ex corde non « dimittimus, et illud rursus exigitur « quod jam per pœnitentiam nobis di- « missum fuisse gaudebamus. » Et ita propter odium fraternum specialiter redeunt peccata dimissa secundum ingratitudinem, et eadem ratio est de ingratitudine quæ est secundum alia prædicta peccata.

Determinatio.

Conclusio. Peccata per pœnitentiam dimissa specialiter redire dicuntur per ingratitudinem, quæ est secundum odium fraternum. Apostasiam á fide, dolorem de pœnitentia habita, et contemptum confessionis.

Quæ conclusio prius declaratur quantum ad illum terminum (specialiter) peccata enim dimissa redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato sequenti, ut art. præced. in corp. dictum est. Ingratitudo autem potest committi dupliciter: uno modo ex eo quod aliquid fit contra beneficium, et hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deus offenditur, redditur homo ingratus Deo qui peccata remisit, et sic generaliter per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa, ratione ingratitudinis. Alio modo committitur ingratitudo non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam contra formam beneficii præstiti: et sic ingratus esset patri filius, si interficeret patrem á quo vitam habuit, et servus domino: si eum á quo habuit libertatem, in servitutem redigeret, et sic de aliis.

Deinde ex his probatur conclusio.

Per ingratitudinem, quæ est non solum contra beneficium á Deo acceptum, sed etiam contra formam præstiti beneficii, specialiter dicuntur peccata per pœnitentiam dimissam redire. Sed ingratitudo, quæ est secundum quatuor peccata prædicta, est non solum contra

beneficium á Deo acceptum, sed etiam contra formam præstiti beneficii. Ergo per ingratitudinem, quæ est secundum peccata prædicta, specialiter peccata redire dicuntur.

Maior patet ex modo dictis in declarationem conclusionis.

Minor prob. Nam forma beneficii remissionis peccatorum attenditur primo ex parte benefactoris, et hæc est remissio debitorum. Unde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit offensam, sed odium tenet contra eum. Secundo attenditur ex parte pœnitentis, qui hoc beneficium recipit ex cujus parte invenitur duplex motus liberi arbitrii, quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ; et contra hoc facit homo apostatando á fide. Secundus est motus liberi arbitrii in peccatum, qui motus est actus pœnitentiæ, ad quem actum duo pertinent, ut dictum est q. 85. art. 5. et 6. Primo quod detestetur peccata præterita, et contra hoc facit ille, qui dolet se pœnituisse. Secundo pertinet ad actum pœnitentiæ quod pœnitens proponat se subjicere clavibus Ecclesiæ per confessionem, secundum illud Psal. 31. « Dixi confitebor adversum me in« justitiam meam Domino, et tu remi« sisti iniquitatem peccati mei. » Et contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat; et propter hæc, ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim dicitur, quod per ingratitudinem, quæ est secundum prædicta quatuor peccatorum genera quod redeant peccata dimissa, quasi hæc peccata sint cæteris graviora, ut probatio consequentiæ procedit; sed quia in eis invenitur specialis ingratitudinis ratio, quatenus directius opponuntur beneficio remissionis accepto, ut dictum est in corp.

Ad 2. Conceditur prima consequentia: nam non solum per ingratitudinem redeunt prædicto modo mortalia peccata, sed etiam venialia, et etiam originale, in quantum per novum peccatum mortale contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata sunt remissa. Negatur autem secunda consequentia, ex hoc enim quod venialia dimissa redeunt, non sequitur quod per novum veniale commissum peccata dimissa redeant. Et ratio est, quia per peccatum veniale non incurrit aliquis ingratitudinem. Non enim homo peccando venialiter facit aliquid contra Deum, sed præter Deum. Et ideo per peccata venialia nullo modo redeunt peccata dimissa.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod beneficium aliquod habet pensari dupliciter. Uno modo ex quantitate beneficii: et secundum hoc innocentia est maius Dei beneficium, quam pœnitentia, quæ dicitur secunda tabula post naufragium, ut dictum est q. 84. art. 6. Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minus est dignus, et sic magis fit sibi gratia, et ipse magis est ingratus si contemnat. Et hoc modo beneficium remissionis culpæ est maius, in quantum confertur totaliter indigno. Et ex hoc sequitur maior ingratitudo ejus, qui peccat post remissionem culpæ, quam ejus, qui primo peccat post innocentiam: quia inquam, etsi innocentia sit maius beneficium, remissio tamen peccatorum est peccatori maius.

ARTICULUS III.

Utrum per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.

Pro affirmativa.=Videtur quod per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.

1. Magnitudo ingratitudinis ejus qui post peccatum dimissum peccat, est tan-

ta quanta fuit magnitudo peccati dimissi. Ergo per ingratitudinem ejus qui peccat post peccatum sibi dimissum, redit tantus reatus, quantus fuera peccati dimissi.

Anteced. prob., quia magnitudo ingratitudinis est ex magnitudine beneficii accepti; tanto enim est maior ingratitudo, quanto majus fuit acceptum beneficium; beneficium autem remissionis est ex magnitudine peccati dimissi; tanto enim majus beneficium recipit peccator, quanto majus fuit peccatum sibi dimissum. Unde sequitur quod magnitudo ingratitudinis peccantis post acceptum beneficium remissionis peccatorum sit tanta, quanta fuit magitudo peccati dimissi.

Conseq. prob., quia secundum magnitudinem ingratitudinis est magnitudo reatus consequentis.

2. Servus manumissus ab aliquo domino per ingratitudinem reducitur ad eamdem servitutem, á qua prius fuerat liberatus, vel etiam in graviorem. Ergo multo magis ille, qui contra Deum peccat, post liberationem á peccato reducitur in tantum reatum pœnæ, quantum primo habuerat.

Conseq. prob., quia magis peccat, qui Deum offendit, quam qui offendit hominem.

3. Matth. 18. dicitur quod *iratus Dominus tradidit eum* (coi replicantur peccata dimissa propter ingratitudinem) *tortoribus quousque, redderet universum debitum*. Quod non esset, nisi consurgeret ex ingratitudine tantus reatus, quantus fuerat omnium præteritorum peccatorum. Ergo æqualis reatus per ingratitudinem redit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quandoque peccatum mortale sequens est multo minus quolibet peccatorum prius dimissorum. Ergo ex peccato sequenti non redit semper tantus reatus, quantus fuit peccatorum prius dimissorum.

Conseq. prob., quia Deut. 25. dicitur: *pro mensura peccati erit et plagarum modus*. Ex quo patet quod ex parvo peccato non consurgit magnus reatus.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt, quod ex peccato sequenti propter ingratitudinem, consurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum prius dimissorum, super reatum proprium hujus peccati. Hujus positionis rationes poterant esse argumenta pro affirmativa inducta, et præcipue primum.

Reprobatio, et vera sententia.

Hujus positionis falsitas patebit ex ratione inducenda ad probandam veram sententiam.

1.ª Conclusio. Non est necesse quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum, nisi proportionaliter.

Prob. Non oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum quantitatem gravitatis peccatorum prius dimissorum, sed secundum quantitatem peccati subsequentis. Ergo non est necesse quod per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuerat præcedentium delictorum.

Anteced. prob., quia ut dictum est artic. 1. hujus quæst. Reatus præcedentium peccatorum, non redit per peccatum sequens, in quantum sequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, sed in quantum sequitur actum sequentis peccati, unde quantitas non debet esse secundum gravitatem præteritorum peccatorum, sed secundum quantitatem sequentis peccati.

Conseq. ostenditur: nam etsi possit contingere quod gravitas peccati subsequentis adæquetur gravitati omnium peccatorum præcedentium; hoc tamen non semper est necesse, sive loquamur

de gravitate peccati subsequentis, quam habet ex sua specie (cum quandoque peccatum sequens sit fornicatio simplex, peccata vero præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, seu sacrilegia) sive loquamur de gravitate quam habet ex ingratitudine: non enim oportet quod quantitas ingratitudinis sit absolute æqualis quantitati beneficii suscepti, cujus quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum; contingit enim quod contra idem beneficium unus est multum ingratus, vel quia valde intense beneficium contemnit, vel quia gravem culpam contra benefactorem committit. Alius autem est parum ingratus, vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit.

Proportionaliter tamen quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii. Supposito enim æquali contemptu beneficii, vel offensa benefactoris, tanto erit gravior ingratitudo, quanto beneficium fuit majus. Ex quibus manifestum remanet quod non est necesse quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum; sed tantum necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura et maiora, tanto redeat maior reatus, per qualecumque sequens mortale peccatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antec. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de magnitudine beneficii et de magnitudine ingratitudinis: nam magnitudo beneficii remissionis respicit absolutam quantitatem gravitatis peccati dimissi, ita quod remissio gravioris peccati est majus beneficium; remissio minoris est minus. Peccatum vero ingratitudinis non respicit quantitatem absolutam beneficii, sed quantitatem contemptus, vel novæ offensæ ut in corpore dictum est, et ideo potest esse quod quis contra magnum beneficium sit parum ingratus.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod etiam servus manumissus non reducitur in pristinam servitutem pro qualibet ingratitudine, sed tantum pro aliqua gravi.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ille cui peccata dimissa replicantur propter subsequentem ingratitudinem, reddit universum debitum in quantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter invenitur in ingratitudine subsequenti, ut in corpore dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum ingratitudo ratione cujus sequens peccatum facit redire peccata prius dimissæ, sit speciale peccatum.

Pro affirmativa.=Videtur, quod ingratitudo, ratione cujus sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum.

1. Quod opponitur speciali virtuti, est speciale peccatum. Sed ingratitudo ratione cujus peccatum sequens facit redire peccata dimissa, opponitur speciali virtuti. Ergo hujusmodi ingratitudo est speciale peccatum.

Minor prob., quia ingratitudo apponitur retributioni gratiarum, quæ pertinet ad contrapassum, quod requiritur in justitia, secundum Phil. 5. Ethic. cap. 5. quæ est specialis virtus.

2. Gratia est specialis virtus, ut Tull. lib. 2. de Invent. dicit. Sed ingratitudo opponitur gratiæ. Ergo ingratitudo est speciale peccatum.

3. Ingratitudo habet specialem effectum, qui est quod facit aliqualiter redire peccata prius dimissa. Ergo ingratitudo est speciale peccatum.

Conseq. prob., quia specialis effectus á speciali causa procedit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud quod consequitur omnia peccata, non est speciale peccatum. Sed ingratitudo consequitur omnia peccata; per quodlibet enim mortale peccatum homo efficitur Deo ingratus, ut ex dictis patet.

Ergo ingratitudo non est speciale peccatum.

Determinatio.

Conclusio. Ingratitudo peccantis, quandoque est speciale peccatum, quandoque autem non, sed est circumstantia consequens omne peccatum mortale.

Manifestatur. Peccatum enim recipit speciem ex intentione peccantis. Unde *ille qui mœchatur, ut furetur magis est fur, quam mœchus*, ut dicitur 5. Ethic. cap. 2. Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis et hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium, non retrahatur per hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quædam; et hoc est quod dicit Aug. in lib. de nat. et gratia c. 29. Non omne peccatum est ex contemptu, et tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis.

Ex quibus manifestum est quod ingratitudo peccantis est quandoque speciale peccatum, sed non semper.

AD ARGUMENTA.

Et per hoc patet responsio ad objecta. Nam primæ rationes concludunt quod ingratitudo secundum se, sit quædam species peccati. Ultima autem ratio concludit quod ingratitudo, secundum quod invenitur in omni peccato, non sit speciale peccatum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 88.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, et Augustino, quod peccata semel dimissa non redeunt per peccatum sequens. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Roman. 11. *Sine*, etc. A D. August. autem per ly *qui recedit*, et cætera, ut de his duobus ponitur *in arg. cont.* A Papa Gelasio quoque per hoc, quod dicit: "Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur." Hæc ille, ut recitatur, de pœnit. dist. 4. Dixit ly *et recte intelligas;* ut scias auctoritates contrarias in verbis, sed non in sensu, á præmissis discrepare; et consequenter, ut scias tu ab articulo isto edoctus, eas in bono sensu glossare, cum inveneris. Nam, præter quod tres ex articuli doctrina habuisti conclusiones de hac materia claras; habuisti etiam, velut omnium circa materiam hanc dubitabilium brevem epilogum, tamquam munimen, atque defensorium, in text. corp. fin. dicentem. Et hoc non est, peccata dimissa redire simpliciter, sed secundum quid; in quantum, scilicet, virtualiter in peccato sequenti continentur: ratione, videlicet, ingratitudinis, ut explicat art. 2. text. corp. princip. Ac si, in proposito ipsorum dubitabilium, dicatur. Si quæ aliquorum dicta affirment, quod peccata jam dimissa redeunt per hoc, quod homo post illorum dimissionem peccat de novo; ipsa dicta non sunt intelligenda de illorum reditu simpliciter, sed reditu secundum quid. Et, si quæ dicta negent, quod peccata jam dimissa redeunt per, etc. ipsa sunt intelligenda de reditu tantum simpliciter. Ut breviter ad omnia respondeamus. Redeunt secundum quid, non redeunt simpliciter. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Greg. quod specialiter per ingratitudinem importatam in odio fraterno, et aliis similibus, redeunt peccata dimissa. A scripturis quidem per hoc, quod

narratur Matth. 18. de servo illo jam absoluto á debito decem millium talentorum: qui ideo pro dimissis ipsis talentis postea missus est in carcerem omnia illa redditurus, quoniam benefactori de recepto beneficio fuit ingratus, per hoc, quod noluit imitari benefactorem suum in misereado alteri conservo suo: quinimo eum pro centum denariis sibi debitis male tractavit. Quod, ut clarius videas servire huic proposito, vide comparationem sequentem. Legitur Luc. 17. de decem leprosis novem fuisse Christo benefactori tam ingratos, ut nec ad referendum ei de tanto beneficio gratias redirent: et tamen eos propter hoc iterum in lepram incidisse, non legimus. Notato horum differentiam, ut perpendas, quod textus conclusionis art. non sine causa dixit ly *specialiter*. Servus ille, et novem hi leprosi conveniunt in ingratitudine, ut patet, specialiter tamen solus servus propter suam ingratitudinem punitur in hoc, quod debita sibi prius dimissa redeunt. Scis quare? Audi, quare. Servum fecisse non tantum contra beneficium, sed etiam contra formam beneficii, habemus ex Evangelio: leprosos vero contra beneficium quidem venisse legimus, sed non contra formam beneeii. Ad servum enim illum, exprobrando ejus ingratitudinem, dicit Dominus suus Matth. 18. « Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui: sicut et ego tui misertus sum? » In his verbis inspice formam beneficii contentam in ly *dimisi tibi*, *quoniam rogasti me*: inspice, et ingratum peccasse contra istam formam in ly *oportuit*, *et te misereri*, *sicut ego tui misertus sum*. Ac si expresse dicatur; petiisti á me veniam, ego concessi illam tibi: en forma procedendi in beneficio dato: conservus petiit á te veniam, tu non concessisti illam ei; en peccatum directe contra formam ipsam. Leprosorum vero ingratitudinem exprobrans Dominus, nullam beneficii formam, contra quam fecissent, expressit, sed tantum simpliciter dixit Luc. 17. " Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. » Patet enim, hic, quod aggravatam quidem illorum ingratitudinem esse ostendit ex comparatione ad unum alienigenam, sed eos contra beneficii formam peccasse, non annotavit. A B. Greg. autem id in principio append. dictum insinuatur per hoc, quod dicit *in arg. cont.* Ubi pro text. ly *eadem ratio videtur de aliis*, recole maximam logicalem, scilicet *de similibus idem est judicium:* et mox viso, quod illa quatuor sunt similia, videbis veritatem ipsam, scilicet quod eadem ratio est de aliis. Porro, omnia quatuor esse similia, docuit text. corp. quando. ea convenire in hoc, scilicet quod sunt contra formam beneficii, demonstravit. Evangelium ergo, et Greg. per hoc, quod monstrarunt, intentum verificari de uno, idest de odio fraterno, commonstrasse idem intelliguntur de reliquis tribus. *Secundo* vides: etc,

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, memerito esse insinuatum á scripturis, et Augustino, quod non redit tantus reatus pœnæ post peccatum factum post pœnitentiam, quantus ante pœnitentiam fuerat propter peccata jam commissa. A scripturis, quidem per hoc, quod dicitur Deuter. 25. *Pro mensura*, etc ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per dictum Apocal. 18. " Quantum glorificavit se, et in delitiis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum. » Discurre super hoc, sicut fecit textus super illud *Deuter.* 25. Item per dictum Luc. 12. " Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit plagis multis: qui autem non cognovit, et fecit digna, plagis vapulabit paucis. » Per hoc namque; quod ponuntur hic peccata disparia, et his disparitas plagarum assignatur, datur intelligi illud esse verum, quod dicit discursus *in arg. cont.* A B. Augustino autem idem insinuatur per hoc, quod in Homil super Matth. 5. dicit. " Sicut levius est esse reum judicio, quam reum esse concilio, ita levius est esse reum concilio, quam esse reum gehennæ ignis. Itaque oportet, ut levius esse intelligatur irasci sine causa fratris, quam dicere racha, et rursus levius esse dicere racha, quam dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus: nisi gradatim peccata etiam commemorarentur. » Ex eo enim, quod reatum ponit correspondere peccatis, non quomodocumque, sed proportionaliter, idest major majo-

ribus, et minor minoribus, dat intelligere, quod, si post poenitentiam quis peccet minori peccato, puta furto, quam ante poenitentiam peccaverat, puta cum blasphemaverat, non consurgit tantus absolute reatus, quantus fuerat ante: sed consurgit tantus proportionaliter, quanta est gravitas peccati post commissi. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod ingratitudo consequitur omnia peccata, velut circumstantia aggravans illa. Insinuatur autem id per hoc, quod dicitur 2. Reg. 12. " Hæc dicit Dominus Israel. Ego unxi te in regem super Israel; et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, et Juda, et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Ethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. " His etenim verbis monstratur, quod peccata Davidis ratione ingratitudinis aggravabantur proportionaliter ad ipsa suscepta beneficia. Et, licet hæc non dicatur ingratitudo propter beneficium remissionis peccatorum priorum; tamen hoc nihil obstat proposito articuli: quoniam formalitas principalis est utrobique de ingratitudine ad beneficia jam recepta. A simili autem ex hoc loco lib. reg. monstratur universaliter, quod ingratitudo est circumstantia consequens quodlibet peccatum, et illud aggravans. Ideo enim beneficia Dei ad David hic commemorantur, ut manifestum fiat peccata Davidis aggravari ex beneficiis ante receptis. *Secundo* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO OCTOGESIMA NONA,

DE VIRTUTUM RECUPERATIONE PER PŒNITENTIAM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de recuperatione virtutum per pœnitentiam.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum per pœnitentiam restituantur virtutes.

Secundo, utrum restituantur in æquali quantitate.

Tertio, utrum restituatur pœnitenti æqualis dignitas.

Quarto, utrum opera virtutum per peccatum sequens mortificentur.

Quinto, utrum opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reviviscant.

Sexto, utrum opera mortua idest absque charitate facta per pœnitentiam vivificentur.

ARTICULUS I.

Utrum per pœnitentiam virtutes restituantur.

Pro negativa. = Videtur quod per pœnitentiam virtutes non restituantur.

1. Illud per quod restituuntur virtutes, est causa virtutum. Sed pœnitentia non est causa virtutum. Ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes.

Maior prob., quia non posset aliquid virtutes restituere, nisi virtutes causaret.

Minor prob., quia pœnitentia est virtus unde non potest alias virtutes causare. Et præsertim cum quædam virtutes sint naturaliter priores pœnitentia, ut sunt fides, spes, charitas.

2. Per Illud quod consistit in actibus nostris, non restituuntur virtutes. Sed pœnitentia consistit in quibusdam actibus pœnitentis. Ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes.

Maior prob., quia virtutes gratuitæ non causantur ex actibus nostris; sunt enim virtutes, quas *Deus operatur in nobis sine nobis*, ut August. dicit in lib. 2. de lib. arbit. cap. 18.

3. Multi pœnitentes adhuc difficultatem

patiuntur in operando actus virtutum. Ergo per pœnitentiam non restituuntur virtutes.

Conseq. prob., quia habens virtutem, sine difficultate et delectabiliter actus virtutum operatur. Unde Phil. dicit 1. Ethic. cap. 8. Quod *non est justus, qui non gaudet justa operatione.* Quia igitur pœnites multi non operantur sine difficultate actus virtutum, signum est eos non recuperasse virtutes.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lucæ 15. legitur quod pater mandavit quod filius pœnitens indueretur stola prima, quæ secundum Ambros. lib. 8. in Luc. tit. de duobus filiis, etc. *est amictus sapientiæ*, quam simul consequuntur omnes virtutes, secundum illud Sap. 8. « Sobrietatem et justitiam docet, prudentiam et virtutem, quibus utilius nihil « est in vita hominibus. » Ergo per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur.

Determinatio.

Conclusio. Per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur.

Prob. Per illud per quod infunditur homini gratia, tribuuntur homini omnes virtutes. Sed per pœnitentiam infunditur homini gratia. Ergo per pœnitentiam restituuntur homini omnes virtutes.

Maior prob., quia ex gratia consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ, ut dictum est 1. 2. quæst. 110. art. 4. ad 1.

Minor prob., quia remissio peccatorum, quæ per pœnitentiam fit, ut dictum est quæst. 86. art. 1. non potest esse, nisi per infusionem gratiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod pœnitentia restituit virtutes eo modo, quo est causa gratiæ; est autem pœnitentia causa gratiæ, non in quantum est virtus, sic enim est gratiæ effectus, unde non oportet quod pœnitentia, ut est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum, sed in quantum est sacramentum. Unde per sacramentum pœnitentiæ infunditur habitus poenitentiæ, quæ est virtus cum habitibus omnium aliarum virtutum etiam illarum, quæ sunt priores ipsa poenitentia.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod in sacramento poenitentiæ actus humani se habent materialiter; formalis autem vis hujus sacramenti dependet ex virtute clavium; et ideo virtus clavium effective causat gratiam et virtutes, instrumentaliter tamen. Sed ultimus actus poenitentis se habent ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, qui actus est contritio. Alii vero actus sequentes poenitentis, procedunt ex gratia et virtutibus.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod sicut dictum est qu. 86. art. 5. Quandoque post primum actum poenitentiæ, qui est contritio, remanent quædam reliquiæ peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatæ, ex quibus causatur difficultas quædam in poenitente ad operandum opera virtutum. Sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis et aliarum virtutum, poenitens opera virtutum delectabiliter et sine difficultate operatur; sicut si virtuosus pateretur per accidens difficultatem in executione actus virtutis propter somnum, aut propter aliquam aliam corporis indispositionem.

ARTICULUS II.

Utrum post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute.

Pro affirmativa.=Videtur quod post poenitentiam resurgat homo in æquali virtute.

1. Dicitur Apost. Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi Glos. August. lib. de correpт. et gratia cap. 9. et lib. 3. Hipognost. quod « hoc adeo verum est, ut si qui horum « devient et exorbitent, etiam hoc ipsum eis Deus faciat in bonum profice-

« re. » Ergo videtur quod poenitens numquam resurgat in minori virtute.

Conseq. prob., quia non esset verum quod dicit Augustinus, si homo resurgeret per pœnitentiam in minori virtute.

2. Ambrosius dicit quod *pœnitentia res optima est, quæ omnes defectus revocat ad perfectum*: quod non esset, nisi virtutes inæquali quantitate recuperarentur. Ergo per pœnitentiam semper recuperatur æqualis virtus.

3. Super illud Gen. 1. *Factum est vespere et mane dies unus*, dicit Glossa Bedæ ibid. « Vespertina lux est, á qua « quis cecidit; matutina, in qua resur- « git. » Ergo per pœnitentiam resurgit peccator in maiori gratia vel charitate quam prius habuerat.

Conseq. prob., quia lux matutina est maior quam vespertina.

Et confirmatur hoc argumentum, quia Apostolus dicit ad Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Charitas proficiens vel perfecta est maior quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit á charitate proficiente: resurgit autem in charitate incipiente. Ergo semper homo resurgit in minori virtute.

Determinatio.

Conclusio. Pœnitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque in æquali, et quandoque in minori.

Manifestatur. Contingit intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiæ, quam illa á qua ceciderat per peccatum; quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Ergo pœnitens quandoque in maiori, quandoque in æquali, et quandoque in minori gratia resurgit.

Consequentia ostenditur: nam motus liberi arbitrii in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam, ut dictum est art. præced. ad 2. Unde in eodem instanti est gratiæ infusio, cum prædicto motu liberi arbitrii, ut dictum est 1. 2. quæst. 113. art. 5. et 7. In quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ, ut dictum est artic. præced. ad 2.

Manifestum est autem quod formæ quæ possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti, ut dictum est 1. 2. qu. 52. art. 1. et 2. Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii (qui motus est dispositio ejus qui gratiam recipit) in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens recipit maiorem vel minorem gratiam. Ex hoc igitur quod iste motus pœnitentiæ potest esse maior, vel æqualis, vel minor, et per consequens proportionari maiori, minori vel æquali gratiæ, quam esset illa quam prius pœnitens perdidit; sequitur evidenter quod pœnitens quandoque in maiori, quandoque in æquali, et quandoque in minori gratia resurgat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod per peccatum á Dei amore cadunt: quod patet in his qui cadunt, et numquam resurgunt, vel qui resurgunt iterum casuri; sed his tantum *qui secundum propositum vocati sunt sancti*, idest prædestinatis, qui quotiescumque cadunt finaliter resurgunt. Et eis cedit hoc, quod cadunt in bonum, non quia semper in maiori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia; non quidem ex parte ipsius gratiæ, quia quanto gratia est maior, tanto est de se permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilius in gratia permanet, quanto est cautior et humilior. Unde et Glossa ibidem subdit, quod "ideo proficit eis in bo- « num, quod cadunt, quia humiliores re- « dduntur, atque doctiores. »

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod

pœnitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum. Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati, sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur maiorem vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod assimilatio illa utriusque gratiæ ad lucem vespertinam et matutinam, non fit propter similitudinem maioris vel minoris quantitatis, sed propter similitudinem ordinis, quia post lucem vespertinam sequuntur tenebræ noctis; post lucem vero matutinam sequitur lux diei. Illud etiam verbum Apostoli ad Rom. 5. intelligitur, non de gratia quæ confertur cuilibet homini, sed de gratia Christi quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Nec est verum in omnibus, quod quanto abundantius peccant, tanto abundantiorem gratiam consequantur, pensata quantitate habitualis gratiæ: est tamen superabundans gratia, quantum ad ipsam gratiæ rationem, quia magis gratis beneficium remissionis maiori peccatori confertur. Quamvis quandoque abundanter peccantes abundantius doleant, et sic abundantiorem habitum gratiæ et virtutum consequuntur, ut de Magdalena patet.

Ad argumentum pro negativa.

Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod una et eadem gratia maior est proficiens quam incipiens; sed in diversis hoc non est necesse: unus enim incipit á maiori gratia quam alius habeat in statu perfectionis, ut de Beato Benedicto dicit Gregorius in 2. Dialog. cap. 1. "Quatenus et præsentes et secuturi omnes agnoscerent, Benedictus "puer conversationis gratiam á quanta "perfectione cœpisset."

ARTICULUS III.

Utrum per pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem.

Pro negativa. ==Videtur, quod per poenitentiam non restituatur homo in pristinam dignitatem.

1. Super illud Amos. 5. *Virgo Israël cecidit*, dicit Glossa ordinaria: "Non negat posse resurgere; sed non resurget "virgo Israel, quia semel aberrans ovis, "etsi reportetur humeris pastoris, non "habet tantam gloriam, quantam quæ "numquam erravit." Ergo per pœnitentiam non recuperat homo pristinam dignitatem.

2. Hieronymus dicit, et refertur in Decret. dist. 50. c. "Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, "contenti fiant animam salvare: reverti "enim in pristinum gradum difficile est." Et Innocentius Papa 1. Epist. 6. ad Agapitum dicit: quod "apud Nicæam constituti canones, pœnitentes, etiam ab "infimis officiis clericorum excludunt." Ergo per pœnitentiam non recuperat homo pristinam dignitatem.

3. Non conceditur pœnitenti, quod post peccatum possit ad maiorem gradum ascendere, sicut poterat ante peccatum. Ergo per pœnitentiam non restituitur homo in pristinam dignitatem.

Antec prob., quia Ezech. 44. dicitur; "Levitæ qui recesserunt á me, numquam appropinquabunt mihi, ut sacerdotio fungantur." Et sicut habetur in Decret. dist. 50. c. Hi qui, ex Concilio Herdensi can. 5. legitur: "Hi qui "sancto altari deserviunt, si subito in "flenda carnis fragilitate corruerint, "et Domino respiciente digne pœnituerint, officiorum suorum sic loca reciapiant, ut non possint ad altiora officia "ulterius promoveri."

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Gregorius libro 7. Registri cap. 53. scribens Secundino, et refertur dist. 50. c. Quia sanctitas, dicit: "Post dignam

" satisfactionem credimus hominem pos- " se redire ad suum honorem. » Et in Concilio Agathensi can. 1. vel 2. legitur, ut refertur eadem dist. c. " Contumaces " clerici, prout dignitatis ordo permise- " rit, ab episcopis corrigantur, ita ut " cum eos pœnitentia correxerit, gra- " dum suum dignitatemque recipiant. »

Determinatio.

Dstinctio. Homo per peccatum duplicem dignitatem amittit unam, quantum ad Deum: aliam vero, quantum ad Ecclesiam.

Quantum ad Deum, amittit duplicem dignitatem: unam principalem, qua scilicet erat computatus inter filios Dei per gratiam: aliam secundariam, scilicet innocentiam, de qua filius senior gloriabatur Lucæ 15. dicens; « Ecce tot annis ser- « vio tibi, et numquam mandatum tuum « præterivi; » dignitatem autem ecclesiasticam homo per peccatum perdit, quia indignum se reddit ad ea quæ competunt dignitati ecclesiasticæ exercenda.

1.ª Conclusio. Dignitatem principalem quam homo per peccatum apud Deum amittit, potest per pœnitentiam recuperare.

Prob. quia hoc significatur Luc. 15. in filio prodigo, cui pœnitenti pater jussit restitui stolam primam, et annulum, et calceamenta.

2.ª Conclusio. Dignitatem secundariam, quæ est innocentia, homo per pœnitentiam recuperare non potest, si eam per peccatum amittat.

Manifestatur, quia per hoc quod peccavit, ad innocentiam amplius pervenire non potest; non potest enim fieri ut non fuerit nocens.

3.ª Conclusio. Etsi homo innocentiam per pœnitentiam recuperare non possit, recuperat tamen quandoque aliquid majus.

Manifestatur, quia sicut Gregorius dicit in homilia 34. in Evangelia de centum ovibus: « qui errase á Deo se consi- « derant, damna præcedentia lucris se- « quentibus recompensant. Majus ergo « gaudium de eis fit in cœlo, quia et dux « in prælio plus eum militem diligit, qui « post fugam reversus hostem fortiter « premit, quam illum qui numquam ter- « ga vertit et numquam fortiter fecit. »

4.ª Conclusio. Dignitatem ecclesiasticam peccator quandoque recuperare prohibetur.

Manifestatur: in quatuor enim casibus prohibetur peccator ne recuperare possit ecclesiasticam dignitatem.

Primo, quia non pœnitet: unde Isidorus ad Massianum Episc. dicit, et refertur dist. 50. c. 29. Domino: « Illos « ad pristinos gradus redire canones « præcipiunt, quos pœnitentiæ præces- « sit satisfactio, vel condigna peccatorum « confessio. At contra hi qui á vitio cor- « ruptionis non emendantur, nec gradum « honoris, nec gratiam recipiunt com- « munionis. »

Secundo, quia pœnitentiam negligenter facit: unde in eadem dist. 50. c. 30. « Si quis diaconus, dicitur: cum in ali- « quibus; nec compunctio humilitatis, « nec instantia orandi appareat, nec je- « juniis, nec lectionibus eos vacare videa- « mus, possumus agnoscere, si ad pris- « tinos honores redirent, cum quanta ne- « gligentia permanerent. »

Tertio, si commissit aliquod peccatum quod habeat irregularitatem annexam: unde in eadem dist. 50. c. Si quis viduam, ex consil. Martini Papæ dicitur: " Si quis viduam, aut ab alio relictam " duxerit, non admittatur ad clerum: " quod si irrepserit, dejiciatur. Simili- " ter si homicidii aut facto, aut præcep- " to, aut consilio, aut defensione post " baptismum conscius fuerit. » Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis.

Quarto, propter scandalum: unde et in eadem dist. 50. c. De his vero, Rabanus libro Pœnit. cap. 1. dicit: « hi qui " deprehensi vel capti fuerint publice in " perjurio, furto atque fornicatione, et

" cæteris hujusmodi criminibus, secun-
" dum canonum sacrorum instituta, á
" proprio gradu decidant, quia scanda-
" lum est populo Dei, tales personas su-
" pra se positas habere. »

5.ª Conclusio. Dignitatem ecclesiasticam quandoque ille qui per peccatum eam amisit, recuperare potest.

Manifestatur: « qui enim de prædictis " peccatis absconse á se commissis oc-
" culte sacerdoti confitentur, si se per
" jejunia et eleemosynas, vigiliasque et
" sacras orationes purgare curaverint,
" his etiam gradu proprio servato, spes
" veniæ de Dei misericordia est promit-
" tenda: » et hoc est quod dicitur in decret. lib. 1. tit. 11. cāp. 17. de tempore ordin. Extra, de qualitate ordinandorum, c. Quæsitum « si proposita " crimina ordine judiciario comprobata,
" vel alias notoria non fuerint, præter
" reos homicidii, post poenitentiam in
" jam susceptis vel suscipiendis ordini-
" bus, impediri non possunt. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod virginitas sicut et innocentia quæ ad dignitatem secundariam pertinet, non potest per poenitentiam recuperari: unde hoc argumentum probat secundam conclusionem.

Ad 2. Dicitur quod Hieronymus in verbis illis non dicit esse impossibile, sed esse difficile hominem recuperare post peccatum, pristinum gradum, quia hoc non conceditur nisi perfecte poenitenti, ut in corpore dictum est. Ad statuta autem canonum quæ hoc prohibere videntur, respondet Augustinus scribens Bonifacio Epist. 50. et habetur etiam dist. 50. cap. 26. et dicit: « ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est: quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. » Et postea subdit: « nam et sanctus David de criminibus mortiferis egit poenitentiam, et tamen in honore suo perstitit; et beatum Petrum quandoque amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse poenituit, et tamen Apostolus permansit. Sed non ideo putanda est, supervacua posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt experti (ut credo) aliquorum fictas poenitentias, per affectatas honorum potentias.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod illud statutum intelligitur de illis qui publicam poenitentiam agunt, qui postmodum non possunt ad maiorem provehi gradum: nam et Petrus post negationem pastor ovium Christi constitutus est, ut patet Joan. ult. Ubi etiam Chrysostomus Homilia 87. in Joan. dicit quod « Petrus post negationem et poenitentiam ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum: qui enim in cœna non audebat interrogare, sed Joanni interrogationem commissit, huic postea et præpositura fratrum commissa est; et non solum non committit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Joanne magistrum interrogat.

ARTICULUS IV.

Utrum opera virtutum in charitate facta possint mortificari.

Pro negativa. = Videtur quod opera virtutum in charitate facta non possint mortificari.

1. Illud quod non est, non potest mortificari, sed opera virtutum, postquam facta sunt, jam non sunt. Ergo opera virtutum in charitate facta non possunt mortificari.

Maior prob., quod non est, non potest mutari. Ergo quod non est, non potest mortificari.

Probatur conseq. hæc, quia mortificatio est quædam mutatio de vita in mortem.

2. Per opera virtutum in charitate facta homo meretur vitam æternam. Ergo non potest esse quod opera virtutum in charitate facta per peccatum sequens mortificentur.

Conseq. prob., quia per mortificationem subtraheretur his operibus merces: subtrahere autem mercedem merenti est injustitia quæ non cadit in Deum.

3. Opera charitatis sunt fortiora quibuslibet peccatis. Ergo videtur quod opera in charitate facta, per sequens mortale peccatum mortificari non possint.

Antec. prob., quia dicitur Prov. 10. *Universa delicta operit charitas.*

Conseq. prob., quia fortius non corrumpitur á debiliori.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ezechiel 18. dicitur: *si averterit se justus á justitia sua, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur.*

Determinatio.

Conclusio. Opera virtutum in charitate facta mortificantur per sequens peccatum mortale.

Prob. Opera virtutum in charitate facta, peccatum mortale sequens impediuntur á productione proprii effectus. Ergo opera virtutum in charitate facta, per sequens mortale peccatum mortificantur.

Antec. prob., quia effectus operum virtuosorum quæ in charitate, est perducere ad vitam æternam: quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens quod gratiam tollit.

Conseq. prob., quia res viva per mortem perdit operationem vitæ: unde per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur á suo effectu vel operatione.

Aliter. Illud quod potest impediri á productione sui effectus vel operationis, potest mortificari. Sed opera virtuosa in charitate facta impediuntur per peccatum mortale sequens á productione proprii effectus vel operationis. Ergo hujusmodi opera possunt mortificari.

Maior probatur sicut probata est conseq. præcedentis formæ; et minor, sicut probatum est antecedens.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod sicut opera peccatorum transeunt actu et manent reatu; ita opera in charitate facta, postquam transeunt facto, manent tamen merito in Dei acceptatione: et secundum hoc mortificantur, in quantum impeditur homo, ne consequatur suam mercedem.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sine injustitia potest merces substrahi merenti, quando ipse reddit se indignum mercede per culpam sequentem: nam et ea quæ homo jam accepit, quandoque juste propter culpam perdit.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est propter fortitudinem peccati, quod mortificentur opera prius in charitate facta, sed est propter libertatem voluntatis, quæ potest á bono in malum deflecti.

ARTICULUS V.

Utrum opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam reviviscant.

Pro negativa. = Videtur, quod opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam non reviviscant.

1. Peccata dimissa per penitentiam, non redeunt, ut dictum est quæst. præc. art. 1. Ergo videtur quod etiam opera mortificata per pœnitentiam non reviviscant.

Conseq. prob., quia sicut per pœnitentiam subsequentem remittuntur peccata præterita, ita per peccatum sequens mortificantur opera prius in charitate facta.

2. Animal mortuum non potest iterum vivificari. Ergo nec opera mortificata possunt iterum per pœnitentiam revivisci.

Conseq. prob., quia opera dicuntur

mortificari ad similitudinem animalium quæ moriuntur, ut articulo præcedenti dictum est.

3. Quandoque homo per pœnitentiam resurgit in minori gratia vel charitate. Ergo non consequitur meritum secundum meritum priorum operum. Et ita videtur quod opera per peccatum mortificata non reviviscant.

Conseq. prob., quia opera in charitate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiæ vel charitatis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Joel. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locusta*, dicit Glossa interlinearis: *non patiar perire ubertatem quam cum perturbatione animi amisistis*: ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per pœnitentiam reviviscunt opera meritoria prius facta.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata, non reviviscunt per penitentiam subsequentem: et ratio qua ad hoc dicendum moti sunt, est quia consideraverunt quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint.

Reprobatio.

Sed hoc impedire non potest quin vivificentur: non enim hujusmodi opera habent vim perducendi in vitam æternam: quod pertinet ad eorum vitam, solum ex hoc quod actu existunt; sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina: secundum quem modum remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et Sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apocal. 2. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Sed quod huic qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata.

Vera sententia.

Conclusio. Opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt.

Prob. Opera mortificata per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi cum qui ea fecit, in vitam æternam. Ergo hujusmodi opera per penitentiam reviviscunt.

Anteced. prob., quia per pœnitentiam tollitur impedimentum peccati, per quod ille qui opera fecerat, redditus est vita æterna indignus.

Conseq. prob., quia hoc est opera mortificata reviviscere, scilicet recuperare virtutem perducendi eum qui ea fecit, in vitam æternam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio de peccatis per pœnitentiam remissis, et de operibus bonis per peccatum mortificatis: opera enim peccati abolentur per pœnitentiam, secundum se, ita quod ulterius ex eis, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Opera autem in charitate facta non abolentur á Deo, in cujus acceptatione remanent; sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: et ideo, remoto impedimento quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi aliquo modo opera dicantur mortificata ad similitudinem animalis, non tamen in omnibus tenet similitudo: est enim similis mortificatio operum, mortificationi animalis; quia sicut animal dicitur mortuum, quia non habet suam operationem, ita bona opera mortificata dicuntur, quando non producunt proprium effectum. Non est

autem similis, quia opera in charitate facta non mortificantur secundum se, sed solum per impedimentum superveniens ex parte operantis: animalia autem moriuntur secundum se, in quantum privantur principio vitæ.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam, quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in secunda fecit: quod pertinet ad præmium accidentale: et per hoc illa priora opera reviviscunt.

ARTICULUS VI.

Utrum per pœnitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur.

Pro affirmativa.=Videtur quod per poenitentiam etiam opera mortua, idest quæ non fuerunt in charitate facta, vivificentur.

1. Opera mortificata per poenitentiam vivificantur, ut dictum est articulo præcedenti. Ergo multo magis opera mortua vivificantur.

Conseq. prob., quia difficilius videtur quod ad vitam perveniat illud quod fuit mortificatum, quod numquam fit secundum naturam, quam illud quod numquam fuit vivum, vivificetur, quia ex non vivis secundum naturam aliqua viva generantur.

2. Per poenitentiam tollitur defectus charitatis et gratiæ, qui defectus est causa quare opera de se et ex genere bona non sint viva. Ergo per poenitentiam opera mortua vivificantur.

Conseq. prob., quia remota causa, removetur effectus.

3. Hieronymus dicit super illud Aggæi, « Seminastis multum: si quando videris inter multa mala opera facere « peccatorem quemquam aliqua quæ justa sunt; non est tam injustus Deus, ut « propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum:» quod maxime videtur quando mala præterita per poenitentiam tolluntur. Ergo videtur quod post poenitentiam Deus remuneret priora bona opera in statu peccati facta, quod est illa opera vivificare.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit 1. ad Cor. 13. « Si « distribuero in cibos pauperum omnes « facultates meas, et si tradidero corpus « meum ita ut ardeam, charitatem « autem non habuero, nihil mihi prodest. » Quod non esset, si per poenitentiam sequentem vivificarentur. Ergo poenitentia vivificat opera prius mortua.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid dicitur mortuum dupliciter. Uno modo, effective: alio modo, privative. Effective dicitur aliquid mortuum, quia est causa mortis: et secundum hoc opera peccati dicuntur opera mortua, secundum illud ad Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Privative vero dicuntur mortua ea quæ carent vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima Deo conjungitur, ex quo vivit, sicut corpus per animam: per quem modum, etiam fides quæ est sine charitate, dicitur mortua, secundum illud Jac. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et per hunc etiam modum omnia opera que sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, quia non procedunt ex principio vitæ: sicut si dicamus sonum citharæ vocem mortuam.

1.ª Conclusio. Opera mortua effective non possunt per poenitentiam vivificari, sed potius per poenitentiam abolentur et destruuntur.

Manifestatur. Quia ad Hebr. 6. dicitur, *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.*

2.ª Conclusio. Opera mortua privativa non possunt per poenitentiam vivificari.

Manifestatur. Quia hujusmodi opera cum transeant, non possunt resumi, et á principio vitæ procedere, á quo prius non processerunt. Unde impossibile est quod opera mortua per poenitentiam fiant viva.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de mortuis et mortificatis in naturalibus et in moralibus: in naturalibus enim tam mortua quam mortificata carent principio vitæ, et ideo per naturam non vivificantur: opera autem dicuntur mortificata, non quia careant principio vitæ, sed ex parte impedimenti extrinseci, quod est peccatum: mortua vero dicuntur ex parte principii, et ideo mortificata possunt vivificari, non autem mortua.

Ad 2. Negatur consequentia: defectus enim charitatis et gratiæ potest esse in operibus de genere bonorum dupliciter, vel sicut principii, vel quia hujusmodi defectus est ab extrinseco impedimento. Si hujusmodi defectus sit sicut principium, non potest tolli per poenitentiam, sed tollitur solum quando est ratione extrinseci impedimenti. In operibus mortuis est defectus principii vitæ, et ideo non tollitur per poenitentiam.

Ad 3. Dicitur quod Deus recordatur bonorum quæ quis facit in statu peccati, non ut remuneret ea in vita æterna quæ debetur solis operibus vivis, idest ex charitate factis; sed remunerat ea temporali remuneratione: ut enim Ggregorius dicit in Homilia 40. in Evang. de divite et Lazaro: «Nisi dives ille ali-«quod bonum egisset, et in præsenti «sæculo remunerationem accipisset, ne-«quaquam ei Abraham diceret, recepisti bona in vita tua.

Vel potest remunerare ea in futura vita per hoc quod tolerabilius patietur judicium, ut Augustinus dicit in libro de Patientia cap. 26. *Non enim* (inquid) «possumus dicere Schismatico, melius «fuisset ut Christum negando nihil eo-«rum pateretur quæ passus est confi-«tendo; sed existimandum est tolerabi-«lius ei futurum judicium, quam si «Christum negando nihil eorum patere-«tur.» Ut illud quod ait Apostolus 1. ad Cor. 13. «Si tradidero corpus meum, «ita ut ardeam, charitatem autem non «habuero, nihil mihi prodest, intelliga-«tur ad regnum coelorum obtinendum, «non ad extremi judicii supplicium to-«lerabilius subeundum.»

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 89.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, Ecclesia, et B. Vincentio, quod per pœnitentiam virtutes restituantur. A scripturis quidem, ut per hoc, quod dicitur Luc. 15. secundum quod cum expositione ponitur *in arg. cont.* A B. Vicentio autem ordinis prædicatorum doctore celeberrimo per hoc, quod in serm. Sabbati post Dom. 2. Quadrag. super illud Luc. 15. "Proferte stolam primam, et induite illum, inquit. Ecce magna misericordia Christi: qui non solum remittit culpas, sed etiam restituit sibi gratiam pristinam, vestiendo animam veste gratiæ, qua fuerat nudata. Et, quando anima vestita est veste gratiæ, potest cantare, et dicere. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, Isaiæ 61. Vestimenta salutis sunt habitus virtutum theologicalium, et moralium, si-

ve cardinalium, et septem dona Spiritus Sancti. Omnia ista restituit Dominus poenitenti. Indumentum justitiæ est gratia divina habitualis. » Intellige, quod redditur fides theologicalis, et spes poenitenti: in quantum fit, quod per gratiam datam sint meritoriæ, quæ prius remanserant informes: licet in peccatoribus multis non fuissent perditæ. Ab Ecclesia vero idem insinuatur per hoc, quod in hymn. de B. Maria Magdalena dicit. Uni Deo sit gloria pro multiformi gratia, qui culpas, et supplicia remittit, et dat proemia. » Scilicet poenitenti. Non enim dantur proemia, nisi meritis, et non merentur sine gratia, et virtutibus, 1 2. quæst. 114. art. 2. quoniam virtutes gratiæ sunt connexæ, 1. 2. quæst. 65. Ac si ergo dixerit Ecclesia quod Deus dat gratiam, virtutes omnes, et proemia. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod post poenitentiam aliquando in minori, aliquando in æquali, et aliquando in majori gradu virtutis, quam fuerat prius, resurgit homo. Quod quidem in majori, ut per hoc, quod Zachæus dicit Luc. 19. " Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. » Constat enim his verbis, quod post poenitentiam Zachæus et plus reddit, quam defraudaverat, et plus dat pauperibus, quam sibi pro necessitate salutis opus erat. Porro ex ly *ecce*, datur intelligi, quod Zachæus hæc, tamquam insolita sibi prius, Domino proponebat, et consequenter, quod per hoc confitebatur, se numquam in tanto gradu virtutis vixisse. Item, quod in majori, ut per hoc, quod dicitur Baruch. 4. " Sicut fuit sensus vester, ut erraretis á Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum. » Item, quod in majori: ut per hoc, quod de Petro legitur, quod altioris gradus virtutis fuit post poenitentiam, quam ante lapsum: si bene penetrentur de illo narrata, Matth. 26. et Joan. 1. " Etsi, » inquit primo, " omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor. Si oportuerit, me mori tecum, non te negabo. » Fervidus quidem est utrobique Petrus, sed tamen fervorem suum gubernare nesciens, et utrobique magis sibimetipsi, quam Christo, credit; et in priori sententia seipsum, quasi cæteros de infirmitate taxans, præfert condiscipulis. Dixerat enim Christus ly omnes vos scandalizabimini. Et ly ter me negabis, respondit autem Petrus ly ego numquam scandalizabor Et ly non te negabo. Cui ergo magis credit Petrus? Nonne sibi? Rursus ad ly omnes vos scandalizabimini, dum respondet ly etsi omnes, scilicet alii, ego numquam, se firmum, reliquos infirmos esse posse concedens, testatur aperte. Verumtamen, sicut zelum non secundum scientiam, Apost. Rom. 10. non approbat: ita fervorem istum suum non secundum scientiam Petrus ipse humilior, et doctior ex lapsu factus et animo, et verbis, tantum malum corrigit, Joan. 21. Christo siquidem ibi sibi ter dicenti ly diligis me plus his? Semper respondit ly tu scis, quia amo te, et in tertia interrogatione contristatur, et addit ly tu omnia nosti. Ac si colligendo omnia in unum, Petrus aperte dicat: mihi quidem videtur, quod ego amem te, sed ideo ad interrogationem tertiam contristor, quia forsan non est verum illud, quod mihi videtur, conjicio ex tot interrogationibus continuis á te factis: quapropter judicium meum de me tibi submitto dicens, tu omnia nosti. Ecce: Petrum correxisse insipientiam prioris sui fervoris in hoc, quod nunc magis credit, et credere se protestatur Christo, quam sibimetipsi. Sed et ejusdem fervoris insipientiam correxit in hoc alio, quod se præferre suis condiscipulis recusavit: dum ad comparationem importatam per ly plus his expressum responsum non dedit, sed simpliciter dixit ly amo te. Quasi B. Petrus, tamquam et verus poenitens, et aliorum poenitentium bonum exemplar, prius deliberando prudentissime, intra se dixisset. Expertus sum factis ipsis, et quod mei condiscipuli, contra æstimationem meam pristinam fuerunt minus infirmi, quam ego: cum illi magistrum meum non negaverint, ego vero sic, et quod magister meus magis cognovit intrinsecum meum, quam ego ipse, cum ille affirmaret, me negaturum, quod feci, ego autem contra numquam me negaturum crederem, verbisque credulitatem meam vere exponentibus confirmarem, quod tamen non feci. Ideirco animum meum, atque loquelam ita posthac temperabo,

ut in primis magistro meo omnem honorem in omnibus, et per omnia deferam, et meorum fratrum bonitati, veritati, cæterisque virtutibus non me præferam. Poenitentiam ergo aliqui, secundum scripturas, resurgunt in majori gradu virtutum, quam ante fuerant. Quibus et B. Paulum connumerandum vult Iy plus omnibus laboravi, 1. Corinth. 15. et B. Mariam Magdalenam Iy lachrymis coepit rigare pedes ejus, etc. Luc. 7. de qua etiam D. Greg. in quadam Homil. dicit, quod, " quæ prius peccando frigida remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. » Quod vero quis in minori, vel etiam in virtute æquali consurgat, insinuatur per hoc, quod ad quemdam dicitur Apoc. 2. " Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac. » His enim verbis, ut ea considerantibus constat, innuitur id, quod nunc dicebamus. Sed et qui diligenter intellectu vigili scrutatus fuerit ejusdem Apoc. totum secundum, ac tertium capitulum, inveniet, quod poenitentium triplex est (illa, quam dixit articulus) differentia, videlicet, quod quidam in minori, aliqui in æquali, nonnulli in majori virtute resurgunt. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, Papa, Gregorio, Chrysostomo, et Augustino, quod per pœnitentiam homo restituitur, et non restituitur in pristinam dignitatem. A Gregor. quidem, et Chrysostomo, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Sapien. 5. " Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. » Constat enim, quod multi sanctorum illorum, de quibus talia reprobi dicent, ceciderunt in peccata mortalia. Non ergo verificaretur de eis, ut verificatur, quod postea computantur inter filios Dei: nisi per pœnitentiam, quam egerunt, restituti essent in pristinam dignitatem. Item per hoc, quod dicitur Apocal. 14. «Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia: qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque jerit. » Istis enim verbis manifeste datur intelligi, quod in cœlo est quædam dignitas aliquibus sanctorum tam specialis, ut ad eam alii per nullas suas pœnitentias, quantumvis maximæ fuerint (ut in legendis vitis eorum patet) restitui numquam potuerint. Neminem enim posse dicere canticum ipsum, nisi illa 144. millia, importat illud, quod nunc diximus. Sed et hoc idem significat illud singulare, quasi aliis non conveniens, de eis dictum, scilicet. *Hi sequuntur agnum, quocumque jerit.* Porro dignitas illa virginitas est, secundum contextum hunc, et innocentia est secundum Ecclesiam hoc sanctis Innocentibus, ut patet in festo ipsorum, applicantem. Nec mirum. Innocentia namque hoc commune cum virginitate habet, ut dicitur in ad primum, quod utraque, si perdatur semel, semper est irrecuperabilis. Voluit ergo ad propositum nostrum per illa verba B. Joannes Apostolus dicere, quod ad pristinam tum virginitatis, tum innocentiæ dignitatem nullus per pœnitentiam quamcumque redire potest. A B. August. quoque in libro de virginitate insinuatur id, quod in principio appendicis dicebatur. " Lumbis accintis, et lucernis accensis, expectate Dominum virgines, quando veniat; afferatis ad nuptias agni canticum novum, quale nemo poterit dicere, nisi 144. millia sanctorum cytharœdorum illibatæ virginitatis. Sequimini agnum: quia et agni caro utique virgo est. Sequimini eum, tenendo perseveranter, quod vovistis. Ardenter facite, quod potestis, ne virginitatis bonum pereat: cum nihil facere possitis, ut redeat. Sequimini virgines agnum, quocumque ierit. Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. » Quæ ideo adducta sunt, quia, quoad non reditionem idem est judicium de dignitate innocentiæ, quod de virginitatis. A Papa autem Leone X. per hoc, quod in Concilio Lateranensi novissimo sess. 7. dicitur: " Leguntur litteræ subscriptæ per Bernardinum Caravajal, et Federicum de sancto Severino, olim Cardinales, super materia abjurationis schismatis, et unionis Ecclesiæ, et confessionis erroris ipsorum, et veniæ petitionis propter suscitatum ab illis schisma, etc. Qui post paucos dies in palatio Apostolico pristinæ dignitati sunt restituti in consistorio secreto: post solemnem abjurationem

schismatis, venientes ad palatium tamquam privati clerici, et ante pedes Papæ abjurato schismate alta, et intelligibili voce. » Hæc ibi in summa conciliorum. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod opera virtutum facta in charitate mortificantur per peccatum mortale sequens. Ut per hoc, quod dicitur Ezech. 18. *Si averterit*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Galat. 3. *Tanta passi estis sine causa.* Ac si dixerit. Meritum quod in patiendo tanta propter Deum habuistis, nunc per peccatum vestrum perditis. Item per dictum 1. Cor. 15. " Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, etc. nisi frustra credidistis. » Item per dictum Apocal. 3. " Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. » Item per dictum Isa. 14. " Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris? Miratur enim propheta casum Luciferi post subsequentem, cum tamen antea, tamquam primo mane, oriretur: et consequenter per hoc dat intelligere etiam, quod talis ejus casus contingit ex eo, quod ipse Lucifer clarum suum ortum, idest suam primam operationem in charitate factam mortificavit per mortale peccatum sequens, quod fuit superbia: de qua mox subditur ibid. " Dicebas in corde tuo: in coelum conscendam: supra astra exaltabo solium meum, etc. Similis ero Altissimo. » Pro cujus dicti prophetalis captu, quantum ad præsentis articuli intentum facit, sciendum est, quod Lucifer fuit creatus in gratia, 1. q. 62. a. 3. et per operationem suam in gratia factam meruit beatitudinem, ibid. a. 4. Sed ideo hanc non est consecutus, quia statim per culpam voluntariam præcedens meritum mortificavit, 1. qu. 63. art. 5. ad 4. Ipsam namque beatitudinem, postquam illam meruit, mox accepisset: nisi statim impedimentum suæ beatitudinis præstitisset peccando. 1. q. 63. a. 6. Hanc etiam mortificationem boni operis per peccatum Luciferi factam subtiliter denotavit Christus de eo, sub nomine diaboli, dicens Joan. 8. *In veritate non stetit.* Quod exponens B. Aug. in lib. 11. de civit. Dei, c. 15. dicit. " Oportet, ut sic accipiamus: quod in veritate fuerit, sed non permanserit. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod opera in charitate facta, si mortificentur, possunt per poenitentiam reviviscere. Ut per hoc, quod dicitur Joel. 2. *Reddam*, etc. secundum quod cum expositione, et discursu ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Galat. 3. " Tanta passi estis sine causa; si tamen sine causa. » Nam per ly si tamen sine causa, monstratur intentum. Vult enim dicere Apostolus Galatis. Vestra instabilitas, qua ad dictum pseudo Apostolorum legalia cum Evangelio servare proposuistis, facit, quod tanta pro Christo antea passi fueritis sine causa, idest sine utilitate; hoc est, istud vestrum peccatum mortale mortificat vestræ patientiæ præteritæ meritum. Si tamen ab hujus noxiæ instabilitatis proposito resipiscatis per poenitentiam veram, tunc illa pristina patientia non erit vobis amplius sine causa, idest frustratoria: hoc est, per poenitentiæ vigorem reviviscet non quidem in se, quia sic semper viva mansit, cum nata sit viva, utpote in charitate, sed reviviscet vobis, idest ad utilitatem vestram. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod opera extra charitatem facta non vivificantur per subsequentem poenitentiam. Insinuatur autem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 13. Si *distribuero*, etc. secundum quod ponitur cum discursu *in arg. cont.* Ubi constat, quod sic exponendum est ly nihil mihi prodest, idest nihil mihi umquam prodesse potest. Nisi enim exponendum sic esse vidisset D. Thom. procul dubio mox auctoritati illi non subsumpsisset ly " hoc autem non esset, si saltem per poenitentiam subsequentem vivificarentur. » Potuisset siquidem negari ly hoc autem non esset, dicendo, quod sufficiebat ad verificandum sensum apostolicum exponere ly nihil mihi prodest, scilicet pro tempore tantum illo, quo extra charitatem tale opus fiebat. Quia vero sic replicari jure non posse, vidit sanctus doctor ex eo, quod Apostolum absolute loquutum opor-

tebat absolute, idest sine coarctatione ad præmissam differentiam temporis, intelligere: ideo recte, et efficaciter illi dicto subsumpsit ly hoc autem non esset, si per, etc. Item insinuatur idipsum per hoc, quod de operibus malorum hominum universaliter dicit Sap. 4. " Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. » Si enim fructus eorum de genere bonorum, nam quandoque bonum morale agunt, cum peccata non tollant totaliter bonum naturæ, 1. 2. q. 85. a. 2. immo nec infidelitas, 2. 2. q. 10. a. 4. possent aliquando vivificari, tunc non dicerentur absolute fructus inutiles, et, quod magis sonat in futurum, ad nihilum apti. Nec igitur actu vivificabuntur umquam, nec in potentia: quia, cum ad nihilum sint apti, de necessitate sequitur, quod ad hoc, ut quandoque vivificentur, non sunt apti. Item insinuatur per dictum Psal. 89. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Anni enim malorum, idest, aliqua saltem ipsorum opera moraliter bona in ipsis annis facta, si possent aliquando vivificari, non dicerentur absolute, ut patet, esse tamquam ea, quæ pro nihilo habentur. Patet ergo ex hoc intentum: cum revera anni eorum sint apud Deum, sicut illa; quæ habentur pro nihilo. In cujus signum evidens est differentia, quæ in sacris Dei litteris, idest in quarto, et quinto Genesis capitulo fit, inter annos bonorum, et annos malorum. Nullo enim modo pensandum est, scripturam in amborum descriptione sine causa legitima observasse discrimen, et quod sine illius mira providentia, qui singulas marium guttas sapienter annumeravit quidquam in suo sacro eloquio positum sit, vel non positum. Nota ergo differentiam illam. In capitulo 4. ubi malorum, utpote descendentium ex Cain, vitæ ponuntur, non fit mentio de illorum diebus, aut annis; sed simpliciter dicitur: " Enoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Matusael, etc. » In capitulo autem quinto, ubi bonorum, utpote fidelium descendentium á Seth, vitæ ponuntur, fit mentio dierum, atque annorum, et mentio quidem exactissima. " Vixit, inquit, Seth centum quinque annis, et genuit Enos. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, 807. annis, genuitque filios, et filias. Et facti sunt omnes dies Seth. 912. annorum. Vixit vero Enos 90. annis, et genuit Cainan. Post cujus ortum vixit 815. annis, et genuit filios, et filias. Factique sunt omnes dies Ennos 905. anni. Vixit quoque Cainan 70. annis, et genuit Malalehel. Et vixit Cainan, postquam genuit Malalehel 840. annis, genuitque filios, et filias. Et facti sunt omnes dies Cainan 910. anni, » etc. Ex hoc differenti modo loquendi de utrisque putas ne, quod mali vixerint sine diebus materialibus, et annis? Non certe. Quid ergo? Quod vixerunt sine diebus, et annis Deo acceptis, in quantum nulla in his opera ex charitate fecerunt. Unde impiorum dies, et anni simul apud Deum pro nihilo reputati sunt: et, sicut ipsos malos se nescire fatetur per ly *nescio vos*, Matth. 25. ita dies eorumdem, et annos se nescire demonstrat per hoc, quod nullam dierum, vel annorum voculam exprimit, dum vitas illorum in libro suo Gen. recenset. Hac de causa et de malis dictum est, Psal. 77. *defecerunt in vanitate dies eorum*, et é contra de bonis, Psal. 72. *dies pleni invenientur in eis.* Ex præmissis itaque scripturis omnibus patet, quod Deus noster, cum sit *Deus veritatis*, Psal. 30. et non vanitatis, justorum dies, et consequenter opera tunc facta approbat, ita ut etiam mortificata quandoque per eorumdem pœnitentiam vivificet: malorum autem dies, et consequenter opera tunc facta pro ignotis habet, ita, ut ipsa numquam, pœnitentia etiam eorum accedente, vivificet. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA.

DE PARTIBUS PŒNITENTIÆ IN GENERALI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de partibus poenitentiæ: et primo in generali; secundo in speciali de singulis.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, utrum poenitentia habeat partes.

Secundo, de numero partium.

Tertio, quales partes sint.

Quarto, de divisione ejus in partes subjectivas.

ARTICULUS I.

Utrum pœnitentiæ debeant partes assignari.

Pro negativa. — Videtur quod poenitentiæ non debeant partes assignari.

1. Ejus in quo divina virtus operatur, non debent assignari partes. Sed in poenitentia divina virtus operatur. Ergo poenitentiæ non debent partes assignari.

Maior prob., quia virtus divina est una et simplex.

Minor prob., quia divina virtus in omnibus sacramentis secretius operatur.

2. Poenitentiæ non assignantur partes, in quantum est virtus, nec in quantum est sacramentum. Ergo poenitentiæ nullæ sunt partes.

Antec. prob. Non in quantum est virtus, quia virtus est quædam simplex qualitas mentis; non ut est sacramentum, quia baptismo et aliis sacramentis non assignantur partes.

Conseq. prob., quia poenitentia est virtus et sacramentum.

3. Peccato non assignantur partes. Ergo nec sacramento poenitentiæ.

Conseq. prob., quia materia poenitentiæ est peccatum, ut qu. 84. art. 2. dictum est.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ejus cujus perfectio ex pluribus integratur, sunt partes assignandæ. Sed perfectio pœnitentiæ ex pluribus integratur scilicet ex contritione, confessione et satisfactione. Ergo pœnitentiæ sunt partes assignandæ.

Maior prob., quia partes sunt, ex quibus alicujus perfectio integratur.

Determinatio.

CONCLUSIO. Sacramentum pœnitentiæ habet partes.

Prob. illud in quo ex parte materiæ invenitur aliqua pluralitas, habet partes. Sed in sacramento pœnitentiæ ex parte materiæ invenitur pluralitas. Ergo sacramentum pœnitentiæ habet partes.

Maior prob., quia partes rei sunt, in quas materialiter totum dividitur: habent enim se partes ad totum, sicut materia se habet ad formam. Unde 2. Phys. tex. 31. partes ponuntur in genere causæ materialis. Ubicumque igitur ex parte materiæ invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire rationem partium.

Minor prob., quia dictum est quæst. 84. artic. 1. et 3 quod id quod in sacramento pœnitentiæ se habet per modum materiæ, sunt actus humani. Cum igitur ad perfectionem sacramenti requirantur plures actus humani, ut articulo sequenti dicetur; sequitur quod in sacramento pœnitentiæ sit pluralitas ex parte materiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod quia virtus divina est una et simplex, quodlibet sacramentum habet simplicitatem, ratione divinæ virtutis quæ in eo operatur. Sed quia virtus divina propter sui magnitudinem operari potest, et per unum, et per multa, ideo ratione illorum multorum possunt assignari partes in his in quibus divina virtus operatur.

Ad 2. Conceditur antecedens quantum ad primam partem: pœnitentiæ enim, secundum quod est virtus, non assignantur partes, quia actus humani qui multiplicantur in pœnitentia, non comparantur ad habitum virtutis sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur quod assignentur partes pœnitentiæ; in quantum

est sacramentum ad quod actus humani comparantur ut materia. Unde negatur antecedens, quantum ad secundam partem. Ad probationem dicitur, quod materia in aliis sacramentis non sunt actus humani, sed aliqua res exterior una sive simplex, ut aqua, vel oleum, sive composita, ut chrisma: et ideo aliis sacramentis non assignantur, partes.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod peccata sunt materia remota pœnitentiæ, in quantum scilicet sunt materia vel objectum humanorum actuum qui sunt propria materia pœnitentiæ, prout est sacramentum. Ex hoc igitur quod materia remota hujus sacramenti non habet partes, non sequitur quod ipsum non habeat partes.

ARTICULUS II.

Utrum convenienter assignentur partes pœnitentiæ contritio, confessio et satisfactio.

Pro negativa. = Videtur, quod inconvenienter assignentur partes pœnitentiæ contritio, confessio et satisfactio.

1. Contritio cum sit in corde, pertinet ad interiorem pœnitentiam, quæ non est sacramentum. Sed sola confessio quæ est in ore, et satisfactio quæ est in opere, pertinent ad pœnitentiam exteriorem quæ est sacramentum. Ergo non convenienter assignantur tres partes poenitentiæ: sed duæ tantum debent asssignari.

2. In sacramento novæ legis confertur gratia, ut dictum est quæst. 62. art. 1. et 3. Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

3. Satisfactio est fructus poenitentiæ. Ergo satisfactio non est pars ejus.

Anteced. prob., quia Lucæ 3. dicitur, *facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Conseq. prob., quia non est idem fructus rei, et rei pars.

4. Peccatum contra quod ordinatur poenitentia, potest perfici solum in corde per consensum, ut dictum est 1. 2. quæst. 72. art. 7. Ergo etiam poenitentia: ac per hoc non debent poni partes pœnitentiæ confessio oris et satisfactio operis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Videtur quod debeant poni plures partes poenitentiæ; pars enim hominis ponitur non solum corpus, quod est ejus materia, sed etiam anima quæ est ejus forma. Sed tria prædicta, cum sint actus poenitentis, se habent sicut materia; absolutio autem sacerdotis se habet per modum formæ. Ergo absolutio sacerdotis debet poni quarta pars sacramenti poenitentiæ.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est pars, scilicet pars essentiæ et pars quantitatis; quæ distinctio habetur 5. Metaph. tex. 7. Partes essentiæ naturaliter sunt forma et materia: logice vero sunt genus et differentia: partes autem quantitatis sunt partes materiæ, quia quantitas se tenet ex parte materiæ.

In præsenti non est sermo de partibus essentiæ: nam partes essentiæ cujuslibet sacramenti sunt materia et forma. Unde et supra quæst. 60. art. 5. et 6. dictum est quod sacramenta consistunt in rebus quæ sunt quasi materia, et in verbis quæ sunt forma. Sed est sermo de partibus quantitatis seu materiæ, et hujusmodi sunt partes quæ specialiter assignantur in sacramento poenitentiæ: assignantur enim partes hujus sacramenti ratione actuum poenitentis, quæ habent rationem materiæ, ut articulo præcedenti dictum est.

Conclusio. Contritio, confessio et satisfactio convenienter assignantur partes poenitentiæ.

Manifestatur: ex differentia quæ est inter modum recompensandi offendam in justitia vindicativa, et in poenitentia: nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis vel of-

fensi: et ideo in vindicativa justitia non assignantur multæ partes ex parte materiæ, quia ibi non est nisi actus judicis, ex cujus arbitrio facienda est recompensatio offensæ: in poenitentia vero fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur, quia non quæritur sola reintegratio æqualitatis justitiæ sicut in justitia vindicativa, sed magis reconciliatio amicitiæ; quod fit, dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Requiritur igitur in hac recompensatione et reintegratione amicitiæ inter Deum et hominem, primo voluntas recompensandi, et hoc fit per contritionem: secundo, quod offendens se subjiciat arbitrio sacerdotis, loco Dei; quod fit in confessione: tertio, quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei; quod fit in satisfactione: et ideo contritio, confessio et satisfactio sunt partes poenitentiæ.

In forma. In sacramento poenitentiæ non solum fit recompensatio offensæ, sed etiam reconciliatio amicitiæ Dei ad hominem peccatorem. Ergo convenienter contritio, confesio et satisfactio sunt partes poenitentiæ.

Antecedens patet, ex differentia quæ est inter justitiam vindicativam, et sacramentum poenitentiæ: ex quo etiam patet consequentia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod contritio secundum essentiam est quidem in corde, et pertinet ad interiorem poenitentiam; virtualiter tamen pertinet ad exteriorem poenitentiam, in quantum scilicet implicat propositum confitendi et satisfaciendi.

Ad 2. Negatur minor: satisfactio enim confert gratiam, prout est in proposito, et auget eam, prout est in executione, sicut etiam baptismus in adultis confert gratiam, dum est in proposito, ut dictum est qu. 68. art. 2.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod satisfactio est pars sacramenti poenitentiæ, et est fructus poenitentiæ, secundum quod est virtus.

Ad 3. Negatur consequentia: cum enim plura requirantur ad bonum *quod procedit ex integra causa*, quam ad malum *quod procedit ex singularibus defectibus*, secundum Dionysium cap. 4. de divinis nominibus. Etsi peccatum perficiatur solum in corde, ad perfectionem tamen poenitentiæ requiritur contritio cordis, confessio oris, et satisfactio operis.

Ad argumentum pro affirmativa.

Ad argumentum pro altera parte patet quid dicendum sit: nam concludit quod sacramentum poenitentiæ habeat partes essentiæ, quæ sunt materia et forma; et hoc verum est; sed de his non est præsens sermo.

ARTICULUS III.

Utrum contritio, confessio et satisfactio sint partes integrales pœnitentiæ.

Pro negativa. — Videtur quod prædicta tria non sint partes integrales poenitentiæ.

1. Peccatum cordis, oris et operis non sunt partes integrales peccati, sed subjectivæ. Ergo etiam in poenitentia contritio cordis, confessio oris et satisfactio operis non sunt partes integrales, sed subjectivæ.

Anteced. prob., quia peccatum de quolibet horum prædicatur.

Conseq. prob., quia poenitentia contra peccatum ordinatur.

2. Contritio continet in se confessionem et satisfactionem in proposito seu voto. Ergo non sunt partes integrales poenitentiæ.

Conseq. prob., quia nulla pars integralis continet aliam sibi condivisam.

3. Ex partibus integralibus simul et æqualiter constituitur totum. Sed ex prædictis tribus non constituitur simul et æqualiter sacramentum poenitentiæ. Ergo non sunt partes integrales poenitentiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illæ dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio totius integratur, sed ex prædictis tribus integratur perfectio poenitentiæ. Ergo hæc tria sunt partes integrales poenitentiæ.

Determinatio.

Quorumdam prima positio.

Quidam dixerunt contritionem, confessionem et satisfactionem esse partes subjectivas poenitentiæ: et eorum rationes potuerunt esse argumenta inducta pro negativa.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, quia singulis partibus subjectivis adest tota virtus totius et simul et æqualiter. Sicut tota virtus animalis, in quantum est animal, salvatur in qualibet speciè animalis, quæ simul et æqualiter dividunt animal: quod non est in proposito: nam virtus sacramenti poenitentiæ principaliter in contritione consistit.

Secunda aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod contritio, confessio et satisfactio sunt partes poenitentiæ potentiales.

Reprobatio.

Sed nec hoc verum esse potest, quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam, sicut tota essentia animæ adest cuilibet ejus potentiæ: quod non est in proposito: nam non adest tota essentia sacramenti poenitentiæ, satisfactioni aut confessioni.

Vera sententia.

Conclusio. Contritio, confessio et satisfactio sunt partes integrales poenitentiæ.

Prob. Partes quibus totum non adest singulis partibus, neque secundum totam suam virtutem, neque secundum totam essentiam, sed totum adest omnibus simul, sunt integrales. Sed contritio, confessio et satisfactio sunt partes pœnitentiæ, quibus non adest singulis totum nec secundum virtutem, nec secundum essentiam, sed adest totum omnibus simul. Ergo sunt partes integrales.

Maior prob., quia ad rationem partium integralium hoc exigitur, ut totum non adsit singulis partibus, neque secundum totam ejus virtutem, neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul. Domus non adest soli parti quæ est fundamentum, vel parieti, vel tecto; sed ex omnibus simul constituitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod peccata cordis, oris et operis possunt considerari duobus modis. Uno modo per se absolute, secundum propriam rationem quæ in aliqua harum potentiarum consummatur; et isto modo peccatum cordis, oris et operis sunt diversæ species peccati. Sicut hæresis quæ consummatur in intellectu et voluntate, et consensus in delectationem veneream, sunt species peccatorum diversæ á contumelia quæ secundum sui rationem consummatur in ore, et ab homicidio quod consummatur in opere: et hoc modo loquendo de his peccatis conceditur antecedens. Sed negatur consequentia quam in hoc sensu non probat ratio inducta: ex hoc enim quod poenitentia ordinatur contra peccatum, non sequitur quod sicut est alia species peccatum cordis, oris et operis sint diversæ species contritio, confessio et satisfactio, cum ad deletionem etiam peccati cordis requirantur omnes poenitentiæ partes. Et ratio hujus est quæ jam dicta est in responsione ad 4. præcedentis articuli, quia scilicet malum est ex singularibus defectibus. Unde ex defectu in solo corde potest constitui species peccati, et sic de aliis; bonum vero est ex integra causa: unde integra poenitentia requirit contritionem confessionem et satisfactionem. Alio modo considerantur peccatum cordis, oris et operis, ut sunt gradus ejusdem peccati, puta cum quis cogitat et consentit in homicidium, deinde dicit et tractat se velle homicidium committere, et tan-

dem opere homicidium committit; et tunc illa peccata cordis, oris et operis non sunt diversæ peccatorum species, sed sunt quasi gradus integrantes eamdem peccati speciem. Et sic loquendo de peccato cordis, oris et operis, negatur antecedens; sunt enim hæc peccata sic considerata, non partes subjectivæ, sed quasi integrales; nec peccatum de his prædicatur, nisi ut totum de partibus integralibus, scilicet in obliquo, puta peccatum cordis est peccati initium, et sic de aliis.

Ad 2. Dicitur quod aliquid continere aliud potest dupliciter intelligi. Uno modo secundum essentiam, eo modo quo genus continet species, vel totum partes. Alio modo, virtute, sicut fundamentum continet ædificium. Tunc ad formam dicitur, quod antecedens est verum de continentia secundum essentiam, non autem de continentia virtuali, unde negatur, consequentia. Ad probationem dicitur, quod una pars integralis non continet aliam sibi condivisam, secundum essentiam: potest tamen aliam continere virtute; etsi enim manus non contineat pedem, cor tamen omnes partes corporis virtute continet.

Ad 3. Dicitur quod maior non est universaliter vera, nec specialiter in proposito: nam omnes partes integrales habent ordinem quemdam ad invicem, licet non eodem modo: quædam enim habent, ordinem tantum in situ, et hæ sunt in quadruplici differentia. Quædam consequenter se habent, sicut partes exercitus; quædam se tangunt, sicut partes acervi; quædam colligantur, sicut partes domus; et quædam continuantur, ut sunt partes lineæ vel ligni; et hæ omnes habent ordinem in situ. Quædam vero habent ordinem non solum situs, sed etiam virtutis; sicut sunt partes animalis, quarum prima virtute est cor, et aliæ quodam ordine virtutis dependent ab invicem, ut brachium á corpore, et manus á brachio, et sic de aliis.

Tertio modo ordinantur partes integrales ordine temporis, sicut sunt partes temporis et motus.

Partes sacramenti pœnitentiæ habent adinvicem ordinem virtutis et temporis; quia sunt actus quorum unus est post alium, et unus tamquam fundamentum virtute continet alium; sicut contritio virtute continet alios duos actus, nec habent ordinem situs, quia carent positione. Non est igitur universaliter verum, quod omnes partes integrales simul et eodem modo totum constituant; sed potest una post aliam, et diverso modo ab alia concurrere ad constitutionem totius ut est in proposito.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter dividatur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam mortalium, et pœnitentiam venialium.

Pro negativa. = Videtur quod inconvenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium.

1. Secunda tabula non est ponenda ante primam. Sed poenitentia est secunda tabula. Baptismus autem est prima. Ergo illud quod est ante baptismum, non debet poni species poenitentiæ.

2. Poenitentia quæ delet mortalia, delet etiam venialia. Ergo non est distinguenda poenitentia venialium á poenitentia mortalium.

Antec. prob., quia quod potest destruere maius, potest etiam destruere minus: et ideo poenitentia quæ destruit mortale quod est maius, poterit destruere veniale quod est minus.

3. Ante baptismum non distinguitur poenitentia venialium á penitentia mortalium. Ergo nec post baptismum debet distingui.

Conseq. prob., quia sicut post baptismum peccatur venialiter et mortaliter, ita et ante baptismum possunt committi peccata venialia et mortalia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Augustinus in libro de utilitate poenitentiæ, et libro de Medicin. Poenit. cap. 2. ponit prædictas tres poenitentiæ species.

Determinatio.

Conclusio. Virtus poenitentiæ convenienter dividitur in poenitentiam ante baptismum, poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium.

Prob. Quot sunt mutationes quas poenitens intendit, tot sunt species poenitentiæ. Sed tres sunt mutationes quas poenitens intendit. Ergo tres sunt species virtutis poenitentiæ.

Maior manifestatur. Pro quo est considerandum quod quælibet virtus operatur secundum congruentiam temporis, sicut et secundum alias debitas circunstantias. Unde et virtus poenitentiæ actum suum habet in hoc tempore, secundum quod convenit novæ legi. Pertinet autem ad poenitentiam, ut detestetur peccata præterita, cum proposito immutandi vitam in melius: quod est quasi poenitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem, ut dictum est 1. 2. qu. 1. art. 3. et qu. 18. art. 4. et 6. conveniens est quod diversæ species poenitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes quas poenitens intendit: et sic patet maior.

Minor prob. Prima enim immutatio quam intendit poenitens, est per regenerationem in novam vitam. Et hæc pertinet ad poenitentiam quæ est ante baptismum.

Secunda immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, et hæc pertinet ad poenitentiam mortalium post baptismum.

Tertia autem immutatio est in perfectio rem operationem vitæ, et hæc pertinet ad poenitentiam venialium, qua remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis, ut dictum est qu. 87. art. 3. et 4. et secundum has tres immutationes distinguuntur tres species virtutis poenitentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod concludit poenitentiam quæ est ante baptismum non pertinere ad sacramentum poenitentiæ, quod est secunda tabula: unde negatur minor: poenitentia enim quæ est ante baptismum, non est pars sacramenti poenitentiæ: cum quo tamen stat quod sit species poenitentiæ, secundum quod poenitentia est virtus.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod poenitentia quæ delet mortalia, delet quidem etiam venialia, sed non é converso; non enim poenitentia venialium delet mortalia; et ideo hæ duæ poenitentiæ se habent sicut perfectum et imperfectum.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus: et quia veniale sine mortali remitti non potest, ut dictum est qu. 87. art. 4. ideo ante baptismum non distinguitur poenitentia mortalium et venialium: quia vero post baptismum potest esse peccatum veniale sine mortali, necesse est distinguere poenitentiam venialium á poenitentia mortalium, á quibus Dominus Jesus Christus nos liberare dignetur. Amen.

Et sic ad gloriam omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti. Ad honorem beatissimæ Virgenis Mariæ Matris Jesu Christi Salvatoris nostri et omnium Sanctorum finitur Formalis Explicatio omnium eorum quæ Sanctissimus Doctor Thomas Aquinas scripsit de tertia parte, quam morte prævenitus imperfectam reliquit.

EX PRÆCED. 90.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod poenitentiæ debent partes assignari. Insinuatur autem per hoc, quod dicitur Psal. 79. " Cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis in mensura. » Ecce pars una, scilicet contritio. Item Psal. 31. " dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino. » Ecce alia pars, scilicet confessio. Item Matth. Luc. 3. " facite fructus dignos poenitentiæ. » Ecce alia pars, scilicet satisfactio. Item per id, quod in figura nostræ poenitentiæ antiquitus dicebatur Levit. 5. " Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram, æstimationemque peccati. » Namque per ly rea peccati intellexerit iniquitatem suam, denotatur una pars poenitentiæ, scilicet contritio, quoniam ille, ut reus peccati, intelligit iniquitatem suam, qui dolet de peccato suo. Et per ly offeret a. immc. sacerdoti, designatur alia pars, scilicet confessio: quoniam, cum diversæ oblationes pro diversis peccatis offerri mandarentur, ut sæpius per leviticum patet. Specialis oblatio allata sacerdoti notificabat qualitatem peccati offerentis: et ita gerebat vicem confessionis. Et per ly juxta mensuram, æstimationemque peccati, significatur alia pars, scilicet satisfactio: quoniam in hac fit quædam recompensatio proportionaliter, quamvis non æqualiter, correspondens offensæ divinæ, q. 85. a. 3. hoc est, juxta mensuram peccati. Simile autem ejus, quod annotavit nunc de Lev. 5. invenies in ipsius libri capitulis multis: ex quibus dices juxta normam præscriptam. Quod vero á figuris ad figurata liceat ad veritatem inveniendam argumentari, docuit suo facto Concilium Hispalense 2. ut recitatur in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 8. circa concl. 2. Item per hoc, quod legitur Luc. 15. " In se reversus dixit, surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam: Peccavi, » etc. Ecce plures partes (ut patet) poenitentiæ. Item per dictum Zachæi ad Dominum Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*. Constat enim, quod bis verbis promittit satisfactionem pro peccatis præteritis; secundum quod Spiritus Sanctus talem viam esse bonam ad satisfaciendum declaraverat per os Danielis in hoc, quod quidam maximo peccatori dixit cap. 4. " Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam (hæc est in text. corp.) tum indirectam (hæc est solutio argumentorum. Et hoc semper subintelligi in similibus locis appendicum, alias dictum fuit) interimas hæreses Lutheri dicentis; pœnitentiæ sacramenti non esse tres partes. Et Joannis Spangebergi, dicentis: pœnitentiæ partes esse tantum duas, scilicet contritionem, et fidem. *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Concilio Florentino sub Eug. IV. in decreto Armenis dato, sive (ut alias prætitulatur) in constit. Concilii Florentini super unionem Armenorum. «Quartum sacramentum est poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium sacerdotis. » Item á Concil. Tridentino sess. 14. cap. 3. " Sunt autem, quasi materia hujus sacramenti, ipsius poenitentis actus: nempe contritio, confessio, et satisfactio. Qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiæ dicuntur. » Et can. 4. " Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem; quæ tres poenitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tan-

tum esse poenitentiæ partes terrores scilicet incusos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata: anathema sit. » Item merito damnari á SS. Doctoribus, Augustino, Ambrosio, Hieronyno, Gregorio, Chrysostomo, Cypriano, cum fundamentis sacrarum scripturarum, et aliis opportunis ad longum dictis. Quæ nos brevitati studentes hic ad verbum non recensemus; sed pro plena horum notitia lectorem remittimus ad librum, cujus titulus est « Assertionis Lutheranæ confutatio per Reverendum patrem Joannem Episcopum Roffensem. » Vide igitur ibi eum contra articulum quintum Lutheri. Item merito damnari á dictis supra articulorum num. 186. 204. Elucid. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Concilio, quod contritio, confessio, et satisfactio sunt partes poenitentiæ integrales, ut per hoc, quod sess. 14. c. 3. de contritione, confessione, et satisfactione expresse dicit ly *ad integritatem sacramenti requiruntur*. Vide ipsum Concilium recitatum supra art. 2. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Augustino, quod poenitentia alia est ante baptismum, alia est mortalium, alia venialium peccatorum. A scripturis quidem quoad poenitentiam ante baptismum, per hoc, quod dicitur Act. 2. " Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Item ab eisdem, quoad poenitentiam mortalium, per hoc, quod Simoni Mago jam baptizato Act. 8. Apostolorum princeps dixit ibid. " Cor tuum non est rectum coram Deo. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua. » Item ab eisdem quoad poenitentiam venialium per hoc, quod legitur Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra*. Constat enim, quod peccatum, quantumcumque veniale, numquam remitti potest absque poenitentia virtute, qu. 86. a. 2. et consequenter dicentes ly *Dimitte nobis debita nostra*, si fructuose, quantum ad remissionem debitorum ipsorum dicere velint, agunt poenitentiam, idest poenitent de illis. Dicit vero Concilium Trid. sess. 6. cap. 11. " Licet in hac mortali vita quantumvis sancti, et justi in venialia saltem peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis, et verax, dimitte nobis debita nostra. » Christus ergo per hoc, quod nos sic orare docuit, connotavit, quod poenitentia venialium datur. A D. Augustino autem illud in principio appendicis positum insinuatur expresse in lib. de poenit. secundum quod dicitur in *arg. contr.* Porro, quia de poenitentia mortalium delictorum, sine qua peccatori non potest esse salus, q. 86. art. 2. incidit sermo, libet hic, tum pro text. hujus quoad istam particulam declaratione, tum pro necessariæ rei practicali, ut ita dixerim, cognitione, adducere Beatum Ambrosium sic eam, dum adquamdam corruptam scribit, depingentem. " Secundum conscientiæ molem exhibenda est poenitentiæ magnitudo. Poenitentia ergo non verbis agenda est, sed et actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris: et quod de libro vitæ nomen tuum deletum sit: et si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium sine fine. Cum hoc certa fide, sicut est, animo conceperis: quia necesse est, prævaricatricem animam tartareis poenis, et gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quam poenitentiæ solatium: quantamvis afflictionem, quantumvis laborem, et indocorem subire, esto contenta; dummodo ab æternalibus poenis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, et mente retractans, proprii facti tu ipsa judex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ hujus interimenda tibi est: et quasi mortuam te existimans (sicut es) quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis: et mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculi lachrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, et operum cilicio perhorrescat quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor

vero sit liquescens, sicut cera, jejuniis inquietans seipsum, et cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia, in membra corporis cum haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio. Si fuerit perseverans, audebit sperare, et, si non gloriam, certe poenæ vacuationem. Peccator ergo, si sibi ipsi non pepercerit; á Deo illi parcitur, et, si futuras poenas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat. Grandi plagæ alta, et prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. » Hæc ille ibi. Qui et in lib. de poenitent. ait. " Qui agit poenitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire, et tegere delicta superiora: ut non ei imputetur peccatum. » Hæc ille. In quibus, tamquam in imagine, sit cuique, pro sua cujusque portione, descripta poenitentia mortalium peccatorum, de qua loquebatur conclusio textus. *Secundo* vide etc.

AD LECTOREM.

Quæ sequentur, desumpta erunt ex ejusdem Sancti Thomæ scriptis in quartum librum sententiarum, ordinata in volumine quod dicitur supplementum ad tertiam partem. Et quia divisiones faciendæ optimæ correspondent jam factis; ideo continuato quæstionum numero, eodem stylo et forma qua alia contenta in summa sunt explicata et formata, explicabuntur et formabuntur reliqua. Faxit Deus per intercessionem Beatissimæ Mariæ Virginis, Beati Dominici Patris mei, Sancti Thomæ, et omnium sanctorum, ut ea quæ mente concepi, ad optatum finem perducere valeam: quod cito exequar.

FORMALIS EXPLICATIO SUPPLEMENTI

TERTIÆ PARTIS

SUMAE SACRAE THEOLOGIAE

SANCTI TOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI,

ORDINIS PRÆDICATORUM.

De sacramentis poenitentiae, Extremae-unctionis, Ordinis, et Matrimonii; ac de futura immortali vita

DISSERENS

EDITA PER FRATREM HIERONYMUM DE MEDICIS Á CAMERINO, EJUSDEM ORDINIS.

QUÆSTIO NONAGESIMA PRIMA,

DE PARTIBUS PŒNITENTIÆ IN SPECIALI : ET PRIMO DE CONTRITIONE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis partibus pœnitentiæ: et primo de contritione; secundo de confessione; tertio de satisfactione. De contritione autem consideranda sunt quinque. Primo, quid sit. Secundo, de quo esse debeat. Tertio, quanta esse debeat. Quarto, de duratione ipsius. Quinto, de effectu ipsius.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum convenienter definiatur.

Secundo, utrum contritio sit actus virtutis.

Tertio, utrum attritio possit fieri contritio.

ARTICULUS I.

Utrum contritio sit dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisficiendi.

Pro negativa.=Videtur quod contritio non sit dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi.

1. De his quæ accidunt nobis volentibus, non est dolor. Sed peccata accidunt nobis volentibus. Ergo de peccatis non est dolor: ac per hoc non potest dici quod contritio sit dolor pro peccatis.

Maior prob., quia Augst. dicit lib. 14. de civit. Dei c. 1. quod *dolor est de his quæ nobis nolentibus accidunt.*

Minor patet, quia peccatum est voluntarium.

2. Illud quod datur á Deo, non assu-

mitur. Sed contritio datur nobis á Deo. Ergo contritio non est dolor assumptus.

3. Quandoque tota poena in contritione remittitur. Ergo non est semper necessarium quod contritus habeat propositum confitendi et satisfaciendi.

Consequentia prob., quia satisfactio et confessio sunt necessaria ad hoc, quod remittatur poena quæ in contritione remissa non fuit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quidam de contritione hanc definitionem assignant.

Determinatio.

Contritionis nomen unde sumatur. Nomen contritionis desumptum est á rebus materialibus. Sicut enim in rebus materialibus, illud dicitur durum quod tactui non cedit, et illud dicitur comminui, sive conteri quod in minimas partes redigitur hoc quod in se solidum erat. (Est enim differentia inter fractionem et contritionem, ut dicitur 4. Meteor. cap. 2. quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur: comminui vero, quando in minimas partes resolvuntur ea quæ in se solida erant;) ita in spiritualibus, ille durus et rigidus per similitudinem vocatur qui in suo sensu, á mandatis divinis recedens, perseverat. Ille vero dicitur conteri, qui affectum peccati, quem per quandam continuitatem et soliditatem in suo sensu habebat, totaliter dimitti. Nomen igitur contritionis in spiritualibus significat actum illum, quo quis peccatum et peccati affectum, cui firmiter inhærebat, dimittit.

Conclusio. De contritione convenienter traditæ sunt diversæ definitiones.

Prob. De eo in quo plura considerari possunt, convenienter diversæ definitiones, secundum diversitatem earum quæ in eo considerantur, possunt tradi. Sed in contritione diversa considerantur. Ergo de contritione diversæ definitiones convenienter traduntur.

Minor manifestatur: in contritione enim quinque considerantur, scilicet substantia actus. Ratio nominis. Modus agendi. Principium et effectus. Et secundum hæc convenienter dantur de contritione quinque definitiones.

Prima est. Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi. Per quam definitur contritio, quantum ab substantialem actum ipsius. Est enim contritio actus virtutis et actus sacramenti poenitentiæ; et ideo in prædicta definitione ponitur genus actus contritionis, dum dicitur quod contritio est dolor: et quia actus sine objecto non cognoscitur, ideo ponitur secundo objectum ipsius, dum dicitur: pro peccatis. Et quia ad hoc ut aliquis actus ad virtutem pertineat, requiritur quod per electionem sit productus; ideo ad significandum quod contritio est actus virtutis, dicitur assumptus. Ad ostendendum vero quod contritio est etiam pars sacramenti poenitentiæ, tangitur ordo contritionis ad alias partes poenitentiæ quæ sunt confessio et satisfactio, cum dicitur: cum proposito confitendi et satisfaciendi.

Secunda definitio quæ de contritione datur, est. Contritio est dolor voluntarius pro peccato, puniens in se quod dolet commisisse. Quæ definitio datur etiam per substantiam actus, sed á præcedenti difert in duobus. Primo, quia per primam definitur contritio, non solum prout est actus virtutis; sed etiam prout est pars sacramenti. Per hanc vero definitur tantum, secundum quod est actus virtutis, dum dicitur quod contritio est dolor voluntarius. Secundo, quia in priori definitione non ponitur aliqua particula, trahens actum contritionis ad specialem virtutem; sed solum dicitur quod es actus virtutis, quia ex electione procedit per hoc quod dicebatur assumptus. In hac vero definitione trahitur contritionis actus ad specialem virtutem quæ est poenitentia, per

hoc quod dicitur, poniens in se quod dolet commisisse.

Tertia contritionis definitio est Isidori in lib. 2. de summ. bon. c. 12. et est talis: contritio est compunctio et humilitas mentis, cum lachrymis, veniens de recordatione peccati et timore judicii. Quæ definitio tangit rationem nominis in hoc quod dicit: humilitas mentis. Quia sicut per superbiam aliquis in suo sensu redditur rigidus et durus; ita per hoc quod á suo sensu contritus recedit humiliatur. Tangit etiam modum exteriorem, in hoc quod dicit, cum lachrymis. Tangit tandem principium contritionis in hoc quod dicit: veniens de recordatione peccati, etc.

Quarta definitio contritionis sumitur ex verbis Aug. super illud Psal. 146. *Qui sanat contritos corde*, et Gloss. ord. ibid. quæ est: *contritio est dolor remittens peccatum*. In qua definitione tangitur contritionis effectus qui est peccatorum remissio.

Quinta definitio sumitur ex verbis Greg. Hom. 22. super Ezechiel. dicentis. Contritio est humilitas spiritus annihilans peccatum, inter spem et timorem. Hæc definitio tangit rationem nominis in hoc quod dicit: contritio est humilitas spiritus; et effectum ejus in hoc quod dicit; annihilans peccatum; et originalem in hoc quod dicit: inter spem et timorem. Non solum enim ponit principalem causam quæ est timor; sed etiam concausam quæ est spes, sine qua timor desperationem facere posset.

Ex quibus omnibus patet conclusio et sua ratio, quare scilicet de contritione plures assignentur definitiones: et quomodo omnes hujusmodi definitiones sint convenientes. Omnium tamen convenientissima est prima, quia illa datur per ea que pertinent ad substantiam actus contritionis, non solum secundum quod est actus virtutis, sed etiam, ut est pars sacramenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod peccata, quando acciderunt, voluntaria fuerunt, tamen quando de eis conterimur, voluntaria amplius non sunt; et ideo tunc, scilicet quando de eis conterimur, nobis nolentibus accidunt: non quidem secundum voluntatem, quam habuimus, quando ea commissimus, sed secundum illam quam habemus nunc, qua vellemus quod nunquam commissa fuissent. Negatur igitur ipsa minor. Peccata enim, quando sunt contritionis objectum, non sunt voluntaria; sed contra voluntatem. Ad probationem dicitur, quod peccatum debet esse voluntarium, quando committitur, non quando de eo peccator conteritur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod contritio est á solo Deo quantum ad formem, qua informatur quæ est gratia; sed quantum ad substantiam actus est ex libero hominis arbitrio, et á Deo qui cooperatur in omnibus operibus et naturæ et voluntatis. Contritio igitur non solum est á Deo; sed etiam á libero arbitrio ejus qui conteritur.

Ad 1. Negatur consequentia. Quamvis enim possit tota pœna per contritionem dimitti, adhuc tamen est necessaria confessio et satisfactio, propter duo. Primo, quia homo non potest esse certus de sua contritione quod fuerit sufficiens ad tollendum totam pœnam. Secundo, quia confessio et satisfactio sunt in precepto, unde illud transgrederetur contritus, si non confiteretur et satisfaceret.

ARTICULUS II.

Utrum contritio sit actus virtutis.

Pro negativa. = Videtur, quod contritio non sit actus virtutis.

1. Dolor non est actus virtutis. Sed contritio est dolor. Ergo contritio non est actus virtutis.

Maior prob. Passiones non sunt actus virtutis. *Passionibus enim non laudamur, nec vituperamur*, ut dicitur 2.

Ethic. c. 5. Sed dolor est passio. Ergo dolor non est actus virtutis.

2. Attritio non est actus virtutis. Ergo nec contritio.

Consequetia prob., quia sicut contritio dicitur á terendo; ita et attritio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod est meritorium, est actus virtutis. Sed contritio est actus meritorius. Ergo contritio est actus virtutis.

Determinatio.

Conclusio. Contritio secundum quod de ea in præsenti est sermo, est actus virtutis pœnitentiæ.

Quæ conclusio declaratur prius quantum ad illa verba, secundum quod in præsenti de ea est sermo. Deinde probatur: contritio enim potest accipi dupliciter. Uno modo secundum proprietatem sui nominis; et sic non significat actum virtutis; sed potius quandam corporalem passionem: significat enim contritio, proprie accepta, comminutionem alicujus corporis dúri, ut art. præcedenti dictum est. Alio modo sumitur contritio, pro eo, ad quod significandum per similitudinem adaptatur; et sic significat remotionem induratæ voluntatis ab affectu peccati, cui firmiter et tenaciter inhærebat. Nunc non est sermo de contritione primo modo accepta; manifestum est enim quod corporalis passio actus virtutis nequaquam esse potest; sed est sermo de contritione secundo modo considerata.

Probatur conclusio. Detestatio voluntatis, qua peccatum est commissum, est actus virtutis. Sed contritio significat detestationem voluntatis, qua peccatum est commissum. Ergo contrito est actus virtutis, illius scilicet virtutis, cujus est peccatum præteritum destari et destruere, scilicet pœnitentiæ, ut dictum est supra quæst. 85.

Maior manifestatur: nam sicut inflatio propriæ voluntatis, ad malum faciendum importat (quantum est de se) malum ex genere; ita illius voluntatis annihilatio, et comminutio de se importat bonum ex genere. Illud igitur quod hanc detestationem significat, actus virtutis dici debet.

Minor patet ex his quæ in declaratione conclusionis dicta sunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad minorem probationis dicitur, quod in contritione est duplex dolor de peccato. Unus ex parte sensitiva. Alius est dolor in voluntate. Dolor qui est ex parte sensitiva, est passio; sed hic dolor non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis; sed magis est effectus ejus: sicut enim pœnitentia virtus exteriorem pœnam corpori infligit, ad recompensandam offensam quæ in Deum commissa est officio membrorum; ita etiam et ipsi concupiscibili pœnam infert doloris, quia etiam ipsa ad peccata cooperabatur. Potest tamen hic dolor ad contritionem pertinere, in quantum est pars sacramenti quia sacramenta, non solum in interioribus actibus; sed etiam in exterioribus et in rebus sensibilibus nata sunt esse. Dolor autem qui est in voluntate, qui nihil aliud est, quam displicentia alicujus mali, secundum quod affectus voluntatis nominantur per nomina passionum, est contritio per essentiam, et est actus virtutis pœnitentiæ, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi tam attritio, quam contritio á terendo dicantur; non tamen in spiritualibus idem significant, immo nec in corporalibus. Nam illa dicuntur in corporalibus attrita quæ aliquo modo comminuta sunt; sed non sunt adhuc perfecte comminuta. Contrita vero dicuntur quæ perfecte sunt comminuta. Ita in spiritualibus attritio significat quamdam displicentiam de peccatis commissis; sed non perfectam. Contritio autem significat displicentiam perfectam.

ARTICULUS III.

Utrum attritio possit fieri contritio.

Pro affirmativa.=Videtur, quod attritio possit fieri contritio.

1. Illud quod differt á contritione sicut informe á formato, potest fieri contritio. Sed attritio differt á contritione sicut informe á formato. Ergo attritio potest fieri contritio.

Minor prob., quia informe potest veri formatum, ut patet de fide quæ ex informi fit formata.

2. Illud quod se habet ad gratiam, ut materia ad formam, ex informi potest fieri formatum. Sed dolor se habet ad gratiam, sicut materia ad formam. Ergo dolor qui prius erat informis, culpa existente qui dolor dicitur attritio, remota culpa quæ est privatio gratiæ, recipiet perfectionem gratiæ, et tunc erit dolor qui est contritio.

Maior prob., quia materia recipit perfectionem remota privatione. Unde id quod se habet ad gratiam, ut materia ad formam, remota privatione culpæ fit formatum per gratiam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quorum principia sunt omnino diversa, unum eorum non potest fieri alterum. Sed principia attritionis et contritionis sunt omnino diversa. Ergo attritio non potest fieri contritio.

Minor prob., quia principium attritionis et timor servilis, contritionis vero timor filialis.

Determinatio.

Conclusio. Attritio non potest fieri contritio.

Probatur. Actus qui procedit ab habitu non informato charitate, non potest fieri actus qui procedit ab habitu informato charitate. Sed attritio est actus præcedens ab habitu non informato charitate: contritio vero procedit ab habitu informato charitate. Ergo attritio non potest fieri contritio.

Manifestatur maior: nam actus virtutum infusarum qui voluntatem respiciunt, non possunt esse sine charitate, ac per hoc non possunt esse informes. Nullus igitur actus procedens ab habitu non informato charitate, potest esse formatus, nec fieri ex informi formatus. Sicut in proposito, actus attritionis procedit á principio qui non informatur charitate, scilicet á timore servili; adveniente autem gratia, desinit ese timor servilis et succedit timor filialis; unde sicut non manet timor servilis cum gratia; sed transit, nam charitas mittit foras hunc timorem: ita nec ejus actus qui est attritio, manet; et ideo ille actus non potest formari, nec fieri contritio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem negatur assumptum; non enim omne informe potest fieri formatum. Aliqui enim habitus, sicut qui intellectum respiciunt, ut est habitus fidei, possunt fieri ex non formatis formati, nullus tamen actus fit ex informi formatus ratione dicta. Unde etsi habitus fidei fiat ex informi formatus, ille tamen numero actus fidei informis numquam fit formatus quia actus ille transit, et non manet, veniente charitate. Unde actus fidei formatæ sunt diversi ab actibus fidei informis. Isti enim eliciuntur ab habitu informi. Illi vero ab habitu jam per charitatem formato.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo quod maior est vera, quando prior materia manet; non est autem vera, quando prior illa materia quæ non erat formata tali forma, non manet, adveniente forma sed succedit alia materia. Tunc ad minorem dicitur, quod dolor informis non manet, adveniente gratia; sed succedit alter dolor, sicut est aliud doloris principium, ut dictum est in corpore.

Secundo dicitur, negando absolute maiorem. Ad probationem dicitur, quod est vera de materia proprie dicta quæ scilicet est purum formæ subjectum, ut est materia naturalis. Non autem de eo

quod est non purum subjectum. Materia enim propria dicta, quia non habet essentialiter originem á forma, potest informari aliqua forma de novo, qua prius non informabatur; actus autem qui in proposito dicitur materia gratiæ, habet originem ab habitu, á quo formatur. Unde si hujusmodi actus procedat á charitate, erit formatus, alioquin erit informis. Et sicut non potest procedere prius ab habitu informi, et postea ab habitu formato, cum res tantum semel in esse producatur; sequitur quod nullus actus possit fieri ex informi formatus.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 91.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem rejicias errorem *Petri Oxomensis*, ut est in suo libello tempore Sixti Papæ IV. examinato per deputatos. Vide summam Conciliorum circa vitam ejusdem dicentis: contritione sola sine proposito confitendi deleri peccata: sive, ut ad verbum ejus litteris utar, " peccata mortalia quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi delentur per solam contritionem cordis sine ordine ad claves. » Item Joannis Wicleff, ut refert Concilium Constantiense sess. 8. dicentis: si homo debite fuerit contritus: omnis confessio exterior est sibi superflua, et inutilis. Item Lutheri, ut refert Bulla Leonis X. dicentis: " verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cætero non facere, summa pœnitentia, optima pœnitentia, nova vita. » Lutherus ergo, ut hinc ex verbis ejus conjicitur, definisset contritionem sic; contritio est propositum de cætero non faciendi peccatum, novamque vitam vivendi. Per quam definitionem omnem vim, et usum satisfactionis tollunt novatores: ut ex Concil. Trid. sess. 14. cap. habetur. Item quorumdam, ut refert Concil. Senonense decretorum suorum cap. 17. dicentium, quod non licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ. Errorem hunc innuisse, vel innuere voluisse, videtur Lutherus. Præterquam quod pejora adjunxit, quod dixit: " contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, etc. facit hypocritam, immo magis peccatorem. » (Vide supra exam. 2. definitionis secundæ). Ideo et Lutherus per articulum hunc D. Thomæ potest rejici dicentem, quod contritio nascitur ex recordatione peccati, timore judicii, inter spem, et timorem. Contra hos enim omnes, ac similes errores movetur articulus præsens, ac illos egregie, ut semper, expugnat. Requiritur tamen hic, et alibi, á pio lectore, ut bene sciat applicare singula singulis. *Secundo* habes: quomodo per ejusdem articuli rationem ostendas, hos omnes merito damnari á sacris litteris Joan. 20. " Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. » Quasi dicat: nisi vos dimiseritis, non remittentur. Alioquin necessarium non esset sacramentum confessionis iis, qui mortale peccatum post baptismum incurrissent, cujus contrarium docet Synodus Tridentina sess. 14. can. 6. " Si quis negaverit, confessionem sacramentalem ad salutem necessariam esse, anathema sit. » Præmiserat autem eadem Synodus cano. 1. pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis. Item Eccles. 9. *Timor Domini expellit peccatum.* Item Luc. 1. " Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hoc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis; hunc timete. » Ecce. De timore servili apertissime loquitur Dominus: et per hunc timorem ter replicatum inducere nos conatur ad bonum. Ter, inquam, replicatum, primo ly ostendam, etc. timeatis, secundo ly ti-

mete eum, etc. tertio ita, etc. hunc timete. Item á Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. " docendum est, christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse á baptismali: eamque continere non modo cessationem á peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum, et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam et sacerdotalem absolutionem: itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur: sed pro poena temporali, quæ ut sacræ litteræ docent non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. » Ubi vides quod concilium culpæ remissionem cum poena æterna attribuit, non contritioni sine voto sacramentalis confessionis, sed contritioni habenti talem confessionem in voto; et hanc (juncta satisfactione) dicit esse poenitentiam seu dolorem, et contritionem christiani hominis. Nam idem Concilium eadem sess. cap. 3. dixerat: " Verum, etsi Christus pro omnibus mortuus est: non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. » Et cap. 7. " Nemo potest esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. » Et sess. 14. cap. 1. " Deus remedium vitæ contulit sacramentum videlicet poenitentiæ: quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. » Hæc omnia Concilium. Collige ergo secundum illud, quod, si nemo justificari potest sine communicatione passionis Christi sibi facta, et hæc communicatio per sacramentalem poenitentiam tantum lapsis post baptismum fit, quod inquam, contritio humana sine proposito sacramentalis confessionis non justificat hominem. Item á Conciliis, etc. damnari illos errores merito, quæ supra per articulum sparsim descripta fuere. Item á Concil. Senonensi decretorum suorum cap. 18. " Auctoritate itaque, qua fungimur, omnes in nostra provincia constitutos, qui tam impia dogmata ausu temerario assere, docere, scribere, præsumpserint, his scriptis sententia excommunicationis innodamus: necnon et illos, qui eis favorem, consilium, aut quovis modo auxilium fuerint impertiti. Sub eadem quoque poena omnibus nobis subditis inhibemus; ne Lutheri libros, sive Lutheranorum quorumcumque retinere præsumant, qui ad pestilentem doctrinam promovendam conscripti sunt. » Hæc ibi: ubi per impia dogmata intelligit etiam recensitos á se omnes errores capite præcedenti, s. 17. inter quos fuit error supra á nobis narratus ex eodem Concilio. Item á Concilio Constan. sess. 8. ubi damnans etiam errorem supra ex eodem á nobis relatum inter alios Wicleff positum ait. " Hos sancta synodus præfatos articulos 45. examinari fecit, et sæpius recenseri; quibus examinatis, fuit repertum, aliquos, et plures ex ipsis fuisse, et esse notorie hæreticos, et á sanctis Patribus reprobatos, alios non catholicos sed erroneos, alios scandalosos, et blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, et seditiosos: propterea Concilium pronunciat hæreticum Joannem Wicleff, ac memoriam ejusdem condemnat, et mandat exhumari ossa ejus et cremari. » Item á Papa Leone in Bulla contra errores Lutheri. " De eorumdem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu, ac omnium, et singulorum prædictorum (matura deliberatione præhabita.) auctoritate omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, et nostra præfatos omnes et singulos articulos, seu errores, tamquam (ut præmittitur) respective hæreticos, aut scandalosos aut falsos aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos et veritati catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis, rejectis, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus, et declaramus: inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub majoris excommunicationis latæ sententiæ poena: ne præfatos errorores, aut eorum aliquos, perversamque doctrinam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet publice, vel occulte, quovis quæsito colore, vel ingenio, tacite, vel expresse favere præsumat. » Hæc ibi, ubi inter 41. er-

rores ipsius sic damnatos habetur etiam ly verissimum est proverbium, etc. et ly contritio, quæ paratur per, etc. quæ supra retulimus. Item á Papa Sixto IV. per hoc, quod confirmavit ea, quæ acta sunt in congregatione sub Reverendiss. Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano circa libellum Petri Oxomensis; cujus confirmationis exemplar (ut ait Summa Conciliorum in vita Sixti IV.) habetur in bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, et alterutrum exemplar in monasterio sancti Vincentii instituti B. Dominici in urbe Placentina. Acta vero in prædicta congregatione per 52. viros doctos Magistros in Theologia, vel jure canonico, præsidente Reverendiss. Alfonso prædicto habente á Sixto eodem auctoritatem declarandi, ac definiendi omnes propositiones, et conclusiones falsas, erroneas, hæreticas, aut male sonantes, in libello Petri Oxomensis, sunt hæc. " Quia prævia multa disputatione, juramento solemni, et excommunicatione, de dicenda syncera veritate, votisque singulorum coram notario, et testibus in scriptum sigillatim redactis, Reverendiss. Dominus præfatus Archiepiscopus sedens pro tribunali protulit sententiam, quæ conclusiones novem (harum prima erat, quæ in principio appendicis posita est) tamquam hæreticas, erroneas, ac scandalosas, et male sonantes Apostolica, et primitiali auctoritate damnavit, ac damnandas decrevit: librumque illum comburendum judicavit, quem illico promotor fiscalis curiæ tradidit sæculari. Ad hæc Petrus ipse Oxomensis abjuravit prædictum errorem cum aliis, inter cætera concludens sic. Cognoscens veram fidem, anathematizo omnem hæresim, maxime eam, de qua hactenus sum infamatus, et consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, et Sedi Apostolicæ, et ore, ac corde confiteor Sacramenta Ecclesiæ, et illam fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa modernus auctoritate Apostolica, et Evangelica tenet, et per sancta Dei Evangelia omnes, qui contra hanc fidem venerint, cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pronuntio. » Item á Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. " Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua, conjunctus sit: quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. » Praemiserat autem in cap. 3. quod ad sacramentum poenitentiae requiruntur tres partes, scilicet contritio, confessio, satisfactio. Ecce quomodo ex Concilio, ultra damnatam haeresim, clare probatur contritionis prima definitio, et illa Gregorii, quatenus dicit eam esse debere cum spe. Item ab eodem ibidem. " Docet praeterea: etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Quid clarius contra de contritione sola se inaniter jactantes sine relatione ad sacramentalem confessionem sive ad claves datas Ecclesiae? *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per ejus rationem interimas errorem *Lutheri* dicentis: contritio quae paratur per discusionem, etc. supra articulo 1. facit magis peccatorem. Nam talis contritio quandoque pervenit ad perfectam displicentiam de peccato per hujusmodi discussionem, ponderationem, considerationem: et consequenter est actus virtutis: tantum abest, ut hominem hypocritam faciat, et magis peccatorem. Videtur autem Lutherus per hanc suam haeresim velle hominem ab omni bono impedire: et in omni malo confirmare. Nam principium boni post peccatum est contritio, et principium contritionis est communiter, ut inquit Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. ex timore poenarum, et metu gehennae; item ex recogitatione annorum in peccatis expensorum, ex consideratione turpitudinis peccati. Unde, qui tollere nititur, de medio causas contritionis communiter existentes, populos per hoc in omni malo detinere, et ab omni bono arcere, laborat: et consequenter tamquam diaboli miles infernum replere animabus hominum, ipsisque claudere vitam aeternam, satagit. Quae supradicta, ut melius intelligantur, sciendum, quod causae contritionis sunt multae, et omnes bonae. Prima est recogitatio peccatorum suorum, juxta illud Isa. 38. « Re-

cogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. » Secunda est confusio bona, et pudor, seu verecundia, ad cogitationem talem consequens. Confusibilia enim sunt peccata, maxime carnalia: et hujusmodi confusio est bona: juxta illud Rom. 6. " Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis: » Tertia est peccatorum fœditas, seu vilitas, maxime carnalium, quae ipsum peccatorem vilem faciunt, juxta illud Hierem. 2. " Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! » Id est tam vilis, ut vix effari, vel excogitare quis possit. Quarta est timor judicii extremi, sive particularis in extremo vitae cujusque, sive universalis in extremo mundi, vide supra art. 1. exam. 6. definitionis secundae. Nam utrumque est per se terribilissimum, et merito, maxime á peccatoribus secundum gradus delictorum propriorum formi dabilissimum, et ad pœnitentiam virtutem, idest contritionem communiter, ex Concil. Tridetin supra, inductivum. De utroque enim verificatur id 1. Pet. 4. *Justus vix salvabitur: impius autem, et peccator, ubi parebunt?* licet de judicio generali ad literam hoc dici videatur. Quinta consideratio tanti boni amissi, id est gratiae Dei, patriaeque cœlestis, et tanti mali acquisiti, idest undecumque crudelissimae captivitatis sub diabolo, de qua re dicitur ad peccatorem Hiere. 2. « Nihil habebis prosperum, perpetuaeque gehennae incursus, » juxta Apocalyp. 2. " Memento itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac. » Idest, memoratio profunda boni perditi, damnique acquisiti, inductio est ad pœnitentiam, idest ad contritionem, et ad faciendum opera bona. Sexta est spes, quae est triplex, de qua dixit supra art. 1. defin. 3. gradiens inter timorem, et spem. Hoc est. Spes veniae, qua per gratiam Dei peccata dimittuntur; spes gratiae cooperantis, qua adjuti bona operamur; spes gloriae, qua de bonis factis remuneramur. Praemissas omnes causas contritionis aufert Lutherus sua illa haeresi, ut patet per singula consideranti, et conferenti verba sua causis ipsis contritionis. Dissuadet siquidem per suam illam insaniam peccatorum recogitationem in amaritudine animae recogitationem fœditatis illorum, et consequenter bonam erubescentiam de illis: timorem divini judicii, dum amissionem aeternae beatitudinis, et gehennae incursum nostrae considerationi surripit, et spem salutis, dum peccatorum ipsorum detestationi se furtive opponit, hujusmodique dolorem ex his causis natum dicit non bonum, inutilem, non liberum, non voluntarium sed coactum, et, quod prius est, damnosum; utpote hypocritas, magisque peccatores constituentem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas; hanc Lutheranam haeresim justissime damnari á Papa Leone X. á Concilio Senonensi, á Concilio Tridentino, a, etc. ut supra art. 1. tam in appendice, quam extra. Item á sacris litteris Isa. 38. Roman. 6. Hierem. 2. 1. Pet. 4. Apocalyp. 2. ut nunc supra singillatim, causas contritionis annotando, posuimus. Dum enim scripturae hujusmodi causas præmissas contritionis, tamquam bonas, hominibus suadent, utique contritionem ex ipsis nascentem approbant: et consequenter hoc facto suo Lutherum eamdem contritionem sic ortam probris prosequentem condemnant, ostendentes, quod Lutherus cecidit in illum reprobum sensum, illiusque reprobi sensus poenam hanc: *Veh, qui dicitis bonum malum, et malum bonum. Tertio* habes: quomodo per rationem praemissas auctoritates Leonis, Conciliorum, Scripturarum, pro quanto contritionem insinuant virtutis actum esse, et intelligas, et declares, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Concil. Trident. numquam, cum de attritione loqueretur, dictum fuisse, quod attritio quandoque fiat contritio, licet dixerit, quod attritio disponit ad gratiam impetrandam in sacramento pœnitentiae. Aliud est enim disponere ad contritionem gratia informatam: aliud est converti in contritionem. Primum contingere innuit concilium, secundum vero non. Quod, ut manifestum fiat, ecce verba Concilii sess. 14. cap. 4. « Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, et sit cum spe veniae, declarat sancta synodus, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei ésse,

et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt et misericordiam á Domino impetrarunt.» Ex ly viam sibi ad justitiam parat, infer sic: via numquam potest fieri terminus; sed attritio est via ad contritionem justificatione vestitam, quae contritio, ut patet, est terminus, ergo attritio non potest fieri contritio. Tum ultra. De dispositione transitur ad habitum, et de via ad terminum. Ergo de attritione potest transiri ad contritionem, et consequenter de attrito potest quis fieri contritus. Confirmari et hoc potest, si esset opus, per exemplum: quod omnibus patet, albedinem numquam posse fieri nigredinem, licet album possit fieri nigrum. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SECUNDA,

DE OBJECTO CONTRITIONIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de objecto contritionis.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum debeat homo conteri de pœnis.

Secundo, utrum de peccato originali.

Tertio, utrum de omni actuali commisso.

Quarto, utrum de peccato actuali committendo.

Quinto, utrum de peccato alieno.

Sexto, utrum de singulis peccatis mortalibus.

ARTICULUS I.

Utrum homo debeat conteri de pœnis, et non solum de culpa?

Pro affirmativa.=Videtur quod homo debeat conteri, non solum de culpis, sed etiam de poenis.

1. Mortalitas hujus vitæ est pœna quædam. Sed homo debet conteri de mortalitate hujus vitæ. Ergo homo debet conteri, non solum de culpis, sed etiam de pœnis.

Minor prob., quia August. dicit in lib. de vera et falsa pœnit. cap. 14. quod nemo vitam æternam desiderat, nisi eam hujus vitæ mortalis pœniteat.

2. Privatio virtutis est quædam pœna. Sed *pœnitens, debet dolere de hoc quod virtute se privavit*, ut magister ex verbis August. in 4. sent. dist. 16. dicit: ergo contritio est dolor etiam de pœnis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ille qui pœnam tenet, non dolet de pœna. Sed pœnitens dicitur, quasi pœnam tenens. Ergo pœnitens non dolet de pœna: et sic contritio non est dolor de pœnis.

Maior prob., quia nullus tenet illud de quo dolet.

Determinatio.

Conclusio. De malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio.

Prob. illud quod importat alicujus duri et integri comminutionem, non potest esse de malo pœnæ; sed solum de malo culpæ. Sed contritio importat alicujus duri et integri comminutionem, ut dictum est art. 1. præced. quæst. Ergo contritio non potest esse de malo pœnæ sed solum de malo culpæ.

Maior manifestatur: quia integritas et durities invenitur in malo culpæ; voluntas enim quæ est causa mali culpæ in eo qui male agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cedit; et ideo hujus mali displicentia, contritio per similitudinem dicitur. Quæ similitudo non po-

test adaptari ad malum pœnæ, quia pœna non duritiem; sed diminutionem simpliciter dicit. Illud igitur quod hanc displicentiam importat, non est de malo pœnæ, sed solum de malo culpæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod de mortalitate vitæ, secundum August. debet esse pœnitentia, non ratione mortalitatis (nisi pœnitentia large dicatur omnis dolor) sed ratione peccatorum, ad quæ ex infirmitate hujus vitæ deducimur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ille dolor, quo quis dolet de amissione virtutis per peccatum, non est essentialiter ipsa contritio, sed principium ejus: sicut enim aliquis movetur ad appetendum aliquid propter bonum quod inde expectat: ita movetur ad dolendum de aliquo propter malum quod inde ei evenit.

ARTICULUS II.

Utrum contritio debeat esse de peccato originali?

Pro affirmativa.=Videtur quod contritio debeat esse de peccato originali.

1. De eo quod habet deformitatem sicut peccatum actuale, debet esse contritio. Sed peccatum originale habet deformitatem sicut peccatum actuale. Ergo de peccato originali debet esse contritio, sicut de peccato actuali.

Maior manifestatur: nam de peccato actuali conteri debemus, non ratione actus in quantum est ens quoddam, sed ratione deformitatis, quia actus secundum suam substantiam bonum quoddam est, et á Deo, non autem deformitas. De omni eo igitur quod habet deformitatem, debemus conteri.

2. De peccato per quod homo fuit á Deo aversus, debet esse contritio. Sed per peccatum originale fuit homo á Deo aversus. Ergo de peccato originali debet esse contritio.

Maior ostenditur: quia cuilibet debet displicere se fuisse á Deo aversum.

Minor prob., quia pœna peccati originalis fuit privatio divinæ visionis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Peccatum originale est contractum sine nostra voluntate. Ergo non requiritur quod per actum voluntatis, qui est contritio, ab eo purgemur.

Conseq. prob., quia medicina debet esse morbo proportionata.

Determinatio.

Conclusio. De peccato originali potest quidem esse displicentia, vel dolor, non autem contritio, propie loquendo.

Prob. Peccatum de quo est contritio, debet esse inductum ex nostra voluntate. Sed peccatum originale non est inductum ex nostra voluntate. Ergo de peccato originali non est proprie contritio.

Maior manifestatur: quia ut dictum est art. 1. præced. quæst. Contritio est dolor respiciens et quodammodo comminuens duritiem voluntatis, et ideo contritio de illis solis peccatis potest esse quæ ex duritie nostræ voluntatis proveniunt.

Minor patet, quia peccatum originale trahitur ex origine vitiatæ naturæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod contritio non est de peccato actuali ratione actus tantum; quia ex hoc non habet rationem mali, neque iterum ratione deformitatis tantum, quia deformitas de se non dicit rationem culpæ, sed quandoque importat pœnam. Debet autem de peccato esse contritio, in quantum, importat deformitatem ex actu voluntatis provenientem; quæ deformitas non invenitur in originali peccato, et ideo de eo non est contritio.

Ad 2. Negatur maior. Non enim de omni peccato, per quod homo fuit á Deo aversus, debet esse contritio; sed solum de eo, per quod fuit aversus est actu propriæ voluntatis.

ARTICULUS III.

Utrum de omni actuali peccato debeamus conteri?

Pro negativa. — Videtur, quod non de omni peccato debeamus conteri.

1. Quædam peccata per tristitiam committuntur, sicut accidia et invidia. Ergo medicina eorum non debet esse tristitia quæ est contritio; sed gaudium.

Conseq. prob., quia contraria contrariis curantur.

2. Quædam sunt peccata, de quibus cognitionem non habemus, sicut sunt peccata oblita. Ergo de eis non potest esse contritio.

Conseq. prob., quia contritio est actus voluntatis, qui non potest esse de eo quod cognitioni non subjacet.

3. Peccata de quibus debemus conteri, debent esse voluntaria. Sed quædam peccata non sunt voluntaria. Ergo de his peccatis non debemus conteri.

Maior prob., quia per voluntariam contritionem delentur illa quæ per voluntatem committuntur.

Minor prob., quia *ignorantia tollit voluntarium*, ut dicitur 3. Ethic. c. 1. Ergo peccata per ignorantiam commissa, non sunt voluntaria.

4. Peccata de quibus debemus conteri, per contritionem tolluntur. Sed quædam peccata actualia per contritionem non tolluntur. Ergo de quibusdam actualibus peccatis conteri non debemus.

Minor prob., quia peccata venialia post contritionis grâtiam remanent.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Peccatorum quorum est pœnitentia, est etiam contritio. Sed omnium actualium peccatorum est pœnitentia. Ergo omnium actualium peccatorum est etiam contritio.

Maior prob., quia pœnitentia non est nisi eorum peccatorum, de quibus est contritio.

Minor prob., quia pœnitentia est medicina omnium actualium peccatorum.

2. Illud quod ex necessitate requiritur ad justificationem, est de omnibus peccatis. Sed *contritio ex necessitate requiritur ad justificationem*, ut dictum est quæst. præced. art. 1. Ergo contritio est de omnibus peccatis.

Maior prob., quia ad justificationem requiritur remissio omnium peccatorum.

Determinatio.

Conclusio. Contritio est de omni actuali peccato.

Prob. de omni peccato procedente ex duritie nostræ voluntatis, debet esse contritio. Sed omne peccatum actuale procedit ex duritie nostræ voluntatis.

Ergo de omni actuali peccato debet esse contritio.

Maior patet ex dictis art. præced. in corpore.

Minor manifestatur: nam omnis actualis culpa ex hoc contingit quod voluntas nostra legi Dei non cedit, eam transgrediendo, vel omittendo, vel præter eam agendo. Et quia durum est quod habet potentiam, ut non facile patiatur; ideo in omni actuali peccato durities quædam est voluntatis. Unde si debeat curari, necessaria est contritio comminuens duritiem voluntatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod contritio non opponitur peccato ex parte ejus quod est materiale in ipso; sed ex ea parte, qua peccatum ex electione voluntatis, non sequentis imperium divinæ legis, procedit. In peccato enim invidiæ est tristitia de bono alterius, et est electio hujus tristitiæ per voluntatem non sequentem divinæ legis imperium. Contritio non opponitur tristitiæ; sed perversæ voluntati, hanc tristitiam contra divinam legem eligenti: et sic etiam curatio horum peccatorum fit per contraria, scilicet per actum voluntatis detestantis priorem malam electionem.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod

de aliquo potest esse oblivio dupliciter: uno modo ita quod totaliter á memoria exciderit; et tunc non potest aliquis illud inquirere: alio modo quod partim á memoria exciderit et partim maneat; sicut cum recolo, me aliquid audivisse in generali, sed nescio, quid in speciali; et tunc possum in memoria requirere illud, de quo in particulari non recordor. Et sic aliquod peccatum potest dici oblitum dupliciter; vel scilicet, ut in generali in memoria maneat; et tunc homo debet cogitare ad inveniendum peccatum, quia de quolibet peccato mortali tenetur homo specialiter confiteri. Si autem debita adhibita diligentia, de illo recordari non possit, sufficit de eo conteri, secundum quod in memoria tenetur; et tunc debet homo, non solum de peccato; sed etiam de ejus oblivione dolere quæ ex negligentia contigit. Vel peccatum á memoria omnino excidit; et tunc ex impotentia faciendi, excusatur peccator á debito, et sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit. Sed quando hæc impotentia tollitur, scilicet quando peccatum ad memoriam redit, tunc tenetur homo specialiter conteri. Sicut etiam pauper qui non potest solvere quod debet excusatur; et tamen, cum primo potuerit, tenetur.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod si ignorantia omnino tolleret voluntatem male agendi, excusaret et non esset actus factus per hujusmodi ignorantiam peccatum. Sed quandoque non totaliter tollit voluntatem; et tunc á toto non excusat; sed á tanto, et de peccato comisso, etiam cum tali ignorantia, debet conteri.

Ad 4. Negatur minor. Omnia enim peccata, de quibus conterimur, per contritionem tolluntur. Ad probationem dicitur, si venialia remanent, postquam per contritionem deleta sunt mortalia, est quia, non præcessit venialium contritio, et ideo non solum de peccato mortali; sed etiam de veniali contritio esse debet, et tunc et venialia et mortatia tolluntur.

ARTICULUS IV.

Utrum de peccatis futuris aliquis debeat conteri.

Pro affirmativa.—Videtur quod etiam de peccatis futuris aliquis debeat conteri.

1. Actus liberi arbitrii magis se extendit ad futura, quam ad præterita. Sed contritio est actus liberi arbitrii. Ergo contritio est de futuris peccatis.

Maior prob., quia *electio quæ est actus liberi arbitrii, est de contingentibus futuris*, ut dicitur 3. Ethic. c. 2.

2. Peccatum aggravatur ex affectu qui ipsum peccatum consequitur. Unde Hieronymus dicit quod « pœna Arrii « nondum est determinata: quia possi- « bile est, aliquos per ejus hæresim cor- « ruere, quibus corruentibus, ejus pœna « augetur. » Et similiter est de illo qui judicatur homicida, si lethaliter percusserit, etiam antequam percussus moriatur: sed in illo intervallo medio debet peccator conteri de peccato. Ergo non solum, ut habet quantitatem ex præterito actu, sed etiam secundum quod habet quantitatem ex futuro. Et sic contritio respicit non solum præteritum, sed etiam futurum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Pœnitentia semper respicit præterita. Sed contritio est pars pœnitentiæ. Ergo contritio semper respicit præterita, et sic non est de peccato futuro.

Determinatio.

Conclusio. Contritio secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit etiam peccatum futurum.

Prob. Actus virtutis moralis, cujus proprium objectum est peccatum commissum, secundum suam speciem respicit præteritum, et ex consequenti respicit futurum. Sed contritio est actus virtutis moralis, cujus proprium objec-

tum est peccatum commissum. Ergo contritio secundum suam speciem respicit peccatum præteritum, et ex consequenti futurum.

Maior manifestatur: præmittendo quod in omnibus motoribus et mobilibus ordinatis ita est quod motor inferior habet motum proprium, et in aliquo sequitur motum superioris motoris. Sicut patet in motu planetarum qui præter motus proprios qui sunt ab occidente in orientem, sequuntur motum primi orbis, qui est ab oriente in occidentem. In omnibus autem virtutibus moralibus, primus motor est ipsa prudentia quæ dicitur auriga virtutum, et ideo quælibet virtus moralis, cum motu proprio, habet aliquid de motu prudentiæ. Actus igitur virtutis moralis, cujus proprium objectum est peccatum commissum, est de præterito secundum suam speciem, quia ejus objectum proprium, á quo actus speciem habet, est preteritum: et de futuro ex consequenti, quia virtus moralis sequitur motum prudentiæ qui est in præteritum et in futurum. Et sic patet maior.

Minor prob., quia contritio est actus pœnitentiæ quæ est virtus moralis, et pars justitiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem quod lib. arbitrium dicitur esse de contingentibus futuris, secundum quod est de actibus, sed non secundum quod est de objectis actuum. Homo enim potest cogitare ex libero arbitrio de rebus præteritis et necessariis; ipse tamen cogitationis actus, secundum quod sub libero arbitrio cadit contingens, futurum est. Unde actus contritionis, secundum quod cadit sub lib. arb. futurum contingens est; sed proprium objectum ejus, de quo in præsenti quæritur, est præteritum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ille effectus consequens qui peccatum aggravat, jam in actu præcessit, sicut in causa; et ideo quando commissum est, totam suam quantitatem habuit, et ex effectu consequente, non accrescit ei aliquid, quoad culpæ rationem; quamvis accrescat, quoad pœnam accidentalem, secundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno, de pluribus malis ex suo peccato consecutis. Et sic loquitur Hieron. Et ideo non oportet quod contritio quæ est de culpa et non de pœna, sit de peccatis futuris.

ARTICULUS V.

Utrum homo debeat conteri de peccato alieno.

Pro affirmativa. — Videtur, quod homo debeat conteri de peccato alieno.

1. De peccatis alienis petitur indulgentia. Ergo de peccatis alienis debet homo conteri.

Antecedens prob., quia in Psalm. 18. dicitur: *ab alienis parce servo tuo.*

Conseq. prob., quia non petit aliquis indulgentiam, nisi de peccato, de quo contritus est.

2. Homo propter dilectionem sui ipsius debet dolere de peccatis propriis. Ergo etiam debet dolere, de peccatis alienis. Ergo debet conteri de peccatis aliorum. Prima consequentia prob., quia homo ex charitate debet diligere proximum sicut se ipsum. Secunda consequentia prob., quia contritio est dolor de peccatis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullum pœnitet, nisi de his quæ fecit. Ergo nullus conteritur, nisi de peccatis propriis quæ commissit.

Conseq. prob., quia contritio est actus virtutis pœnitentiæ.

Determinatio.

Conclusio. De alienis peccatis non est contritio.

Prob. Illud idem conteritur quod prius durum et integrum fuit. Ergo oportet quod contritio de peccato sit in eodem, in quo peccati durities præcessit. Et sic unusquisque conteritur tan-

tum de peccatis propriis, et non de alienis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod ab alienis peccatis sibi parci, Propheta precatur, in quantum ex consortio peccatorum aliquis per consensum, immunditiam aliquam contrahit, sicut scriptum est Psal. 17. *Cum perverso perverteris.*

Ad 2. Negatur secunda consequentia. De peccatis enim aliorum dolere quidem debemus, non tamen oportet quod de eis conteramur. Ad probationem dicitur, quod non omnis dolor de peccato præterito est contritio, ut patet ex dictis art. 2. Nam de peccato originali dolere debemus, et non conteri; et sicut etiam de pœna est dolor, non tamen contritio. Sic et dolor, quem habere debemus de peccatis aliorum, non est contritio, quia per talem dolorem non frangitur id quod prius durum erat, scilicet voluntas ejus, de cujus peccato dolemus.

ARTICULUS VI.

Utrum de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio.

Pro negativa. — Videtur quod non requiratur de singulis mortalibus contritio.

1. Motus contritionis in justificatione est in instanti. Ergo contritio non potest esse de singulis peccatis.

Conseq. prob., quia non potest homo in instanti singula peccata recogitare.

2. Contritio debet esse de peccatis, secundum quod avertunt á Deo. Ergo una contritio sufficit contra omnia peccata.

Anteced. prob., quia conversio ad creaturam sine aversione á Deo, contritionem non requirit.

Conseq. prob., quia omnia peccata mortalia in aversione conveniunt.

3. Unus baptismus delet originale et omnia mortalia. Ergo multo magis una generalis contritio omnia peccata mortalia delet.

Conseq. prob., quia plus conveniunt peccata mortalia adinvicem quam mortale et originale; cum illa omnia sint actualia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Diversorum morborum diversæ sunt medicinæ; *non enim sanat oculum quod sanat calcaneum*, ut Hieron. dicit, super illud Matth. 9. Hoc genus dæmoniorum, etc. Sed diversa peccata mortalia, sunt diversi morbi, contritio vero est medicina singularis contra unum peccatum. Ergo de singulis peccatis debet esse contritio.

2. Oportet singula mortalia confiteri. Ergo oportet de singulis conteri.

Conseq. prob., quia contritio explicatur per confessionem.

Determinatio.

Distinctio. Contritio potest dupliciter considerari. Uno modo quantum ad sui principium. Alio modo quantum ad sui terminum. Principium contritionis est cogitatio, qua quis cogitat de peccato, et dolet: etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis. Terminus autem contritionis est, quando dolor ille jam gratia informatur.

1.ª Conclusio. Contritio, quantum ad sui principium, oportet quod sit de singulis peccatis quæ quis in memoria habet.

Hæc conclusio remanet probata per argumenta pro affirmativa inducta.

2.ª Conclusio. Contritio, quantum ad sui terminum, sufficit quod sit una communis de omnibus peccatis commissis.

Probatur quia tunc motus contritionis agit in virtute omnium præcedentium dispositionum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod confirmat secundam conclusionem. Motus enim contritionis est in instanti, quantum ad sui

terminum, et tunc non est necesse singula peccata recogitare; sed sufficit ea prius recogitasse.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis omnia peccata mortalia conveniant in aversione, tamen differunt in causa et modo aversionis et quantitate elongationis á Deo; et hoc fit secundum diversitatem conversionis, et alias fusius dictum est 1. 2.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de baptismo, et de contritione propter duo. Primo, quia baptismus agit in virtute meriti Christi qui habuit infinitam virtutem, ad delendum omnia peccata; et propterea unus baptismus sufficit ad omnia peccata. In contritione autem cum merito Christi requiritur etiam actus noster; et ideo oportet quod singulis peccatis respondeat sigillatim actus contritionis; cum actus noster non habeat nisi finitam virtutem ad contritionem. Secundo, quia baptismus est spiritualis generatio; sed pœnitentia, quantum ad contritionem et alias sui partes, est spiritualis quædam sanatio per modum cujusdam alterationis. Patet autem in generatione corporali alicujus quæ est cum corruptione quod una generatione removentur omnia accidentia contraria rei generatæ quæ erant accidentia rei corruptæ. In alteratione autem removetur tantum unum accidens contrarium accidenti, ad quod terminatur alteratio. Et similiter unus baptismus delet omnia peccata, novam vitam inducendo: sed pœnitentia non delet omnia peccata, nisi ad singula feratur; et propterea oportet de singulis conteri. Ex quibus patet quid sit dicendum ad probationem consequentiæ: etsi enim peccata actualia magis conveniant, quam originale et actuale; tamen quia baptismus maioris est virtutis, quam contritio, ideo unus baptismus delet omnia peccata; contritio vero unius peccati non potest alia delere.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 92.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Florentino, quod contritio non est de poenis. Hoc autem tunc insinuatum fuit, quando in Decreto Eugenii IV. sacro illo approbante Concilio definita est contritio sic. " Cordis contritio est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccando de caetero. » Ecce definitio, et utique bona: cum sit á Papa cum Concilio data. Si bona: ergo non habet aliquid diminuti, sicut nec aliquid superflui, ut colligitur ex cap. de genere, libri Praedicabilium Porphyrii. Cum igitur non faciat mentionem de poenis, sed tantum de peccato, quoniam non dicit ly doleat de poenis, et de peccato, sed dicit ly doleat de peccato: sequitur apertissime, quod de intentione Concilii est, contritionem non esse de poenis. Alioquin, ut dictum est, definitio esset diminuta, quod est magnum, immo maximum inconveniens in definitionibus, cum hae sint claves ad aperiendum sine errore omnia alia. *Secundo* habes: quomodo per rationem dictum ipsum synodicum, pro quanto de poenis negat esse contritionem, intelligas, probes, ac defendas. Similem dedit definitionem Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. Vide supra quaest. 1. exam. primae definitionis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Concilio Florent. fuisse insinuatum, quod de peccato originali non sit contritio, et á scriptura sacra, quod de eodem originali potest esse dolor, et displicentia: primum insinuatum fuit

in Decreto Eugenii IV. sacro approbante Concilio Florentino, quando definivit contritionem sic: " Cordis contritio est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. » Cum itaque definitiones synodorum, maxime generalium, datæ de aliqua re firmiter tenendæ sint bonæ, et definitio bona secundum Phil. neque superflui, neque diminuti quicquam contineat, liquidissime patet, quod definitio hujusmodi synodica, neque superfluitatem aliquam, neque diminutionem continet. De peccato (inquit) commisso. Si ergo peccatum originale, ut originale non est ab isto puero illud habente commissum, patet, quod originale peccatum non est comprehensum per illam definitionem. Quod si non est per illas comprehensum, et nihil diminuti in eis invenitur, patet, quod non debet eis adjungi ly de peccato originali. Est ergo sufficienter posita illa definitio, ut jacet. Ergo secundum illam contritio non est de peccato originali; alioquin sufficiens, et consequenter bona non esset. Secundum in principio appendicis dictum insinuavit scriptura Act. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Per hanc enim poenitentiam non intelligit contritionem, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ: alioquin, antequam januam domus quis intraret, esset jam intra domum, cum sacramentum pœnitentiæ cum suis partibus omnibus sit intra domum, et baptismus sit janua omnium sacramentorum, atque ideo domus Ecclesiæ janua. Cum igitur impossibile sit, intra domum aliquem reperiri, antequam januam ingrediatur, dummodo non nisi per januam domus intrare possit, ut in proposito; impossibile relinquitur, quod per illam poenitentiam ante baptismum intelligatur contritio, quæ est pars sacramenti poenitentiæ. At inquies: reperietur tunc contritio, secundum suum nomen interpretata. Et hoc, inquam, est impossibile: quoniam contritio secundum suum nomen præsupponit peccatum ex duritie voluntatis contriti proveniens, quod non est verum de peccato originali. Adhuc instabis: quod hi, quibus loquebatur tunc Petrus, habebant etiam peccata actualia, de quibus utique poterat esse contritio, saltem secundum interpretationem nominis: et consequenter, quod per ly pœnitentiam, intelligere potest Petrus contritionem hoc modo interpretatam. Verum ad hoc respondetur, quod, si ad originale tantum respiciat illa pœnitentia, non potest dici contritio ratione jam dicta, si autem ad actualia referatur, dicetur quidem etiam contritio: sed hoc non militat contra supra posita, quæ de poenitentia respectu peccati originalis tantum formaliter loquuntur, etiam quod subjectum originalis haberet simul actualia. *Secundo* habes: quomodo per rationem et Concilii, et scripturarum, præmissa dicta, pro quanto de originali nolunt contritionem proprie esse, sed displicentiam, probes, atque defendas. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse á sacro Florentino Concilio insinuatum, quod de omni actuali peccato debemus conteri. Insinuatum vero tunc est hoc, quando in Decreto Eugenii IV. sacro approbante Concilio illo, definitum est, quod " contritio cordis est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso. » Dum enim nullum commissum peccatum excludit, omne includit. Hoc autem tanto magis verum est, quanto definitiones rerum intelliguntur universaliter, et indefinita propositio in talibus aequivalet universali; ut *habes á Philosopho in libris Posteriorum.* Nec obstat, quod in definitione solum mentio fiat de peccato commisso, quasi ex hoc quis velit inferre, quod solum de peccatis commissionis debeat esse contritio. Non obstat, inquam, hoc ; quia in plus est peccatum commissum, quam peccatum commissionis. Nam peccatum commissum dicitur omne peccatum quocumque modo patratum, sive ore, sive cordè, sive opere, sive omittendo, sive committendo, sive mortaliter, sive venialiter, deficiendo. Adeo, quod ly commissum peccatum dicitur tantum ad differentiam peccati originalis, quod, ut originale, non est commissum, sed contractum. Commissum itaque aequipollet huic, quod dico ex voluntate propria incursum. Quamvis ergo peccatum omissionis non sit commissionis, neque é contra; tamen peccatum omissionis, si contigerit incurri, dicetur vere peccatum commissum. Quis enim diceret, illud peccatum, cum jam ab aliquo in-

cursum, sit, esse omissum? Si namque ab isto omissum est, jam intelligi non potest, quod ab isto incursum sit. Confirmatur: quia laudabile est, quod ab aliquo peccatum sit omissum, et consequenter venit is laudandus, á quo omissum est, sicut é contra vituperabile est, quod opus bonum sit omissum, et consequenter is vituperandus est; á quo tale opus omissum fuit: oportet igitur, quod, si in concreto loquamur de peccato omissionis præterito, vocemus illud peccatum commissum, non autem peccatum omissum: alioquin derisui omnibus, tamquam ignorantes nimium, pateremus. Relinquitur ergo, quod in definitione contritionis, *Eugenius* cum Synodo per ly *de peccato commisso*, complectatur cujuscumque generis, etiam omissionis, actualia peccata. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissam Eugenii definitionem, in quantum de omni actuali vult contritionem posse fieri, probes, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, Concil. Flor. merito innuisse, quod contritio non est de peccatis futuris, sed cautio. Hoc autem insinuavit in Decreto Eugenius IV. sacro illo Concilio approbante, sic: "Contritio cordis est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero." Ubi clare vides, dolorem cadere super præteritum, et propositum, non autem dolorem, cadere super futurum peccatum. Propositum vero illud est, secundum Concilium, propositum non peccandi: hoc est, vitandi peccata sic, ut (si fieri possit) numquam de cætero peccetur. Ecce cautio, de qua in conclusione articuli. Ex quo sensu Concilii etiam melius intelligis illud conclusionis verbum, *cautio*, quod scilicet non sumitur pro quacumque minus diligenti cautione, sed pro cordetenus tam diligenti, ut (quantum compatiuntur infirmæ vires nostræ) sufficiens absque fraude sit ad non peccandum. Sic debet esse in proposito contriti præmissa cautio, et ex vero corde intenta, si, quantum est ex se, remissionem peccatorum assequi velit. *Est* (inquit littera) *cautio hæc pars prudentiæ*. Ex prudentia igitur textus intendit, te debere mensurare cautionem hanc, idest quantitatem hujus contritionis. Quasi dicat. Prudentia in cavendis offensis rationem habet, et quam maximam de persona, cujus offensam vitare proponit. Secundum enim altiorem, vel minus altam dignitatem, ipsius personæ, prudens mensurat majorem, vel minorem, intensiorem, vel remissiorem, diligentiorem, vel minus diligentem solicitudinem, qua cavenda sibi sit offensa ejusdem. Magis namque solicitabitur aliquis prudens ad cavendum offensam amici, quam non sic amici; nobilis, quam non sic nobilis; virtuosi, quam non sic virtuosi; domini, quam conservi; regis, quam ducis, etc. Cum igitur Deus, cujus offensa cavenda proponitur á contrito prudenti, sit dignitatis infinitæ, sequitur, quod littera, dum dixit, quod illa cautio est pars prudentiæ, insinuare voluit, quod eadem cautio debet esse, atque proponi fore quam diligentissima. *Secundo* habes: quomodo per rationem Concilii dictum, pro quanto de futuris cautionem innuit esse, non contritionem, probes, atque defendas. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, Concilium *Aquisgranense* merito insinuasse, quod contritio non est de peccatis alienis, sed solum dolor. Insinuavit vero istud cap. 36. sic "Atrociter arguuntur, qui peccantem non recipiunt, sed despiciunt, et spernunt: nec alterius delictum tamquam proprium ingemiscunt. De talibus per Esa. cap. 65. Dominus comminans dicit: qui dicunt, recede á me, ne appropries mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Inde est, quod et Apostolus omnibus omnia factus est, 1. Cor. 9. non imitatione erroris, sed miseratione compassionis, scilicet, ut ita vitia aliena fleret, quemadmodum, si tali et ipse implicaretur errore. Boni pastores populi debent peccata deflere, et totos se planctibus tradere, imitantes Jeremiam Prophetam dicentem, Jer. 9. Quis dabit aquam capiti meo, et oculis meis fontem lachrymarum, et plorabo die, ac nocte interfectos populi mei? Tamquam propria igitur delicta, plebis peccata sacerdos debet flere; sed affectu compatiendi, non actione commissi." Per ultimam autem verba concludentia á ly tamquam, etc. declarat ipsa synodus intentum suum in præ-

missis. Unde id, quod innuerat ante, quod scilicet recipere peccantem est alterius delictum, tamquam propium, ingemiscere; quod Apostolus ita vitia aliena flebat, quemadmodum, si et ipse tali implicaretur errore; hæc, inquam, ex ultimis recitatis á Concilio verbis intelliguntur adimplenda affectu compatiendi, non actione commissi. Hoc est: ly tamquam, ly quemadmodum, dicunt quamdam similitudinem juxta affectum importatam; non autem dicunt expressionem juxta actionem peccati consideratam: eo modo videlicet, quo de vero rege nos exprimere volentes condecentem suam majestatem, dicimus: ambulat, stat, sedet, judicat, etc. tamquam rex. Non enim tunc ly tamquam dicit similitudinem, sed veritatis expressionem. Ne igitur ly tamquam, ly quemadmodum, á Concilio præmissa intelligerentur ut rei expressiva, addidit ipsamet ultima verba, quibus patenter ostendit prudentibus, quod adverbia eadem á se prædicta similitudinem tantum significant in hoc loco. Cum itaque dicat Concilium, quod debent dolere de peccatis aliorum, tamquam de propriis, affectu compatiendi, non actione commissi, per hoc denotat, quod de peccatis aliorum dolere possumus, proprie loquendo, sed non conteri: quoniam dolor contritionis est de propriis actione commissi, et non tantum affectu compatiendi. Ex assignata igitur ratione, quomodo aliena sint propria flentium, et non propria, monstravit Concilium, se loqui de contritione, et dolore tantum, quibus divisim convenit illa duplex ratio assignata. Nam, ut tactum est, contritio est de peccatis propriis etiam actione commissi; ut probatio conclusionis cum notatione docuit; dolor vero solum est de propriis affectu solum compatiendi: et hoc est esse de alienis. Item ex eodem articulo habes per eamdem rationem, quomodo ostendas, á Concilio Lateran. sub Innocentio III. idem merito insinuatum fuisse tunc, quando dixit: *Omnis utriusque sexus, omnia sua peccata confiteatur*. Patet enim, quod de his debet esse contritio, de quibus est confessio. Cum ergo confessio nonnisi de peccatis suis, idest propriis, debeat juxta concilium fieri, jam pro comperto relinquitur, quod juxta idem concilium contritio de propriis tantum esse potest, nec per consequens de alienis, nisi, quatenus propria sunt, quis conteritur. *Secundo* habes: quomodo per ejusdem articuli rationem præmissorum conciliorum dicta, pro quanto contritionem de peccatis alienis innuunt non proprie dari, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Lutheri* dicentis. " Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis cogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et acquisitionem æternæ damnationis, facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem. » Pro quanto enim Lutherus hoc suo pestilenti dogmate, contritionem de singulis mortalibus peccatis abhorret fieri debere, ratione articuli præsentis exploditur. Hoc autem innuisse Lutherum, ibi patet, quoniam contritionem non vult parari á nobis per collectionem, per ponderationem multitudinis, per discussionem gravitatis, per cogitationem fœditatis peccatorum nostrorum. Hujusmodi enim collectionem, ponderationem, discussionem, cogitationem, fieri patet ab eo, qui de singulis peccatis singillatim conteritur: et consequenter patet, quod negare discussionem, collectionem, etc. peccatorum debere fieri, est, ac si expresse damnaretur is, qui singillatim de peccatis singulis contritionem habere studet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito hanc in sensu etiam prædicto reprobari á Leone X. in Bulla contra errores Martini Luthori, et ab, etc. ut sup. q. 1. ar. 1. et 2. Dum enim Leo contritionem laudabiliter fieri per discussionem per multitudinis, gravitatis, fœditatis ponderationem peccatorum, decernit, per hoc, contritionem singillatim de peccatis posse, et debere fieri, ac istis modis parari, definit. Vide supra quæst. et art. allegatis, ut perpendas, quam sit contra omnem, tum sacram scripturam, tum vitam bonam timore Dei bono subnixam, ista Lutheri phantastica illusio: et consequenter, quam sit ab omnibus his jure optimo damnata. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA TERTIA,

DE QUANTITATE CONTRITIONIS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de quantitate contritionis.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum contritio sit maior dolor qui esse possit in natura.

Secundo, utrum possit esse nimis magnus contritionis dolor.

Tertio, utrum debeat esse maior dolor de uno peccato quam de alio.

ARTICULUS I.

Utrum contritio sit maior dolor qui esse possit de natura.

Pro negativa. — Videtur quod contritio non sit maior dolor qui esse possit in natura.

1. Aliquæ læsiones magis sentiuntur, quam læsio peccati. Ergo contritio non est maximus dolor.

Anteced. prob., quia læsio vulneris magis sentitur, quam læsio peccati.

Conseq. prob., quia dolor est sensus læsionis, unde ibi est maior dolor, ubi læsio magis sentitur.

2. Contritus aliquando non emittit lachrymas corporales, quas tamen emittit pro morte amici, vel pro percutione, vel pro aliquo hujusmodi. Ergo contritio non est maximus dolor.

Conseq. prob., quia ex effecto sumimus judicium de causa. Effectus autem doloris sunt lachrymæ, unde dolor, ex quo non fluunt lachrymæ, minor erit, quam dolor ex quo lachrymæ fluunt.

3. Dolor qui multum habet de gaudio admixtum, non est maximus. Sed contritio multum habet admixtum de gaudio. Ergo contritio non est maximus dolor.

Maior prob., quia quanto aliquid habet de admixtione contrarii, tanto est minus intensum.

Minor prob., quia contritus gaudet de liberatione, de spe veniæ et de aliis hujusmodi.

4. Multa sunt quæ magis displicent contrito, quam peccata præterita. Ergo contritio non est maximus dolor.

Anteced. prob., quia contritus non vellet pœnam inferni sustinere potius, quam peccare. Nec iterum sustinuisse omnes pœnas temporales, aut etiam sustinere, alias pauci invenirentur contriti.

Conseq. prob., quia dolor contritionis displicentia quædam est.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, est maximus. Ergo dolor contritionis est maximus. Id quod supponitur, prob. quia *omnis dolor in amore fundatur*, ut dicit Augu. 14. de Civ. Dei cap. 3. et 7. 8. et 9.

2. Dolor de culpa excedit omnem alium dolorem. Contritio est dolor de culpa. Ergo contritio excedit omnem dolorem.

Maior prob. Dolor de maximo malo est maximus. Sed culpa est maximum malum: excedit enim malum pœnæ. Ergo dolor de culpa est maximus.

Determinatio.

Distinctio. In contritione est duplex dolor, ut dictum est qu. 91. art. 2. ad 1. Unus est in ipsa voluntate, qui nihil aliud est quam displicentia peccati. Alius est in parte sensitiva; et hic causatur ex dolore qui est in voluntate dupliciter. Vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum. Vel ex electione, secundum quod homo pœnitens, in se ipso hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat.

1.ª CONCLUSIO. Dolor contritionis, qui est in voluntate, excedit omnes alios dolores.

Prob. Dolor de malo quod avertit ab ultimo fine, est maximus. Sed dolor contritionis, qui est in voluntate, est de malo quod avertit ab ultimo fine, scilicet de peccato quod á Deo avertit, qui est ultimus finis. Ergo dolor contritionis qui est in voluntate, est maximus.

Maior prob. Dolor qui est de eo quod

avertit ab eo quod maxime placet, est maximus. Sed dolor de malo quod avertit ab ultimo fine, est de eo quod avertit ab eo quod maxime placet. Ergo est maximus.

Maior hujus prob., quia quantum aliquid placet, tantum contrarium displicet.

Minor hujus prob., quia propter ultimum finem omnia desiderantur.

2.ª Conclusio. Dolor contritionis, qui est in parte sensitiva, causatur ex dolore voluntatis propter necessitatem naturæ, non oportet quod sit maximus.

Prob. Quia vires inferiores vehementius moventur ab objectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium. Unde dolor qui in vires inferiores ex dolore virium superiorum redundat, non potest esse maximus; sed semper dolor, qui ex propriis objectis provenit, erit maior eo, qui aliunde in ipsas potentias redundat. Et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis vires inferiores sequuntur motum superiorum, et propter hoc maior dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsa redundat ex ratione. Et similiter maior dolor est, qui redundat ex ratione, de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Et ideo dolor, qui est in sensitiva parte, ex displicentia rationis proveniens de peccato, non est maior aliis doloribus, qui in ipsa sunt, provenientibus ex propriis objectis.

3.ª Conclusio. Dolor contritionis, qui est in parte sensitiva, voluntarie assumptus, non est maior aliis doloribus; qui sunt in parte sensitiva ex propriis objectis.

Manifestatur primo, quia affectus inferior non obedit superiori ad nutum, ut talis et tanta passio sequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior: secundo, quia passiones á ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam, quam mensuram, quandoque dolor qui est sine virtute in parte sensitiva non servat, sed excedit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod aliquæ læsiones magis sentiuntur sensu exteriori, quam læsio peccati; tamen sensu interiori magis sentitur læsio peccati, quam quæcumque alia corporalis læsio á sensu exteriori sentiatur, ut pote quæ avertit ab eo quod maxime placet, scilicet á Deo.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod lachrymæ magis ex dolore sensibili, quam ex dolore spirituali procedunt. Corporales enim immutationes mediate consequuntur ad passiones sensitivæ partis, et eis mediantibus, ad effectiones appetitivæ superioris; et inde est quod ex dolore sensibili, vel etiam sensibili vicino, magis et citius defluunt corporales lachrymæ, quam ex spirituali dolore contritionis.

Ad 3. Dicitur quod maior est vera de gaudio quod dolori contrariatur, non autem de gaudio quod dolori non contrariatur. Gaudium quod contritioni admiscetur, non contrariatur dolori ipsius contritionis, et ideo non minuit, sed auget displicentiam, secundum quod omnis operatio augetur per propiam delectationem, ut dicitur 10. Ethic. cap. 4. Sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam, melius addiscit: et sic etiam, qui gaudet de displicentia, vehementius displicentiam habet; potest tamen hujusmodi spirituale gaudium temperare dolorem, qui ex ratione redundat in sensitivam partem. Unde si in argumento de tali dolore sermo sit, conceditur totum. Ille enim dolor non est maximus, ut in secunda conclusione dictum est.

Ad 4. Negatur antecedens, nihil enim debet contrito magis displicere, quam culpa præterita, in quantum est offensa in Deum, licet aliqua, secundum specialem rationem, possint magis, quam culpa præterita displicere. Pro quo est con-

siderandum quod quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius. Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, in quantum est ei indigna, et ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum, quam seipsum diligere, ideo plus debet odire culpam in quantum et offensa Dei, quam in quantum est nociva sibi. Est autem nociva culpa peccanti, in quantum separat ipsum á Deo; et ex hac parte ipsa separatio á Deo quæ pœna quædam est, magis debet displicere; quam ipsa culpa, in quantum hoc nocumentum inducit: quia quod propter alterum oditur, minus quam illud alterum oditur. Sed hæc separatio minus oditur quam culpa, in quantum culpa est offensa in Deum. Inter pœnas autem, á malitia causatas, attenditur quidam ordo, secundum quantitatem nocumenti; et cum separatio á Deo sit maximum nocumentum, quo maximum bonum privatur, erit inter pœnas maxima. Est etiam alia quantitas malitiæ accidentalis, quam oportet in displicentia attendere secundum rationem præsentis et præteriti; quia quod præteritum est, jam non est. Unde præteritum habet minus rationem malitiæ et bonitatis, et inde est quod plus refugit homo sustinere aliquid mali in præsenti, vel in futuro, quam horreat de præterito. Unde nec aliqua passio animæ directe respondet præterito, sicut dolor respondet malo præsenti, et timor respondet malo futuro: et propter hoc de duobus malis præteritis illud magis abhorret animus, cujus maior effectus remanet in præsenti, vel timetur in futurum, etiamsi in præterito minus fuerit. Et quia effectus præcedentis culpæ non ita percipitur quandoque sicut effectus præteritæ pœnæ, tum quia culpa perfectius sanatur, quam quædam pœna tum quia defectus corporalis magis est manifestus, quam spiritualis; ideo homo etiam bene dispositus, quandoque in se percipit magis horrorem præcedentis pœnæ; quam præcedentis culpæ; quamvis magis esset paratus pati eamdem pœnam, quam committere eamdem culpam.

Est etiam considerandum in comparatione culpæ et pœnæ, quod quædam pœnæ habent inseparabiliter conjunctam Dei offensam, sicut separatio á Deo. Quædam vero addunt perpetuitatem, sicut pœna inferni. Unde pœna illa quæ offensam annexam habet, eodem modo cavenda est, sicut etiam culpa: sed illa quæ perpetuitatem addit, est fugienda simpliciter, magis quam culpa: si tamen ab eis separetur ratio offensæ, et consideretur tantum ratio pœnæ, minus habent de malitia quam culpa, in quantum est offensa Dei, et propter hoc minus debet displicere. Sciendum est etiam quod quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de eis tentandus est; quia homo non potest de facili affectus suos mensurare; et quandoque illud quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod est nobis magis notum. Et sic patet quod simpliciter loquendo, nihil debet magis, quam culpa displicere.

ARTICULUS II.

Utrum possit esse nimis magnus contritionis dolor?

Pro negativa. ⟹ Videtur quod non possit esse nimis magnus contritionis dolor.

1. Dolor contritionis si sit tantus quod mortem, vel corruptionem corporis inducat, non est nimius, sed laudabilis; Anselmus enim dicit in lib. medit. *Utinam sic impiguentur viscera animæ meæ ut medullæ corporis mei exiccentur.* Et August. dicit *se esse dignum, oculos suos excæcare plorando.* Ergo dolor contritionis non potest esse nimius.

Conseq. prob., quia nullus dolor potest esse immoderatior, quam ille qui proprium subjectum destruit.

2. Dolor qui procedit ex amore cha-

ritatis, non potest esse nimius. Sed dolor contritionis procedit ex amore charitatis. Ergo non potest esse nimius.

Maior prob., quia amor charitatis non est nimius.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Actus virtutis moralis potest esse nimius. Sed contritio est actus virtutis moralis, scilicet pœnitentiæ quæ est pars justitiæ. Ergo contritionis dolor potest esse nimius.

Maior prob., quia omnis virtus moralis corrumpitur per superabundantiam et defectum.

Determinatio.

1.ª CONCLUSIO. Contritio ex parte doloris, qui est in ratione, scilicet displicentiæ quo peccatum displicet, in quantum est offensa Dei, non potest esse nimia.

Prob. Quia amor charitatis, ex quo peccatorum dolor ortum habet, et ex cujus intentione recipit augmentum, non potest esse nimius.

2.ª CONCLUSIO. Contritio quantum ad sensibilem dolorem, potest esse nimia.

Manifestatur, quia etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia.

3.ª CONCLUSIO. In dolore contritionis, qui est in sensu, debet accipi pro regula et mensura conservatio subjecti, et bonæ habitudinis sufficientis ad ea quæ agenda incumbunt. Unde dolor contritionis non debet esse tam magnus, ut destruat subjectum dolentis et ejus bonam habitudinem, ne ea quæ incumbunt, agere valeat. Propter quod dicitur Roman. 12. *Rationabile obsequium vestrum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Anselm. desiderabat ex pinguedine devotionis medullas corporales exiccari non quantum ad humorem naturalem, sed quantum ad desideria et concupiscentias corporles. Aug. autem quamvis dignam se cognosceret amissione exteriorum oculorum propter peccatum, quia quilibet peccator, non solum æterna, sed etiam temporali morte dignus est: non tamen volebat sibi oculos eruere vel cæcare.

Ad 2. Jam dictum est quod procedit de dolore, qui est in ratione.

Ad argumentum pro affirmativa dicitur, quod procedit de dolore, qui est in parte sensitiva.

ARTICULUS III.

Utrum debeat esse maior dolor de uno peccato, quam de alio?

Pro negativa. — Videtur quod non debeat esse maior dolor de uno peccato quam de alio.

1. Hieron. collaudat Paulum de hoc quod *minima peccata, sicut magna plangebat.* Ergo non est magis dolendum de uno quam de alio.

2. Motus contritionis est subitus. Ergo contritio non debet esse maior de uno peccato, quam de alio.

Conseq. prob., quia non potest esse unus motus subitus intensior simul et remisior.

3. Omnia peccata conveniunt in aversione á Deo. Ergo de omnibus peccatis mortalibus æqualis debet esse contritio.

Anteced. prob., quia omnia peccata tollunt gratiam, qua anima Deo conjungitur.

Conseq. prob., quia de peccato præcipue est contritio, secundum quod á Deo avertit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In contritione commensurantur plagæ delictis. Ergo contritio magis debet esse de uno peccato, quam de alio.

Anteced. prob., quia contritio habet annexum propositum satisfaciendi.

Conseq. prob., quia Deut. 25. dicitur *secundum mensuram delicti, erit et plagarum modus.*

2. Homo debet vitare magis unum peccatum quam aliud. Ergo etiam magis debet dolere de uno, scilicet de graviori quam de alio scilicet minus gravi.

Determinatio.

Distinctio. De contritione dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod sigillatim singulis peccatis respondet: alio modo secundum quod est simul de omnibus peccatis, sicut est in actu justificationis.

1.ª Conclusio. Contritio, secundum quod sigillatim singulis peccatis respondet, quantum ad dolorem superioris affectus, requiritur quod de maiori peccato sit maior, quam de minori peccato.

Manifestatur. Maior est ratio doloris in maiori peccato, quam in alio. Ergo maior debet esse dolor de maiori peccato.

Anteced. prob., quia majus peccatum magis Deum offendit, ex magis enim inordinato actu, magis Deus offenditur.

2.ª Conclusio. Dolor contritionis, qui est in parte sensitiva, ex electione assumptus, est maior de maiori peccato.

Manifest. Quia pœna peccati debet esse maior de maiori peccato; culpæ enim maiori maior debetur pœna.

3.ª Conclusio. Dolor contritionis, secundum quod ex impresione superioris appetitus nascitur in inferiori, non est semper maior de uno peccato, quam de alio.

Manifestatur. Quia quantitas hujus doloris attenditur, non secundum quantitatem peccati, sed secundum dispositionem partis inferioris, ad recipiendam impressionem á superiori.

4.ª Conclusio. Contritio, secundum quod est simul de omnibus peccatis, est magis de uno, quam de alio.

Manifestatur. Quia hæc contritio, aut procedit ex consideratione singulorum peccatorum; et sic quamvis sit actus unus; tamen distinctio peccatorum virtute manet in ipso. Vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum, et sic etiam habitualiter est magis de uno, quam de alio.

AD ARGUMENTA.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod Paulus non laudatur de hoc quod de omnibus peccatis æqualiter doleret, sed laudatur quia de parvis peccatis, tantum ac si essent magna, dolebat per comparationem ad alios, qui de magnis peccatis, non tantum dolent, quantum de minoribus dolebat Paulus; qui tamen de peccato maiori magis doluisset.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod in illo contritionis motu subitaneo, quamvis actualiter distinctio intensionis respondens diversis peccatis inveniri non possit, tamen invenitur ibi eo modo: quo dictum est in corp. in ultima conclusione, scilicet virtualiter vel habitualiter. Invenitur etiam alio modo, scilicet secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud, de quo in illa contritione generali, contrito dolendum occurrit, scilicet ad offensam Dei. Qui enim aliquod totum appetit, vel diligit, etiam diligit partes ejus, quamvis non actu: et hoc modo, secundum quod habent ordinem ad totum, quasdam plus et quasdam minus. Sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit; plus tamen et minus, secundum eorum ordinem in bono communi. Et similiter, qui dolet de hoc quod Deum offendit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus et minus per ea Deum offendit.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod quamvis omnia peccata conveniant in hoc quod avertunt á Deo; tamen non conveniunt in gradu aversionis. Omne quidem mortale peccatum avertit á Deo et gratiam tollit; tamen quoddam plus, quam aliud elongat, in quantum maiorem habet dissonantiam ex sua inordinatione, ad ordinem divinæ bonitatis, quam aliud.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 93.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á scripturis insinuatum fuisse virtualiter, quod contritio est major dolor aliis. Sic autem insinuatum est hoc, quando horribile magis demonstrant esse peccatum, quam mortem ipsam, quæ tamen, juxta philosophum, est ultimum, idest maximum terribilium, et consequenter naturaliter maxime horribilis. Cum enim peccatum demonstratur esse magis, quam mors, horribile, demonstratur radicaliter profecto, quod magis fugiendum est peccatum, quam mors, et magis dolendum de eo, si quando commissum fuerit, quam de morte, et consequenter, quod vera contritio est maximus dolorum. Quod vero sit magis horribile peccatum, quam mors corporalis, demonstravit Hierem. 15. "Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? et 20. maledicta dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem, et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei.» Vide, quantum horret peccata, etiam quod sint aliorum: annunciabat enim Hieremias veritatem populo: et ex veritate annunciata sumebant aliqui de populo illo occasionem iræ, rixæ, discordiæ, persequendi Hieremiam, multaque alia peccata faciendi. Si ergo tantum exhorret aliorum iniquitates; quantum putas, exhorruisset proprias, si accidissent? Si tantum de alienis peccatis dolet, solummodo ad videndum: quantum per hoc notificat, de propriis esse per contritionem dolendum? Idem demonstravit sacra scriptura, 1. Macch. 2. "Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda, et in Hierusalem, et dixit Matathias. Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?» Licet autem loquatur Matathias, et sic extreme doleat de malis poenalibus, tamen etiam de malis culparum, et principaliter, ut per discursum capituli patere potest, et ibi c. 3. "melius est nos mori in bello: quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum.» Idem monstravit Matth. 26. *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Si hoc propter poenam inferni, quæ Judam manebat, dixit Dominus: multo magis propter peccatum traditionis á Juda patrandum. Nam propter ipsum peccatum incurrebat poenam inferni et *propter quod unumquodque, et illud magis*, ut ait Philosophus 1. posteriorum. Magis ergo dolendum de peccato, tamquam de magis horribili, quam de privatione ipsius esse, notificavit per hoc Christus. Idem, et adhuc ad litteram monstravit Daniel. 13. "Si hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.» Ecce, quod Susanna plus refugit offensam Dei, quam mortem ab hominibus illis senioribus intentatam. Quinimmo (quod mirum in modum præsenti proposito favet) mortem ipsam corporalem in comparatione peccati non audet vocare mortem: sed nomen hoc, tam hominum naturæ exosum, soli tunc peccato attribuit. Quasi ex ipsa loquendi phrasi dicat, quod mors corporalis, etiam violenta, etiam ignominiosa infamia comitata (ut sibi tunc per seniorum minas imminebat) non est, neque dici meretur, mors, si comparetur ad peccatum, etiam in occulto factum, etiam non divulgandum (ut sibi tunc pollicebantur senes). "Si, inquit, hæc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras;» scilicet. Quid est, si hoc egero? idest, si me cognosci á vobis consensero. Quid est, mors mihi est? idest peccatum mihi est. Quid est, si non egero, non effugiam manus vestras? idest, si á vobis cognosci noluero, mortem corporalem, secundum quod vos comminamini, non effugiam á manibus vestris mihi paratam. Unde id, quod prius dixit mors, post concludendo vocat, peccare in conspectu Domini, et id, quod antea dicit, non effugiam manus vestras, postea nominat, incidere in manus hominum. Relinquitur ergo, quod secundum intellectum verum divinæ scripturæ, sanumque palatum cordis probatarum personarum, mors violenta, et infamis corporea non est, nec reputatur mors,

comparando illam ad peccatum: et per consequens, quod quasi incomparabiliter peccatum est magis fugiendum, quam corporea mors, magisque de illo, si commissum fuerit, per contritionem dolendum, quam de ista. *Secundo* habes: quomodo per ejusdem rationem, præmissas scripturas, pro quanto contritionem dolorem dicunt esse maximum dolorum, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et quod contritio in ratione existens non potest esse nimia, et quod contritio in parte sensitiva potest esse nimia. Primum insinuatur Eccl. 34. " Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc. » Nam glorificare Deum quandoque sumitur in scripturis pro conteri de peccatis propriis, et ea confiteri: unde Josue 5. dicit ad Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere.* Hoc est. De peccato tuo propter amorem Dei contritionem habe, et ex contritione illa confessionem fac; sicut enim peccator, in quantum in se est, ignominiam, injuriamque affert Deo, quando peccat, ita gloriam affert ei, quando de peccato conteritur, et tantam, ut etiam Angeli in coelo de tali gloria data Deo á peccatore pœnitentiam agente gaudium magnum concipiant, Luc. 15. Unde, quanto magis, vel minus conteritur de peccato proprio, tanto magis vel minus gloriam affert Deo, seu glorificat Deum. Ex eo igitur, quod applicando eam etiam peccatoribus, ait scriptura: glorificate Deum, quantum potestis, seu quantumcumque potueritis, quoniam prævalebit adhuc, ostendit, quod non possumus tantum secundum rationem de peccato dolere, quantum Deus, qui per ipsum offensus est, dignus est, ut doleatur, eo videlicet modo, quo dicimus, Deum non posse á nobis diligi tantum, quantum diligibilis est, quamvis præceptum et de dilectione ejus, et de contritione istius, secundum quod nobis datum intelligitur, adimplere possimus. Quod si contritio in ratione existens posset esse nimia, non diceret scriptura de Deo, amore cujus conterimur, et prævalebit, seu supervalebit adhuc, idest dignitas Dei contritione quantalibet vestra erit major, tantum abest, ut contritio vestra possit esse nimia. Quasi ergo per illam auctoritatem, et specialiter de contritione, et universaliter de amore Dei quomodocumque intellectam sacra scriptura dicat: sicut dignitas Dei est major, quam, quod tantum á vobis diligi possit, quantum diligibilis est; et ideo amor, quo Deum amatis, non potest esse nimius; ita dignitas Dei est major, quam, quod de offensa ejus tantum dolere possitis, quantum ipse dignus est, ut de ea doleatur, et ideo contritio in superiori parte existens non potest esse nimia. Secundum, scilicet, quod contritio in parte sensitiva possit esse nimia, insinuatur 2. Cor. 2. " Consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. » Ecce timebat Apostolus, ne fornicarius ille Corinthius contritione sensus nimia afficeretur, vel in desperationem cadendo, vel pusillanimitatem quamdam, et melancoliam contrahendo, vel etiam mortem, aut ineptitudinem ad officia pro tempore necessaria incurrendo. Item idipsum insinuatur 1. Timoth. 5. " Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes infirmitates tuas. » Nisi enim contritio, seu afflictio sensus posset esse nimia: non diceret hoc Apostolus, maxime, quia hortabatur Timotheum ad custodiam castitatis, præmittendo, teipsum castum custodi: et quia sciebat, quod abstinere á vino, cum in eo sit luxuria, ad castitatis conservationem præsertim conducit. Ubi et ab eodem Apostolo vides insinuatum, quod nimietas afflictionis sensus attenditur penes destructionem subjecti, et bonæ valetudinis ad officia succumbentia (puta in proposito Timothei ad officia episcopalia). *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem præmissas scripturas, pro quanto contritionem rationis non nimiam, corporis autem nimiam dicunt posse esse, et declares, et probes, et defendas. Ex consequenti etiam intellectum sanum verborum Concilii Cabilonensis, et Parisiensis per eamdem rationem habes, ubi de contritione tum mentis, tum corporis loquuntur. Verba Cabilonensis cap. 34. sunt hæc: " Nullus sacerdotum unquam aut gratia, aut odio alicujus personæ, secus judicet, quam, quod in canonibus sacris invenerit: aut quod illi secundum sanctarum scripturarum auctoritatem, et ecclesias-

ticam consuetudinem, rectius visum fuerit. Si medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem, his, quos sanare cupiunt, cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt: multo magis idipsum his observandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est poenitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, et mortificatione corporis. » Verba Parisiensis lib. 1. cap. 46. hæc sunt. " Illis est confessio peccatorum facienda, á quibus subinde et modus poenitentiæ, et consilium salutis capiatur. Poenitentia porro non in multitudine annorum: sed potius in contritione cordis, et corporis est æstimanda. » Non sine causa factum putato, quod utrumque concilium, antequam ad poenitentiam ultimis verbis nominandam accedat, præmittit aut sacrorum canonum, aut sanctarum scripturarum auctoritatem, aut ecclesiasticam consuetudinem aut modum pœnitentiæ, aut consilium salutis. Nam per hoc denotare voluerunt, quod mortificatio, seu contritio, tum cordis, tum corporis, non sunt absolute absque consultatione præmissorum mensuranda, vel etiam ad se invicem uniformiter comparanda, quasi per suum ipsorum contextum dixerint contritione cordis, et corporis juxta mensuram á sanctis scripturis, vel á prædictis datam, mensurata æstimanda est poenitentia. Unde per hanc suam loquendi vigilantiam utrumque concilium implicite etiam insinuavit, quod cordis contritio non nimia, corporis autem nimia esse potest. Nam sanctarum scripturarum auctoritas, consiliumque salutis, penes quæ intelligi ultima verba sua, utrumque prænotat, hoc inter illas contritiones discrimen afferunt, ut supra in appendice hac monstratum fuit. *Tertio* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod contritio est plus de uno peccato, quam de alio. Hoc autem insinuatum est Deuter. 25. " Secundum mensuram peccati erit et plagarum modus, » et Psalm. 79: " Cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis, in lachrymis in mensura. » Vide quæst. 2. art. 6. Item insinuatum est idipsum á Concilio Triburiensi. cap. 5. 53. 57. 58. ubi pro gravitate peccatorum pœnitentias proportionatas diversimode statui. Patet autem omnibus, quod contritio inter poenitentias computatur: immo tamquam forma extrinsecarum pœnitentiarum juxta quam tantum, vel tantum valoris apud Deum habent, concurrit. Item insinuatum est idipsum á Concilio Laodicensi in sexta synodo confirmato, cap. 1. sic. " De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, etc. talibus pro qualitate, ac proportione delicti, poenitentiæ tempus tribuendum est. » Item á Papa Nicolao I. et recitatur in decretis 26. quæst. 7. De his, " verum, quia crimina non æqualia sunt etc. tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca, et tempora regionis illius, et modum culpæ, nec non et poenitentiam, et gemitus hominum ad confessionem venientium, præsens positus inspicere vales. » Ex his Nicolai verbis apparet: ipsum modo culparum velle modum gemituum correspondere. Item á Concil. Uvormatiensi c. 25. " Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio poenitentiæ decernantur. Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singulorum causas singillatim considerare, originem quoque, modumque culparum, et affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, et personarum, locorum quoque, et ætatum, qualitates inspicere: ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum, uniuscujusque delinquentis á sacris regulis oculos non reflectat. » Item cap. 28. " si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei poenitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commisseris. » Concilium ergo pro peccatorum qualitate contritionem debere proportionari insinuat, quando ipsam exteriorem á sacerdote poenitentiam proportionandam peccatis intimat. Nec enim exterior poenitentia magis, quam interior, necessaria est, nec de exteriori magis curat concilium, quam de interiori, sed per exteriorem declaratam, quid de interiori etiam, multoque magis, sit sentiendum, aperire intendit. Interior autem est cordis contritio, de qua præsens

articulus. *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem scripturarum. et conciliorum illorum dicta, pro quanto de uno peccato magis, quam de alio, innuunt contritionem esse debere, declares, probes, tuearis. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA QUARTA,

DE TEMPORE CONTRITIONIS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de tempore contritionis.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum tota vita hæc sit contritionis tempus.

Secundo, utrum expediat continue de peccato dolere.

Tertio, utrum post hanc vitam animæ de peccatis conterantur.

ARTICULUS I.

Utrum tota hac vita sit contritionis tempus.

Pro negativa.=Videtur quod non tota hæc vita sit contritionis tempus.

1. Pudor de peccato non debet durare per totam præsentem vitam. Ergo nec contritio quæ est dolor de peccato, debet durare per totam presentem vitam.

Anteced. prob., quia Amb. dicit lib. 2. de pœnit. c. 7. *Non habet quod erubescat, cui peccatum dimissum est.*

Conseq. prob., quia de peccato commisso est dolor et pudor.

2. In statu perfectæ charitatis non potest dolor contritionis manere. Sed in hac vita potest quis esse in statu perfectæ charitatis. Ergo non tota præsens vita est contritionis tempus.

Maior prob., quia dicitur 1. Joan 4. quod *perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet*; dolor autem etiam habet pœnam; unde ea ratione, qua perfecta charitas foras mittit timorem, eadem ratione expellit etiam quemcumque dolorem, ac per hoc dolorem contritionis.

3. Dolor est de malo præsenti, vel saltem de præterito quod secundum aliquid manet in præsenti. Sed quandoque pervenitur ad aliquem statum in hac vita, in quo nihil de peccato præterito manet, neque dispositio, neque culpa, neque reatus aliquis. Ergo in tali statu non est ulterius de peccato dolendum.

4. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut dicitur Rom. 8. Etiam peccata, ut Glos. ex August. lib. de corrept. et grat. cap. 2. dicit: ergo non oportet quod diligentes Deum post remissionem peccati, de ipso doleant.

5. Non oportet semper pro peccato satisfacere. Ergo nec oportet semper de peccato conteri.

Conseq. prob., quia contritio est pars pœnitentiæ, contra satisfactionem divisa.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Non oportet veniam peccatorum á Deo concessam perdere. Ergo oportet semper de peccato dolere.

Prob. conseq., quia si deficiat dolor de peccato præterito, perditur venia pro peccato concessa. Dicit enim Aug. in lib. de ver. et falsa pœnit. c. 13. « Ubi dolor finitur, deficit pœnitentia. « Ubi deficit pœnitentia, nihil relinquitur « de venia. »

2. Dicitur Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Ergo homo semper debet dolere, ad peccatorum propitiationem habendam.

Determinatio.

Distinctio. In contritione duplex est dolor, ut dictum est qu. præced. art. 1. in c. Unus est dolor rationis, qui est detestatio peccati á se commissi; alius

est dolor sensitivæ partis, qui ex dolore rationis consequitur.

1.° Conclusio. Contritionis tempus, quantum ad dolorem rationis, est totius vitæ præsentis status.

Prob. Per peccatum præteritum viæ nostræ cursus in Deum retardatur. Ergo contritionis tempus est totius præsentis vitæ status.

Antecedens prob., quia tempus illud in quo aliquis peccavit, erat deputatum ad currendum, et recuperari non potest.

Conseq. prob., quia quamdiu aliquis est in estatu viæ, detestatur incommoda, quibus á perventione ad terminum viæ retardatur vel impeditur.

2.ª Conclusio. Contritionis tempus, quantum ad dolorem, qui est in sensitiva parte, est totius præsentis vitæ status.

Prob. Homo peccando, pœnam æternam meruit; quia contra æternum Deum peccavit. Ergo debet (pœna æterna in temporalem mutata) saltem dolor in toto hominis æterno, idest in estatu hujus vitæ manere.

Et confirmatur ratio, quia propter hoc, Hugo de sanct. Vict. lib. sum. sent. tract. 5. cap. 11. dicit quod *Deus absolvens hominem á culpa, et pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de pudore et dolore. Erubescentia enim respicit peccatum, solum in quantum habet turpitudinem, et ideo postquam peccatum, quantum ad culpam dimissum est, non manet pudori locus. Manet autem locus dolori, quia dolor non solum est de culpa, in quantum habet turpitudinem, sed etiam in quantum habet nocumentum annexum. Unde ad prob. dicitur, quod de peccato est pudor et dolor, diversa tamen ratione.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod charitas foras mittit timorem, non quemcumque, sed solum eum qui sibi opponitur, idest timorem servilem, qui habet oppositionem ad charitatem ratione servilitatis. Dolor autem contritionis non opponitur charitati, immo ex ipsa charitate causatur, ut dictum est quæst. præced. art. 1. ad 3. Et ideo charitas, etiam perfecta, in hac vita manet, et simul stat cum dolore contritionis.

Ad 3. Negatur minor. Semper enim manet in eo, qui peccavit, aliquid de peccato præterito, et hoc est saltem innocentiæ pristinæ defectus; quamvis enim peccator per pœnitentiam redeat ad gratiam pristinam, et immunitatem á reatu pœnæ consequi possit: numquam tamen redit ad pristinam dignitatem innocentiæ.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod peccata cooperantur in bonum diligentibus Deum, non directe et per se, sed tantum occasionaliter. Sicut autem homo non debet facere mala ut veniant bona, ita non debet gaudere de malis; quia ex eis occasionaliter proveniunt bona, divina gratia, vel providentia agente: quia illorum bonorum causa non fuerunt peccata, sed magis fuerunt impedimenta, sed divina providentia illa bona causavit, et de ea debet homo gaudere; de peccatis autem dolere.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi satisfactio sit pars pœnitentiæ, sicut etiam contritio; tamen non est eadem utriusque ratio in proposito. Satisfactio enim attenditur secundum pœnam taxatam, quæ pro peccatis injungi debet, et ideo potest terminari, ut non oporteat ulterius satisfacere; et hoc quia satisfactio proportionatur culpæ ex parte conversionis, ex qua culpa finitatem habet. Dolor autem contritionis respondet culpæ, ex parte aversionis, ex qua habet quamdam infinitatem, et ideo contritio semper debet manere. Nec est in conveniens, si remoto poste-

riori, scilicet satisfactione, remaneat prius, idest contritionis dolor.

ARTICULUS II.

Utrum expediat continue de peccato dolere.

Pro negativa. = Videtur, quod non expediat continue de peccato dolere.

1. Expedit quandoque gaudere. Ergo non expedit continue de peccato dolere.

Anteced. prob., quia Glos. ordin. super illud ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper*, dicit quod *necessarium est gaudere.*

Conseq. prob., quia non est possibile simul gaudere et dolere.

2. Illud quod est de se malum et fugiendum, non est assumendum, nisi quatenus est necessarium, ut medicina ad aliquid, ut patet de ustione, et sectione vulneris. Sed tristitia de se est mala et fugienda. Unde dicitur Eccles. 30. *Tristitiam longe expelle á te*, et subditur causa; *multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* Quod etiam dicit Phil. in 7. Ethic. c. 13. et 14. Ergo non debet quis amplius dolere de peccato, nisi quatenus sufficit ad peccatum delendum. Sed statim post primam contritionis tristitiam peccatum deletum est. Ergo non expedit ulterius dolere.

3. Bernardus dicit: « dolor bonus est « si continuus non sit. Mel enim Absinthio est admiscendum. » Ergo non expedit quotidie dolere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit in lib. de ver. et de falsa pœnit. c. 13. *Semper doleat pœnitens, et de dolore gaudeat.*

2. Actus in quibus consistit beatitudo, expedit semper continuare, quantum possibile est. Sed in dolore de peccato consistit beatitudo: dicitur enim Matth. 5. Beati, qui lugent. Ergo expedit dolorem continuare, quantum est possibile.

Determinatio.

Distinctio. Dolor contritionis consideratur dupliciter. Uno modo, ut est displicentia peccati in appetitu rationali. Alio modo in quantum est dolor in parte sensitiva. Primo modo, est virtutis actus: secundo modo est passio quædam.

1.ª Conclusio. Expedit quod displicentia peccatorum, quæ est in appetitu rationali, sit continua, dummodo homo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet.

Prob. In actibus virtutum non potest esse superfluum, vel diminutum, ut 2. Ethic. c. 6. probatur. Sed contritio, quantum ad id quod est displicentia quædam in appetitu rationis, est actus virtutis pœnitentiæ. Ergo in displicentia contritionis, secundum quod est in appetitu rationis, non est superfluum, sicut nec quantum ad intentionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus unius virtutis impedire potest actum alterius magis necessarium pro tempore illo. Et sic patet quod quantumcumque homo continue in actibus hujus displicentiæ esse possit, melius est tamen ut actibus aliarum virtutum vacet suo tempore.

2.ª Conclusio. Dolor peccatorum, secundum quod est passio, debet esse moderatus, et quantum ad intensionem, et quantum ad durationem.

Manifestatur, quia passiones possunt habere superfluum et diminutum, et quantum ad intensionem, et quantum ad durationem. Et ideo sicut passio doloris, quam voluntas assumit, debet esse moderate intensa, ita debet moderate durare.

Et confirmatur. Hoc enim conveniens est, ne si nimis hujusmodi passio duret, homo in desperationem et pusillanimitatem, et hujusmodi vitia labatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod gaudium sæculi impeditur per dolorem contritionis, non autem gaudium quod de Deo est: quia hujusmodi gaudium habet ipsum dolorem contritionis.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod illud Eccles. de tristitia sæculi loquitur. Phil. autem loquitur de tristitia, quæ est passio; qua moderate utendum est, secundum quod expedit ad finem, ad quem assumitur.

Ad 3. Dicitur quod Bernardus loquitur de dolore, qui est passio: hic enim si sit continuus, bonus esse non potest.

ARTICULUS III.

Utrum etiam post hanc vitam animæ de peccatis conterantur.

Pro affirmativa. — Videtur, quod etiam post hanc vitam animæ de peccatis conterantur.

2. Post hanc vitam manet in animabus charitas, et quantum ad actum, et quantum ad habitum. Ergo manet etiam displicentia de peccato commisso, quæ displicentia essentialiter est contritio.

Anteced. prob., quia *charitas numquam excidit*, ut dicitur 1. Cor. 13.

Conseq. prob., quia amor charitatis displicentiam de peccato causat.

2. Animæ in purgatorio dolent de pœna sensibili et de dilatione gloriæ. Ergo multo magis dolent de culpa ab eis commissa.

Conseq. prob., quia, magis dolendum est de culpa, quam de pœna.

3. Pœna purgatorii est satisfactoria pro peccato. Ergo contritio manet post hanc vitam.

Conseq. prob., quia satisfactio habet efficatiam ex vi contritionis. Unde si animæ illæ satisfaciunt, conteruntur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sacramenta non manent post hanc vitam. Sed contritio est pars sacramenti pœnitentiæ. Ergo contritio non manet.

2. Contritio potest esse tanta, quod deleat et culpam et pœnam. Ergo si animæ in purgatorio conteri possent, vi contritionis earum posset reatus pœnæ eis dimitti, et ita per propriam contritionem, á pœna sensibili liberari, quod est falsum.

Determinatio.

Conclusio. Animæ post hanc vitam de peccatis non conteruntur.

Prob. Qui carent his quæ ad contritionis naturam pertinent, contritionem habere non possunt. Sed animæ post hanc vitam carent his quæ ad contritionis naturam pertinent. Ergo animæ post hanc vitam non conteruntur.

Minor manifestatur. Nam de ratione contritionis tria sunt, scilicet contritionis genus, quod est dolor. Contritionis forma, quæ est actus virtutis, gratia informatus. Et efficacia quæ est actus meritorius, et sacramentalis, et quodammodo satisfactorius. Animæ etiam separatæ sunt in triplici differentia. Nam quædam sunt in patria, quædam in purgatorio, et quædam in inferno.

Animæ quæ in patria sunt, contritionem habere non possunt; quia carent dolore, propter gaudii plenitudinem. Ille quæ sunt in inferno, carent contritione; quia etsi dolorem habeant, deficit tamen in eis gratia informans dolorem. Ille quæ in purgatorio sunt, habent dolorem de peccatis gratia informatum sed non meritorium; quia non sunt in statu merendi. Quæ tria in hac vita simul inveniri possunt, et sic patet quod nulla animarum separatarum conteri potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod charitas non causat istum dolorem, nisi in illis qui capaces sunt doloris. Et quia plenitudo gaudii in beatis omnem capacitatem doloris excludit, ideo, etsi charitatem habeant; tamen contritione carent.

Ad 2. Dicitur ad consequens, quod animæ in purgatorio existentes, dolent non solum de pœnis, sed etiam de peccatis; sed eorum dolor non est contritio, quia deest eis contritionis efficacia, cum

ille dolor non sit meritorius beatitudinis, eo quod non sint in statu merendi, ut dictum est in corp.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod pœna illa quam animæ in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit, sed largo modo dicitur satisfactio, debitæ pœnæ solutio.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 94.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem elidas errorem *Begardorum*, et *Beguinarum* (Prat. Begardi) dicentium: opera bona nulla debet facere homo, cum ad ultimum statum perfectionis venerit: et item, imperfecti hominis esse in operibus virtutum sese exercere. Hos errores, inquantum alios etiam malos sensus induerunt, sunt per D. Thom. rationem explosi, 1. par. qu. 102. art. 3. et append., in quantum vero contritionem per totum præsens tempus habendam dissuadent. (Contritio enim est actus virtutis, qu. 1. art. 2.) hoc in loco recitantur, et ab isto articulo expugnantur: ut consideranti etiam mediocriter patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores, pro quanto specialiter contritioni semper habendæ in hac vita detrahunt, damnari merito ab Eccles. 5. sic: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.* Ecce, quod scriptura monet nos ad propitiationem in toto tempore vitæ nostræ quærendam de peccatis: quam utique propitiationem, utique scit, inquiri solitam esse per contritionem. Quasi ergo dixerit. De peccatis commissis semper doleas, ut facilius propitiationem de illis, quam pro certo ex parte tui non scis te consecutum, possis obtinere. Cui potest abjungi illud prov. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Pro cujus intellectu Concilium Tridentinum accipiatur sess. 6. cap. 9. dicens: "Neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos: neminemque á peccatis absolvi, ac justificari; nisi eum, qui certo credat, se absolutum, et justificatum esse: atque hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici, quasi, qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum." Hæc ibi; et declaratam igitur auctoritatem ecclesiastici, et á mali sensus, contritionem per totum vitæ tempus non habendam garrientium, extorsione vendicatam hactenus habuisti. Item in principio dictos errores, per rationem ostendere potes, merito damnari á Concilio Trident. sess. 14. cap. 1. de doctrina sacramenti Extremæ-unctionis, sic dicente. "Visum est autem sanctæ synodo præcedenti doctrinæ de poenitentia adjungere ea, quæ sequuntur de sacramento Extremæ-unctionis: quod non modo poenitentiæ, sed totius christianæ vitæ, quæ perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est á Patribus." Perpetuam ergo poenitentiam debere esse totam vitam christianam, et consequenter totum præsens tempus esse tempus contritionis, in verbis præmissis dilucide patet. Transeo, quod illi errores Begardorum damnati sunt, ut jacent, á Concilio Viennensi inter alia eorumdem dicta erronea, quorum damnatio est in Clem. lib. tit. de hæret. cap. Ad nostrum. Vide 1. par. quæst. 102. art. 3. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædictas auctoritates, pro quanto totam hanc vitam esse contritionis tempus innuunt, probes, atque defendas. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum á scripturis, quod homo de peccato debet continue dolere. Hoc autem insinuatur á Psalm. 50. " Miserere mei, etc. quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. » Pro causa enim ad obtinendum misericordiam illam apte adducit David: quod contritionem continuam de proprio peccato cognito habebat. Nam peccatum illud non esset in bonum contra ipsum Psalmistam, nisi ipse de illo propter Deum doleret: quoniam aliter est contra suos auctores in malum. Quia ergo adducit hoc tamquam sibi in bonum, utpote medium ad impetrandam de ipso peccato veniam, ideo dicendum, quod per ly *peccatum meum contra me est semper* contritionem suam continuam insinuat, et consequenter, semper de peccato dolere, esse expediens. Item insinuatum á Hie. Thren. 2. « deduc quasi torrentem lachrymas per diem, et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. » Vide ibi capitulum: et hæc verba dici á Propheta principaliter invenies propter peccata, ob quæ tanta supplicia inibi descripta populo supervenerunt. Per hoc ergo, quod hortatur peccatorem ad deductionem lachymarum assiduarum, utpote per diem, ac noctem non quiescentium, aperte monstrat, quod continue dolere de peccato, expediens est. Item á Concilio Nicæno 2. actione 4. ubi dicitur: «Nicephorus sanctissimus episcopus Dirrhachii dixit: multis precibus opus habemus, multa enim mala fecimus, quin etiam continua pœnitentia, et confessione indigemus. » Audis pœnitentia continua nos indigere? Si hæc indigemus, ergo per hoc monstratur, quod semper de peccato dolere est expediens. Ex art. 1. appen. multum coadjuvaberis et viceversa. Item á Psal. 6. « laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, turbatus est á furore oculus meus. » Per has enim multas de contritione inculcationes assiduam de peccato displicentiam habendam expedienter innuit. Pro quo illud Chrysostomi in libro de compunctione cordis nota. « Quid (inquit) corporis viribus opus est, cum cor conterere debeamus? Hoc est, quod á nobis exposcitur, ut semper recordemur mala nostra, et ad animum revocemus, conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus Deo, ut gehennam ponamus in conspectibus nostris, et Angelos, qui in die judicii ubique discurrunt, et congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi sunt in gehennam ignis. Ponamus etiam et illud ante oculos, quanti doloris est, excludit ac projici á regno cœlorum, quod (ut mihi videtur) gravius est ipsa gehenna. » Quæ á Chrysost. dicta ante oculos nobis semper ad continuam cordis compunctionem habendam ponenda, videtur Psalmista uno verbo indicasse, de seipso, ad eumdem de contritione finem, verificari: quando suæ illi prædictæ sententiæ « (laboravi in gemitu meo, lavabo, etc. lachrymis, etc.) » anteposuerat ly « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. » Datur ergo intelligi ex Psalmo isto, juncta præsertim aurea declaratione præmissa, et continuitas contritionis salutifera, et ad hujusmodi continuitatem communiter assequendam aptissima via. *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem, suprapositas et sacræ scripturæ, et concilii auctoritates, pro quanto continuam expedientem dicunt esse contritionem intelligas, probes, defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse radicaliter á scripturis indicatum, post hanc vitam non dari contritionem. Insinuatum autem est hoc ab iis: quando merendi locum post hanc vitam esse negarunt, cum meritorius sit actus ipsa contritio. Indicatum est ergo illud á Christo Joann. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*, sc. meritorie. Huic loco pro expositione facit Augustinus dicens: « Hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam relevari possit quispiam, vel gravari. Nemo autem speret, quod hic neglexit, cum objerit; apud Deum promereri. » Hæc ille in Enchirid. c. 110. et Hieronymus super ad Galatas. « Tempus sementis, tempus est præsens, et vita, quam currimus. In hac licet nobis quod volumus, seminare. Cum ista vita transierit operandi tempus aufertur. Hæc ille. Et certe non possunt illa verba prædicta Christi aliter accipi, quam, quod post mor-

tem non sit tempus merendi. Cum enim ex sacris literis constet, quod defunctorum animæ prorsus otiosæ non sint, nihil namque otiosum datur in natura imo hæc illud abhorret, secundum Philosophum etiam, et dubitare nemo fidelis possit, quod Dominus in prædictis verbis, sicut et ubique, vera dixerit: de necessitate subinferendum relinquitur, quod de opere non quocumque, sed meritorio solum sit ibi locutus: « Venit nox, quando nemo potest operari.» Item ab Ecclesiast. c. 14. "Ante obitum tuum operare justitiam; quoniam non est apud inferos invenire cibum; quo," sc. ad meritum; refocilleris. Item Ecclesiast. 9. " Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos: quo tu properas. » Clarum est, quod ante mortem Christi erant sancti patres in limbo infra nos, et, quod in eis tunc erat aliquod opus, ratio, scientia, quod dico de pluribus illis, intellige proportionaliter de aliis defunctis: et tamen sic universaliter locuta est scriptura. Quid ergo per hujusmodi suum dictum intellexit, nisi, quod neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia in aliquo defunctorum sunt ad meritum: etiam quod absolute ibi sint? Opus ergo meritorium potest esse in hac vita: quoniam ad opus exhortamur nunc ex eo, quod non habitur postea opus tale. Et hoc bene pro semper notabis contra hæreses merita talia negantes. Hæc generatim de universis vita functis dicta sufficiant. Ceterum speciatim de beatis idipsum, quod sc. in eis non fit contritio, indicasse planius, et quasi á fortiori videtur Isa. cap. 54. his verbis: Noli timere: quia non confunderis, neque erubesces. Non enim te pudebit: quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te. » Quando autem magis homini in bonum dominabitur dominus, quam, dum erit in patria beatus? Item ab Apocal. 21. indicatur sic. « Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum et jam non erit ultra neque luctus neque clamor, neque dolor. » *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem predictas auctoritates, pro quanto aliqualiter non esse contritionem ostendunt post hanc vitam, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA QUINTA,

DE EFFECTU CONTRITIONIS. IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu contritionis.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum peccati remissio fit contritionis effectus.

Secundo, utrum contritio possit totaliter tollere reatum pœnæ.

Tertio, utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

ARTICULUS I.

Utrum peccati remissio sit contritionis effectus.

Pro negativa. ═Videtur, quod contritionis effectus non sit peccatorum remissio.

1. Solus Deus peccata remittit. Ergo contritio non est causa remissionis peccatorum.

Conseq prob., quia contritionis nos aliqualiter causa sumus, cum sit actus noster.

2. Actus virtutis non est causa remissionis peccatorum. Sed contritio est actus virtutis. Ergo contritio non est causa remissionis peccatorum.

Maior prob., quia virtus sequitur peccatorum remissionem; non enim virtus est in anima simul cum peccato.

3. Contritus ante confessionem non debet accedere ad eucharistiam. Ergo contritus nondum est consecutus remissionem peccatorum, ac per hoc contritio non est causa remissionis peccatorum.

Conseq. prob., quia nihil impedit á perceptione Eucharistiæ nisi culpa.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Glos. super illud Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, etc. dicit: *contritio cordis est sacrificium, in quo peccata solvuntur.*

2. Per inordinatum amorem cordis peccatum committitur. Ergo per dolorem, ex amore charitatis ordinato causatum, qui ad contritionem pertinet, peccatum solvitur.

Conseq. prob., quia virtus et vitium eisdem causis corrumpuntur et generantur, ut dicitur 2. Ethic. cap. 1. et 2.

Determinatio.

Distinctio. Contritio potest considerari dupliciter. Uno modo in quantum est pars sacramenti. Alio modo in quantum est actus virtutis.

CONCLUSIO. Contritio est causa remissionis peccatorum, ut est pars sacramenti pœnitentiæ, et ut est actus virtutis, diversimode tamen.

Hæc conclusio relinquitur probata per auctoritatem et rationem inductam pro affirmativa.

Declaratur autem, quantum ad ultimam particulam, ostendendo diversitatem modi, quo contritio, secundum duplicem dictam considerationem, sit causa remissionis peccatorum. Contritio enim in quantum est pars sacramenti, operatur primo ad remissionem peccatorum instrumentaliter, sicut et de aliis sacramentis supra dictum est, in quæst. 62. art. 1. In quantum autem contritio est actus virtutis, est quasi causa materialis remissionis peccatorum, eo quod dispositio sit quasi necessitans ad justificationem; dispositio autem disponens subjectum aliquod ad recuperandum aliquam formam, reducitur ad causam materialem, sicut dispositio agentis ad agendum reducitur ad causam effectivam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod solus Deus est causa efficiens principalis remissionis peccati, causa autem dispositiva potest esse etiam ex nobis: ex nobis etiam potest esse causa sacramentalis quia formæ sacramentorum sunt verba á nobis prolata, quæ habent virtutem instrumentalem inducendi gratiam, qua peccata remittuntur.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod remissio peccati aliquo modo præcedit virtutem et gratiæ infusionem; et alio modo sequitur ipsam: ut patet ex dictis, 1. 2. quæst. 113. art. 8. præcipue ad 1. et 2. In justificatione enim, ex parte Dei moventis, ordine naturæ, consecutio justitiæ præcedit remissionem culpæ: ex parte vero hominis justificati, remissio culpæ præcedit consecutionem justitiæ. Secundum igitur hoc quod consecutio justitiæ præcedit remissionem culpæ, actus elicitus á virtute potest esse causa remissionis culpæ.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod quia dispensatio Eucharistiæ pertinet ad ministros Ecclesiæ, ideo culpa non solum debet esse remissa á Deo per contritionem; sed etiam per ministerium ministrorum. Ideo ad Eucharistiam non admittitur aliquis, nisi sit per ministros Ecclesiæ á peccatis absolutus.

ARTICULUS II.

Utrum contritio possit totaliter tollere reatum pœnæ.

Pro negativa.=Videtur quod contritio non possit totaliter tollere reatum pœnæ.

1. Nullus ita perfecte conteritur quin oporteat eum confiteri et satisfacere. Ergo nunquam est tanta contritio, quod deleat totum reatum.

Conseq. prob., quia confessio et satisfactio ordinantur ad liberationem á reatu pœnæ.

2. Per contritionem non potest recompensari pœna, quæ debetur culpæ, quæ commissa fuit per membra corpo-

ris. Ergo contritio non potest tollere totaliter reatum pœnæ.

Antecedens prob.. quia ad debitam pœnæ compensationem oportet ut per ea per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur. Contritio autem est actus interior animæ.

Conseq. prob., quia in pœnitentia oportet esse quamdam recompensationem pœnæ ad culpam.

3. Dolor contritionis est finitus. Ergo nullo modo potest esse tanta contritio, quod totam pœnam deleat.

Conseq. prob., quia peccato mortali debetur infinita pœna.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Per exteriores actus absolvitur homo á pœna et á culpa. Ergo etiam per cordis affectum, qui est contritio.

Conseq. prob., quia Deus plus cordis affectum acceptat, quam exteriorem actum.

2. Hujus exemplum de latrone habetur, cui dictum est, *hodie mecum eris in paradiso*, propter unicum pœnitentiæ actum.

Determinatio.

Sensus quæsiti.

Hic non quæritur, an contritio semper tollat non solum culpam, sed totum pœnæ reatum. Hoc enim superius qu. 86. art. 4. quæsitum est de pœnitentia ubi ostensum est, quod remissa culpa, potest remanere reatus temporalis poenæ. Sed quæritur tantum: an per solam contritionem possit omnis culpæ reatus tolli.

Distinctio. Intensio contritionis potest attendi dupliciter: uno modo, ex parte charitatis, quæ displicentiam peccatorum causat. Alio modo, ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat.

CONCLUSIO. Contritio, et ex parte charitatis, et ex parte sensibilis doloris potest totaliter tollere reatum poenæ.

Prob. prima pars, quia contingit tantum intendi charitatem in actu quod contritio inde sequens, merebitur, non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena. Altera pars prob. quia dolor ille sensibilis, quem voluntas in contritione excitat, qui est etiam poena quædam, tantum potest intendi quod sufficiet ad deletionem culpæ et poenæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod necessitas confitendi et satisfaciendi, non est ex hoc quod contritio non possit esse sufficiens ad delendum omnem poenam sed ex hoc quod aliquis non potest esse certus quod sua contritio sit sufficiens ad delendum omnem poenæ reatum: et ideo tenetur confiteri et satisfacere, maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum; quod debet ad effectum reduci, etiam propter præceptum quod est de confessione datum.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod sicut gaudium interius redundat etiam in exteriores corporis partes, ita etiam dolor interior ad exteriora membra derivatur. Unde dicitur Prov. 17. *Spiritus tristis excitat ossa.*

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod dolor contritionis, quamvis sit finitus quantum ad intensionem, sicut etiam hoc modo finita est poena, peccato mortali debita; habet tamen infinitam virtutem ex charitate, qua informatur: et secundum hoc, dolor contritionis potest valere ad remissionem culpæ et poenæ.

ARTICULUS III.

Utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

Pro negativa.=Videtur quod parva contritio non sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

1. Corporalis medicina, quæ sanat corporalem morbum minorem, non sufficit ad sanandum maiorem. Ergo mini-

ma contritio non sufficit ad remissionem magnorum peccatorum.

Conseq. prob., quia contritio est medicina peccati.

2. Oportet de maioribus peccatis magis conteri. Ergo minima contritio non delet omnia peccata.

Conseq. prob., quia contritio non delet peccatum, nisi sit secundum quod oportet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem. Sed quælibet contritio est gratia gratum faciente informata. Ergo quælibet contritio, quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.

Maior prob., quia culpa mortalis non potest stare cum gratia gratum faciente.

Determinatio.

Conclusio. Quantumcumque parvus sit dolor pro peccatis, dummodo ad rationem contritionis sufficiat, delet omnem culpam.

Manifestatur. Nam contritio habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est displicentia peccati commisi, et hic potest esse adeo parvus quod non sufficiet ad rationem contritionis; ut esset si minus displiceret alicui peccatum, quam debeat displicere separatio á fine. Sicut etiam amor potest esse ita remissus quod non sufficiat ad rationem charitatis. Si tamen hujusmodi dolor tantus sit quod ad rationem contritionis perveniat, omnem culpam delere potest.

Alium dolorem habet contritio in sensu; et parvitas hujus doloris non impedit rationem contritionis; quia hujusmodi dolor non se habet per se ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adjungitur; et iterum iste dolor non est in potestate nostra. Unde sive dolor hic sit magnus, sive parvus, dummodo contritionis rationem attingat, omnia peccata per ipsum delentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de medicina corporali et spirituali; medicina enim corporalis habet virtutem finitam et limitatam; et ideo parva medicina magnam infirmitatem non tollit: medicinæ autem spirituales habent efficaciam infinitam ex virtute infinita, quæ in eis operatur: et ideo illa medicina, quæ sufficit ad curationem parvi peccati, sufficit etiam ad curationem magni. Sicut patet de baptismo, quo magna et parva peccata solvuntur. Et simile est de dolore contritionis, dummodo ad rationem contritionis pertingat.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod dolor contritionis, si ad rationem attingat, delet omnia peccata, ut dictum est; tamen unus, et idem homo magis de maiori peccato debet dolere, quam de minori; unde si aliquis homo habet plura peccata et magna et parva, magis quidem de magnis debet dolere tamen si aliquis alius tantum doleat de suis peccatis magnis, quantum ipse dolet de parvis, dummodo dolor contritionis rationem attingat, ille parvus dolor et magna et parva peccata et delet.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 95.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem explodas hæresim *Lutheri* (ut refert *Leo* X. in bulla contra ejusdem errores) dicentis: « Propter tuam contritionem nullo modo confidas absolvi, sed propter verbum Christi. Quodcumque solveris, etc.

Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quicquid sit de contritione. *Item ejusdem ibidem*: Si per impossibile confessus non esset contritus, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. » Item errorem ejusdem ibidem, qui referri ad hoc videtur quod contritio non remittat peccatum, et est hic: « nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere. » *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, omnes hos errores damnari merito ab eodem *Leone* in eadem bulla: cuyus damnationis verbalem tenorem videre potes relatum in 3. par. quæst. 68. art. 9. in Elucid. Item á Conc. 3. sess. 14. can. 4. quod, postquam definivit contritionem modo, quo supra quæst. 1. art. 1. relatum est, é vestigio subdit: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam: veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remisionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. *Hæc ibi*; *et infra*: Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominem quidem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Ubi loquitur de sacramento pœnitentiæ: et contritionis motum expresse dicit ad remissionem peccati esse necessarium (ut vides) et contritionem perfectam reconciliare Deo, quamvis non sine incluso voto sacramenti, ut etiam D. Thomas docuit qu. 1. art. 1. in principio illius sess. ait, quod definitionem hanc de pœnitentiæ sacramento christianis omnibus perpetuo servandam proponit. Item á Psal. 31. « Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Dixi » : Ecce contritio. *confitebor:* Ecce confessio, *remisisti*: Ecce remissio. Correspondet *remisisti* non al ly *confitebor*, sed ad ly *dixi*, cum utrumque sit præteriti temporis; ut per hoc aperte significet, quod contritionis effectus est remissio peccati; etiam, antequam confiteatur quis actu, modo in voto confessionem contritio includat. Item ab Ezech. 18. " considerans impius, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur. „ Ubi et per totum fere capitulum, et in cap. 33. per Ezech. Dominus monstrat; quod contritio, quæ necessaria perfecte includit, quæst. 1. art. 1. remittit peccata. Si vis, Roffensem contra errores prædictos Lutheri art. 11. 12. 14. eleganter differentem consule. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissas scripturas, pro quanto contritionis effectum dicunt remissionem peccatorum, intelligas, probes, atque defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas ad corroborandum, sc. non concilium ipsum, cum nostra corroboracione sit majus, sed (citra tamen ullum omnino interpretationis, commentarii glossæ, annotationis, scholii, genus, super decretis ipsius Concilii quoquumque modo, nomine, aut quæsito colore, editum) ad corroborandum fideles, eosque consolandum, et ad confundendum infideles. (Id, quod, professionem quandam, atque protestationem in omnibus, singulisque obedientialem erga Concilium maxime Trident. et hic, et ubique sub quocumque tenore quorumcumque scriptorum meorum semper esse, ac intelligi debere, prorsus intendo: ne quando, quod Deus avertat, contra præceptum Pii. V in Bulla super confirmationem ejusdem Concilii egissem, vel agerem) per rationem, inquam ostendas; merito á Con. Trid. insinuatum esse, quod contritio tollit quandoque totam poenam, sess. 6. ca. 14. " Itemque satisfactionem non quidem pro poena æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur; sed pro poena temporali: quæ, ut sacræ literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur. " Ecce, quod sacramenti voto, quod complectitur contritio, qu. 1. art. 1. dimittitur tota paena, quamvis non semper, ut in baptismo fit. Et ab eod. sess. ead. can. 30. " siquis, post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti culpam remitti, et reatum æternæ poenæ deleri dixerit, ita, ut nullus remaneat reatus poenæ temporalis ex-

solvendæ: anathema sit. " Ecce, quod non cuilibet, sed alicui tantum aliquando, per contritionem pœnitenti dimittitur totus reatus pœnæ temporalis, de qua sola articulus præsens loquitur. Et ab eodem sess. 14. ca. 8. " Sancta Synodus declarat; falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum: culpam á Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur, etc. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel á peccati, et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare, non formidaverint. Et can. 12. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper á Deo, anathema sit. Et can. 15. Si quis dixerit: fictionem esse, quod, virtute clavium sublata pœna æterna, temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema sit. " Ecce, quod in tot locis aperte innuitur, pœnam temporalem quandoque, sed non semper, per pœnitentiam deleri, seu per contritionem, cum ante sacramentum pœnitentiæ actu susceptum sæpe remissio peccatorum fiat ut supra ex eodem Concil. quæst. 5. a. 1. append. Item á Luc. 7. ubi contritio B. Mariæ Magdalenæ narratur, quæ ad remissionem etiam totius pœnæ secundum communem Doctorum expositionem valuit. Item ab eodem Luc. 23. ubi, narrata contritione latronis subdit ei á Christo dictum: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cum ergo in Paradisum non intret aliquid coinquinatum, Apocal. 21. neque aliquid non totaliter á pœnis debitis purgatum, Concil. Florent. sess. ult. in lit. sanct. union. evidentissimum relinquitur, quod contritio ipsa Latronis totam purgatorii pœnam sibi alias, si communem solum contritionem habuisset, debitam, delevit. *Secundo* habes: quomodo prædictas auctoritates Evangelicas, pro quanto pœnam totam innuunt quandoque contritione deleri, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á sacris literis esse insinuatum, quod parva contritio formata est suffciens ad deletionem magnorum peccatorum. Hoc autem insinuatum est 1. « Pet. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum, et Prov. 10. Universa delicta operit charitas. » Non enim tantam, vel tantam charitatem dicunt scripturæ operire multitudinem peccatorum: sed simpliciter charitatem. Ac si dicant per hoc: Charitas secundum naturam suam, ex consequenti, sive parva, sive magna fuerit, operit et multitudinem, et universitatem delictorum. Et re vera id, quod convenit alicui secundum ipsius naturam, convenit illi, sive parvo, sive magno. Quia enim habere animam rationalem convenit homini secundum naturam ipsius hominis: ideo homo, sive mas, sive fœmina, sive parvus, sive magnus, habet animam rationalem. Quoniam igitur operire quæcumque peccata convenit charitati secundum naturam charitatis, ut intendunt scripturæ supra adductæ, ideo secundum illas dicendum est, quod parva etiam charitas sufficit ad deletionem magnorum delictorum, nec tantum aliquorum, sed universorum. Quod enim dicit Petrus, *multitudinem peccatorum*; hoc vocat liber Proverbiorum, *universa delicta;* ita, quod accipit ly multitudinem, non ut includendo aliqua excludat quædam alia: sed, ut omnia indifferenter, in quantacumque multitudine sint, includat. Cum itaque contritio non nisi ex virtute charitatis operiat, idest deleat peccata; sequitur manifeste, quod á scripturis illis per tales auctoritates insinuatum est, quod contritio parva sufficit ad remissionem magnorum peccatorum. Contritio enim, sicut et alia, tantum operatur, quantum sua virtus se extendit, seu quantum ex virtute sua habet ad operandum: quæ contritionis virtus, idest efficacia, est ipsa charitas, ar. 2. ad 3. Item idipsum, quod in appendicis principio diximus, insinuatum est á Concil. *Paris·* lib. 2. c. 6. sic. « Perpendat quisque, si in charitate manet, Deum manere in se, si charitatem non habet non Deum, sed hostem animæ suæ habitare in se. Cum charitate quippe cuncta bona, sine charitate vero nulla haberi possunt. etc. Definitio charitatis, ut Doctores nostri tradunt, est bona voluntas. Ergo, quicumque bonam voluntatem non habet; charitatem non habere comprobatur: et ideo pacem, quæ Christus est, quia bonæ voluntatis non est, habere non meretur, etc. Miserabiliter plane decipiuntur plerique

qui sine charitate, aut Deo in hac mortalitate placere, aut ad eum sine illa se putant pervenire. » Si ergo habens charitatem, secundum Concilium, habet Deum in se manentem, cuncta bona, voluntatem bonam, pacem Christi, placet Deo, et nullum horum potest haberi ab aliquo, dum manet vel in uno peccato mortali: clare sequitur, quod, secundum Concilium illud, charitas existens in aliquo tollit omnia peccata mortalia ejus. Ex consequenti ergo dixit per hæc virtualiter Concilium, quod contritio charitate, etiam parva, formata, magnorum peccatorum est remissiva. Ex prædictis in appendicibus ante Conc. intellige has ex illo bonas deductiones. Facient et hæc pro juvamine appendicis art. 1. licet non 2. quoniam 1. charitatem, 2, non quamqumque, sed gradum, et sane magnum, charitatis requirit. *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem præmissa. et scripturarum, conciliique dicta, pro quanto contritionem parvam innuunt sufficere ad deletionem magnorum peccatorum, et intelligas, et declares, et probata defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SEXTA,

DE CONFESSIONE, QUOAD EJUS NECESSITATEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de confessione, de qua sex sunt consideranda. Primo, de confessionis necessitate. Secundo, de ejus quidditate. Tertio, de ipsius ministro. Quarto, de qualitate ejus. Quinto, de ejus effectu. Sexto, de ejus sigillo.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum confessio sit necessaria ad salutem.

Secundo, utrum confessio sit de jure naturali.

Tertio, utrum omnes ad confessionem teneantur.

Quarto, utrum licite aliquis possit confiteri peccatum quod non habet.

Quinto, utrum statim quis confiteri teneatur.

Sexto, utrum possit cum aliquo dispensari ne homini confiteatur.

ARTICULUS I.

Utrum confessio sit necessaria ad salutem.

Pro negativa. — Videtur, quod confessio non sit necessaria ad salutem.

1. Culpa ad cujus remissionem sacramentum pœnitentiæ ordinatum est, sufficienter per infusionem gratiæ remittitur. Ergo ad pœnitentiam de peccato agendam, non est necessaria confessio.

2. Peccatum, quod ex alio contractum est, ex alio debet habere medicinam. Ergo peccatum actuale quod ex proprio motu quilibet commissit, oportet ex se ipso tantum habere medicinam. Et sic poterit peccator obtinere ex se ipso remissionem peccatorum, quæ ipse commissit, per solam pœnitentiam, absquæ confessione.

3. Aliquibus est peccatum remissum sine hoc quod confessi legantur: ut patet de Petro, Magdalena, et Paulo. Ergo nec nunc est de necessitate salutis, ut homo confiteatur.

Conseq. prob., quia non est minoris efficaciæ gratia remittens peccatum nunc, quam fuerit tunc.

4. Confessio ad hoc exigitur in judicio, ut secundum quantitatem culpæ pœna infligatur. Ergo confessio non est de necessitate salutis.

Conseq. prob., quia homo potest pœnam sibi ipsi infligere maiorem, quam ab alio sibi infligatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

De necessitate salutis est, quod homo de peccatis medicinam accipiat. Ergo etiam de necessitate salutis est quod morbum per confessionem homo detegat.

Conseq. prob., quia Boetius dicit in libro 1. de Consol. pros. 4. *Si opem medicantis expectas, oportet morbum detegas.*

Determinatio.

Conclusio. Confessio est de necessitate salutis ejus qui in peccatum mortale cecidit.

Prob. Illud per quod remittitur mortalis culpa, est de necessitate salutis ejus qui in peccatum mortale cecidit. Sed per confessionem remittitur mortalis culpa. Ergo confessio est de necessitate salutis ejus qui in peccatum mortale cecidit.

Maior prob., quia salus cum peccato mortali esse non potest: unde sacramenta quæ ordinantur ad mortalis vel originalis culpæ remissionem, ut sunt baptismus et pœnitentia, sunt de necessitate salutis ejus qui in peccatum cecidit.

Minor prob., quia remissio culpæ fit virtute Passionis Christi, sine qua nec originale nec actuale peccatum remittitur. Virtus autem passionis Christi operatur in nobis per sacramentorum susceptionem, quæ ex ipsa passione Christi efficaciam habent: et ideo ad remissionem culpæ et actualis et originalis, requiritur sacramentum Ecclesiæ, vel actu susceptum, vel saltem voto, quando articulus necessitatis, et non contemptus, sacramentum excludit. Ad necessitatem igitur salutis ejus qui culpa est maculatus, necessaria est susceptio eorum sacramentorum quæ contra culpam ordinantur. Sunt autem sacramenta ordinata ad deletionem culpæ, baptismus et pœnitentia: baptismus quidem contra originale: pœnitentia vero contra actuale mortale commissum post baptismum. Unde sicut non remittitur originale peccatum sine susceptione baptismi in re vel in voto; ita non remittitur culpa mortalis sine pœnitentia in re vel voto suscepta. Sed sicut ille qui petit baptismum, se Ecclesiæ ministris subjicit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti, ita etiam per hoc quod homo confitetur peccatum suum, se ministro Ecclesiæ subjicit, ut per sacramentum pœnitentiæ ab eo dispensatum, remissionem consequatur: qui minister congruum remedium adhibere non potest, nisi peccatum cognoscat: quod fit per confessionem. Est igitur necessaria confessio ad remissionem culpæ, quia per ipsam peccator se ministro sacramenti pœnitentiæ subjicit, ad hoc ut ab eo per sacramentum pœnitentiæ remissionem delictorum obtineat.

Et brevius potest formari ratio ad conclusionem hoc modo. Sacramentum pœnitentiæ est de necessitate salutis ejus qui in peccatum mortale cecidit, ut ostensum est quæst. 84. art. 5. Ergo confessio est necessaria ad salutem ejus qui in peccatum mortale cecidit.

Conseq. prob., quia sacramentum pœnitentiæ suscipitur per absolutionem sacerdotis, quæ sine confessione non potest fieri, ut nunc dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod gratiæ infusio sufficit quidem ad remissionem culpæ: tamen ad ipsam infusionem gratiæ consequendam, ordinata sunt gratiæ sacramenta, ante quorum susceptionem actu vel proposito non consequitur peccator gratiam, sicut de baptismo patet, et simile est etiam de confessione.

Dicitur etiam negando consequentiam: licet enim gratiæ infusio tollat culpam, remanet tamen peccator adhuc debitor temporalis pœnæ quæ expiatur per confessionis erubescentiam et vim clavium, quibus se confitens subjicit, et satisfactionem injunctam quam sacerdos moderatur secundum qualitatem criminum sibi per confessionem innotescentium. Non tamen habet confessio, quod sit necessaria ad salutem, ex hoc quod operatur ad pœnæ remisionem: quia pœna

ista ad quam remanet homo debitor post culpæ remissionem, est temporalis: unde sine hoc quod in presenti vita expiaretur, esset spes salutis. Sed habet quod sit de necessitate salutis, ex hoc quod ad remissionem culpæ, modo prædicto in corpore operatur.

Ad 2. Negatur conseq.: peccatum enim quod ex altero contractum est, scilicet originale, potest omnino ab extrinseco remedium habere, ut in parvulis patet. Peccatum autem actuale, quod ex seipso quisque commissit, non potest expiari nisi ille qui peccavit, aliquid cooperetur, sed tamen non sufficit ex seipso ille qui peccavit, ad expiandum peccatum: peccatum enim ex parte conversionis, ex qua parte peccator in ipsum reducitur, est finitum: et ideo ad ejus remissionem ex hac parte debet cooperari: ex parte vero aversionis habet infinitatem, et ideo ex hac parte oportet quod peccati remissio ex alio incipiat; quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione; et propter hoc oportet quod peccatum actuale etiam ex alio medicinam habeat.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negatur antecedens: etsi enim non legatur confessio Petri, Pauli et Magdalenæ, potuit tamen fieri: multa enim facta sunt, quæ non sunt scripta. Dicitur secundo negando consequentiam: Christus enim habet potestatem excellentiæ in sacramentis; unde sine his quæ ad Sacramentum pertinent, potuit rem sacramenti conferre. Et sic potuit Petro, Paulo et aliis sine sacramento pœnitentiæ peccata dimittere.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod satisfactio non sufficeret ad expiandum pœnam peccati ex quantitate pœnæ quæ in satisfactione imponitur, secundum seipsam, sed sufficit, in quantum est pars sacramenti, virtutem sacramentalem habens; et ideo oportet quod per dispensatores sacramentorum imponatur, propter quod est necessaria confessio.

ARTICULUS II.

Utrum confessio sit de jure naturali.

Pro affirmativa. — Videtur, quod confessio sit de jure naturali.

1. Adam et Caïn reprehenduntur de hoc quod peccatum suum non sunt confessi. Ergo confessio peccatorum est de jure naturali.

Conseq. prob, quia Adam et Caïn non tenebantur nisi ad præcepta legis naturæ.

2. Præcepta quæ manent in lege veteri et nova, sunt de jure naturali. Sed confessio manet in lege veteri et nova. Ergo confessio est de lege naturali.

Minor prob., quia Isaiæ 43. dicitur: *narra, si quid habes ut justificeris.*

3. Job peccata confitebatur. Ergo confessio peccatorum est de jure naturali.

Antec. patet. Quia ipse dicit cap. 31. Si abscondi ut homo peccatum meum.

Conseq. prob. Job non erat subjectus nisi legi naturali.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod est de jure naturali, est idem apud omnes, ut Isidorus dicit libro 5. Etym. cap. 4. Sed confessio non est eadem apud omnes. Ergo non est de jure naturali.

2. Claves Ecclesiæ non sunt de jure naturali. Sed confessio fit ei qui habet claves. Ergo confessio non est de jure naturali.

Determinatio.

Conclussio. Confessio non est de jure naturali, sed divino.

Prob. Sacramenta non sunt de jure naturali, sed divino. Sed confessio necessitatem sacramentalem habet, utpote quæ est pars sacramenti pœnitentiæ. Ergo confessio non est de jure naturali, sed divino.

Maior prob. Ea quæ sunt protestationes fidei, non sunt de jure naturali sed divino. Sed sacramenta sunt quædam

fidei protestationes. Ergo sacramenta non sunt de jure naturali.

Maior hujus manifestatur, quia protestationes fidei oportet esse fidei proportionatas; fides autem est supra cognitionem rationis naturalis; « jus autem « naturale est id quod non opinio genuit, « sed innata quædam vis inseruit, » ut Tullius dicit libro 2. de Invent. Et propterea protestationes fidei non sunt de jure naturali, sed divino quod est supra naturale: quod quidem quandoque etiam naturale dicitur, secundum quod cuilibet rei illud est naturale quod ei á suo Creatore imponitur: tamen proprie loquendo dicuntur naturalia quæ ex principiis naturæ causantur: illa vero quæ ipse Deus sibi reservat sive ministerio naturæ operanda, sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum, supra naturam esse dicuntur. Quia igitur confessio est pars sacramenti pœnitentiæ, quæ, sicut et alia sacramenta, est quædam fidei protestatio, propter quod fidei debet proportionari; sequitur quod confessio non sit proprie de jure naturali, sed de jure divino.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter primo, quod confessio est duplex: una, quæ fit coram Deo per recognitionem peccati: altera quæ fit homini in sacramento pœnitentiæ. Prima est de jure naturali, quia natura dictat quod coram Deo nos peccata nostra confiteamur et ea recognoscamus: altera est de jure divino, ut dictum est, et de hac nunc loquimur. Ad formam igitur negatur consequentia: Adam enim vituperatur ex hoc quod peccatum suum coram Deo non recognovit, non autem de hoc quod non est confessus homini.

Dicitur secundo quod confessio est duplex: una, quæ fit judici juridice interroganti, et tunc homo non debet mentiri: et quia Adam interrogatus á Domino, peccatum suum excusavit, vituperatur. Altera est confessio, quæ fit sponte ad consequendam á Deo peccatorum remissionem. ut fit in sacramento pœnitentiæ, et ad hanc non tenebatur Adam, et non est de jure naturali, sed divino.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de præceptis quæ manent in utraque lege eodem modo; si autem maneant, sed non eodem modo, est falsa. Tunc ad minorem dicitur quod quamvis. Confessio aliqualiter esset in lege Moysi, non tamen erat eodem modo sicut in lege nova, nec sicut in lege naturæ erat: in lege enim naturæ sufficiebat recognitio peccati interior apud Deum: in lege vero Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari, sicut per oblationem hostiæ pro peccato, ex quo etiam homini innotescere poterat eum peccasse: non autem oportebat ut speciale peccatum á se commissum manifestaret. In lege autem nova debet manifestari speciale peccatum, et peccati circunstantiæ: quod non ad jus naturale, sed ad divinum pertinet.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Job loquitur de illa absconsione peccati quam facit deprehensus, peccatum negando, ut fecit Caïn; vel excusando, ut fecit Adam: unde sensus sententiæ Job est, sè non negasse vel excusasse peccatum.

ARTICULUS III.

Utrum omnes ad confessionem teneantur.

Pro negativa. — Videtur quod non omnes ad confessionem teneantur.

1. Aliqui post baptismum non sunt passi naufragium. Ergo isti non tenentur ad pœnitentiæ sacramentum, cujus una pars est confessio.

Conseq. prob., quia *pœnitentia est secunda tabula post naufragium*, ut Hieron. in illud Isaiæ 3. Peccatum suum quasi Sodoma, etc. dicit, qua non indigent, nisi qui naufragium sunt passi.

2. Sunt aliqui non habentes judicem

supra se. Ergo non omnes ad confessionem tenentur.

Conseq. prob., quia confessio facienda est judici in quolibet foro.

3. Aliquis est qui non habet nisi venialia peccata. Ergo non omnes ad confessionem tenentur.

Conseq. prob., quia homo de venialibus non tenetur confiteri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omnes tenentur ad contritionem et ad satisfactionem. Ergo omnes tenentur etiam ad confessionem.

Conseq. prob., quia confessio contra contritionem et satisfactionem dividitur.

2. Hoc patet ex Decret. de pœnit. et remiss. peccat. lib. 5. tit. 38. c. 12. ex Concilio Later. sub Innocentio III. c. 21. ubi dicitur quod *omnes utriusque sexus cum ad annos discretionis, pervenerint tenentur peccata confiteri.*

Determinatio.

Distinctio. Ad confessionem dupliciter obligamur; uno modo ex jure divino: alio modo, ex præcepto juris positivi.

1.ª Conclusio. Ad confessionem. quatenus est de jure divino, non omnes tenentur.

Manifestatur, quia confessio est de jure divino, quatenus est medicina quædam; ad medicinam autem suscipiendam non tenentur nisi infirmi: unde ad confessionem, ut cadit sub jure divino, non tenentur omnes, sed solum illi qui post baptismum mortale peccatum incurrunt.

2.ª Conclusio. Ad confessionem, ut est de jure possitivo, omnes tenentur: primo, propter institutionem ab Ecclesia editam in Consilio generali Lateranensi can. 21. sub Innocentio III, ut habetur extra de pœnitentia et remissione peccat. c. Omnis utriusque sexus: secundo, ut quilibet peccatorem se recognosceret; *omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei:* tertio, ut cum maiori reverentia ad Eucharistiam homo accedere possit, quarto. ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod quamvis homo in hac mortali vita, post baptismum naufragium evadere possit. quod est peccatum mortale: non tamen evadere potest venialia, quibus ad naufragium disponitur, contra quæ etiam pœnitentia ordinatur: et ideo manet pœnitentiæ locus etiam in illis qui non mortaliter peccant, ac per hoc in eis etiam pœnitentia et confessio habet locum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod nullus est qui non habeat Judicem Christum, cui quilibet per suum vicarium confiteri debet, qui quamvis eo inferior sit, quatenus ille qui peccata sua confitetur prælatus est; tamen est eo superior, in quantum ipse est peccator, et ille est Dei minister.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri; tenetur tamen ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia peccata confitenda. Vel dicitur secundum quosdam, quod ex prædicta decretali, omnis utriusque sexus, non obligatur confiteri, nisi ille qui habet peccata mortalia, quod patet ex hoc quod dicit quod debent omnia peccata confiteri: quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus potest omnia venialia confiteri: et secundum hoc, ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se sacerdoti præsentet et se ostendat, absque contientia mortali esse, et hoc ei pro Confessione reputatur.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis possit licite confiteri peccatum quod non habet.

Pro affirmativa.=Videtur quod ali-

quis possit licite confiteri peccatum quod non habet.

1. Gregorius dicit in fine Regist. c. 10. et lib. 9. Moral. cap. 25. et 26. *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.* Ergo ad bonam mentem pertinet ut de illis culpis se quis accuset, quas non commissit.

2. Aliquis per humilitatem reputat se deteriorem alio qui est manifestus peccator; et in hoc est commendandus. Ergo hic licite potest confiteri se habere majus peccatum quam habeat.

Conseq. prob., quia quod corde quis licite existimat, licet ore confiteri.

3. Aliquis quandoque dubitat de peccato aliquo, utrum sit mortale vel veniale; et talis debet de illo confiteri, ut de mortali, ut videtur. Ergo aliquis debet aliquando confiteri de peccato quod non habet.

4. Aliquis potest satisfacere pro peccato quod non commissit. Ergo etiam potest confiteri peccatum quod non fecit.

Conseq. prob., quia satisfactio ex confessione ordinatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Nullus debet in confessione mentiri. Sed quicumque dicit se fecisse quod non fecit, mentitur. Ergo nullus debet confiteri peccatum quod non fecit.

Maior prob., quia omne mendacium est peccatum.

2. In judicio exteriori non debet crimen aliquod alicui inpingi, quod non potest per idoneos testes probari. Ergo nec in foro pœnitentiæ, in quo testis est conscientia, aliquis debet se accusare de peccato quod in conscientia sua non habet.

Determinatio.

Conclusio. Non potest licite aliquis confiteri peccatum quod non habet.

Prob. Per confessionem debet pœnitens confesario suo se manifestare. Sed ille qui de se loquitur sacerdoti aliud quam in sui conscientia habeat, sive bonum, sive malum, non manifestat se sacerdoti, sed potius se occultat. Ergo confiteri peccatum quod quis non habet, non est idonea confessio. Ad hoc igitur quod sit idonea, requiritur quod os cordi concordet, et solum hoc os accuset quod conscientia tenet.

Aliter. Illud per quod quis sacerdoti cui confitetur, non se manifestat, sed potius se occultat, non licet. Sed qui confitetur peccatum quod non habet, non se manifestat, sed magis se occultat sacerdoti. Ergo confiteri peccatum quod non habet quis, non est licitum.

Maior prob., quia per confessionem debet se pœnitens confessario suo manifestare.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad sententiam Gregorii, quod agnóscere culpam ubi culpa non est potest esse dupliciter. Uno modo, ut intelligatur quantum ad substantiam actus et sic non est verum: non enim ad bonam, sed ad errantem mentem pertinet, ut se actum aliquem commississe agnoscat, quem non commissit. Alio modo, quantum ad conditionem actus; et sic verum est quod Gregorius dicit, quia justus in actu qui de se bonus est formidat, ne aliquis defectus ex parte sua fuerit: et sic dicitur Job. 9. *Verebar omnia opera mea*: et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem quam corde tenet, lingua accuset.

Ad 2. Patet ex præcedenti responsione quid sit dicendum: ille enim qui est vere humilis, non reputat se deteriorem quantum ad perpetrationem actus qui sit pejor ex genere; sed quia timet ne in his quæ bene agere videtur, per superbiam gravius delinquat.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente; quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et si-

militer periculo se exponit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud mortale esse; sed dubitative loqui, et judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram.

Ad 4. Negatur consequentia: ex hoc enim quod homo satisfacit pro peccato quod non commissit, non incurrit mendacium, sicut incurrit quis, quando confitetur peccatum quod non credit se fecisse: et ideo non est par ratio in proposito de satisfactione et confessione.

ARTICULUS V.

Utrum statim teneatur quis confiteri.

Pro affirmativa.=Videtur quod statim teneatur quis confiteri.

1. Hugo de Sancto Victore dicit libro 2. de Sacr. part. 14. cap. 8. *Si necessitas non est quæ prætendatur, contemptus non excusatur.* Ergo quilibet tenetur statim confiteri cum potest.

Conseq. prob., quia quilibet tenetur vitare contemptum.

2. Aliquis infirmus corporaliter, non sine detrimento salutis medicum requirere tardat. Ergo videtur quod non possit esse sine detrimento salutis, quod aliquis sacerdoti cujus copiam habet non statim de peccato confiteatur.

Conseq. prob., quia quilibet tenetur plus facere ad evadendum morbum spiritualem, quam ad evadendum morbum corporalem.

3. Illud quod sine termino debetur, statim debetur. Sed homo sine termino Deo confessionem debet. Ergo tenetur statim homo confiteri.

Maior patet, quia qui habet alienum tenetur statim restituere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Non peccat aliquis, si non percipiat Eucharistiam ante tempus á jure determinatum. Ergo nec peccat, si ante tempus illud non confiteatur.

Conseq. prob., quia in decret. lib. 5. tit. 38. c. 12. Simul datur tempus determinatum de confessione et de perceptione Eucharistiæ.

2. Si aliquis teneatur ad confitendum statim, quando habet copiam confessarii, si tunc non confiteretur, peccaret mortaliter; et si adhuc modicum expectaret, iterum peccare mortaliter, et sic deinceps: et ita multa peccata mortalia homo incurreret pro una pœnitentiæ dilatione: quod videtur esse inconveniens.

Conseq, prob., quia quicumque illud omittit ad quod ex præcepto tenetur, peccat mortaliter.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod contritus tenetur ad statim confitendum, debita opportunitate oblata, secundum rectam rationem: et eorum rationes poterant esse quæ inductæ sunt pro affirmativa.

Et quia quis potuisset objicere eis quod Ecclesia non obligat ad confitendum statim, sed solum ad confitendum semel in anno, ut patet extra de pœnitentia et remissionem peccat. c. *Omnis utriusque sexus*, respondent dicentes quod hoc non obstat, quia Ecclesia in decretali illa non indulget dilationi, sed prohibet negligentiam in maiori dilatione: unde ille qui non statim confitetur, non excusatur á culpa dilationis, quantum ad forum conscientiæ, sed excusatur á pœna quantum ad forum Ecclesiæ, ut non privetur debita sepultura si morte præventus fuerit ante tempus illud.

Reprobatio.

Sed hoc videtur nimis durum, quia præcepta affirmativa non obligantur ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc quod tunc commode impleri possunt (quia tunc, si non daret aliquis eleemosinam de superfluo, quando pauper occurreret, peccaret mortaliter, quod falsum est) sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem ex præcepto adducit: et ideo non oportet quod si statim oblata oportunitate, non confi-

teatur, etiamsi maior opportunitas non expectetur, peccet mortaliter; sed tunc solum, quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Nec est ex indulgentia Ecclesiæ, quod peccator non teneatur ad statim, sed ex natura præcepti affirmativi: unde ante Ecclesiæ statutum, etiam minus tenebatur.

Aliorum opinio.

Quidam vero dicunt quod seculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis pœnitentiæ tempus; sed religiosi tenentur ad statim quia totum tempus est eis pœnitentiæ tempus.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est, quia religiosi non tenentur ad alia quam cæteri homines, nisi ad quæ ex voto se obligaverint, cujusmodi non est confessio.

Vera sententia.

1.ª Conclusio. Non tenetur homo, statim cum peccavit, habere propositum confitendi.

Prob. Homo non tenetur sub aliquo præcepto, statim cum peccatum commisit, conteri. Ergo nec tenetur statim habere propositum confitendi.

Antecedens manifestatur, quia non tenetur quis sub præcepto conteri, nisi cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere: sicut cum tenetur sacerdos ad celebrandum, si non desit copia confessarii confiteri tenetur, et si desit, tenetur saltem conteri et habere propositum confitendi, copia confessarii oblata. Et sic patet antecedens.

Conseq. prob., quia propositum confitendi est annexum contritioni. Unde tunc tenetur aliquis ad hoc propositum quando ad contritionem tenetur. Ex hoc igitur quod homo non tenetur sub pœna novi peccati, statim quod peccavit, conteri; sequitur quod nec teneatur statim habere propositum confitendi.

2.ª Conclusio. Homo non tenetur statim post peccatum actualiter confiteri.

Manifestatur: nam ad actualem confessionem obligatur aliquis dupliciter. Uno modo, per accidens: alio modo, per se: et neutro modo obligatur ad confitendum statim post peccatum: quod ostenditur. Et primo, quod prout obligatur homo ad confessionem per accidens, non obligetur ad confitendum statim cum peccavit. Per accidens tenetur aliquis ad actualem confessionem, quando debet facere aliquid quod non potest sine peccato facere, nisi sit confessus, tunc enim confiteri tenetur: sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale; nisi confessus accedere debet, copia confessarii oblata, et necessitate non urgente. Et hinc venit obligatio qua Ecclesia omnes obligat ad confitendum semel in anno, quia instituit ut semel in anno, scilicet in pàschate, omnes sacram communionem accipiant: et ideo ante tempus illud et non statim post peccatum, omnes confiteri tenentur. Et sic patet quod homo in quantum obligatur per accidens ad actualem confessionem, non tenetur statim quod peccat, confiteri; sed sufficit ut confiteatur quando facturus est illud ratione cujus ad confessionem actualem obligatur.

Quod vero non teneatur statim confiteri, quatenus per se ad confessionem obligatur, ostenditur: nam eadem ratio est de obligatione ad confessionem per se, sicut est de obligatione ad baptismum quia utrumque est sacramentum necessitatis. Ad baptismum autem percipiendum non tenetur aliqus statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, si non statim baptizetur, nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Potest tamen contingere quod sit vel non sit peccatum mortale differre baptismum quod est pensandum ex causa dilationis

quia sicut dicitur 8. Phys. voluntas non tardat facere aliquod opus volitum, nisi propter aliquam rationabilem causam. Unde si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habet, utpote si propter contentum vel aliquid hujusmodi baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale, alias non. Et hoc idem esse videtur de confessione, quæ non est maioris necessitatis quam baptismus. Et quia ea quæ sunt de necessitate salutis tenetur homo in hac vita implere; ideo, si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem tunc faciendam, vel ad suscipiendum baptismum, si baptizatus non sit. Et propter hoc Jacobus simul edidit præceptum de confessione facienda, et de Extrema-Unctione suscipienda quæ in mortis articulo datur. Et sic patet quod homo non tenetur ad actualem confessionem, nec statim post peccatum commissum, nec statim post propositum contritioni annexum; ita quod peccet mortaliter, si non confiteatur, non existente aliquo necessitatis casu, quamvis periculosum valde sit confessionem post peccatum differre.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Hugo loquitur de illis qui nec in fine vitæ sacramenta suscipiunt, sed sine illis decedunt, in quibus non potest excusari contemptus, si necessitas non prætendatur.

Ad 2. Dicitur etiam ad antecedens, quod non est de necessitate salutis corporalis, ut statim medicus quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit: et similiter est de morbo spirituali.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod aliquis potest ad aliquid teneri dupliciter. Uno modo, ex vi præcepti negativi; et tunc si non sit terminus, statim debetur quia præceptum negativum obligat semper et ad semper: et quia retentio rei alienæ, invito domino, est contra negativum præceptum (non furaberis) ideo statim est debita. Alio modo, ex vi præcepti affirmativi; et tunc non statim debetur. Et quia confessionis præceptum est affirmativum, ideo confessio non est statim post peccatum debita; quamvis optimum sit statim post peccatum perpetratum confiteri.

ARTICULUS VI.

Utrum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur.

Pro affirmativa. — Videtur quod possit cum aliquo dispensari ne confiteatur homini peccata.

1. Præcepta quæ sunt de jure positivo, subjacent dispensationi prælatorum Ecclesiæ. Sed confessio est de jure positivo, ut art. 3. in c. dictum est. Ergo potest dispensari cum aliquo, ne confiteatur.

2. Illud quod ab homine est institutum, potest etiam ab homine dispensationem recipere. Sed confessio non legitur á Deo instituta, sed ab homine, Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo potest cum aliquo dispensari ne confiteatur.

Maior prob., quia Papa habet potestatem dispensandi, etiam in his quæ per Apostolos sunt instituta, ut patet de bigamis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacramenta quæ sunt de necessitate salutis, non sunt dispensabilia. Sed confessio est de necessitate salutis peccatoris. Ergo confessio est indispensabilis, nec potest quis á quoquam dispensari, ne confiteatur peccata sua.

Minor prob., quia confessio est pars pœnitentiæ, quæ est sacramentum de necessitate salutis post perpetratum peccatum.

Determinatio.

1.° Conclusio. Non potest dispensari cum aliquo, ut post peccatum sine confessione salvetur.

Manifestatur. Ad ministros Ecclesiæ non pertinet, nova sacramenta institue-

re, aut instituta removere; sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum, debetur. Ergo non potest cum aliquo dispensari ne homini peccata confiteatur.

Antecedens ostenditur: nam ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclessia divinitus fundata, et ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et quia Ecclesia fundatur in fide et in sacramentis, ad ministros Ecclesiæ non pertinent novos articulos fidei edere, aut editos removere, nova sacramenta instituere, aut instituta removere; sed hoc soli fundatori Ecclesiæ convenit, qui est Christus.

Conseq prob., quia confessio est pars sacramenti pœnitentiæ. Unde sicut Papa non potest dispensare ut aliquis sine baptismo salvetur; ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex vi sacramenti.

2.ª Conclusio. Potest Summus Pontifex dispensare in confesione, secundum quod obligat ex præcepto Ecclesiæ, ut possit diutius aliquis confessionem differre, quam ab Ecclesia sit institutum.

Hanc probant argumenta facta pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod jus positivum est duplex, scilicet humanum et divinum. Maior est vera de jure positivo humano, non de jure positivo divino. Ad minorem dicitur quod confessio, quantum ad substantiam actus, est de jure positivo divino, super quo non potest dispensari, sicut nec contra jus naturale.

Ad 2. Negatur minor: præceptum enim confessionis non est ab homine primo institutum, quamvis sit ab Apostolo Jacobo promulgatum: sed á Deo institutionem habuit, quamvis expresa ipsius institutio non legatur: tamen quædam præfiguratio ipsius invenitur, ut in hoc quod Joanni confitebantur peccata sua illi qui ad baptismum accedebant; et in hoc quod Dominus leprosos ad sacerdotes transmissit, qui sacerdotes novi Testamenti significabant.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 96.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem refellas hæresim *Jacobitarum* (Alfonsus Cast, tit. confessio) dicentium: confiteri sacerdoti peccata sua non esse necessarium, sed soli Deo confiteri sufficit Item *Lutheri* ibidem dicentis; Confessionem hanc clancularíam non esse necessariam, quæ in aurem fit sacerdotis; sed sufficit, si soli Deo confiteatur. Item Vvaldensium pessimam, ibidem, dicentium: confessionem sacramentalem omnino esse tollendam. Item Albanensium execrandam (prateolus, Albanenses) garrientium: Confiteri hominem nec posse, nec debere, post commissum peccatum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnatas esse á Conc. 3. sess. 14. can. 2. « Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. *Hæc ibi*; *et can.* 5. ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit: institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. *Hæc ibi; et infra:* Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fidelis confiteretur: quod jure divino necessarium, et institutum esse intellexerat: sed, etc. *Hæc ibi*; *et can.* 6. Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel necessariam esse jure divino: aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Eclesia ca-

tholica semper observabit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum: anathema sit. Et can. 8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, á piis abolendam, etc. anathema sit. *Item damnatas á Papa* Clemente 1. in 1. epist. ad Jacobum fratrem Domini, *immo á B. Petro Apostolorum principe.* Quod si forte alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ superius, memoravimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præst. ut ab ipso per verbum Dei, et consilium salubre curetur: quo possit integra fide, et operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, et ad perpetuæ vitæ præmia pervenire: *Hæc ibi; et infra in fine.* Hæc itaque, frater charissime Jacobe, ab ore S. Petri jubentis accepi, tibique (ut optabas) insinuare studii, ut servari omnia immaculata præcipias: quia Ecclesiastica non oportet negligenter, sed diligenter expleri negotia. Hæc ergo præcepta nemo credat absque sui periculo negligere, vel dissimulare: qua in judicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta neglexit.» Ubi quidem sunt omnia, et singula verba ponderanda: et maxime ultimo dicta semper timenda, atque pro universali regula omnium ab Ecclesia decretorum in primis habenda. Quæ sunt hæc ultima? «In judicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta neglexerit.» Item damnatas á Conc. «Cabilonensi 1. cap. 8. De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ, utilem omnibus hominibus esse censemus: et ut, pœnitentibus á sacerdotibus, facta confessione, indicatur pœnitentia.» Ecce, quod illa necessitas confessionis sacramentalis, quæ supra canonice patuit, non est inutilis, aut superflua (ut quidam alii hæretici blasphemarunt) sed est utilis, et utilitate tanta, ut sit medela animæ. Item á Cabilonensi 2. cap. 33. «Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse peccata percensent: quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam, ita dumtaxat, ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra: et secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem, ut salvemur. Ubi no ta ly utrumque non sine magno fructu intra Ecclesiam sanctam fit, ita dumtaxat:» nota in quam limitationem illam, ita dumtaxat, cum suis adhærentibus consequenter. Ubi etiam nota, quod ly institutionem, non significat, quod Apostolus Jacobus instituerit, proprie loquendo, sacramentum confessionis, cum á Christo Domino institutum fuerit, secundum Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. et can. 1. sed significat, quod illud sacramentum commendatum fuerit, et promulgatum ab eodem Apostolo, á simili intelligendo ex Conc. Trid. sess. ead. cap. 1. et can. 1. de sacram. extremæ Unctionis. Item damnatas á Concilio Senonensi decr. 10. de sacram. pœnit. «Poenitentiæ vero tam necessarium est sacramentum, quam imposibile est, baptismum reiterari. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Cum igitur in multis offendamus omnes; neque sit, qui possit dicere, mundum est cor meum, et purus sum á peccato; necessaria est profecto secunda post naufragium tabula.» Secunda autem post naufragium tabula recte dicitur sacramentum poenitentiæ, secundum Concil. Trid. sess. 14. can. 2. de poenit. sacram. Ex quo Concilio Senonensi nota diligenter, quod illa auctoritas Apostoli ab Heb. 10 *Voluntarie enim peccantibus* etc. loquitur de baptismo non relicto ad reiterandum: adeo, quod ly hostia, significat sacramentum hostiæ semel pro nobis in cruce oblatæ, nos commori, et consepeliri faciens: et hoc sacramentum est baptismus. Rursum damnatas ab eodem Concilio Senonensi decr. eod. de confess. "Sed, ut vetustissimum illud, ita verissimum, qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et relinquerit ea, misericordiam consequetur Neque satis fuerit de peccatis conteri, et ea apud sese Deo confiteri: nisi sacerdoti quoque sacramentali confessione delegantur. Ea quippe nec humanum, nec recens inventum esse potest: quæ tot, et tantis fulcitur scripturarum oraculis. Ad hanc enim, etc. Oportet itaque, quem antiquus ille serpens occulte momorderit, abstrusissimum

quodque vulnus medico detegere; omnem indigestum, et virulentum humorem (etsi stomacho mentis altius insederit) evomere; pudorem in satisfactionis partem de singulo quovis errato pati, ne, dum occultis peccatorum vinculis sese teneri dissimulat, horrendæ tandem sub omnium oculis æternæ damnationis laqueo constringatur. Proinde statim ab Ecclesiæ nascentis incunabulis sacer iste confitendi ritus de interioribus, nedum de exterioribus tantum, inolevit: ut tum ex Jacobo, tum ex Divi Dionysii, Alexandri, Urbani, et Cypriani, scriptis manifestum evadit. Recte igitur hanc exhomologesis legem à Christo institutam, per Apostolos ad nos usque deductam, et ab universali Ecclesia inviolabiliter observatam, á cunctis Christi fidelibus sectandam esse, et contravenientes auctoritate Concilii Constatiensis, et aliorum complurium damnatos, declaramus.» Item damnari, etc. Vide quæst. 8. art 2. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem ejus prædicta, pro quanto confessionem statuunt esse necessariam, et declares, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem primæ conclutionis interimas hæresim Catharorum, ut refert Cardinalis de Turrecremata, de Ecclesia lib 4. cap. 35. blaspheme evomentium, sacramenta Christi, et Ecclesiæ, non esse vera; sed falsa, et deceptoria. Non enim possibile est etiam secundum solam rationem humanam, quod illa, quæ sunt de jure divino, sint falsa, aut deceptoria: Ratione ergo, qua probat articulus, sacramenta esse de jure divino, expugnatur narrata hæresis. Item heresim Petri Oxomensis, ut refert Suma Conciliorum in vita Sixti IV. dicentis, quod confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto universalis Ecclesiæ, non de jure divino. Item hæres. Sectariorum (Prat. Sectarii) blaterantium, quod confiteri peccata, et numerare, est papistica carnificina, et impietas. Loquitur hæresis hæc de circunstantiis, cum dicit ly enumerare, quoniam numerus peccatorum est circunstantia: per ly quoties, significata, ut supra dictum est not. 2. post respon. ad 2. Item hæres. Lutheri (Alphons. Cast. confessio) somniantis, confessionem non posse dici sacramentum. Item hæres. Manichæorum, Direct. Inquisit. 2. par. q. 13. obstrepentium, quod confessio facta sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ nihil valet ad salutem, nec Papam, nec aliquem alium de Romana Ecclesia habere potestatem absolvendi aliquem á peccatis. *Secundo* habes: quomodo per rationem has merito damnari ostendas á Conc. Trid. sess. 14. c. 1. "Dominus sacramentum poenitentiæ tunc præcipue instituit, cum á mortuis excitatus insufflavit in discipulos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum confessus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica, tamquam hæreticos, explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc verborum illorum Domini sensum sancta haec Synodus probans, et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, et Christi evangelium annunciandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem, falso detorquent. Et c. 5. Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Et cano. 1. et 3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramanto poenitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit.» Item ab eodem damnatas, in quantum contra specialia peccata confitenda negant, et circumstantias, ut supra in not. 1. et 3. post respon. ad 2. Item á Concilio Lateranensi, ut ibi not. 3. Item á Concil. Trid. sess. 14. c. 5. «Neque per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteren-

tur. quod jure divino necessarium, et institutum esse intellexerat: sed. ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. » Vide autem Concil. Lateranen. not. 3. supra quod diligenter inquirantur etiam circumstantiæ, ut detur salubre peccatoribus consilium, et remedium. Tridentinum vero, ut supra not. 1. post. resp. ad 2. affirmat. quod sacerdos æquitatem in pœnis injungendis poenitenti, quod utique est salubre remedium, ut ibi c. 8. ad longum declaratur, servare non potest, si specialia peccata, et non tantum in genere sibi á poenitente non declarentur. Cum ergo Lateranense Concilium æquum, non iniquum remedium velit á sacerdote adhiberi ei, qui confitetur, liquido sequitur, quod peccata in specie confitenda intellexit á Domino fuisse institutum, et, quod præcipiat talem confessionem saltem semel in anno á Christi fidelibus actualiter observandam. Et per hoc, omnes contrarias hæreses damnet. Ergo per hoc, quod intelligit confessionem talem institutam fuisse á Domino, damnat etiam Lutherum negantem, confessionem esse sacramentum. Item á Papa Sixto IV. in Extravaganti approbante sententiam Alphonsi Archiepiscopi. Toletani contra Petrum Oxomensem, intelligitur ad literam damnatus omnis error Petri ejusdem. Vide hanc damnationem supra q. 1. art. 1. appen. Item á Concil. Trident. sess. 7. cano. 3. de baptismo. "Si quis dixerit. in Romana Ecclesia, quæ omnium ecclesiarum mater est, et magistra, non esse veram de sacramento Baptismi doctrinam: anathema sit. » Intellige tu, idem de confessione sentiri á Christianis debere. Ergo per hoc damnari dicas hæresim Manichæorum supradictam, contra quos præsertim á Sede Apostolica fuit delegatus inquisitor R. P. Petrus de Verona ordinis Prædicatorum, qui postea ab ipsis Manichæis hæreticis est gladiis interfectus, eodemque anno per S. E. R. est canonizatus, et inter candidatos martyres relatus, ac sanctus Petrus matyr appellatus, miraculis plurimis gloriose corruscans, secundum manichæorum supradicta, speciatim vero damnatur illa hæresis, Direct. ibi, á Decret. 24. q. 3. c. Quidem, ubi in fine de omnibus enumeratis, inter quos erant Manichæi, dicitur sic: « Hæ sunt hæreses adversus catholicam fidem exortæ, ab Apostolis, et á sanctis Patribus, vel Conciliis prædamnatæ, quæ dum in se multis erroribus divisæ invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Sed et quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, á quo conscriptæ est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. » Item á Conc. 3. sess. 7. cano: 1. de sacramentis. « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia á Jesu Christo Domino nostro instituta etc. videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum; anathema sit. Et cano. 4. "Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, etc. licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. » Vide appen. articul. 1. et sequent. 3. quoniam istæ multum ad errorum variorum condemnationem se mutuo juvant. Prædictas canonicas hæresum illarum damnationes scias sigillatim contra earum quamlibet applicare: quoniam ideo plurimæ damnationes glomeratim: ut ajunt, adductæ sunt, ut possit lector quisque per seipsum singulas singulis, ut decet, vigilanter applicare. Non enim adducere omnes contra quamlibet institutum fuit: sed ut ex omnibus singulæ contra singulas eligerent, studentibus parare mensam. Quod vero nunc in proposito isto dictum est, ubique intelligendum, atque servandum intelligas, quandocumque contra multos errores præmissos arma multa, pro varietate hostium retundenda, é canonicis munitionibus assumimus: etiam quod numquam alibi hoc monitum replicaretur. Item á Conc. 3. illam Sectariorum speciatim damnatam fuisse sess. 14. c. 5. « Colligitur etiam eas circumstantias in confessione explicandas etc. ut supra not. 3. post resp. ad secundum, sed et impium est, confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligentius se excus-

serit, et conscientiae suae sinus omnes, et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non ocurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset: nisi tot, tantisque commodis, et consolationibus levaretur; quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. » Ubi nota contra Lutherum supra quod Conc. expressissime confessionem praemissam vocat Sacramentum. De commodis autem, quae affert confessio, á Conc. tactis ibi, vide infra q. 10. per totum. Contra haeres. 2. vide etiam q. 8. a. 4. append. *Tertio* habes: quomodo per ejus rationem antedicta, pro quanto confessionem sentiunt esse de jure divino, et declares, et probes, et defendas. *Quarto*, vides quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias detestandum consilium in Papae, et Concilii despectum, *Brentii* (Prat. Aetiani) dicentis, non confitendum esse sacramentaliter tempore Quadragesimae, vel Paschatis, quo praecipit Papa; « sed, si non praecepisset, vellem confiteri, » ait ipse Brentius « quando, et quomodo voluntas libera me tetigerit. » Contra enim hunc tam cervicosum habes tres rationes post 2. conclusionem in textu pro Papa, et Concilio adductas. Iterum: quomodo per rationem rejicias haeresim Lutheri (ut refert Leo X. in Bulla) dicentis, « nullo modo praesumas confiteri peccata venialia: sed nec omnia mortalia: quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas: unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas; praedictos errores merito damnari à Conc. 3. sess. 14. cap. 5. ut supra in notatione post probationem 1. conclusionis. Iterum ab eodem, sessione eadem, cap. eod. sic. « Cum universa peccata mortalia, etiam cogitationis, homines irae filios, et Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta, et verecunda confessione á Deo quaerere. Quasi autem declarans, quid intelligat per ly cogitationis, praemiserat ibi haec verba, oportere in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint; et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa, quae nonnumquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Haec ipsum Concilium. Iterum ab eodem ibidem sic. Venialia, quibus á gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur' quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Iterum ab eod. ibidem sic. Neque per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maxime acceptabili tempore Quadragesimae: quem morem haec sancta Synodus maxime probat, et amplectitur, tamquam pium, et merito retinendum. Iterum á Concil. ut supra art. 2. autem. Iterum ab eod. sess. 14. can. 8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam á piis abolendum, aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae, anathema sit. Et can. 7. Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem ca-

nonicam imponendam, anathema sit. » Nota, quod supra dixerat, universam Ecclesiam semper intellexisse etc. ut in not. post probationem conclusionis 1. Iterum á Leone X. in Bulla contra errores Lutheri, quam condemnationem videas supra q. 1. a. 1. ap. Iterum á, etc. ut in q. hujus art. 1. et 2. appen. et locis ibi citatis. Ne mireris, si quando repetatur aliquod Concilii alicujus dictum: quoniam vel pro aliqua varietate errorum, contra quos adducitur, vel pro aliquali annotatione tunc ad illud propositum facienda noviter in dicto ipsius Concilii, vel pro commodiori lectoris facilitate praestanda, talis quandoque repetitio fit. Unde non est omnino reprehendenda, sed ad aliquam istarum trium rationum mox recurrendum, et vigilanter annotandum, propter quam illarum tunc fiat, consule D. Roffensem contra Lutheri ar. 8. optime triumphantem. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4 habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Synodo *Moguntina* fuisset insinuatum, quod nemo confitori debet peccatum, quod non fecit. Insinuatum vero est hoc; quando confessionem voluit esse puram, idest sine admixtione mendacii, cap. 26. « Ab infirmis in mortis articulo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas poenitentiae, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus, et elemosynarum studiis, pondus poenitentiae sublevandum: ut, si forte migraverint, obligati ex communicatione alieni ex consortio bonorum fiant: á quo periculo si divinitus erepti convaluerint, poenitentiae modum á suo confessore impositum diligenter observent. Ubi confessionem puram ad aggregandum consortio bonorum esse proficuam, insinuat, ex consequenti puritatem dicit confessionis ipsam ejus veracitatem. Alioquin non ad conjungi bonorum consortio valeret, sed ad sejungi ab illo: cum scriptum sit Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Si ergo in confessione loqueretur quis mendacium, ex illa reportaret á Deo perditionem, et consortium malorum, non autem salvationem, et consortium bonorum: cujus oppositum synodus præmissa confessionem puram mereri docet. Iterum ab ead. cap. 27. Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his, qui in partibus suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad Ecclesias deferenda sint, et oblationes pro eis offerendæ, et Missæ celebrandæ, an non. Quibus respondemus, si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus et digne pœnitentibus communio in fine secundum canonicum jussum danda est: cur non est eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim: non judicat Deus bis in idipsum. Nam ipse Dominus ait: in quocumque die conversus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei: et iterum: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat: et desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in poena, poenituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda, quam tempore, propheta hoc asserente, cum conversus ingemuerit, salvus erit. » Ubi Concilium confessionem ait Deo peragi, quæ scilicet sacerdoti vicario ejus peragitur confessionem puram, dignamque poenitentibus vult esse, tali confessione conversis peccata non imputari á Deo, propheta testante, narrat, poenitenti confessionem habitaculum paradisi promereri affirmat: quibus omnibus, et singulis, veracitatem absque mendacii commixtione confessionem debere continere, prædicat, ut supra deduximus ex Psal. 5. Item á Concilio Trident. videtur hujusmodi confessionis pura veritas insinuata, dum sessio. 14. c. 5. ait. « Christus sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præfides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, etc. Constat, sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse: neque æquitatem illius in poenis injungendis servare potuisse: si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere á poenitentibus omnia peccata

mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.» Ubi nota, quod non absque causa dixit, non omnia mortalia post diligentem sui discussionem esse confitenda, sed *omnia, quorum conscientiam habent.* Ergo omnia, quæ secundum veritatem conscientiæ suæ habet quis, confiteri debet juxta Concilii statutum, et non quæ habet secundum fictionem suæ phantasticæ humiliationis. Rursus, si Concilium illud sacerdotes judicium sanum exercere, æquitatemque in poenis injungendis servare non posse dicit: si non fiat confessio peccatorum in specie: quomodo (secundum illud) et prædictum judicium, æquitatemque servare potuerunt, si fiat confessio peccatorum in fictione humilitatis, et non in apertione veritatis? Sicut igitur habet pro inconvenienti, quod quis non confiteatur in specie, ad evitanda illa duo absurdissima: ita et quod quis peccatum non commissum tamquam commissum confiteatur, habet pro inconvenienti, propter eamdem rationem. Item ab Ecclesiast. 15. est insinuatum sic. « Est, qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. » Principaliter siquidem videtur loqui de illo, qui causa humilitatis, ut sibi ipse confingit, se accusat de peccato in confessione, quod non credit se fecisse: quoniam hujus interiora plena sunt dolo, cum sic mentiendo mortaliter sacrilegii peccato delinquat, id quod plenius explicatur ab Augustino in Decret. 22. quæstio. 2. « Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris. Veritas autem ipsa in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam te esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut, quod est, dicas. Nam, quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? » Ubi etiam glos. inquit, quod " dicens aliquod peccatum de se, cujus contrarium credit, mortaliter peccat. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictorum Conciliorum, et scripturarum, pro quanto non posse quemquam licite confiteri peccatum, quod non habet, insinuat, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem repellas errorem cujusdam, sub correctione tamen ecclesiæ, in summula tit. commu. sacram. circa princ. hæc verba dicentis. « Si autem commoditas adest confitendi, et habens conscientiam peccati mortalis differre vult confessionem, et nihilominus communicare, quia oportet ipsum cum aliis communicare, aut ipsum oportet celebrare, peccare videtur valde graviter, quia minus digne voluntarius accedit, utpote ad ecclesiasticæ unionis sacramentum sine ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis propter rationem dictam. Hæc ille. Ratio autem dicta secundum istum doctorem fuit: " quia (inquit) præceptum de confessione præmittenda communioni non est de jure divino, nec de jure positivo, cum nullibi inveniatur, nisi semel in anno. » Ex articulo enim patet, quod ratio istius juris est pro utraque parte falsa. Nam dicitur hic, quod præmittendam esse confessionem communioni habetur ex jure positivo, et ex jure divino. Ex positivo quidem, quoniam ideo ab ecclesia statutum est confiteri christianos semel in anno, quia communicare semel in anno statutum fuit, quasi quod per hoc dixerit aperte ecclesia, quoties peccator communicare vult, toties ipsum præconfiteri de mortali oportere, declaro. Ex divino autem jure: quoniam non potest existens in mortali digne accedere ad Eucharistiam non confessus, et consequenter sic accedens facit contra Apostolum dicentem: " probet seipsum homo, et sic de pane illo edat: qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat. » Quasi expresse dicat. Manducans illum panem non probatus á seipso manducat indigne: ac propterea peccat mortaliter. Probare autem seipsum est, media confessione sacramentali non esse sibi conscium peccati mortalis: ut nunc ex Concil. Trident. patebit. Fallitur ergo ille vir (nam et *bonus quandoque dormitat Homerus*) in hoc, et quod in ratiocinando de jure positivo, non distinguit inter per se, et per accidens (ut facit divus Thomas) et loquendo de jure divino, non intelligit verum sensum Apostoli in ly *Probet seipsum homo.* Non enim ex hoc: quod de jure positivo non tenetur, per se loquendo, aliquis in die natalis Domini communicare volens, ad confessionem actualem, sequitur, quod ex eodem jure non

teneatur per accidens: neque ex eo, quod ille ipse habet contritionem de suis peccatis, sequitur, quod probaverit seipsum probatione illa, quam esse necessario faciendam ante sacram communionem docet Apostolus *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito damnatum esse á Concil. Tridentino, Cabilonensi, Augustensi, sessionibus, capitulis, et verbis, quibus supra, quæstio. 5. artic. 1. notatio. 3. post responsionem ad 3. recitatur. Consule locum illum, et Apostoli sensum, super ly *Probet seipsum homo*, etiam ibi explicatum, censurasque contra oppositum tenentes, etc. videbis. Poteris et corollarium sequens præmissam notationem inspicere pro abundantiori doctrina. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta concilia, pro quanto confessionem necessario communioni decernunt præmittendam, et declares, et probes et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias hæreses illorum, qui plura, vel pauciora sacramenta Ecclessiæ posuerunt, quam septem. Ut hæresim Calvinistarum, Flacianorum, aliorumque bissacramentalium (auctore Staphilo) dicentium sacramenta tantum duo esse, Baptismum, et Coenam. Item, hæreticam inconstantiam Lutheri (Prateolus, Lutherani) qui, licet catholicis concorditer sacramenta tantum septem esse in Ecclesia, anno 1515. recte docuisset: tamen sacramentum unum tantum pronuntiavit, dum in sua captivitate babylonica captivus ipse diaboli anno 1530. conscriberet: et sacramenta duo postea esse voluit, dum pernociissime catechismum suum anno 1522 componeret, et sacramenta demum tria professus est in confessione illa sacrilega Augustana, quam Lutheri nomine obtulit Melaton anno 1530. Clarum enim est in præsenti art. S. Thomæ: quod institutio ecclesiæ, quæ fit per fidem, et sacramenta, præsupponitur ad operationem ministrorum et consequenter ex ista ratione patet, quod impossibile est ponere plura sacramenta, vel pauciora, quam illa sint, in quibus primo fundata est ecclesia, que sunt septem; et ex consequenti etiam patet, quod ista ratio articuli hæresis prædictas expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnatas illas fuisse á Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. "Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia á Jesu Christo Domino nostro instituta: aut esse plura, vel pauciora, quam septem videlicet Baptismum, Confirmationem Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium: aut aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum: anathema sit." Item á Papa Eugenio IV. in suo Decreto: ubi sacro approbante Concilio Florentino, sacramentorum numerum Armenis tum præsentibus, tum futuris tradens, ait: "Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem redigimus sub hac formula: novæ legis septem sunt sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium." Ubi patet, quod, cum armenorum instructioni fideli de sacramentis intenderet, voluit per hoc explicare ipsorum numerum verum præcise, idest nec in plus, nec in minus excedendo. Notabis hic Lutherum, Calvinum, et alios supra nominatos fuisse in hoc pejores, quam Joannes Huss, qui tamen Joannes, tamquam alias hæreticus, condemnatus est á Concilio Constantiensi, sess. 15. consimili damnatione, qua Joan Wiclex. fuerat sess. 8. condemnatus, quæ ponitur supra qu. 1. art. 1. Nam iste Huss fatetur concorditer Catholicis, septem esse Ecclesiæ sacramenta, ut in ejus articulis ibi á Concilio recitatis videre est, art. 8. Ergo Lutherus, Calvinus hæretici, etiam ab haeretico damnantur. Hæc ad majorem ipsorum confusionem dicta sint. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SEPTIMA,

DE CONFESSIONIS QUIDDITATE IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de quidditate confessionis:

Et circa hoc quæruntur tria.

Primo, utrum Augustinus convenienter definiat confessionem.

Secundo, utrum confessio sit actus virtutis.

Tertio, utrum confessio sit actus pœnitentiæ virtutis.

ARTICULUS I.

Utrum Augustinus convenienter deffiniat confessionem.

Pro negativa.=Videtur, quod Augustinus in libro de vera et falsa pœnitentia cap. 10. inconvenienter deffiniat confessionem, dicens: *confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur.*

1. Peccatum, quod est morbus contra quem medicina confessionis ordinatur. est sæpius apertum. Ergo non debuit dicere morbum latentem esse, cujus confessio est medicina.

2. Principium pœnitentia est timor. Sed confessio est pars pœnitentiæ. Ergo non debuit in deffinitione confessionis ponere spem, sed timorem.

3. Illud quod sub sigillo ponitur, non aperitur, sed magis clauditur. Sed peccatum quod quis confitetur, sub sigillo confessionis ponitur. Ergo in confessione peccatum non aperitur, sed magis clauditur et occultatur.

4. Inveniuntur quædam aliæ deffinitiones confessionis, ab ista differentes: Gregorius enim dicit Homilia 40 in Evangelia: *confessio est peccatorum detestatio et ruptio vulneris.* Alii dicunt quod *confessio est coram sacerdote legitima peccatorum declaratio.* Quidam dicunt quod « confessio est sacramentalis delinquentis « accusatio, ex erubescentia et per claves « Ecclesiæ satisfactoria, obligans ad pe- « ragendam pœnitentiam injunctam.» Ergo videtur quod præassignata definitio, cum non omnia contineat que in his definitionibus continentur, sit insufficiens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est autoritas Augustini in loco citato.

Determinatio.

Conclusio. Deffinitio confessionis de qua dicitur, confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur, est conveniens.

Prob. Deffinitio quæ datur per ea quæ competunt deffinito, est conveniens. Sed supradicta deffinitio datur per ea quæ competunt confessioni. Ergo per prædictam deffinitionem convenienter confessio deffinitur.

Minor manifestatur: nam in actu confessionis plura consideranda occurrunt. Primum est ipsa substantia, sine genus actus, quod est manifestatio quædam: secundum, de quo fiat, confessio, et hoc est peccatum: tertium, cui fiat, scilicet sacerdoti: quartum, causa ejus, et hæc est spes veniæ: quintum, essentia ejus, quæ est, quod in ea datur absolutio á parte pœnæ, et obligatio ad aliam partem exolvendam. In deffinitione Augustini tangitur substantia actus, per hoc quod dicit (Aperitur.) Secundo tangitur, de quo sit, dum dicitur (Morbus latens.) Tertio, causa, dum dicitur (Spe veniæ.) In aliis autem deffinitionibus assignatis in argumento quarto tanguntur aliqua de quinque assignatis, ut manifeste patet intuenti. Nam in deffinitione prima, quæ est Gregorii, tangitur primum et secundum: in secunda, tangitur substantia actus, id de quo fit, et cui fit; in tertia, substantia actus et essentia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etsi sacerdos quandoque sciat peccatum alterius, ut homo, non tamen illud scit, ut Christi Vicarius. Sicut etiam Judex aliquando scit aliquid ut homo, quod nescit ut Judex, et quantum ad hoc, peccatum per confessionem aperitur.

Dicitur secundo ad idem antecedens, quod quamvis actus exterior in aperto sit; actus tamen interior, qui est principium actus exterioris, et ex quo actus exterior trahit rationem malitiæ, est in occulto: et ideo oportet ut per confessionem aperiatur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod timor est principium remotum pœnitentiæ; spes autem est principium, sive causa proxima: confessio enim presupponit charitatem qua quis vivus efficitur; contritio autem est in qua datur charitas: timor autem servilis qui est sine spe, est prævius ad charitatem: habens autem charitatem magis movetur ex spe quam ex timore; et propterea in deffinitione confessionis potius spes quam timor ponitur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod illud quod sub sigillo ponitur, aperitur ei sub cujus sigillo ponitur, et clauditur aliis. Unde peccatum aperitur sacerdoti, sub cujus sigillo ponitur, et aliis clauditur.

Ad 4. Negatur consequentia: non enim oportet in qualibet definitione tangere omnia que ad rem deffinitam concurrunt: et ideo inveniuntur quædam deffinitiones sive assignationes datæ penes unam causam, et aliæ penes aliam.

ARTICULUS II.

Utrum confessio sit actus virtutis.

Pro negativa. = Videtur quod confessio non sit actus virtutis.

1. Omnes actus virtutis sunt de jure naturali. Sed confessio non est de jure naturali. Ergo confessio non est actus virtutis.

Maior prob., quia ad virtutes apti sumus á natura.

2. Actus virtutis magis debet convenire innocenti quam ei qui peccavit. Sed confessio peccati, de qua loquimur, non potest convenire innocenti. Ergo confessio non est actus virtutis.

3. Pars sacramenti non est actus virtutis. Sed confessio est pars sacramenti. Ergo confessio non est actus virtutis.

Maior prob., quia gratia quæ est in sacramentis, aliquo modo differt á gratia quæ est in virtutibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod cadit sub legis præcepto, est actus virtutis. Sed confessio cadit sub legis præcepto. Ergo confessio est actus virtutis.

Maior prob., quia præcepta legis sunt de actibus virtutis.

2. Quod est meritorium, est actibus virtutis. Sed confessio est meritoria. Ergo confessio est actus virtutis.

Maior prob., quia non meremur nisi actibus virtutum.

Minor prob., quia confessio cælum aperit.

Determinatio.

Conclusio. Confessio sacramentalis est actus virtutis.

Prob. Illud quod habet aliquid pertinens ad virtutem, est actus virtutis. Sed confessio habet in se aliquid pertinens ad virtutem. Ergo confessio est actus virtutis.

Maior prob., quia ad hoc quod aliquis actus virtutis dicatur, sufficit quod in sui ratione implicet aliquam conditionem ad virtutem pertinentem, ut art. 2. qu. 91. dictum est. Actus igitur qui habet aliquam conditionem pertinentem ad virtutem, erit actus virtutis.

Minor ostenditur: quamvis enim confessio non importet omnia quæ ad virtutem requiruntur; tamen ex suo nomine importat manifestationem alicujus quod aliquis tenet in conscientia; sic enim simul in unum os et cor concurrunt. Si enim quis aliquid proferat ore, quod corde non tenet, non est confessio, sed fictio. Hæc autem conditio ad virtutem pertinet, ut aliquis ore confiteatur quod corde tenet; et propterea confessio est bona ex genere et actus virtutis, si tamen alias debitas circonstantias habeat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ad

confessionem modo debito faciendam, ut oportet, et cujus oportet, et quando, in generali inclinat ratio naturalis: et secundum hoc, confessio est de jure naturali. Sed determinatio circumstantiarum quando, et quomodo et quid confiteri oporteat, et cui, hoc est ex institutione juris divini, in confessione sacramentali. Et sic patet quod jus naturale inclinat ad sacramentalem confessionem mediante jure divino, sicut quo circumstantiæ determinantur.

Ad 2. Negatur maior: virtus enim cujus objectum est malum præteritum, quamvis possit convenire innocenti secundum habitum, non tamen potest ei convenire secundum actum, innocentia permanente: et propter hoc confessio peccatorum, de qua nunc est sermo, non potest convenire innocenti, et tamen est virtutis actus.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quamvis gratia sacramentorum sit alia á gratia virtutum, non tamen istæ duæ gratiæ sunt contrariæ, sed disparatæ: et ideo non est inconveniens quod idem sit actus virtutis, secundum quod ex libero arbitrio gratia informato procedit; et sit sacramentum vel pars sacramenti, secundum quod est medicina in remedium peccati ordinata.

ARTICULUS III.

Utrum confessio sit actus virtutis pœnitentiæ.

Pro negativa.=Videtur quod confessio non sit actus poenitentiæ virtutis.

1. Actus cujus causa est spes, non est actus poenitentiæ, sed spei. Sed causa confessionis est spes veniæ, ut in ejus deffinitione dicitur. Ergo confessio est actus spei.

Maior prob., quia virtus est causa sui actus: unde actus qui est á spe, erit actus spei.

2. Actus qui est ex erubescentia, non est actus poenitentiæ, sed temperantiæ ad quam erubescentia pertinet. Sed confessio ex erubescentia operatur, ut patet ex diffinitione adducta in quarto argumento præcedentis articuli. Ergo confessio est actus temperantiæ.

3. Actus poenitentiæ innititur divinæ misericordiæ. Sed confessio non innititur divinæ misericordiæ, sed magis sapientiæ, propter veritatem quæ in ipsa esse debet. Ergo confessio non est actus poenitentiæ, sed sapientiæ.

4. Ad pœnitentiam movet articulus de judicio, propter timorem qui est origo pœnitentiæ. Sed ad confessionem non movet articulus de judicio, sed articulus de vita æterna, cum pœnitentia sit propter spem veniæ. Ergo confessio non est actus pœnitentiæ.

5. Actus quo quis se ostendit talem qualis est, non pertinet ad pœnitentiæ virtutem, sed ad veritatem. Sed per confessionem ille qui confitetur, ostendit se talem qualis est. Ergo confessio non est actus pœnitentiæ sed veritatis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Pœnitentia ordinatur ad destructionem peccati. Sed confessio etiam ordinatur ad destructionem peccati. Ergo confessio est actus pœnitentiæ.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Confessio sacramentalis elicitive est actus virtutis pœnitentiæ.

Prob. Confessio peccatorum, quæ fit ad obtinendam eorum remissionem, est actus elicitus á virtute pœnitentiæ. Sed confessio sacramentalis fit ad obtinendam peccatorum remissionem. Ergo confessio sacramentalis est actus elicitus á virtute pœnitentiæ.

Maior manifestatur, præmittendo quod hoc in virtutibus est considerandum, quod quando supra rationem virtutis additur aliqua specialis ratio boni et difficilis, illud objectum pertinet ad aliam specialem virtutem. Sicut licet sumptus et donationes communiter pertineant ad liberalitatem, tamen magni sumptus et magnæ donationes ad mag-

nificentiam pertinent, ut patet 2. Ethic. cap. 7. et 4. Ethic. cap. 1. et hoc idem in confessione veri invenitur: confessio enim veri absolute pertinet ad virtutem veritatis, ut argumentum quintum supra inductum ostendit: tamen secundum quod huic confessioni veritatis additur aliqua specialis ratio boni, ad aliam virtutem incipit pertinere: et ideo dicitur 4. Ethic. cap. 7. quod confessio quæ fit in judiciis, non pertinet ad virtutem veritatis, sed magis ad justitiam. Et similiter confessio beneficiorum Dei in laudem divinam, non pertinet ad virtutem veritatis, sed ad virtutem latriæ: et ita est de confessione peccatorum, quæ, ut sic, pertinet ad veritatem; sed facta ad obtinendam peccatorum veniam, ad virtutem pœnitentiæ pertinet: Et cum sacramentalis confessio ad hoc fiat, manifestum est quod ad pœnitentiam pertinet.

2.ª Conclusio. Confessio imperative potest ad multas virtutes pertinere.

Manifestatur, quia confessionis actus potest in finem multarum virtutum trahi: et tunc á multis virtutibus potest esse imperatus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod spes est causa confessionis, non sicut eliciens, sed sicut imperans.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod erubescentia in illa definitione non ponitur quasi causa confessionis, cum magis nata sit impedire confessionis actum; sed magis quasi concausa, ad liberandum á pœna, in quantum ipsa erubescentia pœna quædam est.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod secundum quamdam adaptationem partes pœnitentiæ, tribus attributis personarum adaptari: ut contritio, misericordiæ vel bonitati respondeat: confessio, sapientiæ, propter manifestationem veritatis: satisfactio potentiæ, propter laborem satisfaciendi. Sed quia contritio est prima pars pœnitentiæ, præbens efficatiam aliis partibus, ideo eodem modo judicatur de pœnitentia et de omnibus ejus partibus sicut de contritione, quæ quia misericordiæ innititur, etiam ipsa confessio eidem misericordiæ et bonitati Dei inniti dicitur.

Ad 4. Dicitur ad maiorem quod pœnitentia, ratione contritionis, originem quidem habet ex timore. Confessio tamen magis innititur articulo de vita æterna, quam respicit spes, quam articulo de judicio quod respicit timor: et hoc, quia confessio magis ex spe quam ex timore procedit, ut dictum est art. 1. ad 2.

Ad 5. Dicitur quod actus quo quis se ostendit talem qualis est, si fiat solum ad hoc ut se talem ostendat, pertinet ad virtutem veritatis; quatenus tamen fit ad obtinendam remissionem peccatorum, est actus pœnitentiæ, ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 97.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem repellas propositionem suspectam (ut eam pro tali refert Jac. Lep. Stunica post suum itinerarium inter alias, quas tamquam susceptas ipse excerpsit ex lib. Erasmi) dicentem: confessionem olim fuisse publicam, et de notis commissis publicam olim fuisse satisfactionem. Iterum illam [illegible] admissorum secretam, Hieronymi tempore nondum fuisse institutam. Ex definitionis enim particula illa, Morbus latens, ostenditur apertissime, quod non de publicis tantum, et notis, fuit olim, idest in primitiva Ecclesia, confessio, sed etiam de occultis. Item ex illa, cum Augustinus, cujus est de-

finitio, fuerit Hieronymo contemporaneus, ostenditur falsum esse, quod tempore Hieronymi, etc. sumendo ly secretam pro ly de occultis. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, merito damnari praedictas propositiones á Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. et can. 7. ut supra q. 6. art. 1. appen. Quod si Erasmus sumat ly secretam pro modo confitendi secrete, etiam positio illa damnatur ab eod. Concil. sess. ea. canon. 6. " Si quis dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab istitutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit. » Nota, contra Erasmum, ly *quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit*. Item à Leone X. in Concilio Later. etc. ut supra q. 6. ar. 5. app. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á scripturis sanctis, et á Conciliis insinuatum esse, quod confessio peccatorum est actus virtutis. Hoc autem tunc fuit, quando confessionem praeceperunt, consuluerunt, vel ad illam nos invitarunt: item quando per confessionem nos mereri docuerunt: quoniam nec praecepta, consilia, vel hortationes, fiunt ab eis, nisi de actibus virtutum, nec nisi per actus virtutum, nos adulti meremur. Quod autem praecipiatur, seu consulatur confessio á scripturis sanctis; patet Isa. 43. ubi secundum translationem septuaginta interpretum dicitur. *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. Hoc vero ad propositum nostrum tanto magis esse fatendum est, quanto magis auctoritate Papae Leonis 1. fulcitur: qui in epistola ad Theodrum Forojuliensem episcopum, quae est 89. in numero juxta positionem primi tomi Conciliorum, sic de confessione peccatorum loquens ait: " his autem, qui tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, praesidium poenitentiae, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio: dicente spiritu Dei per Prophetam; cum conversus ingemueris, tunc salvus eris: et alibi. Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. » Et recitatur in Decretis, de poenit. distin. 1. Multiplex. et 26. q. 5. His qui tempore. Quod item consulatur á scripturis patet Jac. 5. *Confitemini peccata vestra alterutrum, ut salvemini*. Unde habes etiam secundum supradictum, quod scilicet confessione meremur salvari. Item á Concilio Moguntino hoc idem fuit insinuatum cap. 27. " Perdidisset latro in cruce praemium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horae poenitentia non juvisset. Cum esset in poena, poenituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit » Ubi, quia secundum contextum de confessione á suspendendis in patibulis per sacerdotes acceptanda loquitur, fatendum est, quod Concilium ipsum per verba praemissa vult, á simili, confessionem sacramentalem promereri paradisum At infra q. 10. per totum videbitur latius de effectu quem meretur confessio. Item á Concilio Cabilonensi, c. 32. consulitur confessio sic. " Quia constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, et corpore; et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut et ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, et ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat; quia aut cogitatione, aut (quod est gravius) opere eorum instinctu peccavit: odium et enim, invidia, superbia, et ceterae hujusmodi animae pestes tanto periculosius laedunt, quanto subtilius serpunt. » Cum ergo ex Conciliis, scripturisque habeamus, quod confessio est meritoria: atque ad hanc et Concilia, et scripturae nos hortentur: patet, quod secundum illa confessio est actus virtutis. Nam (ut in principio diximus) actibus virtutum meremur, et non nisi ad actus virtutum, nos hortantur sacrae literae. *Secundo* habes: quomodo per rationem praemissa tum Conciliorum, tum scripturarum dicta, pro quanto confessionem innuunt esse actum virtutis, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, ab epistola synodica *Tharasii* Episcopi Constantinopolitani insinuatum merito fuisse, quod confessio sit actus pœnitentiæ virtutis. Hæc epistola ponitur ante Synodum Nicenam secundam tamquam præambula, in tomo 3. Conciliorum Coloniæ 1567. impressorum, et dicit sic. " Bona, et laudabilis est pœnitentia, quæ ad Deum ducit, et á peccatis liberat; etc. Dixit enim per Prophetam: tu primus dic iniquitates tuas, ut justificeris. Et dixi: eloquar iniquitatem meam coram Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Nam, si pater filio peregre existente et rem, impie, et inique agente, redeuntem, iterum ad se naturali amore prosequitur: quanto magis Deus omnium nostrum pater omnem pœnitentem suscipiet in ulnis suis, cum sit singulariter misericors? Non enim mortem petit peccatoris, sed magis, ut convertatur, et vivat. Quemadmodum etiam in Evangelio ab ipsa Domini voce per parabolam de prodigo, et postea pœnitente instructi sumus á Patre cœlesti recepto in coelis. Gaudet enim supra hominem omnem agentem poenitentiam. Ubi vides, hunc episcopum loqui de poenitentia virtute, quæ utique ad Deum ducit, á peccatis liberat, impium redeuntem suscipi facit á Deo in ulnis suis, atque cum gaudio recipi in coelis: et eumdem huic poenitentiæ confessionem peccatorum, tamquam effectum ab ipsa profluentem assignare, dum ait, quod Dominus dicit poenitenti per Prophetam: *Dic tu primus iniquitates tuas ut justificeris*; et Davidis illud annectit, dixi, eloquar, etc. Idest secundum aliam translationem, dixi confitebor, etc. Antiquitus enim poenitentia, licet peccatoribus necessaria ad gratiam consequendam foret, non erat sacramentum, sed solum virtus. Unde Concil. Trid. sess. 14. c. 1. ait: " porro nec ante Christi adventum poenitentia erat sacramentum: nec est post adventum illius cuique ante baptismum. » Ex quo etiam patet, quod poenitentia quæ induxit filium illum prodigum ad confessionem, qua dixit ly *peccavi in cœlum*, etc. non est sacramentum, sed virtus, et consequenter, quod confessio secundum epistolam synodicam præmissam de filio tali loquentem est actus poenitentiæ virtutis. Dixit enim ly peccavi, postquam in se reversus suum malum statum dolendo cognoverat, quod poenitentiam virtutem sonat. 3. par. quæst. q. 85. ar. 1. *Secundo* igitur habes: quomodo per eamdem rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis Luc 15. illud idem, quod scilicet confessio peccatorum est actus virtutis. Quod autem dico de *non loco* scripturæ, intelligito etiam de talibus omnibus, sicut, et quod de aliquo Concilii dicto, etiam de omnibus consimilibus, ut bene consideranti patere potest. Hoc autem sit pro regula memoriale semper, ne in allegationibus nimis lectorem studiosum inutiliter ferme gravemus Quid autem sit poenitentia virtus, quinimo etiam ut patet expresse, synodicam illam epistolam, et consequenter scripturas inibi citatas de tali poenitentia loqui ejusdem epistolæ verba, quæ immediate post antescripta subintulit, declarant in hunc modum. " Poenitentia insignis est armatura, magna salutis via, hospitii regni coelorum dispensatrix, incorruptibilis viæ dux, martiricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, et cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium, et lapsorum: surrectio. Beati, qui hanc amplectuntur, et huic adhærent, qui hanc exercent cum Angelis vitam æqualem ducunt, ab omni malo declinant, et bonum faciunt. Poenitentia est coalumna, et familiaris dilectionis, eleemosinæ, jejunii, abstinentiæ, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis et (ut verum uno verbo dicam) haec omnia pollet poenitentia. Si quis autem hanc contamnat, et contemnit, non inter servatos, sed inter perditos, numerandus est, quorum vermis non moritur, et ignis non extinguitur. » *Tertio* habes: quomodo per rationem, praemissa epistolae, scripturarumque dicta, pro quanto confessionem decernunt esse actum poenitentiae virtutis, et intelligas, et probes et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA OCTAVA,

DE MINISTRO CONFESSIONIS, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministro confessionis.

Circa quod quæruntur septem.

Primo, utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.

Secundo, utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.

Tertio, utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.

Quarto, utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.

Quinto, utrum possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri ex privilegio, vel mandato superioris.

Sexto, utrum pœnitens in extremo vitæ suæ possit absolvi á quolibet sacerdote.

Septimo, utrum poena temporalis taxari debeat secundum quantitatem culpæ.

ARTICULUS I.

Utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.

Pro negativa. = Videtur, quod non sit necessarium confiteri sacerdoti.

1. In divina institutione quæ nobis de confessione proponitur Jac. 5. ubi dicitur, *confitemini alterutrum peccata vestra*, nulla mentio fit de sacerdote. Ergo non oportet confiteri sacerdoti.

Conseq. prob., quia ad confessionem non obligamur, nisi ex divina institutione.

2. In baptismo propter necessitatem sacramenti, est minister quilibet homo. Ergo etiam in sacramento pœnitentiæ minister cui facienda est confessio, potest esse quilibet homo.

Conseq. prob., quia pœnitentia est sacramentum necessitatis, sicut baptismus.

3 Confessio est necessaria ad hoc ut taxetur pœnitenti satisfactionis modus. Ergo non est necessarium quod confessio fiat sacerdoti.

Conseq. prob., quia quandoque aliquis non sacerdos discretius posset pœnitenti dare satisfactionis modum quam, multi sacerdotes.

4. Confessio ad hoc est ordinata in Ecclesia, ut rectores vultum pecorum suorum cognoscant. Ergo non semper confessio facienda est sacerdoti.

Conseq. prob., quia quandoque rector vel prælatus non est sacerdos.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Absolutio pœnitentis, propter quam fit confessio, non pertinet nisi ad sacerdotes, quibus claves Ecclesiæ commissæ sunt. Ergo confessio debet fieri sacerdoti.

2. Dominus in resuscitatione Lazari, per quam præfiguratur confessio, solis discipulis præcepit ut solverent Lazarum, ut patet Joan. 11. Ergo sacerdotibus facienda est confessio.

Determinatio.

Conclusio. Soli sacerdoti facienda est sacramentalis confessio.

Prob. Illi soli facienda est confessio sacramentalis, qui solus est minister sacramenti pœnitentiæ. Sed solus sacerdos est minister sacramenti pœnitentiæ. Ergo soli sacerdoti facienda est sacramentalis confessio.

Maior patet, quia confessio est actus sacramenti pœnitentiæ.

Minor prob. Minister sacramenti per quod confertur gratia, est solus sacerdos. Sed per sacramentum pœnitentiæ confertur gratia. Ergo sacramenti pœnitentiæ minister est solus sacerdos.

Maior hujus manifestatur, quia gratia quæ in sacramentis datur, á capite in membra descendit: et ideo solus ille est minister sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum: quod est solius sacerdotis, qui solus Eucharistiam consecrare potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced., quod Jacobus loquitur ex præsuppositione divinæ

institutionis, et quia divinitus præcesserat institutio de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis in Apostolis dedit potestatem remittendi, peccata, ut patet Joan. 20. ideo intelligendum est quod Jacobus monuit confessionem esse sacerdotibus faciendam.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod baptismus est magis sacramentum necessitatis, quam pœnitentia, quoad confessionem et absolutionem, quia quandoque baptismus prætermitti non potest sine periculo salutis æternæ ut patet in pueris qui non habent usum rationis. Sed non est ita de confessione et absolutione, quæ tantum ad adultos pertinent, in quibus contritio cum proposito confitendi et desiderio absolutionis, sufficit ad liberandum á morte æterna. Non est igitur simile de baptismo et confessione.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod in satisfactione non solum attendenda est quantitas pœnæ ut dictum est quæst. 96. 1. ad 4. sed etiam virtus ejus, secundum quod est pars sacramenti; et sic requirit sacramentorum dispensatorem quamvis etiam ab alio quam á sacerdote quantitas pœnæ taxari possit.

Ad 4. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod cognoscere vultum pecoris, ad duo potest esse necessarium. Primo ad hoc quod ovis coordinetur gregi Christi: et sic cognoscere vultum pecoris, pertinet ad curam et sollicitudinem pastoralem, quæ incumbit quandoque etiam illis qui non sunt sacerdotes. Secundo, ut provideatur ei competens medicamentum salutis; et sic cognoscere vultum pecoris, pertinet ad eum cujus est medicamentum salutis, scilicet Eucharistiæ sacramentum, et alia præbere scilicet ad sacerdotem; et ad talem cognitionem pecoris ordinatur confessio.

ARTICULUS II.

Utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.

Pro negativa. — Videtur quod in nullo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.

1. Proprius minister sacramenti pœnitentiæ est solus sacerdos. Ergo nulli alteri est confessio facienda.

Conseq. prob., quia dispensatio sacramenti ad illum tantum pertinet, qui est sacramenti minister.

2. Judex in foro conscientiæ non est nisi sacerdos. Ergo soli sacerdoti est sacramentalis confessio facienda.

3. Si aliquis confiteatur laïco in casu necessitatis, si articulum necessitatis evadat, tenetur iterum sacerdoti confiteri. Ergo confessio non debet fieri laïco in casu necessitatis.

Conseq. prob., quia baptismus datus á laïco, etiam extra casum necessitatis, non iteratur á sacerdote, quia ille baptismus validus fuit: unde, si confessio facta laïco in casu necessitatis; si pœnitens talem casum evadat, necesse est ut iterum sacerdoti confiteatur; sequitur quod confessio facta laïco fuerit nulla ac per hoc quod non debeat fieri laico.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Magister in 17. dist. 4. Sententiarum determinat hoc licere.

Determinatio.

Conclusio. In casu necessitatis potest quis laico confiteri: confessio tamen laïco facta non est pars sacramenti pœnitentiæ, sed potius quoddam sacramentale.

Manifestatur quantum ad priorem partem, á simili, quia sicut baptismus ministratur tantum á sacerdote, tamen in casu necessitatis, etiam non sacerdos baptizare potest; ita confessio solum á sacerdote audiri potest, tamen in casu necessitatis potest etiam laïco fieri: differenter tamen; nam laïcus baptizans conferre potest verum baptismum, laicus tamen non potest absolvere. Unde baptizatus á laïco, non est rebaptizandus; qui tamen laïco confessus est, debet sacerdoti iterum eadem peccata con-

fiteri: et per hoc etiam altera conclusionis pars remanet probata: quam etiam ostendunt argumenta facta pro negativa: laïcus enim non est minister sacramenti pœnitentiæ, nec est competens Judex in foro conscientiæ, propter quod debet confessio iterari. Potest igitur quis in casu magnæ necessitatis et periculi (ut in naufragiis) confiteri laïco, á quo tamen absolvi non potest: et si quid talis confessio prodest, est solum ex fervore et desiderio habendi copiam veri confessarii. Unde in tali casu contritio peccatorum sufficit, quæ includit confitendi propositum, ut dictum est, et sic numquam est necessarium laïco confiteri.

AD ARGUMENTA.

Argumenta inducta probant quod confessio quæ est actus sacramenti pœnitentiæ, in nullo casu potest fieri laïco, aut non sacerdoti: quod verum est. Cum quo stat ut in aliquo casu possit aliquis peccata sua laïco manifestare, quæ manifestatio aliquid poterit ad remissionem peccatorum obtinendam, vel ex magno fervore et desiderio confitendi sacerdoti, vel ex verecundia quam habet in manifestatione peccatorum. Quod si quis in tali casu peccata habeat enormia, ex cujus manifestatione possit aliquod malum oriri sibi vel alteri, non debet confiteri, sed sufficit de his conteri. Ea quæ in hoc articulo dicuntur, propter sententiam magistri dicta sunt: nam vere hoc respondendum est quæsito, quod in nullo casu licet laïco confiteri, cujus contrarium sentit magister.

ARTICULUS III.

Utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.

Pro negativa. = Videtur quod extra casum necessitatis non possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.

1. Sacramentum quod committitur laïco ad dispensandum, est de necessitate salutis, ut de baptismo patet. Sed confessio venialium non est de necessitate salutis. Ergo non debet committi laïco.

2. Extrema-Unctio non potest dari á laïco. Ergo nec confessionem venialium potest laïcus audire.

Conseq. prob., quia contra venialia ordinatur Extrema-Unctio, sicut et pœnitentia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est autoritas Bedæ, quam citat Magister in 17.ª dist. 4. Sententiarum.

Determinatio.

Conclusio. Non oportet ex necessitate confiteri venialia sacerdoti.

Prob. Peccatum per quod homo nec á Deo nec ab Ecclesiæ sacramentis separatur non oportet sacerdoti ex necessitate confiteri. Sed per peccatum veniale homo non separatur á Deo, nec ab Ecclesiæ sacramentis. Ergo veniale peccatum non oportet ex necessitate sacerdoti confiteri.

Maior prob., quia homo ad remissionem peccati non separantis á Deo, nec ab Ecclesiæ sacramentis, non indiget novæ gratiæ collatione, propter quam consequendam necesse est sacerdoti confiteri.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod confessio facta laïco non pertinet ad sacramentum pœnitentiæ.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod Extrema-Unctio non ordinatur directe ad remissionem venialium (ad quam neque aliquod aliud sacramentum ordinatur) sed ad aliud, ut suo loco dicetur.

ARTICULUS IV.

Utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.

Pro negativa. = Videtur quod non sit necessarium quod homo cofiteatur proprio sacerdoti.

1. Gregorius dicit, et refertur 16.

quæst. 1. can. Ex auct. « Apostolico « moderamine, et pietatis officio á nobis « constitutum est quod sacerdotibus Mo- « nachis, Apostolorum figuram tenenti- « bus, liceat prædicare, baptizare, co- « munionem dare, pro peccatoribus ora- « re, penitentiam imponere, atque pec- « cata solvere. » Ergo confessio quæ propter absolutionem fiit, sufficit quod fiat cuicumque Sacerdoti.

Conseq. prob., quia Monachi non sunt proprii sacerdotes aliquorum, cum non habeant curam animarum.

2. Quilibet sacerdos potest Eucharistiam conficere. Ergo quilibet sacerdos potest sacramentum pœnitentiæ ministrare: ac per hoc non oportet quod fiat confessio proprio sacerdoti.

Conseq. prob., quia sicut sacerdos est minister hujus sacramenti, ita est minister sacramenti Eucharistiæ.

3. Ad illud quod est in nostra potestate constitutum, non determinate tenemur. Sed sacerdos cui confiteri debemus, est in nostra electione constitutus. Ergo ad confitendum proprio sacerdoti non determinate tenemur.

Minor prob., quia Augustinus dicit in libro de vera et falsa pœnitentia cap. 10. *Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, querat sacerdotem qui sciat solvere et ligare.*

4. Quidam sunt qui tenentur ad confessionem, et non habent proprium sacerdotem, sicut Papa et Prælati, qui superiorem non habent. Ergo non tenetur semper homo confiteri proprio sacerdoti.

5. Ad illud quod in aliquo casu militat contra charitatem, homo non tenetur semper. Sed confiteri proprio sacerdoti, in aliquo casu militat contra charitatem. Ergo ad confitendum proprio sacerdoti non semper homo tenetur.

Minor prob. Militaret enim confessio facienda proprio sacerdoti contra charitatem, si peccator sciat suum confessarium esse hæreticum, aut solicitatorem ad malum, aut fragilem, qui ad peccatum quod quis ei confitetur, sit pronus: vel si probabiliter existimetur quod sit confessionis revelator: vel si peccatum de quo quis confiteri debet, esset contra ipsum commissum.

6. In eo quod est necessarium ad salutem, non sunt homines arctandi ne via salutis impediatur. Sed si oporteat uni homini de necessitate confiteri, magna esset coarctatio; et per hoc multi possent á confessione retrahi, vel timore, vel verecundia, vel aliquo alio hujusmodi, et tamen confessio est peccatori de necessitate salutis. Ergo ad confitendum uni sacerdoti non sunt fideles coarctandi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Innocentius III. in Concilio Lateranensi can 21. *instituit quod omnes utriusque sexus semel in anno proprio sacerdoti confiteantur*, ut patet extra lib. tit. 38. c. *Omnis utriusque sexus.*

2. Non licet uni Episcopo in Diœcesi alterius Episcopale munus exercere, secundum statuta Canonum. Ergo nec licet uni sacerdoti parochianum alterius audire.

Conseq. prob, quia sicut Episcopus se habet ad Diœcesim suam, ita sacerdos ad suam Parochiam.

Determinatio.

Conclussio. Necessarium est quod homo confiteatur proprio sacerdoti.

Prob. Sacramentum quod requirit imperium in ministrante, non potest dispensari nisi á proprio sacerdote. Sed confessio requirit imperium in ministrante. Ergo confessio facienda est proprio sacerdoti.

Maior prob., quia imperium non competit alicui in alium, nisi ei qui habet in illum jurisdictionem: jurisdictio autem competit proprio sacerdoti: unde sacramentum requirens imperium non potest ministrari nisi ab eo qui jurisdictionem habet, qui est proprius sacerdos.

Minor manifestatur ex differentia quæ est inter sacramentum pœnitentiæ, et alia sacramenta: alia enim sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum quod recipiat, sicut patet in baptismo et in aliis sacramentis: et in his requiritur actus recipientis, ad percipiendam utilitatem sacramenti in eo qui est suæ voluntatis arbiter constitutus, quasi removens prohibens, cilicet fictionem: in pœnitentia autem actus accidentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio, et satisfactio, que sunt actus pœnitentis, sunt pœnitentiæ partes. Actus autem nostri cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari, nisi per imperium. Oportet igitur quod dispensator hujus sacramenti sit talis qui possit imperare aliquid agendum: absolvit enim sacerdos, ligando ad aliquid faciendum: quod non posse, nisi possit imperare ei quem absolvit. Et sic patet minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Gregorius loquitur de illis Monachis qui jurisdictionem habent, utpote quibus alicuius Parochiæ cura commissa est: de quibus aliqui dicebant quod ex hoc ipso quod Monachi erant, non poterant absolvere et pœnitentias injungere: quod ut falsum Gregorius reprobat.

Ad 2. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio de sacramento Eucharistiæ et pœnitentiæ: sacramentum enim Eucharistiæ non requirit imperium in ministro super illum cui hoc sacramentum ministrat, sicut sacramentum pœnitentiæ, ut in corpore dictum est: et ideo Eucharistia potest etiam á non proprio sacerdote sumi, non autem hoc de confessione dici potest. Et ad probationem dicitur quod sacerdos est minister utriusque sacramenti, non tamen eodem modo.

Ad 3. Negatur minor. Electio enim sacerdotis discreti non est nobis commissa, ut ex nostro arbitrio facienda, sed de licentia superioris, si forte proprius sacerdos esset minus idoneus, ad apponendum peccatis salutare remedium: et sic est intelligenda sententia Augustini inducta.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod quia Prælatis incumbit sacramenta dispensare, quæ non nisi mundi tractare debent, concessum est eis á jure, quod possit eligere proprios sacerdotes confessarios, qui quantum ad hoc sunt eis superiores, sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus, sed in quantum est infirmus.

Ad 5. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod quando confiteri proprio sacerdoti militat contra charitatem, non tenetur in tali casu aliquis proprio sacerdoti confiteri. Unde in casibus illis in quibus probabiliter timet pœnitens periculum sibi vel sacerdoti ex confessione quam ei faceret, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi: quod si licentiam habere non possit, idem est judicium quod de illo qui non habet copiam sacerdotis. Nec tunc pœnitens trasgreditur præceptum Ecclesiæ de confitendo proprio sacerdoti; quia præcepta juris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ est finis præcepti, qui est charitas. ut dicitur 1. ad Tim. 1. Nec fit injuria sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate.

Ad 6. Negatur minor. In hoc enim quod oportet proprio sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur; quia qui sacerdoti proprio non vult confiteri, potest de ejus licentia confiteri alteri. Peccaret autem proprius sacerdos, si non esset facilis ad dandum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur.

tur, quam tali sacerdoti confiterentur: unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis damnationem acquirunt.

ARTICULUS V.

Utrum aliquis possit alteri quam proprio sacerdoti confiteri, ex privilegio vel mandato superioris.

Pro negativa. = Videtur quod non possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri, etiam ex privilegio vel mandato superioris.

1. Illud quod est in alicujus præjudicium, non potest ex privilegio alteri indulgeri. Sed si alius confessionem subditi audiat, est in præjudicium proprii sacerdotis. Ergo non potest per privilegium vel mandatum superioris concedi quod aliquis confessiones nonnisi subditi audire possit.

2. Illud per quod impeditur divinum mandatum, non potest per mandatum vel privilegium alicujus hominis concedi. Sed quod proprii sacerdotes confessiones suorum subditorum audiant, est divinum mandatum: ad Rectores enim Ecclesiarum dicitur Prov. 27. quod *diligenter vultum peccoris sui agnoscant.* Ergo hoc non potest per mandatum vel privilegium alicujus hominis ordinari quod quis non confiteatur proprio sacerdoti.

3. Unius hominis non possunt esse plures proprii sacerdotes vel judices. Sed ille qui audit confessiones alicujus, est proprius ejus judex. Ergo non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti, etiam ex superioris licentia.

Maior prob., quia pœnitens teneretur pluribus obedire: quod esset impossibile, si contraria vel incompossibilia præciperent.

Minor prob, quia alias non posset eum ligare et solvere.

4 Ille qui confessus est alteri sacerdoti, tenetur iterum confiteri proprio sacerdoti, si petat. Ergo non potest licite fieri quod aliquis confiteatur alteri quam proprio sacerdoti.

Anteced. prob., quia pœnitens cum teneatur proprio sacerdoti confiteri, non est ad ejus obedientia absolutus, per hoc quod alteri est confessus.

Conseq. prob., quia injuriam facit sacramento, qui sacramentum iterat super eamdem materiam, vel ad minus inutiliter facit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ea quæ sunt ordinis, possunt habenti similem ordinem committi ab eo qui ea facere potest. Sed superior, ut Episcopus. potest audire confessionem illius qui est de parochia alicujus Curati-Presbyteri. Unde quandoque aliquos casus sibi reservat, cum Episcopus sit principaliter Rector. Ergo etiam potest committere alteri sacerdoti, quod ipsum audiat.

2. Secerdos-Curatus potest suo parochiano dare licentiam ut alteri confiteatur. Ergo multo fortius ejus superior hoc potest.

Conseq. prob., quia quicquid potest inferior, potest superior.

3. Potestatem quam habet sacerdos in populum, ex qua potest confessiones audire, habet ab Episcopo. Ergo eadem ratione poterit confessiones populi audire alius cui Episcopus eamdem potestatem concedet.

Determinatio.

Conclusio. Potest aliquis ex privilegio vel ex superioris mandato, confiteri alteri quam proprio sacerdoti.

Probatur. Privilegio vel mandato ejus qui jurisdictionem habet et impedimentum executionis ordinis potest removere, potest quis alteri quam proprio sacerdoti confiteri. Sed superior, ut Episcopus vel Papa, habent jurisdictionem et removere possunt impedimentum executionis ordinis. Ergo privilegio et man-

dato Superiorum potest quis alteri quam proprio sacerdoti confiteri.

Maior manifestatur: Nam sacerdos aliquis potest dupliciter impediri, ne alicujus confessionem audiat. Uno modo, propter defectum jurisdictionis, ut sunt sacerdotes non habentes animarum curam. Alio modo, propter impedimentum executionis ordinis, ut sunt excommunicati et degradati, et hujusmodi. Et quia qui jurisdictionem habent, possunt ea quæ sunt jurisdictionis committere; et qui potestatem habent removendi impedimentum, possunt ipsum removere: ideo qui habent jurisdictionem, et potestatem removendi impedimentum, possunt facultatem conferre alicui, ut alteri á proprio sacerdote confiteatur.

Minor manifestatur, quia Papa habet jurisdictionem in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi: unde Papa potest omnium Christi fidelium confessiones audire, sive per se, sive per quemcumque alium sacerdotem: quod potest etiam Episcopus in sua Diœcesi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor: præjudicium enim non fit alicui, nisi ei subtrahatur quod est in favorem ejus indultum. Jurisdictionis autem potestas non est indulta alicui homini in favorem sui, sed in utilitatem plebis et honorem Dei: et ideo si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis, et honorem Dei promovendum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi illis *qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*; et qui gregi præsunt, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter. Uno modo, per solicitem exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum; et in hac cognitione non oportet quod credat subdito; sed certitudinem facti, quantum potest, inquirat. Alio modo, per confesssionis manifestationem: et quantum ad hanc cognisionem, non potest maiorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius: unde in foro confessionis creditur homini, et pro se, et contra se, non autem in foro exterioris judicii: et ideo ad hanc cognitionem sufficit quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti, fuisse confessum: et sic patet quod talis cognitio pecoris, per privilegium alteri indultum de confessione audienda, non impeditur: sufficit enim quod vultus pecoris cognoscatur ab eo qui potestatem habet ligandi et solvendi, sive talem potestatem habeat ex officio, sive ex superioris privilegio vel mandato.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod inconveniens esset si duo æqualiter super eadem plebem constituerentur; sed quod duo, quorum unus principaliter est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens: unde super eamdem plebem immediate sunt, et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa: et quilibet eorum potest ea quæ sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri commitere. Sed si superior committat, qui et principalior est, duplicer potest commitere. Aut ita quod eum cui committit, vice sui constituat, sicut Papa et Episcopus suos poenitentiarios constituunt; et talis sic constitutus, est principalior quam inferior Prælatus: sicut poenitentiarius Papæ, quam Episcopus: et poenitentiarius Episcopi, quam sacerdos parochialis; et magis tenetur ei confitens obedire. Alio modo, ut eum coadjutorem proprii sacerdotis constituat: et quia coadjutor ordinatur ad eum cui datur in coadjutorem, coadjutor est minus principalis; et propterea poenitens non tenetur tantum ei obedire, quantum proprio sacerdoti. Ex quibus patet quod numquam poenitens

obligatur ad obediendum duobus, si contraria et incompossibilia præcipiant.

Ad 4. Negatur antecedens: cum enim nullus teneatur confiteri peccata quæ non habet, si aliquis poenitentiario Episcopi, vel alteri ab Episcopo commissionem habenti confessus fuerit, cum sint sibi dimissa peccata quoad Deum et quoad Ecclesiam, non tenetur ea confiteri proprio sacerdoti, quantumcumque petat. Sed propter statutum Ecclesiæ de confessione facienda proprio sacerdoti semel in anno, eodem modo se debet habere sicut ille qui habet solum venialia; talis enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt: vel profiteri se á peccato mortali immunem esse, et sacerdos ei in foro conscientiæ debet et tenetur credere. Si tamen iterum confiteri teneretur, non frustra primo confessus fuisset, quia quanto pluribus sacerdotibus quis confitetur, tanto ei plus de poena remittitur, tum ex erubescentia confessionis, quæ in poenam satisfactoriam computatur; tum ex vi clavium. Unde toties posset aliquis confiteri quod ab omni poena liberaretur. Nec iteratio facit injuriam sacramento, nisi in illo in quo sanctificatio adhibetur, vel per characteris impressionem, vel per materiæ consecrationem, quorum neutrum est in poenitentia. Unde bonum est, quod ille qui autoritate Episcopi confessionem audit, inducat poenitentem ad hoc quod confiteatur proprio sacerdoti: quod si noluerit, nihilominus eum absolvere debet, cum confessio facta sibi, sufficiens sit ad remissionem peccatorum.

ARTICULUS VI.

Utrum pœnitens possit in fine vitæ á quolibet sacerdote absolvi.

Pro negativa. — Videtur quod poenitens non possit in fine vitæ á quolibet sacerdote absolvi.

1. Qui potest absolvere, habet jurisdictionem super eum quem absolvere potest. Sed ille qui non est proprius sacerdos, non acquirit jurisdictionem super illum quem in fine vitæ poenitet. Ergo non potest illum absolvere.

Conseq. prob., quia ad absolutionem requiritur jurisdictio, ut articulo præcedenti dictum est.

2 Si quilibet sacerdos in articulo mortis posset absolvere á quolibet peccato, sequitur quod non teneatur poenitens, si periculum mortis evadat, proprium sacerdotem adire. Sed hoc est falsum. Ergo non potest sacerdos non proprius á quolibet peccato in mortis articulo poenitentem absolvere.

Consequentia probatur á simili in sacramento baptismi: quia enim quilibet potest in articulo necessitatis baptizare, non tenetur ille qui á non proprio sacerdote baptizatus est, ad proprium sacerdotem pro baptismo recurrere; ita á simili, si ille qui confitetur, á non proprio sacerdote est vere absolutus, non tenetur iterum proprio sacerdoti eadem peccata confiteri.

Falsitas probatur, quia alias proprius sacerdos non cognosceret vultum pecoris sui.

3. Ille qui non est sacerdos, in nullo casu potest absolvere in foro poenitentiali. Ergo ille qui non est proprius sacerdos, in nullo casu potest absolvere eum qui non est sibi subditus.

Conseq. prob. Nam in articulo mortis, sicut licet sacerdoti alieno baptizare, ita licet etiam non sacerdoti; econtra igitur in sacramento poenitentæ, sicut non licet Laïco absolvere in aliquo casu, nec hoc licebit alieno sacerdoti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Potest aliquis in extra necessitate corporali alienis rebus uti, etiam invitis dominis, ad subveniendum corporali necessitati. Ergo multo magis in articulo mortis, ad subveniendum spirituali necessitati, potest quis á non suo sacerdote absolvi.

Conseq. prob., quia necessitas spiritualis est maior quam corporalis.

2. Sunt autoritates quas inducit Magister in dist. 20. lib. 4. Sent. ad hoc probandum.

Determinatio.

Conclusio. Poenitens in mortis articulo potest á quolibet sacerdote absolvi, non solum á peccatis; sed etiam ab excommunicatione, á quocumque lata.

Prob. Sacerdos qui non impeditur per Ecclesiæ ordinationem, potest quemlibet á quolibet peccato, et á qualibet excommunicatione, á quocumque lata, absolvere. Sed nullus sacerdos, in articulo mortis alicujus pœnitentis ex ordinatione Ecclesiæ, ab absolutione peccatorum et excommunicationis impeditur. Ergo quilibet sacerdos potest pœnitentem in mortis articulo, á quolibet peccato et excommunicatione absolvere.

Maior prob., quia quilibet sacerdos, quantum sit ex virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata. Sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est, quia per ordinationem Ecclesiæ habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam. Sacerdos igitur qui ex ordinatione Ecclesiæ non prohibetur ab usu clavium, et non limitatur ei jurisdictio, potest absolvere et á peccatis et ab excommunicatione, cuius absolutio etiam ad usum jurisdictionis pertinet.

Minor prob., quia necessitas legem non habet. Unde in articulo necessitatis, in quo mors imminet, non obstante Ecclesiastica lege, poterit sacerdos virtute clavium quam in ordinatione recepit, in necessitatis articulo constitutum á quolibet peccato et censura absolvere, per quam absolutionem pœnitens consequitur id quod ex absolutione proprii sacerdotis consequeretur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod qui potest absolvere aliquem, habet jurisdictionem super eum, vel saltem jurisdictionis usum. Tunc ad minorem dicitur quod in articulo mortis quilibet sacerdos habet jurisdictionis usum: Nam ea quæ jurisdictionis sunt, committi possunt, et ideo jurisdictione alterius potest quis uti, de alterius voluntate. Quia ergo Ecclesia acceptat, ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso non proprius sacerdos secundum quid usum jurisdictionis habet, quamvis jurisdictione careat. Casus igitur necessitatis facit, ut ille in tali casu usum jurisdictionis habeat, quem extra talem casum non habet.

Ad 2. Conceditur consequentia et negatur falsitas consequentis. Ille enim qui in articulo mortis, urgente necessitate, confessus est alteri á propio sacerdote, non oportet quod recurrat ad proprium sacerdotem, ut iterum peccata eadem ei confiteatur, neque ad eum qui excommunicationem tulit, ut ab ea absolvatur: Sed solum tenetur adire proprium sacerdotem, ut ei innotescat, se fuisse absolutum; et ad judicem á quo lata fuit excommunicatio, offerens satisfactionem, pro absolutione, debitam.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de baptismo et pœnitentia. Baptismus enim habet efficaciam ex ipsa sanctificatione materiæ, et ideo á quocumque conferatur alicui, ille sacramentum recipit. Sed vis sacramentalis pœnitentiæ consistit in sanctificatione ministri, et ideo ille qui laico confitetur, quamvis impleat quod ex parte sua est, de sacramentali confessione, tamen sacramentalem absolutionem non consequitur, et ideo valet ei aliquid, quantum ad diminutionem pœnæ; sed non consequitur illam diminutionem pœnæ quæ est ex vi clavium, et ideo oportet quod iterum eadem peccata confiteatur sacerdoti; et sic confessus laico, magis in alia vita punitur, quam si sacerdoti fuisset confessus.

ARTICULUS VII.

Utrum pœna temporalis taxetur secundum quantitatem culpæ?

Pro negativa.=Videtur, quod poena temporalis, cuius reatus post pœnitentiam manet, non taxetur secundum quantitatem culpæ.

1. Pœna quæ taxatur secundum quantitatem delectationis quæ fuit in peccato, non taxatur secundum quantitatem culpæ. Sed pœna temporalis taxatur secundum quantitatem delectationis quæ fuit in peccato. Ergo pœna temporalis in confessione non taxatur secundum quantitatem culpæ.

Maior prob., quia quandoque ubi est maior delectatio ibi est minor culpa. «Pec«cata enim carnalia plus habent delecta«tionis, et minus de culpa, quam spiritua«lia, ut Greg. dicit.»

Minor prob., quia Apoc. 18. dicitur: «Quantum glorificavit se, et in delitiis «fuit, tantum date illi tormentum et luc«tum.»

2. In veteri lege debebatur pro peccatis pœna septem dierum, ut scilicet septem diebus immundi essent pro uno peccato mortali. Ergo in nova lege, in qua imponitur pœna septennis pro uno peccato mortali, quantitas pœnæ non respicit quantitatem culpæ

Conseq. prob., quia eodem modo homo obligatur ad poenam per peccata mortalia in nova lege, sicut in veteri. Unde cum in veteri, poena respondens quantitati culpæ peccati esset septem dierum, poena septennis quæ in novo testamento imponitur, non poterit quantitati culpæ respondere.

3. Laico pro homicidio imponitur pœna septem annorum, ut dicitur in decret. dist. 50. c. 42. Sacerdoti autem pro fornicatione imponitur poena decem annorum, ut dicitur ibid. dist. 82. c. 5. Ergo poena non taxatur secundum quantitatem culpæ.

Conseq. prob., quia majus est peccatum homicidii in laïco, quam peccatum fornicationis in sacerdote. Et hoc quia circumstantia quæ sumitur ex specie peccati, magis aggravat, quam quæ sumitur ex conditione personæ: cum igitur homicidii gravitas secundum se maior sit quam fornicatio, etiam in sacerdote; et pro homicidio minor poena imponatur, sequitur quod quantitas poenæ non imponatur secundum quantitatem culpæ.

4. Pro effusione sanguinis Christi in sacramento altaris contenti quod est maximum peccatum non, injungitur maxima poenitentia. Ergo temporalis poena non taxatur, secundum quantitatem culpæ.

Anteced. quoad ambas partes prob. Et quod effusio sanguinis Christi sit maximum peccatum. Quia tanto magis quis peccat, quanto maior est ille, in quem peccat. Quod vero huic peccato gravissimo, non imponatur maxima poena, ostenditur. Quia pro hoc peccato imponitur solum poena quadraginta dierum, vel parum amplius: ut patet de consecr. dist. 2. c. 27. et pro fornicatione simplici imponitur poena septennis, ut habetur dist. 82. num. 5.

Conseq. patet quia maiori peccato, maior poena esset imponenda, si poena imponeretur secundum gravitatem culpæ.

PRO AFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Isaiæ 27. dicitur: «In mensura con«tra mensuram, cum abjecta fuerit, ju«dicabis eam.» Ergo quantitas punitionis peccati est secundum quantitatem culpæ.

2. Homo reducitur ad æqualitatem justitiæ per poenam inflictam. Ergo poena debet culpæ respondere.

Conseq. prob., quia non reduceretur homo ad æqualitatem justitiæ, si quantitas poenæ non esset quantitati culpæ æqualis.

Determinatio.

1.° *Distinctio.* Poena temporalis peccatorum duplex est, scilicet presentis vitæ, et purgatorii in alia vita.

Distinctio. Poena post dimissionem peccatorum exigitur ad dimissionem culpæ propter duo, scilicet vel ad solvendum debitum, vel ad prestandum remedium contra futura peccata. Poena hujus vitæ potest propter utrumque exigi: poena vero Purgatorii solum exigitur ad solvendum debitum.

1.ª Conclusio. Poena temporalis præsentis vitæ, quæ imponitur solum ad solvendum debitum, debet respondere radicaliter quantitati culpæ.

Quæ conclusio declaratur, primo quantum ad illum terminum (radicaliter.) Nam poena temporalis pro peccato debita dupliciter consideratur. Uno modo, antequam de ea sit aliquid per contritionem dimisum: dimittitur enim per contritionem non solum culpa, sed etiam quandoque aliqua pars poenæ pro peccato debitæ, ut supra quæst. 95. dictum est. Alio modo, ut per contritionem, est secundum aliquam sui partem remissa, si igitur per contritionem nulla pars poenæ sit dimissa, debet taxari poena respondens simpliciter quantitati culpæ, quod intelligimus per ly (radicaliter.) Si vero contritio tanta sit, quod remittat aliquam poenæ partem, tunc non debet taxari poena in confessione imponenda, secundum quantitatem culpæ, sed debet esse minor; quia quanto per contritionem plus de poena dimissum est, tanto per confessionem minus restat dimittendum.

Probant autem conclusionem hanc duo argumenta facta pro affirmativa, scilicet autoritas Prophetæ et ratio.

2.ª Conclusio. Si poena imponatur in confessione ad remedium, vel illius qui peccavit, vel aliorum, non est taxanda ex necessitate secundum quantitatem culpæ, sed quandoque pro minori peccato est maior poena imponenda.

Manifestatur: triplici enim ratione accidere potest quod pro minori peccato maior poena in remedium sit injungenda. Primo, quia peccato unius difficilius resisti potest, quam peccato alterius: sicut juveni imponitur pro fornicatione maior poena quam seni, quamvis juvenis minus peccet, quia scilicet juvenis maiori remedio indiget. Secundo, quia in illo peccatum est periculosius, sicut sacerdoti etiam pro minori peccato maior penitentia imponitur quam Laïco, quia peccatum sacerdotis periculosius est. Tertio, quia multitudo est ad illud peccatum pronior, propter quod per poenam unius alii sunt exterrendi. Quia igitur in foro conscientiæ taxanda est poena, et quantum ad debitum, et quantum ad remedium. ideo non debet taxari semper secundum quantitatem culpæ.

3.ª Conclusio. Pœna purgatorii semper taxatur secundum quantitatem peccati, considerata tamen contritionis quantitate, et confessione, et absolutione.

Probatur quoad primam partem, quia poena purgatorii non est ad remedium, sed solum ad solvendum debitum, quia ulterius non manet locus peccandi.

Altera pars probatur, quia per contritionem, et confessionem, et per absolutionem, aliquid de pœna dimittitur: unde hæc tria sunt consideranda á sacerdote, quando satisfactionem injungit: si enim quis magnam habeat contritionem, et magnam ostendat devotionem in confitendo peccata, minor poena est ei imponenda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod in verbis illis citatis duo tanguntur ex parte culpæ, scilicet glorificatio, et delitiæ, sive dilectatio: quorum primum pertinet ad electionem peccantis, qua Deo resistit; secundum ad delectationem peccati. Quamvis autem in maiori peccato sit quandoque minor delectatio, tamen in maiori peccato semper est maior elatio: unde ex illis verbis non habetur quod quantitas poenæ taxetur secundum delectationem, sed secundum elationem quæ per glorificationem signatur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod illa poena septem dierum non erat expiativa á poena debita peccato: unde etiam si post illos dies poenitens mortuus fuisset, in purgatorio punitus fuisset; sed expiabatur ab irregularitate, á qua omnia legalia sacrificia expiabant.

Dicitur tamen secundo, negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod (ceteris paribus) plus peccat homo in nova lege quam peccaret in veteri lege, propter sanctificationem ampliorem qua sanctificatur in baptismo, et propter Dei beneficia potiora, humano generi exhibita: quod patet ex hoc quod dicitur ad Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, etc.*

Dicitur etiam tertio ad consequens, quod non est universaliter verum, quod pro quolibet peccato mortali exigatur septennis poenitentia; sed hæc est quasi quædam communis regula, ut in pluribus competens, quam tamen oportet omittere, consideratis diversis peccatorum et poenitentium circumstantiis.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Episcopus vel sacerdos cum maiori periculo suo et aliorum peccat, et ideo sollicitius retrahunt eum canones á peccato, quam alios, maiorem poenam injungendo, secundum quod poena est in remedium, quamvis quandoque non debeatur ei tanta poena ex debito. Probat igitur hoc argumentum secundam conclusionem.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod poena illa quæ sacerdoti imponitur pro effusione sanguinis Christi, intelligenda est, quando nollente sacerdote hoc accidit, quando nullum potest esse peccatum: si enim sponte effunderet, multo graviori poena dignus esset.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 98.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem confutes hæresim *Lutheri* dicentis, confessionem audire, et poenitentem absolvere posse omnes homines cujuscumque conditionis fuerint. Nec obstat, quod ille negaret radicem probationis conclusionis D. Th. sacramenta videlicet conferre gratiam: quoniam Lutherus ipse sacramenta non conferre gratiam artic. suo 1. per Roffensem adducto affirmat. Nec etiam obstat, quod negaret ipse, confessionem esse sacramentum, ut supra qu. 6. art. 2. ipsum hoc erronee negantem in apppend. vidimus. Item non obstat, quod Valdanses (Part. *Pauperes de Lugduno*) quasi faventes Lutheranæ positioni in principio narratæ negarent D. Tho. probationis vim illam, sacerdotem videlicet solum consecrare Eucharistiam: quoniam dicunt, omnem hominem justum suæ factionis, etiam si laicus fuerit, posse consecrare corpus Christi. Sublato enim hoc fundamento, quod scilicet solus sacerdos consecrare possit corpus Christi, nonne statim vides hæresim Lutheranam sequi, quod laici confessionem audire, et absolvere possunt? Hæc, inquam, non obstant, idest non faciunt, quod D. Thomæ ratio in corpore articuli adducta minoris efficacie sit contra hæresim Lutheri primo allatam. Quod enim sacramenta novæ legis conferant gratiam, patet 3. par. qu. 62. ar. 1. in decreto *Eugenii IV.* sacro approbante Conc. Florent. de sacramentis dato Armenis, et in Concil. Trid. sess. 7. can. 6. 7. 8. de sacramentis, ubi etiam anathematizatur contrarium, et in bulla Leonis X. ubi positio Lutheri de negatione collationis gratiæ narratur, atque damnatur, vide bullam illam in 4. tomo Concil. post Conc. Lateran. sub eodem Leone: vide et Roffensem contra Lutheri articulum illum primum mirilice pugnantem, eumque legitime expugnantem. Quod autem confessio sit sacramentum, patet supra q.

6. art. 2. append. per auctoritates canonice concludentes. Quod vero solus sacerdos corpus Christi consecrare possit, patet 3. par. qu. 82. art. 1. et in Conc. Trid. sess. 23. ca. 1. 4. et can. 1. 6. et in Hymno secundo Corporis Christi ab Ecclesia solemniter approbato, ubi de consecratione sacramenti Eucharistiæ loquendo dicitur, « sic sacrificium istud instituit, cujus Officium committi voluit solis presbyteris.»

Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam Lutheri in principio dictam damnari merito á Conc. Trid. sess. 14. c. 6. " Declarat sancta Synodus, falsas esse, et á veritate Evangelii poenitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt. » Et Can. 10. " Si quis dixerit, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum, quæcumque ligaveritis, etc. quæcumque solveritis, etc. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, etc. anathema sit.» Item merito, etc. ut supra qu. 6. art. 1. et 2. maximæ in append. Item á, etc. ut nunc supra in corollar. post. ad 3. Item ab Eugenio IV. in suo Decr. de sacram. ubi, sacro approbante Concilio Florent. dicit: « secunda pars poenitentiæ scilicet, est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. » Item ab Innocentio III. in Concil. Later. sic ca. 21. dicente: " Omnis utriusque sexus omnia peccata sua confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, vel alieno, prius tamen impetrata venia á proprio sacerdote, quoniam aliter ille ipsum non potest absolvere, vel ligare. » Et recitatur extr. de poenit. et remis. cap. Omnis. Ecce, quod, Papa testante, nec sacerdos potest alterius parochianum absolvere, illius curati venia non impetrata, ergo secundum Papam multo minus laici possunt absolvere sibi confitentes. ut ait sup. Lutherus. Ergo secundum Papam soli sacerdoti, tamquam Christi ministro, facienda confessio est. Item a Leone X. in Bulla Lutheri errores damnante. Dum enim damnat hunc verbaliter dicentem, « in poenitentiæ sacramento ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus sacerdos, immo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier, aut puer esset;» dum, inquam, verbaliter sic jacentem damnat, virtualiter et damnasse vult similem huic in principio appendicis dictum, ut patet. Vide damnationem hanc supra qu. 1. ar. 1. Ad forsan. Lutherus hæresim suam prædictam alia quadam via defendere voluit, dum inquit (Prat. teste, tit. Lutherani) christianos omnes sacerdotes esse, et æqualem habere potestatem, nulla status, aut sextus discretione facta. Sic enim et soli sacerdoti (ut ait S. Th. concl.) et nihilominus cuilibet Christiano laico pro absolutione confessio fiet (ut Lutherus contendit.) Ceterum hæresis hæresim peperit, et damnata damnandam. Hæc siquidem, quam postremo retulimus, damnatur a Conc. Trid. sess. 23. c. 4. sic: " Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut pari omnes inter se potestate spirituali prædictos, afirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est, ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. » Et huic suæ doctrinæ Synodus eadem correspondens can. 6. ait; " Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbiteris, et ministris: anathema sit. » Hoc autem dicit, qui eam confundit; et eam confundit, *qui omnes christianos promiscue*, etc. (ut sup. ex eodem Conc.) ergo Lutheri positio, quæ hæc dixit, pro hæresi nunc damnata est. Item damnatur á Sinodo Octava generali. Ad hanc enim Synodum, cum jam esset ad calcem perducta, Basilius Imperator post lectionem orationis suæ dixit; « dicat nunc quicumque voluerit ex sedentibus in hac sancta, et universali Synodo, in quo istorum hæsitet, vel ambigat, quæ nunc lecta sunt, et sancta Synodus exclamavit: omnibus placent, quæ lecta sunt, omnes iisdem ipsis concordamus, omnes libenter subscribimus. Antea autem in eadem oratione Basilii lecta fuerant hæc verba: de vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non ha-

beo, quam, quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, et universali sinodo adversari. Hæc enim investigare, et querere, Patriarcharum Pontificum et sacerdotum est: qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, et ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, et cœlestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel á ligamento solvi egemus. Quantæcumque enim religionis, et sapientiæ laicus existat, vel etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet. Rursus: episcopus, quantacumque sit irreverentia plenus, et nudus omni virtute, donec antistes est, et veritatis verbum recte prædicaverit, pastoralis vocationis: et dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ovium, constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, et ea, quæ supra nos sunt, quærendi, et abiendi potestatem habent. Oportet nos ergo cum timore, et fide sincera hos audire, et facies eorum vereri) cum sint ministri Domini omnipotentis, et hujus formam possideant:) et nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem (ut videmus) adeo multos malitia in insaniam accendit, ut obliviscentes proprii ordinis, et quod pedes sint minime cogitantes, legem ponere velint oculis (non ut natura se habet) sicut ipsi cupiunt, et singuli ad accusandum quidem majores semper existunt promptissimi, ad corrigendum autem ea, in quibus accusantur, et criminantur, pigerrimi. Et moneo, et exhortor omnes, qui tales sunt: ut maledictum, et alternum odium avertentes, et judicare judices desinentes, attendant sibi, et secundum divinam voluntatem conversari contendant. Nam non quiescet supernum judicium: sed contra dissidentes divinus furor stillabit, et justam ultionem opere cunctis ostendet.» Hæc ibi: et ponitur ista Basilii oratio in fine Synodi 8. generalis. Ergo, secundum istam, Basilio (ut vidimus) subscribentem, Laici etiam in dignitate imperiali constituti non habent potestatem ligandi, aut solvendi, non claves cœlestes, atque ecclesiasticas habent: atque ideo sacerdotes non sunt, nec eis pro absolutione confitendum est. Vide, Lutherus etiam mulieribus, puerisque (infandum profecto) potestatem absolvendi, etiam Papalem, tribuit: et imperator hanc ipsam, etiam sacerdotalem, tam sibi, quam ceteris omnibus laicis non competere, liquido fatetur Lutherus laicos de Synodis, sicut ipsi cupiunt, judicare posse contendit, statuta illarum discutiendi, quærendi, ambiendi, potestatem laicis attribuit: et Imperator hoc esse contra naturam efficacissime decernit, utpote, quod pedes legem ponere velint oculis. Vide. Si tanta pœnam comminatur á Deo laicis, Imperator, tam monstruosa attentantibus, quantam putas manere Luthero, Calvino, atque similibus, qui laicos talia præsumere docuerunt? Consule Roffensem in loco supra in coroll. post ad 3. allegato. *Tertio* habes: quomodo per rationem antedictam tum imperatoris, tum Conciliorum, pro quanto soli sacerdoti insinuant faciendam esse confessionem, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem quasi á fortiori rejicias hæreses Jacobitarum, Lutheri, Valdensium, Albanensium, ut supra qu. 6. art. 1. append. concorditer dicentium, confessionem non esse necessariam. Adeo enim necessarium est confiteri sacerdoti, ut necessitas ipsa causet, quod licitum sit, in absentia sacerdotis concurrente necessitatis casu confiteri laico ex desiderio sacerdotis. Item hæresim Joannis Wicleff, ut 3. par. quæst. 69. art. 1. append. dicentis, quod si contritio adsit, confessio exterior omnis est sibi inutilis, et superflua. Vides enim hic, quod contrito in casu necessitatis confesso etiam laico confessio est utilis: cum á summo sacerdote talis tunc absolvatur, ut infra ad 1. Item hæresim Manichæorum, supra quæst. 6. art. 2. append. dicentium, quod confessio peccatorum facta sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ nihil valet ad salutem. Si enim confessio facta etiam laico ex desiderio sacerdotis Romanæ Ecclesiæ valet ad salutem, ut hic dicitur, et verum est; multo utique magis facta sacerdoti Romanæ Ecclesiæ valebit ad salutem, ut patet. Ex desiderio, inquam, sacerdotis Romanæ Ecclesiæ: quoniam textus alium sen-

sum non habet. Nullum siquidem verum est sacerdotium extra Romanam Ecclesiam, quod scil. ab ipsa non dependeat, et ab ipsa non instituatur. Omnes enim Christi Ecclesiæ ad unam referuntur, tamquam ad suam matrem, et magistram, ad Romanam scil. Ecclesiam. Hoc significavit Nicolaus Primus Papa, quando de Romana Ecclesia, et sede Apostolica scribens, ait: « Omnes, sive patriarchæ cujuslibet apicem sive metropolis primatus, sive Episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem, instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ipse fundavit et supra petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul, et cœlestis imperii jura commissit.» Hæc ille, et recitatur in Decr. volum. dist. 22. cap. 1. Mediolanensibus. Hoc idem ostendit Conc. Trid. sess. 23. c. 4. « Docet sacrosanta Synodus, in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, et ceterorum ordinum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo á populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti ad hæc ministeria ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures, et latrones, per ostium non ingressos habendos esse. » Et can. 7. « Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt: sed aliunde veniunt: legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros; anathema sit. » Quid autem per Ecclesiasticam, et canonicam potestatem isto in loco intellexerit, hoc idem Concilium insinuat, dum sess. 7. can. 3. de Baptismo, et sess. 14 can. 3. de extrema unctione, et sess. 22. can. 8. et sess. 2. de delectu ciborum, dicit, sanctam Romanam Ecclesiam esse omnium Christi Ecclesiarum matrem, et magistram. Si qui ergo sacerdotes sunt quorum ordinatio á Romana Ecclesia: tamquam á sua matre, et magistra non dependeat, hi procul dubio sacerdotes Domini non sunt. Unde Anacletus Papa natione Græcus illud ipsum insinuans in ep. 2. universis Episcopis per Italiam constitutis, ait: « Breviter, prout Dominus tribuit, et ut á B. Petro principe Apostolorum sumus instructi, á quo et presbyter sum ordinatus, scribere vobis, sicut petiistis, non denegavimus, ordinationes episcoporum, auctoritate Apostolica, ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, episcopis sunt celebranda, etc. Reliqui vero sacerdotes á proprio ordinentur Episcopo. Hæc ibi; et recitatur in decr. dist. 74. 75. ordinationes Episcoporum. Idem in ep. 3. omnibus Episcopis, ac reliquis Christi sacerdotibus, ait: " Sacerdotum fratres, ordo bipartitus est: et, sicut Dominus illum instituit, á nullo debet perturbari. Scitis autem, á Domino Apostolus esse electos, et constitutos, et postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta duos elegi præcepit, discipulos, Episcopi vero Apostolorum Domini, presbyteri autem septuaginta duorum discipulorum, locum tennet, etc. Amplius, quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis á Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt, etc. Hæc vero sacrosanta Romana, et Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro, primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, etc. Adhibita est etiam societas in eadem Romana Urbe Beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis; qui uno die, unoquoque tempore, gloriosa morte cum Petro, sub principe Nerone, agonizans coronatus est: et ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisque universis Urbibus in universo mundo eam sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. » Hæc ibi: quorum ultima par recitatur in decr. dist. 22. sacrosancta Romana. Patet ergo ex prædictis, quod, cum soli Petro, datæ sint claves regni cœlorum ad solvendum, et ligandum, nullus omnino potest esse verus sacerdos, nisi is, qui auctoritate Petri (hanc auctoritatem Anacletus supra vocavit auctoritatem Apostolicam, quando dixit *ordinationes Episcoporum autoritate Apostolica*) consecratur sacerdos. Sic enim

plures sacerdotes per consecrationem auctoritate ejus factam habent claves, licet uni soli datæ sint: quia ab ipso Petro istas quamvis non æqualiter, habent. Ex præmissis ergo omnibus jam declaratum est, quid intelligat extus D. Thomæ per ly sacerdotis, et hoc contra hæreticos. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses in princ. append. dictas danari á, etc. ut sup. quæst. 6. art. 1. et 2. append. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse á Conc. Trid. sess. 14 can. 5. sic. « Venialia, quibus á gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem præsumptionem, in confessione dicantur (quod priorum hominum usus demonstrat) taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Hæc ibi: et sess. 6. c. 11 licet enim in hac mortali vita quantumvis Sancti, et Justi in levia saltem, et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadunt: non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est humilis, et verax. Dimitte nobis debita nostra. Item merito dictum a decretorum can. de quotidianis, de poenitent. di. 3. ubi legitur sic. " De quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiano oratio fidelium satisfaciat. Eorum enim est dicere, Pater noster, qui es in coelis, qui jam taliter patri regenerati sunt ex aqua, et Spiritu Sancto: delet omnino hæc oratio minima quotidiana peccata. » Hæc ibi ex Joann. Chrys. Item á Decretorum eorumdem ca. ad huc in eod. tit. ubi in fine legitur sic. « Non requirit, quid Apostolus senserit, qui dixit: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Sciens etiam justis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato: qui se cognovit indissolubili vinculo caritatis junctum Christo. Nisi enim sciret, justos sæpe venire ad veniam, quomodo dubitaret se peccare, qui sciebat se spiritum Dei habere, et intentione mundissima ei servire? Cur enim Dominus Petri pedes levisset et ecclesia hoc idem docuisset, nisi, quoniam quotidiana est offensio, oportet, ut quotidiana sit remissio? cur docuisset orantes dicere: dimitte nobis debita nostra, nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult delicere? Hæc ibi ex Augustino. Ubi patet, quod Apostolus per hoc, quod dicit: *non in hoc justificatus sum*, vult significare, quod ex eo, quod non est sibi conscius delicti venialis, non sequitur, quod revera ipse sit absque peccato veniali. Adeo quod accipitur hoc nomen justificatus, pro rem ipsam correspondere opinioni B. Pauli; non autem pro esse in gratia Dei. Sciebat siquidem Apostolus ex divina revelatione, se esse justum et in gratia Dei: sed nesciebat: utrum huic suæ opinioni, scil. non esse sibi conscium peccati venialis, in re ipsa corresponderet, hoc scilicet non esse sine peccato veniali. Hæc dicta sint pro explananda interpretatione illa decretata Augustini super verbis præmissis Apostoli. Item per præsentis articuli rationem ostendere potes: merito ab Alexandro I. et martire, et Papa IV. post Petrum fuisse dictum sic. « Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac putificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam: si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat: multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat, atque mundat. Et, si sale asperso per Helisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat, atque mundat, et expurgat, et cætera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit, et á phantasmatis versutiis homines defendit? Nam, si tactu fimbriæ vestimenti salvatoris salvatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis virtute sacrorum ejus verborum divinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis, et animæ humana percipit fragilitas? His ergo, et aliis instructi documentis vota singulorum, Domini Sacerdotes, respicite, et in virtute Spiritus Sancti divinis precibus, per ministerium vobis divinitus collatum, perficere certate. Elementa quoque tam ea, quæ prædiximus, quam cætera divinis apta usibus, et humanis necessaria infirmitatibus, sacrate: infirmos curate, et cætera, quæ ad vos pertinent, diligenter curate. » Haec ille Papa in Epist. 1. ad omnes orthodoxos: et pro bona parte recitan-

tur de consecr. dist. 2. Aquam sale conspersam. In epist. Alexandri notabis ab illo loco: elementa quoque, etc. usque in finem, quod benedictiones ignis, incensi, pomorum, frumentorum, uvarum, candelarum, vestium, ovorum, caseorum, carnium, cinerum, palmarum, et hujusmodi, in primitiva Ecclesia etiam fiebant, et fieri á Rom. Pont. mandabantur. Unde tales antiquissimi ritus sunt ab omnibus venerandi, et quanto antiquiores, ac per hoc Apostolis. Christoque propinquiores, tanto sanctiores habendi. *Secundo* habes: quomodo per rationem praemissa concilii, decreti, Papae, pro quanto venialia non necessario sacerdoti confitenda, vel etiam aliis remediis citra confessionem expiari posse, decernunt: quomodo, inquam, per rationem probes, declares, tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas haeresim *Pauperum de Lugduno*, ex summa fratris Iconeti, 5. p. c. 3. in bibliotheca Vaticana, manuscripta, dicentium, laicus quilibet bonus, et sciens, potest absolvere. et poenitentiam imponere. Item Valdensium, Direc. Inquisit. 2. par. q. 14. dicentium, laicos tam viros, quam mulieres, qui sint de secta ipsorum, posse confessiones sacramentales audire. Si enim non omnis sacerdos, sed tantum proprius, potest confessiones audire, et absolvere, ut verum est per istum articulum, multo magis nullus laicus, quantæcumque bonitatis, et literaturae, poterit sacramentum confessionis alicui impendere. Nam jurisdictio, et ordo requiruntur ad hujuscemodi ministerium, quæ in laico, quantumcumque alias bono, atque sapiente, non sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem demonstres, has merito damnari á, etc. ut quaest. ista, art. 1. et 2. spend. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, recte esse determinatum á Papa Innocentio III. in Concilio Later. sic: "omnis confiteatur omnia sua peccata proprio sacerdoti, vel alieno: prius tamen á proprio sacerdote impetrata venia, quoniam, aliter ille ipsum non potest absolvere, vel ligare." Item á Papa Eugen. IV. in Decreto Armenis dato sacro approbante Concilio Florentino sic. "Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter." Quod autem intelligat per ly suo sacerdoti, proprium sacerdotem, patet ex hoc, quod subdit. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione." Ubi per ly auctoritatem, intelligit juridictionem, per ly ordinariam, vel ex commissione, signat, quod proprius sacerdos, aut est proprius ordinarius, aut delegatus. Vide supra corollarium post respons. ad 3. Item: quomodo per rationem ostendas, a Concilio Trident. sess. 14. canon. 8. esse merito determinatum, quod omnes confiteantur proprio sacerdoti, vel alieno de licentia ejus. Ibi enim dicitur sic. "Si quis dixerit, ad confessionem non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, etc. Anathema sit." Constitutio autem Concilii Lateran. sub Innocentio III. quæ jam nunc adducta fuit ad literam, continet, et quod homo confiteatur saltem semel in anno, et quod proprio, vel alieno de licentia proprii confiteatur. Per hoc igitur, quod Trid. Concil. decernit, omnes teneri non solum ad confessionem, sed et juxta Concil. Later. ad illam teneri, aperit, quod tenetur quilibet proprio sacerdoti, vel alteri de ipsius assensu, confiteri. Item ab eodem Concilio Trident. sess. 24. cap. 13. de reform. sic. "In his quoque civitatibus, ac locis, ubi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue pœtentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas, propiasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et á quo solo licite sacramenta suscipiant." Item á synodo Aquisgranensi cap 16. "Communi consensu insuper consuimus: ut, ubicumque possibile fuerit unicuique Ecclesiæ suus provideatur ab ipsis presbyter; ut per se eam tenere possit, aut etiam priori presbitero subjugatus ministerium sacerdotale perficere possit. Quia in multis locis pericula presbiterorum imminentia perspeximus, videlicet in officiis divinis, quamquam missa-

rum celebrationes per omnes Ecclesias sibi commissas agere possent: cætera officia quæ ad divinum cultum pertinent, propter impossibilitatem, et multitudinem ecclesiarum quodammodo neglectu elapsa: similiter, et prævidentiæ in baptismate infirmorum, et in confessione quærentium atque in communione periclitantium, per plura remansisse. Ideoque congruentius, ut supra dictum est, omnibus videtur, cuique congruere Ecclesiæ proprium habere presbyterum.» Distinctio igitur parochiarum propriis presbyteris insignitarum apperte declarat, quod debet quilibet proprio parocho confiteri. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errores *Joannis de Poliaco* (Card. Turrecremata, de Ecclesia lib. 4. cap. 37. par. 2.) dicentis confitendum non est fratribus mendicantibus; et qui ipsis, vel aliis habentibus privilegium generale audiendi confessiones, est confessus, iterum confiteri tenetur curato, tamquam proprio sacerdoti. Item dicentis: stante statuto, omnis utriusque sexus, Papa non potest facere, quin parochiani teneantur quoto quoque anno omnia peccata sua confiteri propio sacerdoti, scil. curato, immo nec Deus ipse, quia hoc implicat contradictionem. Item dicentis; Papa non potest dare potestatem generalem, immo nec Deus ipse, audiendi confessiones: quin confessus habenti talem facultatem teneatur confiteri idem proprio sacerdoti, sc. curato. Item dicentis, quod Papa, licet sit principalior parochialium, non est tamen immediate aliorum curatus, sive non habet immediate curam aliorum. Item dicentis: quod Papa non potest audire confessiones parochianorum, quin teneantur eadem peccata, quæ Papae confessi sunt, confiteri parochialibus sacerdotibus. Hi duo ultimi referuntur, et reprobantur á Cardinali Turrecremata, de Ecclesia, lib. 2. cap. 65. Contra autem omnes hos errores pugnat articuli praesentis ratio, dum jurisdictionem tantum esse necessarium, tamquam de substantia confessionis, ex art. 4. praesupposuit; et talem jurisdictionem posse per commissionem aliquibus communicari probat. Quod autem ordinariam jurisdictionem habenti quis confiteatur, non est de substantia confessionis, sed tantum de bene esse, ut etiam ex Concilii, Trid. sess. 24. cap. 13. et Aquisgran. cap. 16. supra art. 4. append. patuit. Nam ly pro tutiori, et ly congruentius, ostendunt, quod hoc est ad bene esse, quantum est ex parte substantiae, confessionis, licet non, quantum est ex parte praecepti ecclesiastici, Omnis utriusque sexus, sit de necessitate. Ablata igitur ista necessitate quoad aliquos per privilegium, aut mandatum Papae, poterit quis licite confiteri privilegiatis, ita quod non teneatur eadem reconfiteri curato. Unde contrarium dicere, est negare, quod Papa habeat auctoritatem dispensandi super omne jus positivum, contra supradicta qu. 6. art. 6. Secus autem esset, si confiteri habenti jurisdictionem ordinariam esset de substantia necessaria confessionis: cum Papa non possit jus divinum mutare ex Concilio Trident. sess. 21. cap. 2. per ly *salva eorum substantia*. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito fuisse damnatos á Papa Eugenio IV. in decret. Sacro approbante Concil. Florentino, cum dicit, sufficere, quod quis confiteatur sacerdoti habenti auctoritatem absolvendi ex commissione superioris, quamvis non ordinariam. Verba hujus formaliter allegantur supra art. 4. append. Item ab Innocentio III. in ca. Omnibus utriusque, ubi confessum sacerdoti alieno de licentia curati habet pro vere confesso: ita ut praecepto Ecclesiae satisfecerit. Vide verba hujus art. 4. append. Unde contra literam hanc ignorantes, et tamen de scientia statuti hujus gloriantes, patet ad plenum, quod de licentia Papae, vel Episcopi potest quis confiteri alteri, ita quod ad reconfitendum non teneatur. Si enim curatus potest dare talem licentiam, ut ipsi textus apices docent: multo magis poterit curato superior. Quod si neges, inquiens, quod in praejudicium curati superior non potest, vel saltem non debet dare privilegium, vel mandatum: responsum jam esse noveris per solutionem primi argumenti in praesenti articulo. Item á multis Romanis Pontificibus per hoc, quod multa privilegia de confessionibus audiendis dederunt, ut in eorum privilegiis, maxime in mari magno, patet, mendicantibus, et aliis. Unde suo facto declararunt, quod de jure possunt. Nemo

enim judicabit primam sedem, neque Clerus, neque Augustus, neque Rex, neque Populus, ut habetur ex Concilio Romano sub praesentia S. Sylvestri Papae, ca. 20. et in decr. 9. quaest. 3. Nemo judicabit. Quinimmo sic agentes summi Pontifices bene fecerunt, ut specialiter ostenditur art. 4. ad 6. per ly « potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Item á Papa Gregorio IX. per hoc, quod in principio libri decretalium dicit, Raymundum esse poenitentiarum suum. Hic fuit S. Raymundus Catalanus Barchinonensis, Ordinis Praedicatorum, Doctor excellentissimus in jure canonico, cui et Papa Gregorius praedictus compilationem decretalium, ut inibi dicitur, commissit: qui et generalis tertius ordinis ejusdem fuit multisque miraculis claruit, utpote qui, ut legitur, plusquam triginta mortuos suscitaverit. Haec dicta sint ad hoc, ut certo sciant omnes, tam sanctum, tam doctum, tam eximium virum, numquam se passurum fuisse, quod in officium pœnitentiarii assumeretur, nisi proculdubio novisset, quod ex commissione Papae potest quis absque parochialium sacerdotum consensu confessiones audire. Item á Conc. Trident. sess. 25. de regular. cap. 10. " attendant diligenter Episcopi, et ceteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admonentur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut ea se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas. Praeter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, et aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. » Ubi ad litteram patet, quod etiam extraordinarius confessor potest absque eo, quod ordinario eadem reconfiteantur, audire peccata, ab iisque absolvere ita perfecte, ut ad sacrosanctam Eucharistiam suscipiendam post confessionem ipsa accedere possint. Item á Papa Joanne XXII. in extrav. vas electionis. Narratis enim illis erroribus Joannis de Pauliaco, ibi subinfertur. « Praedictos articulos, et quemlibet eorum, tamquam falsos, et erroneos, et á doctrina sacra devios auctoritate apostolica condemnamus, et reprobamus, de fratrum nostrorum consilio, et contrariam esse catholicam fidem asserimus, scilicet, quod illi, qui praedictis fratribus confitentur, magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi fuissent eorum proprio sacerdoti, juxta concilium generale. » Ergo á fortiori condemnantur per hæc ultimi errores duo etiam prædicti. Per Concilium generale intellige Lateranense sub Innocentio III. Omnis utriusque sexus. Non ergo verum est, quod hoc implicet contradictionem (quod tamen dicebant errores quidam supradicti) stante statuto illo, ut patuit ex litteris statuti ejusdem. Desistant igitur inscii ponere in cœlum os suum, idest omnipotentiam Dei facere aliquo modo infirmam sub prætextu contradictionis in objecto: quoniam sæpe, ut hic, fallentur, contradictionem ponentes, ubi non est: et consequenter adversus Dei omnipotentiam, vel ignoranter blasphemantes. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa Pontificum summorum, atque Conciliorum dicta, pro quanto aliis, quam proprio parocho, statuunt, vel ex privilegio, vel mandato superioris posse aliquem confiteri, et declares, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse definitum à Concil. Trid. sess. 14. ca. 7. de pœnit. quod in fine vitæ potest quis á quolibet sacerdote absolvi. Ibi enim dicitur sic: " Quoniam natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, qnæ á Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis om-

nibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate; præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit: ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes á quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. » Ubi habes inter alia multa, " quod quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata, *et* excommunicationes, » ut dicit in tex. S. Doctor: " sed, quod non possit, est quia habet jurisdictionem limitatam ab Ecclesiae ordinatione. » Per hoc enim, quod dicit Concilium: *atque ideo omnes sacerdotes quoslibet*, etc. aperit, quod istud non posse absolvere semper quoslibet, provenit ex eo, quod Ecclesia sacerdotibus limitat jurisdictionem: qua limitatione per ejusdem Ecclesiae consensum sublata in articulo mortis potest quilibet sacerdos quoslibet etc. habes quoque ex Concilio ibi: veruntamen, etc. id, quod hic legis in responsione ad primum, quod scilicet per Ecclesiae voluntatem iste sacerdos tunc habet usum jurisdictionis universaliter absolvendi. Adduxi fusius Concilii sacri definitionem, quoniam multa faciunt ad praedicta in 4. et 5. de jurisdictione. Vide tu ibi, et bene applica, ex praemissa enim definitione Synodi patet, damnatam esse haeresim Marsilii de Padua, et Joannis de Janduno, ut refert Cardinalis Turrecremata, de Eccl. lib. 4. cap. 37. dicentium, quod Papa, Archiepiscopus, Episcopus, et simplex sacerdos, sunt omnes aequalis auctoritatis, ac jurisdictionis ex institutione Christi: sed, quod unus plus habeat alio, est ex concessione imperatoris: et sicut concessit, ita revocare potest. Contra enim dicitur per Concil. ibi: *quando omnia, quæ á Deo sunt, ordinata*, etc. quod talis jurisdictio est ex potestate sibi tradita á Christo. Praedamnata enim fuerat talis haeresis á Papa Joanne XXII. *in extr. licet. juxt. doct.* Item á Concilio Constantiensi sess. 15. damnante omnes articulos Joan. Huss, inter quos erat n. 9. iste sub his verbis: *papalis dignitas á cæsare inolevit, et Papæ præfectio, et institutio á cæsaris potentia emanavit*, in idem enim redit iste aliqualiter cum illo Paduani, et Janduni. Vide damnationem Joan Huss supra quaest. 2. art. 2. append. et quaest. 1. art. 1. append. de Wicleff. Item per articuli rationem ostendere potes, merito insinuatum illud in principio dictum á decretali, *de offio. jud. ord. cap. pastoralis de sent. excommun. cap. Conquestus, et eod. tit. in* 6. *cap. quicumque et de pœnit. in Clem. c. Cupientes, et de privil. in extr. com. cap. inter cunctas.* Item insinuatum á quotidianis Bullis; ubi, quantumcumque Papa aliquando sibi reservat absolutionem, tamen exceptionem hanc *nisi in articulo mortis*, semper apponit: per hoc manifestans Ecclesiæ intentionem circa usum jurisdictionis tunc, qualem dixit B. Thomas. *Secundo* habes: quomodo per rationem, præmissa omnium patrum nostrorum dicta pro quanto in fine vitæ quemlibet á quolibet sacerdote de quibuslibet, tum censuris, tum peccatis audiri posse statuunt, et absolvi declares, probes, defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á scripturis, á Papa, á Conciliis modum taxandi poenam pro culpis: ut supra quæst. 3. art. 3. append. Vide ibi: bene applica ad propositum praesentis articuli. Item merito dictum á Concilio Trident. sess. 14. cap. 8. " Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, et propidentia suggesserint, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum, peccatorum participes efficiantur. Ha-

beant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem.» Item á Concilio Carthaginensi 3. á generali 6. synodo in Trullo celebrata confirmato, cap. 36. « Poenitentibus secundum peccatorum differentiam poenitentiæ decernantur. » Haec ibi: et recitatur 26. quaest. 7. Item á Car. 4. cap. 74. « ut sacerdos poenitentiam imploranti, absque personae acceptione, poenitentia leges injungat. » Item á Concilio Laodicensi, cap. 2. " His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt; et oratione, et confessione, ac poenitentia, malorum suorum perfectam conversionem demonstrat: pro quantitate peccati poenitentiae tempus attribuendum est, propter misericordiam, et bonitatem Dei. » Item á Concilio Aphricano, cap. 10. " Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.» Haec ibi, et recitatur 26. quaest. 27. Vide etiam de consecr. dist. 4. De poenitentibus, et 26. quaest. 7. Tempora, cum multis sequentibus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praemissa Concilii dicta, pro quanto poenae imponendae modum illum statuunt, et probes, et declares, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA NONA,

DE QUALITATE CONFESSIONIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate confessionis.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum confessio possit esse informis.

Secundo, utrum oporteat confessionem esse integram.

Tertio, utrum possit aliquis per alium, vel per scriptum confiteri.

Quarto, utrum ille conditiones quæ á magistris assignantur, ad confessionem requirantur.

ARTICULUS I.

Utrum confessio possit esse informis.

Pro negativa.—Videtur quod confessio non possit esse informis.

1. Confessio mortui est nulla. Sed ille qui est sine charitate, est spiritualiter mortuus. Ergo confessio ejus qui est sine charitate, est nulla.

Minor prob., quia Eccles. 17. dicitur, *á mortuo quasi nihil perit confessio.*

Maior prob., quia charitas est animæ vita.

2. Contritio, et satisfactio numquam possunt extra charitatem fieri. Ergo nec confessio fieri potest, nisi charitate formata.

Conseq prob., quia confessio dividitur contra contritionem et satisfactionem.

3. Confessio ejus qui non habet os cordi conforme, est nulla. Sed ille qui confitetur, et manet in affectu peccati, non habet cor ori conforme. Ergo confessio ejus qui est in affectu peccati mortalis, est nulla.

Maior prob., quia in confessione oportet quod os cordi concordet, ut ipsum nomen confessionis sonat.

Minor prob., quia ille qui confitetur, manens in affectu peccati mortalis, corde tenet quod ore damnat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Confessio quam quis non tenetur iterare, est vera confessio. Sed confessionem mortalium, etiam in mortali et sine charitate facta, non tenetur quis iterare. Ergo sine charitate facta, est vera, sed informis confessio.

Minor prob., quia cum nullus sciat se charitatem habere, nullus sciret se confessum fuisse. Confessio igitur ejus qui sine charitate confitetur, non est ex

necessitate iteranda, ac per hoc vera fuit, sed informis, utpote extra charitatem facta.

Determinatio.

Distinctio. Confessio potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est actus virtutis pœnitentiæ. Alio modo, ut est pars sacramenti.

1.ª Conclusio. Confessio ut est actus virtutis, non potest esse informis.

Prob. Illud de cujus ratione est, quod sit meritorium, non potest esse informe. Sed de ratione confessionis, secundum quod est virtutis actus, est quod sit meritoria, sicut et quilibet actus cujuscumque virtutis. Ergo confessio ut est actus virtutis, non potest esse informis.

Maior prob., quia principium merendi est charitas. Unde actus meritorius, necessario est charitate formatus.

2.ª Conclusio. Confessio ut est pars sacramenti pœnitentiæ, potest esse informis.

Manifestatur: quia confessio ut est pars sacramenti, ordinat confitentem ad sacerdotem claves Ecclesiæ habentem, qui per confessionem pœnitentis conscientiam cognoscit, quod etiam sine contritione fieri potest: quia etiam qui non est contritus, potest sacerdoti peccata sua pandere, et clavibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis ille qui sic confitetur tunc non percipiat confessionis fructum incipiet tamen fructum percipere, recedente fictione; sicut etiam accidit in aliis sacramentis: et talis non tenetur reiterare confessionem, sed tantum suam fictionem, qua ad sacramentum accesit, confiteri.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod auctoritas illa intelligenda est, quantum ad fructum confessionis percipiendum, quem nullus extra charitatem existens percipit. Sensus ergo est quod confessio spiritualiter mortui nullum percipit fructum, cum quo tamen stat quod sit vera confessio.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio in proposito de confesssione, et de aliis duabus pœnitentiæ partibus. Nam contritio et satisfactio fiunt Deo; confessio autem fit homini, et ideo de ratione contritionis et satisfactionis est quod homo sit Deo per charitatem unitus non autem hoc est de ratione confessionis.

Ad 3. Negatur minor. Ille enim qui peccata, quæ habet, narrat vera loquitur: et sic cor concordat voci, vel verbis ore prolatis, quantum ad confessionis substantiam, quamvis discordet in confessionis fine, qui est perceptio fructus.

ARTICULUS II.

Utrum oporteat confessionem esse integram.

Pro negativa. = Videtur quod non oporteat confessionem esse integram, ut scilicet omnia peccata uni sacerdoti debeat quis confiteri.

1. Illud per quod confessio redditur minus fructuosa non est de ejus necessitate. Sed integritas facit confessionem minus fructuosam. Ergo integritas non est de necessitate confessionis.

Minor prob., quia quanto pluribus sacerdotibus quis confitetur, tanto maiorem erubescentiam patitur. Erubescencentia autem ad diminutionem pœnæ facit, hac per hoc fructuosior est confessio pluribus facta.

2. Confessio ad hoc necessaria est in pœnitentia, ut pœna taxetur peccato, secundum arbitrium sacerdotis. Sed á diversis sacerdotibus de diversis peccatis sufficiens pœna imponi potest. Ergo non oportet uni sacerdoti omnia peccata confiteri.

3. Potest contingere quod post confessionem factam, et satisfactionem perfectam, recordetur quis alicujus peccati

mortalis quod dum confitebatur, in memoria non habebat; et tunc copiam proprii sacerdotis, cui primo confessus fuerat, habere non poterit. Ergo illud peccatum solum poterit alteri confiteri, et sic diversa peccata diversis sacerdotibus confitebitur.

4. Quandoque sacerdos, qui confessionem audit, potest de quibusdam peccatis absolvere, non de omnibus. Ergo saltem in tali casu non oportet quod confessio sit integra.

Conseq. prob., quia sacerdoti non debet fieri cōfessio de peccatis, nisi propter absolutionem obtinendam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Hypocrisis est impedimentum pœnitentiæ. Sed dividere confessionem, pertinet ad hypocrisim, ut August. dicit in lib. de ver. et falsa pœnit. c. 15. Ergo confessio debet esse integra.

2. Pœnitentia debet esse integra, ut Magist. dicit in dist. 15. 4. lib. sentent. Sed confessio est pœnitentiæ pars. Ergo confessio debet esse integra.

Determinatio.

Conclusio. De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata uni sacerdoti confiteatur, quæ in memoriam habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.

Prob. A simili in medicina, et medico corporali. In medicina enim corporali oportet quod medicus, non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum prestaret. Et similiter est in peccatis, quorum unum aggravatur ex adjunctione alterius, et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret: cum quandoque aliquis contrariis peccatis sit infectus, ut Greg. in pastor.d ocet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem, dicitur quod etsi erubescentia sit multiplicior, quando pœnitens dividit diversa peccata diversis, tamen omnes simul non sunt ita magnæ erubescentiæ, sicut est illa una, qua quis omnia sua peccata simul confitetur uni. Et hoc quia unum peccatum per se consideratum, non ita demostrat malam dispositionem peccantis, sicut quando est cum pluribus aliis consideratum: quia in unum peccatum quis quandoque labitur ex ignorantia, vel infirmitate, sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam ejusdem corruptionem. Falsum est igitur assumptum in probatione minoris. Qui enim pluribus confitetur diversa peccata, multipliciorem, non tamen maiorem erubescentiam habet.

Ad 2. Negatur minor. Pœna enim á diversis sacerdotibus pro diversis peccatis imposita, non esset sufficiens, quia quilibet consideraret tantum unum peccatum per se, et non gravitatem ipsius, quam habet ex adjunctione alterius. Et quandoque pœna, quæ contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati. Et propterea sacerdos confessionem audiens, vicem Dei gerit, et ideo debet ei fieri hoc modo confessio, sicut fit contritio Deo. Unde sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis, quæ memoriæ occurrunt contereretur: ita non esset confessio, nisi quis dē omnibus, quæ memoriæ occurrerint, confiteatur.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod quidam dicunt quod quando aliquis recordatur eorum, quæ prius fuerat oblitus, debet etiam ea quæ prius confessus fuit, iterum confiteri, et præcipue si non possit habere eundem, cui primo confessus fuerat, qui omnia cognoscit, ut totius culpæ quantitas uni sacerdoti innotescat.

Sed hoc non videtur necessarium,

quia peccatum habet quantitatem et ex se ipso, et ex adjunctione alterius. Peccatorum autem, de quibus confessus est manifestavit quantitatem, quam ex se ipsis habent. Ad hoc autem quod sacerdos utramque quantitatem hujus peccati, cujus fuerat oblitus cognoscat; sufficit quod confitens hoc peccatum dicat explicite, et alia in generali, dicendo quod cum alia multa confessus fuerit, hujus fuit oblitus.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod etiamsi sacerdos non possit de omnibus absolvere, tenetur tamen penitens omnia peccata ei confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, et de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem debet remittere.

ARTICULUS III.

Utrum possit quis per alium, vel per scriptum confiteri?

Pro affirmativa. — Videtur, quod possit quis per alium, vel per scriptum confiteri.

1. Per ea, per quæ potest homo suam conscientiam sacerdoti manifestare, potest fieri confessio. Sed homo potest per alium, vel per scripturam suam conscientiam sacerdoti manifestare. Ergo sufficit homini per alium, vel per scriptum confiteri.

Maior prob., quia confessio ad hoc necesaria est, ut conscientia pœnitentis sacerdoti pandatur.

2. Quidam non intelliguntur á propriis sacerdotibus, propter linguæ diversitatem, et tales non possunt, nisi per alios confiteri. Ergo non est de necessitate sacramenti quod per se ipsum quis confiteatur; et ita videtur quod si per alium quis confessus fuerit qualitercumque, sufficiat ei ad salutem.

3. De necessitate sacramenti pœnitentiæ est quod homo proprio sacerdoti confiteatur, ut art. 5. præced. qu. dictum est. Ergo videtur quod per scriptum ei suam conscientiam manifestare debeat.

Conseq. prob., quia aliquando prius sacerdos est absens, cui non potest pœnitens propria voce loqui, posset autem per scripturam ei suam conscientiam aperire.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Confessio fidei ore est facienda, ut patet Rom. 10. Ergo etiam confessio peccatorum est ore facienda.

Conseq. prob., quia homo tenetur ad confessionem peccatorum, sicut ad confessionem fidei.

2. Homo per se ipsum peccavit. Ergo per se ipsum debet pœnitere. Ergo per se ipsum ore proprio debet confiteri.

Prob. conseq. secunda, quia confessio est pœnitentiæ pars.

Determinatio.

Conclusio. Confessio, secundum quod est pars sacramenti pœnitentiæ, non per litteras, nec per nuncium, sed proprio ore est facienda.

Quæ conclusio prius declaratur, quoad illa verba (secundum quod est pars sacramenti) confessio enim est pars sacramenti pœnitentiæ, et actus virtutis pœnitentiæ. Quamvis autem ad confessionem, ut est virtutis actus, sufficiat qualitercumque fiat, etiamsi quocumque faciliori modo fieret, non tamen hoc sufficit ad confessionem sacramentalem.

Deinde prob. concl. Actus sacramentalis ordinatus ad manifestandum propriam conscientiam alteri, debet ore tenus, et non per nuncium, aut per scripturam fieri. Sed confessio est sacramentalis actus, ad manifestandum alteri propriam conscientiam ordinatus. Ergo confessio non est facienda per nuncium, aut per scripturam, sed ore proprio ejus qui confitetur.

Maior manifestatur: nam cum sacramenta habeant determinatam significationem, habent etiam determinatam materiam, ad propriam significationem ordinatam. Sicut quia baptismus est signum interioris ablutionis, assumitur determinata

materia ab hoc significandum, quæ est aqua, quæ est elementum, cujus est maximus usus in abluendo. Ad manifestandum autem interiorem conceptum per se ordinatur proprium verbum ejus, qui manifestat interiorem conceptum. Alii enim modi, puta scriptura, vel nuncius introducti sunt in suplementum istius. Actus igitur sacramentalis ordinatus ad manifestandum interiorem conceptum, debet fieri per id quod per se ad manifestandum conceptum ordinatur, quod est propria loquela. Et quia confessio est hujusmodi actus, ut dictum est, ideo debet fieri voce, sicut baptismus fit per aquam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod sicut in baptismo non sufficit qualitercumque abluere, sed oportet, ut fiat ablutio per elementum determinatum, ita in pœnitentia non sufficit qualitercumque peccata manifestare; sed oportet quod per actum determinatum, scilicet per locutionem, manifestentur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in eo qui usum linguæ non habet, sicut est mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine plus quam possit. Quod tamen non est de baptismo dicendum, ut scilicet sicut quando quis non habet aquam, possit alio modo baptizari: quia aqua est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur; sed actus confessionis est ab intra, et á nobis; et ideo quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod in absentia proprii sacerdotis, potest etiam laïco fieri confessio, vel etiam sufficit contritio, et ideo non oportet quod fiat per scriptoram, quia plus pertinet ad necessitatem confessionis actus pœnitentis, quam ille, cui fit confessio.

ARTICULUS IV.

Utrum ad confessionem requirantur sexdesim conditiones á magistris assignatæ.

Pro negativa. — Videtur quod sexdecim illæ conditiones quæ á magistris assignantur, in sequentibus versibus contentæ, non requirantur ad confessionem.

Sit 1. *simplex.* 2. *humilis confessio* 3. *pura* 4. *fidelis.*

5. *Atque frequens* 6. *nuda et* 7. *discreta.* 8. *libens.* 9. *verecunda.*

10. *Integra.* 11. *secreta.* 12. *lachrimabilis.* 13. *accelerata.*

14. *Fortis et* 15. *acusans,* 16. *et sit parere parata.*

1. Ea quæ sunt per se virtutes, non debent poni conditiones confessionis. Sed fides, simplicitas et fortitudo sunt per se virtutes. Ergo inconvenienter hæc ponuntur confessionis conditiones, dum dicitur quod confessio sit fidelis, simplex, et fortis.

2. Purum est quod non habet permixtionem. Similiter simplex, compositionem, et permixtionem aufert. Ergo superflue alterum horum ponitur conditio confessionis, dum dicitur quod confessio debet esse pura et simplex.

3. Peccatum semel tantum commissum, nullus tenetur, nisi semel confiteri. Ergo si homo peccatum non iterat, non oportet quod sit frequens ejus poenitentia: ac per hoc inconvenienter dicitur quod confessio sit frequens.

4. Satisfactio, ad quam confessio est ordinata, quandoque est publica. Ergo confessio non semper debet esse secreta.

5. Illud quod non est in potestate nostra, non requiritur á nobis. Sed lachrimas emittere, non est in potestate nostra. Ergo non debent á pœnitente in confessione requiri, ac per hoc non est conditio confessionis quod sit lachrimabilis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est magistrorum auctoritas, qui has conditiones confessionis assignant.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter assignantur sedecim conditiones confessionis quæ sunt.

Quod confessio sit discreta, libens, pura, fortis.

Quod sit verecunda, lachrimabilis, humilis.

Quod sit fidelis. Nuda. Simplex. Integra.

Quod sit accusans. Parere parata et secreta.

Quod sit frequens. Accellerata.

Manifestatur, præmittendo, quod dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam vero sunt de bene esse ipsius. Ea quæ sunt de necessitate confessionis, sunt in duplici differentia. Quædam competunt ei, secundum quod est actus virtutis. Quædam vero competunt ei, prout est pars sacramenti pœnitentiæ. Ea quæ competunt confessioni, ut est actus virtutis, sunt in triplici differentia. Quædam competunt ei, quatenus est actus virtutis in genere. Quædam ut est actus virtutis specialis, scilicet poenitentiæ. Quædam vero ratione ipsius actus. Confessioni, quatenus est actus de genere virtutis, quatuor conveniunt, secundum quod quatuor sunt conditiones virtutis, ut dicitur 2. Ethic. c. 4.

Prima est, ut aliquis sit sciens. Et quantum ad hoc dicitur quod confessio debet esse discreta, secundum quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur. Consistit autem hæc discretio in hoc quod maiora peccata cum maiori pondere confiteatur.

Secunda conditio est, ut sit eligens, quia actus virtutum debent esse voluntarii. Et quantum ad hoc dicitur Libens.

Tertia conditio est, ut actus virtutis sit propter hoc, idest propter ultimum finem. Et quantum ad hoc dicitur quod confessio debeat esse pura, ut scilicet recta sit intentio.

Quarta est, ut immobiliter operetur. Et quantum ad hoc dicitur quod confessio debeat esse fortis, ut scilicet veritas propter verecundiam non dimittatur.

Confessioni, ut est actus talis virtutis, scilicet poenitentiæ, tria conveniunt, secundum quod tria poenitentiæ conveniunt.

Primo enim poenitentia initium sumit in horrore turpitudinis peccati. Et quantum ad hoc confessio debet esse verecunda, ut scilicet non se jactet de peccatis, propter aliquam sæculi vanitatem admixtam.

Secundo poenitentia progreditur ad dolorem de peccato commisso. Et quantum ad hoc dicitur quod confessio debeat esse lachrimabilis.

Tertio, poenitentia terminatur in abjectione ipsius poenitentis. Et quantum ad hoc debet esse humilis, ut se poenitens miserum et infirmum confiteatur.

Ex ratione actus habet confessio, quod sit manifestativa, quæ quidem manifestatio per quatuor potest impediri.

Primo, per falsitatem. Et quantum ad hoc dicitur quod debeat esse fidelis, idest vera.

Secundo per obscuritatem verborum. Et contra hoc dicitur nuda, ut non involvatur per obscuritatem verborum.

Tertio, per verborum multiplicationem. Et propter hoc dicitur simplex, ut scilicet non recitet in confessione, nisi quod ad quantitatem peccati pertinet.

Quarto, per subtractionem, ut scilicet non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt. Et contra hoc dicitur integra.

Secundum autem quod confessio est pars sacramenti, concernit judicium sacerdotis, qui est sacramenti minister. Et quantum ad hoc tria ei conveniunt.

Primo, quod sit accusans, ex parte pœnitentis.

Secundo, quod sit parere parata, per comparationem ad sacerdotem.

Tertio, quod sit secreta, quantum ad

conditionem fori, in quo de occultis agitur conscientiæ.

De bene esse autem confessionis sunt duo.

Primum est quod sit frequens.

Secundum, quod sit accelerata, ut scilicet statim confiteatur. Ex quibus patet, quam convenienter conditiones confessionis fuerint á magistris assignatæ, quæ breviter sic colliguntur.

Conditiones confessionis, quæ ei conveniunt ex necessitate, ut est actus virtutis, sunt quatuor, scilicet quod sit.

Discreta. Libens. Para. Fortis.

Conditiones convenientes confessioni ex necessitate, ut est actus virtutis in specie, nempe pœnitentiæ, sunt tres, scilicet quod sit.

Verecunda. Lacrimabilis. Humilis.

Conditiones confessionis ex necessitate, ratione ipsius actus secundum se, sunt quatuor, scilicet quod sit.

Fidelis. Nuda. Simplex. Integra.

Conditiones confessionis, prout est pars sacramenti, sunt tres, scilicet quod sit.

Accusans. Parere parata. Secreta.

Conditiones convenientes confessioni ad bene esse, sunt duæ, scilicet quod sit.

Frequens. Accelerata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Non enim est inconveniens, quod conditio unius virtutis in actu alterius virtutis inveniatur, qui actus ab ipsa imperatur; quia medium quod est unius virtutis principaliter, etiam aliæ virtutes per participationem habent.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod hæc conditio puta intentionis excludit perversitatem, á qua homo mundatur, sed simplex alieni admixtionem excludit.

Ad 3. Dicitur quod frequentia non est de necessitate confessionis, sed tantum ad bene esse. Unde si non iteretur peccatum, non est frequentanda ex necessitate confessio.

Ad 4. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de confessione et satisfactione, quantum ad propositum attinet. Confessio enim propter scandalum aliorum qui possunt ex peccatis auditis ad malum inclinari, non debet fieri in publico, sed in occulto. Ex pœna autem satisfactoria non ita aliquis scandalizatur, quia quandoque pro parvo vel nullo peccato, similia opera satisfactoria fiunt.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod lacrimæ de quibus intelligenda est conditio illa, sunt in potestate nostra. Est enim conditio illa intelligenda de lacrimis mentis, quæ sunt in nostra potestate.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 100.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito declaratum fuisse á Papa Alexandro III. quod confessio potest esse informis. Tunc autem hoc ipsum ille Papa declaravit, quando Belvacensi Episcopo scribens ait. » Quod quidam ad confessionem de criminibus veniunt, et quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse. Consultationi tuae taliter respondemus, quod eorum confessionem recipere debes, et eis de criminibus consilium exhibere: quia, licet non sit vera hujusmodi poenitentia, admittenda tamen est eorum confessio, et crebris, et salubribus monitis poenitentia indicenda. » Haec ibi, et recitatur de poenit. et remiss. ecce, quod á non contrito potest fieri confessio sacerdoti. Verum, si taliter est incontritus, ut

se inabsolubilem proponat (in quo casu loquitur Papa) confessio ejus admittitur quidem ad audientiam pro salubribus monitis, qualicumque poenitentia á confessario imponenda; sed non ad absolutionem. Peccaret namque tunc peccato sacrilegii tam absolvens, quam absolutionem recipiens: quoniam eorum quilibet contra formam sacramenti veniret, ac per hoc injuriam in essentialibus inferret sacramento. Non tamen propter hoc confessio illa respuenda, sed admittenda, dicitur. Multo igitur magis in casu nostro informis confessio admitti debere, per hoc significatur. Nam ibi et impoenitens est ipse confitens: et impenitentiam suam illam manifestat confessario: in casu autem articuli nostri, neque impenitens, sed imperfecte poenitens est, et consequenter impoenitentiam manifestare non potest: ibi non absolvitur, hic vero absolvitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem dictum Pontificis, pro quanto confessionem informem sentit esse admittendam, et intelligas, et probes, et defendas. In hoc tamen semper prae oculis habeto discrimen prædictum in 2. not. post ad 3. inter illas confessiones informes, ne fiat error. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis confitenda non esse omnia peccata mortalia, quia impossibile est omnia peccata mortalia cognoscere: nec necessarium esse omnium peccatorum examen. Item dicentis, confiteri dum volumus pure omnia peccata, nihil aliud facimus, quam, quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. item hæresim *Sectariorum* dicentium, *confiteri peccata, et enumerare, est Papistica carnificina, et impietas. Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, omnes hos errores fuisse merito damnatos á Concil. Trident. sess. 14. ca. 5. sic. " Ex institutione sacramenti poenitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse á Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, et infra. Ex his colligitur, oportere á poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri; et infra. Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt: qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.» Unde liquido constat, quod totum oppositum est ejus, quod Lutherus ajebat. Tantum enim abest á vero, quod confiteri volens pure omnia, nihil ignoscendum divinæ misericordiæ relinquere velit, ut per hoc, quod confitetur omnia, paret sibi viam percipiendi veniam de omnibus: et per hoc quod non confitetur omnia, nullius sibi á divina largitate indulgentiam procuret. Post præmissa adhuc errores illos impugnando, subinfert ibi idem Concilium. « Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant, et infra. Sed et impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia á poenitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excuserit, et conscientiæ suæ finus omnes, et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eadem confessione inculsa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine. Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, graves quidem videri possent: nisi tot, tantisque commodis, et consolationibus levarentur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Item á Concilio Cabilonensis 2. cap. 32. sic. Hoc emendatione egere perspeximus; quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, et corpore, et interdum animi motu; et interdum carnis fragilitate peccatur; solerti indigatione inquiri debent ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio. » Ecce. Detestestatur illos, qui non plene, idest integre confitentur: et non solum indagatione, sed etiam solerti, inquirenda esse peccata, per exa-

men utique conscientiæ, synodus ista pronunciat. Item á Papa Eugenio IV. in decr. Armenis dato sacro approbante Concil. Florentin. sic. " Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. " Hæc ibi: et per ly 2. intelligit secundam partem pœnitentiæ. Item á Leone X. in Bulla contra errorem Lutheri. Vide circa hoc supra qu. 1. art. 1. et 3. par. qu. 68. art. 9. Item á Concilio Trident. sess. 14. can. 8. « Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, etc. anathema sit. » Quæ autem sit confessio, qualem Ecclesia servat, prædeclaraverat idem Concilium canon. 7. sic. « Si quis dixerit in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse de jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, et circunstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum pœnitentiam: et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia anathema sit. Item, etc. ut supra quæst. 6. a. 2. et 3. Item ab Innocentio III. in Concilio Lateranen. cap. 21. omnis utriusque sexus fideles: cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter. » Nota ly omnia. Ergo confiteatur integraliter. Nota ly fideliter. Ergo, diligenti examine prævio, vel saltem concomitante. De qualitate hujus examinis vide supra in not. post. ad 3. et hic in append. Vide Roffensem contra Lutherum art. 8. et 9. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa sanctorum Patrum documenta, pro quanto confessionem oportere esse integram dicunt, et probes, et declares, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem explodas erroneas propositiones *Erasmi* (has recenset Jacob. Lop. Stunica post suum itinerarium inter propositiones quas tamquam suspectas ipse excerpsit ex lib. *Erasmi*) dicentis, confessio clancularia, quæ nunc recepta est, et in autem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata: quæ solet apud Episcopos fieri, si quis scrupulus urgeret animum. Iterum dicentis, confessionem admissorum secretam, apparet. Hieronymi tempore nondum fuisse institutam. Si enim confessio per internuncium, scriptum, testem, vel epistolam non potest fieri, secundum articulum hunc; utique sancti doctoris ratio præsens prædicta propositiones exterminat. Nam hinc discurrenti patet, quod, esse secreto factam, convenit confessioni aliunde, quam ex illis consultationibus privatis apud Episcopos fieri solitis, et consequenter, quod ante Hieronymi tempora talis secreta confessio fuit instituta. Ut quid enim scriptura, interpres, testis, excluduntur á confessione? Ad significandum, quod confessio debet esse non tantum secreta, sed etiam magis secreta, quam fieri possit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas propositiones erroneas merito fuisse damnatas á Papa Leone I. in epistola 78. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, et Picenum constitutos, sic. « Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi á quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri (*de pœnitentia videlicet, quæ ita á fidelibus postulatur*) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta, quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi á pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, á quibus possunt legum constitutione percelli: sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium præcator accedit: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non pu-

blicetur conscientia confitentis. Item á Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. sic: ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde, cum á sanctissimis, et antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam divino mandato aliena, et inventum humanum esse atque á Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur.» Ante Hieronymi ergo tempora secreta confessio fuit in usu, quoniam ab initio illa Ecclesia sancta usa est: et, cum non sit inventum humanum, non est nata ex privatis consultationibus ab Erasmo dictis. Nota Concilii verba ly *secreto apud solum sacerdotem*, quod per hoc innuere videtur, confessionem fieri non posse per alium, neque per scriptum. Si enim solummodo per hoc suum dictum significare voluisset, quod confessio fieret in præsentia sacerdotis, sufficiens videretur ly *apud solum sacerdotem*: cum vero addat ly *secreto*, videtur excludere per hoc et interpretem, et scriptum, ut in articulo præsenti sanctus Thomas determinavit. *Tertio* habes: quomodo per rationem sanctorum Patrum præmissa decreta; pro quanto confessionem dicunt secretam, idest non per alium, neque per scriptum esse debere, et declares, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem de ly *secreta*, interimas erroneas propositiones *Erasmi* (has recenset Jacobus Lop. Stunica post suum itinerarium, inter propositiones suspectas Erasmi) dicentis: confessionem nullam fuisse antiquitus secretam mala actæ vitæ: sed apertam (ut opinor) quam nec legimus exactam á quoquam. Item confessionem admissorum secretam, apparet, tempore Hieronymi nondum fuisse institutam. Item, confessio clancularia, quæ nunc recepta est, et in aurem fit, videtur ex consultationibs privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si quis scrupulus urgeret animum. Item errorem Calvini (ut habetur ex Calvini libello contra acta Concilii Trid.) qui articulum hunc, *confessio auricularis exigitur ab omni christiano*, tamquam falsum, detestabilemque impingit Papistis (nos catholicos sic irrisorie vocitant, non attendentes illud Psal. 108. *Maledicent illi, et tu, Domine benedices.*) Si namque confessio sacramentalis est, quantum ad conditionem fori, secreta) ut in textu dicitur, et verum est) utique antiquitus, et tempore Hieronymi fuit facta secreto; nec hoc ex consultationibus illis natum est, sed ex conditione fori; nec falsum est, vel detestabile. Nam conditio fori semper fuit eadem, fuit vera, fuit laudabilis; sicut et sacramentalis forus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos omnes merito fuisse damnatos á Papa Leone I. et Concil. Trident. ut supra art. 3. append. Item á, etc. ut q. 6. ar. 1. et 2. et q. 8. a. 2. Quantum vero ad Calvinum attinet, ultra hoc respondendum etiam est, atque ut obmutescat insipientium hominum ignorantia, eidem dicendum: si contra acta sacrosancti Concilii Tridentini multa moliebaris, quare tu cum tui similibus ad Synodum ipsam non accessisti: et in faciem ei, si reprehensibilis erat, non restitisti? Etenim, præterea quod in foribus adversariorum celebrata est, salvus conductus (ut vocant) illis ipsis multoties fuit impartita, atque omnino concessit: quo ad civitatem Tridentinam libere venirent, ibidem manerent, proponerent, loquerentur: una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractarent, discuterent, et omnia, quæcumque eis libuissent, ac articulos quoslibet tam scripto, quam verbo libere offerrent, propalarent ipsosque scripturis sacris, et beatorum Patrum verbis, sententiis, et rationibus declararent, astruerent, persuaderent, et (si opus esset) etiam ad objecta Concilii generalis responderent, et cum iis, qui a Concilio delecti fuissent, Christianæ, aut charitative, absque omni impedimeto disputarent, conferrent, opprobriis, conviciis, ac con-

tumeliis penitus semotis, et signanter, quod causæ controversæ secundum sacram scripturam, Apostolorum traditiones, probata Concilia, catholicæ Ecclesiæ consensum, et sanctorum Patrum auctoritate, in prædicto Concilio Tridentio tractarentur: illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime punirentur. Numquid non et in eisdem salvis conductibus concessum adversariis omnino voluit, ut, his antedictis peractis, vel non peractis, quandocumque eis libuisset, aut superiorum suorum mandato, et assensu, ad propria reverti optassent, aut aliquis eorum optasset, mox absque ulla penitentia, et occasione, aut mora, salvis rebus eorum, et suorum pariter honore, et personis, possent juxta beneplacitum libere, et secure redire? Nonne voluit etiam sancta ipsa Synodus in sua illa publica fide, verissimaque securitate, salvove conductu toties concesso, omnes quascumque clausulas contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, et sufficienti securitate in eundo, stando, et redeundo necessariæ, et opportunæ fuissent? Utique. Immo pluribus pro plenissimo salvo conductu, speciatim adhuc expressis (quæ res in admirationem legentes facile pertrahat) seipsam pœnis, si dicto non staret, addixit inquiens: " quod si sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis cujuscumque conditionis, vel status, aut præeminentiæ existens, præscriptæ assecurationis, et salvi conductus formam, modum in quocumque puncto, vel clausula violaverit) quod tamen avertere dignetur omnipotens) et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta ex ipsorum arbitrio merito approbanda, et laudanda, habeant ipsam Synodum, et habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure divino, et humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione. « Proh Deum immortalem! quid non fecit pia mater Ecclesia, ut illos ad veritatis viam induceret: vel saltem, ut si quid rationis oppositæ dogmatibus Romanæ fidei sibi ipsis viderentur habere, ad lucem coram libere afferrent, proponerent, disputarent: quo vel sic hinc, inde variis disputationibus adductis, veritas, quam nobiscum sequerentur, errorum pulso nubilo, iisdem elucesceret? *Nullo enim modo* (inquit Sanctus Thom. opusculo 18. in fine) « melius, quam contradicentibus resistendo, aperitur veritas, et falsitas confutatur, » secundum illud Salomonis: « Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui. » Quid, inquam, pro salute suorum hostium Synodus ipsa Tridentina non fecit? Semel de mense Novembris, 1551. sess. 13. ac iterum de Januarii, 1552. sess. 25. nec non tertio die Martii, 1552. sess. 18. salvis conductibus amplis, amplioribus, amplissimis, fideliter datis, eos dulciter advocavit, longanimiter expectavit, eorum expectationis causa definitionem multarum rerum (ut patet sess. 13. et 15.) inibi postea (Deo aspirante) decisarum humanissime distulit. Sed forte dicat Calvinus: prædicti salviconductus Germanis dati sunt, non Picardis: ego vero eram natione Picardus. Esto, fuisti Picardus, novimus, Basileæ post delituisti, novimus, tum Argentorati exulans, profugorum ibidem concionator extitisti, deinde Genevensis civitatis (pulso, contra Dei legem, Episcopo) gubernationem arripuisti, illam cum Sabaudia, et Gallia tuis blasphemiis infecisti, evertisti, perdidisti. Simus hæc Calvine, scimus (*ex Lindani Dubitantii dialog.* 2.) Sed istud, te non fuisse natione Germanum, nullius excusationis hac in re, de qua tractatur, vel umbram tibi obtendit. Concilium siquidem ipsum quasi tua, tibique similium, verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis prævidens, eaque, ceu dentes caninos, in ore omnium vestrum viriliter conterere volens, salvos illos conductus ad alias totius orbis nationes in hæc verba olim extendit. " Eadem sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere legatis, omnibus, et singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent ex quibuscumque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus, ac locis, in quibus publice, et impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ejus, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, sive salvum conductum sub eadem forma, et eisdem verbis, quibus datur Germanis. « Hæc Concilium in sess. 18. fin. Si er-

go tantis te, ó Calvine, præsidiis communivit Ecclesia, ut ad libere dicendum omnia, quæ tibi pro veritate videbantur, accederes, quare instar aspidis surdæ, et obturantis aures suas, te habuisti? Quare ad locum disputationum pro veritate non venisti, et in palestram apertam, quo vocabaris, non descendisti? Cur sic in angulis tuis, et conventiculis, falsitates tuas plebeculæ pro veris venditare elegisti, et non potius in medio magnatorum (Concilii dico) examinandas una tecum apponere maluisti? Cæterum, hoc illud est, quod de te, tuique similibus, jamdudum bene profetaverat Christus dicens: "Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem. Quare? Ut non arguantur opera ejus." Quo contra de bonis Doctoribus ait: "Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut videantur opera ejus," quæ in Deo sunt facta. O quam belle de te prædixerat Spiritus Sanctus; "sapientior sibi stultus videtur, septem viris loquentibus sententias." Quare? Quia præviderat, te ad veritatem inquirendam charitative á Patribus Tridentinis accersendum; et non venturum: insuper et tantorum senatorum decretis obnixe manibus, pedibusque contraiturum; quasi cum te uno nata sit, vivat, commoretur *sapientia* ipsa. Et quidem juxta fabellas tuas: nam (teste Lindano, ubi supra) urbe Geneba occupata, summaque sacerdotii potestate á tuis impetrata, memor consiliorum, quibus seditiosi in Athenientium, et Romanum imperiis cives viguerant, continuo exclamare, profiteri, denunciare cœpisti: veram pietatem hactenus ignoratam, tibi esse patefactam, te unum esse, qui plus quam majores, et quotquot mille, et quingentis annis vixerint, sciat, videat, intelligat, sicque patres nostros idolorum cultores, delusos, obcœcatosque fuisse, te autem verum Christi cultum quodam divino spiritu cognovisse; nostros Episcopos impostores, Antichristos, et sceleratorum duces hactenus extitisse: tuos vero Christi nuncios, Apostolos, et doctores esse. Te, te insuper tamquam é regione Concilii, Asylum in proximis Galiæ finibus constituisse, ac munivisse, ad quod exules, damnati, oborigines, et omnium ordinum, gentiumque perditi, ac deplorati greges, suis finibus ablegati confugiant, in quo velut in tutissimo portu placide conquiescant, significasti: nec non ceu Lucifer super astra conscendere volens, fictitiam tuam doctrinam fictitio confirmare miraculo impudentissime aggresus fuisti. Fide digni quidam narrant ex Burgundis (inquit Lindanus) Calvinum pro concione publica quemdam stipendio, ut sese mortuum simularet, conductum voluisse quasi in vitam revocare: qui, ubi sese in feretro imponi passus fuisset, in templum perlatus divina ultione vere mortuus est repertus, frustra Calvino inclamante (*Surge, surge, in Christi nomine: tibi dico surge.*) Et de hac mariti injuria uxorem fuisse apud Magistratum Genevensem graviter conquestam, collectaque informatione, rem fuisse veram deprehensam: sed in gratiam sui Evangelistæ suppressam. Audistine, Calvine, mirabilia, quæ tu facis? Deo autem gratias, cujus suprema justitia nescit patrocinium dare criminibus. Et novit conforme tuis miraculum præstare sophismatibus. Hujuscemodi demonstrationibus tuam mirificam doctrinam firmabas, quando et stupendorum tuorum operum æmulator quidam discipulus tuus tale quid præsumebat efficere. Nam in Polonia non longe á Gracovia pago Brethzaze (*narrat D. Franciscus Turrianus, lib. dogm. Charact. V. D.*) concionator Calvinista, evangelii sui confirmandi gratia, Matheum quemdam certo condaxit stipendio, qui se mortuum simularet, et ad clamantis vocem ceu mortuus resurgeret, at contrarium evenit. Ubi enim ille pseudo evangelista clamavit (surge Matthæe in nomine Christi, cujus Evangelium prædico) vivus factus est mortuus. Et uxor, quæ nuper finxerat lacrymas, nunc vere lacrymans in concionatorem illum, non pastorem, sed impostorem invecta, suo malo, novo fidem habuit Evangelio. Non mirum igitur, quod ad Concilium Tridentinum accersitus non venisti, quod ei tuam doctrinam examinandam, vel una tecum, non attulisti: immo, quod et contra ejus decreta adeo rabidis morsibus efferbuisti, desævisti, totos (ut latius patet in tabula articulorum ex tuo libello contra acta Concilii Tridentini) nervos tuos intendisti. Quid enim, si et tu cum Apostolo Paulo Evangelium suum secundum revelationem cum his, qui videbantur columnæ esse, Hierosolymis conferente, evangelium

tuum novum cum Ecclesia sancta, quam Synodus Tridentina repræsentabat, contulisses: profecto, si tibi taliter conferenti, et ad lucem revocato, dextras societatis ipsa dedisset: non tibi talia monstruosa miracula obtigissent. Numquam siquidem talia Paulo miracula in suæ doctrinæ evangelicæ favorem obtigerunt, qualia de tuo novo evangelio supra narravimus. Esto igitur, Calvine, de tua doctrina securus: hanc inter pueros, mulierculas, homines illos, quorum (ut supra) asylum te præbuisti, commendare, dilatare, extendere, ne pigriteris, ex quo de illa tam miris modis certificatus es. Eja misser: quis unquam talia de aliquo vero Christi discipulo, veroque prædicatore legit? Quis talia vidit? A sæculo non est auditum, quod volens quis in protestationem veræ fidei quempiam suscitare, ipsum de vivo mortuum fecerit. Soli Calvino, similisque farinæ declamatoribus, hoc servabatur; ut vel hinc omnes discere cogerentur de doctrina sua, utrum ex Deo sit, an ex diabolo, qui mendax est. Quale miraculum, talis et doctrina. Miraculum mendax, mendax et doctrina. Inversum miraculum, doctrina et inversa. O bone Deus! in cujus nomine facere tales miracula student, quam verax es? Nunquid incredulitas istorum fidem tuam evacuavit? Absit. Quare? Quia tu, qui *solus mirabilia facis*, dignum satis profecto, penitusque concordans, novis his evangelistis miraculum condonasti. Signum suam doctrinam comprobans exigebant: et tu, qui bonus es, de cœlo exaudisti eos. Mendaciter suam doctrinam comprobare tuo patrocinio satagebant: et tu, qui verax es, eam ipsam veraciter comprobasti. Fidelis enim es tu: et ubique sive testimonium veritati, sive falsitati, secundum tua incomprehensibilia judicia, perhibueris, *teipsum negare non potes*. Neque enim falsitati fallaciter, sicut veritati veraciter, sed utrique veraciter verum testimonium perhibes: et ideo *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Veraciter ergo novorum istorum evangelistarum doctrinam inversam, perversam, mortuam esse proculdubio semper credemus: quia veraci miraculo divinitus eam esse, ac teneri debere talem, monstratum est. Qualitatem enim doctrinæ horum, non intentionem, demonstrabat veracissimus Deus, quando (ut supra dictum est) ad horum clamores pro vita é morte, de vivis mortuos faciebat. Benedictus Deus, qui *reddidit illis secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, qui confundis illos in superbia sua, qui hos figuram esse Antichristi nobis declaravit: *cujus adventus erit in omni simulata virtute, in signis, et prodigiis mendacibus*. Hucusque dictum sit de Calvino, aliisque hujusmodi, qui charitatem veritatis Tridentinæ Synodi non receperunt ut salvi fierent. Cæterum ad rem nostram, unde, coacti ferme, digressi sumus. Item habes: quomodo per articuli rationem conteras errores contra integritatem confessionis allatos supra ar. 2. append. et ostendas, illos merito fuisse damnatos á, etc. ut ibi, et qu. 6. art. 3. Item: quomodo per rationem extremes errores contra lachrymas, seu contritionem, in confessione allatos supra q. 1. a. 1. et q. 5. a. 1. et ostendas, illos merito damnatos á, etc. ut ibi. *Tertio* habes: quomodo per rationem monstres; scripturam sacram merito insinuare, quod confessio debet esse *libens, accusans, pura*, ut Psal. 31. *Dixi confitebor adversum me*, etc. *et tu remisisti impietatem peccati*. In ly dixi, vide electionem, sive, quod est libens, in ly *adversum me*, quod est confitentis accusans. In ly *tu remisisti impietatem peccati*, quod est pura, idest ad debitum finem ordinata, ad hoc scil. ut in gratia Dei confitens recipiatur, per quam Deus remittit impietatem peccati. Item sacram scripturam merito insinuasse, quod confessio debet esse « parere parata, lachrymabilis, et accelerata, » ut Eccles. 17. « Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, minue offendicula, avertere ab injustitia tua, nimis odito execrationem, etc. non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. In ly relinque peccata tua, minue offendicula, avertere ab injustitia, » vide, quod confessio (de hac prædixit per ly *convertere ad Dominum*) debet esse *parata ad parendum*, sive á confessario mandetur, quod relinquas peccata, idest, quod propositum firmum habeas amplius non peccandi: sive mandetur, quod minuas offendicula, idest, quod occasiones peccatorum caveas; sive mandetur, quod á vertaris ab injustitia tua, idest, quod restituas rem alienam. Ad

hæc enim tria videntur reduci posse omnia, quæ á confessario mandantur confitenti. In ly *nimis odito execrationem* vide, quod confessio debet esse lacrymabilis, sive contritionem habens. Hujusmodi siquidem lachrymæ, seu contritio, sunt odium contra peccata, execrando scilicet illa, et pro rebus execrabilibus firmissime tenendo, ut supra qu. ar. 1. et 2. In ly *non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere*, vide, quod confessio debet esse accelerata, idest non demorando in errore commisso, et confitendo ante mortem, idest citissime. Nam mors ubique nos expectat; et consequenter ille ante mortem confitetur, qui ubique, cum peccaverit, confitetur, idest, qui post commissum peccatum subito confitetur. Item Romanum clerum merito insinuasse, quod confessio sit discreta, verecunda, humilis, fortis, lachrymabilis: " sic oremus, ut, qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant, non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam. Maxime illis convenit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Adeant ad limen Ecclesia, sed non utique, ut transiliant, castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, ut intelligant, se desertores fuisse. Arment se modestiæ telis, ut contra hostem diabolum armatos se esse credant. Multum illis proderit patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lachrymas. Advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus: dolorem probantes commisi criminis, et pudorem. » Et hæc epistola scripta ad Ciprianum Episcopum Carthaginensem, et est in tom. 1. Conciliorum. Quamvis autem ibi nominaliter non scribatur ly confessio, sed ly pœnitentia: hoc tamen nihil refert (ut consideranti patet). Item Scripturam sacram merito insinuare, quod confessio debet esse integra; ut Jo. 1. « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ad omni iniquitate. » In ly *ut remittat*, vide, quod confessionem vult esse integram. Non enim Deus remittit unum sine alio peccato, et consequenter Joannes, dum per confessionem nobis remittenda peccata testatur, de integra solum loquitur. Quasi dixerit: Si confiteamur integre, Deus nobis remittet. Item in ly *ab omni iniquitate*, vide idipsum. Nam emundatio ab omni iniquitate præsupponit, nos omnem iniquitatem per confessionem expuisse. Item merito Scripturam insinuasse, quod confessio debet esse *fortis, fidelis, nuda, simplex*: ut Eccles. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua*. In ly *ne confundaris*, vide ista omnia. Quia enim non confunditur non impeditur á confitendo peccata per erubescentiam (ergo est *fortis*) neque per falsitatem (ergo est *fidelis*) neque per hoc, quod involvat peccata obscuritate verborum (ergo est *nuda* ejus confessio) neque per verborum ad gravitatem peccati detegendam non facientium (ergo est *simplex*.) *Quarto* habes: quomodo per rationem omnia tum Patrum, tum scripturarum prædicta, pro quanto conditiones illas confessionis insinuant, et probes, et declares, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA,

DE EFFECTU CONFESSIONIS, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu confessionis.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum confessio liberet á morte peccati.

Secundo, utrum confessio liberet aliquo modo á pœna.

Tertio, utrum confessio aperiat paradisum.

Quarto, utrum confessio tribuat spem salutis.

Quinto, utrum confessio generalis deleat peccata mortalia oblita.

ARTICULUS I.

Utrum confessio liberet á morte peccati.

Pro negativa. = Videtur quod confessio non liberet á morte peccati.

1. Illud quod sequitur contritionem, non liberat á morte peccati. Sed confessio sequitur contritionem. Ergo confessio non liberat á morte peccati.

Maior prob., quia contritio sufficienter delet culpam, ac per hoc á morte peccati liberat.

2. Per confessionem fit veniale quod fuit mortale, ut dicitur in dist. 17. 4. lib. sent. Ergo per confessionem non remittitur culpa, sed culpa in culpam mutatur.

Conseq. prob., quia sicut mortale est culpa, ita et veniale.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Pœnitentia liberat á culpa. Sed confessio est pars pœnitentiæ. Ergo confessio liberat á culpa.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Confessio sacramentalis liberat á morte peccati.

Prob. Illud in quo perficitur pœnitentiæ sacramentum, liberat á morte peccati. Sed in confessione perficitur pœnitentiæ sacramentum. Ergo in confessione liberatur homo á morte peccati.

Maior patet, quia sacramentum pœnitentiæ peccata dimittit, et ideo id in quo hoc sacramentum perficitur, á peccato liberat.

Minor manifestatur, quia per confessionem homo ministris Ecclesiæ, qui sunt sacramentorum dispensatores, se subdit. Contritio enim votum confessionis annexum habet; et satisfactio pro judicio sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. Unde sacramentum pœnitentiæ in actu confessionis perficitur.

2.ª Conclusio. Confessio liberat á culpa, dum est in voto; quando vero est in actu, remittit culpam, si non sit remissa per dolorem contritionis; et si sit remissa, auget gratiam si tamen ille qui confitetur, obicem non ponat.

Manifestatur á simili in baptismo. In sacramento enim pœnitentiæ infunditur gratia, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismo. Et ideo eo modo confessio, ex vi absolutionis conjunctæ, remittit culpam, sicut hoc facit baptismus. Liberat autem baptismus á morte peccati, non solum secundum quod actu suscipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur. Sicut patet in his qui jam sanctificati ad baptismum accedunt: et dum aliquis actu baptismum suscipit, si impedimentum non præstaret, ex ipsa susceptione baptismi gratiam remittentem peccata consequeretur si ei prius ex desiderio baptismi remissa non fuissent. Et hoc idem dicendum est de confessione absolutioni adjuncta, quia secundum quod in voto pœnitentis præcessit, á culpa liberavit: postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia augetur, et etiam remissio peccatorum daretur, si præcedens dolor de peccatis non fuisset sufficiens ad contritionem, et ipse tunc obicem gratiæ non præberet. Et ideo, sicut de baptismo dicitur quod liberat á morte, ita etiam de confessione hoc dici potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod contritio liberat sufficienter á morte peccati, quatenus includit etiam votum confessionis. Unde eo modo liberat contritio á peccato, sicut desiderium baptismi liberat baptizandos: ex hoc igitur quod contritio liberat, non sequitur quod confessio non liberet sed magis quod ipsa confessio in voto facta liberet, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod veniale non sumitur ibi pro culpa, sed pro pœna de facili expiabili. Unde per confessionem non mutatur culpa in culpam, sed culpa pœnitus annihilatur. Dicitur enim veniale tripliciter. Uno modo ex genere: sicut ver-

bum otiosum: alio modo ex causa, idest veniæ causam in se habens, sicut peccatum ex infirmitate: alio modo ex eventu, de qua distinctione dictum est 1. 2. q. 88. art. 2. Quando dicitur quod pœnitentia facit peccatum mortale veniale, sermo est de veniali ab eventu; quia per confessionem hoc evenit, quod de culpa præterita mortali veniam consequatur, ut etiam ibidem in principio corporis dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum confessio liberet aliquo modo á pœna.

Pro negativa. = Videtur quod confessio non liberet aliquo modo á pœna.

1. Peccato non debetur nisi pœna æterna, vel temporalis. Sed pœnæ æterna remittitur per contritionem, pœna autem temporalis per satisfactionem. Ergo per confessionem nihil dimittitur de pœna.

2. Ille qui contritus est, habuit propositum confitendi. Ergo tantum sibi valuit, quantum si fuisset confessus: et ita per confessionem, quam postea facit, nihil ei de pœna dimittitur.

Conseq. prob., quia voluntas pro facto reputatur, ut dicit Mag. in lib. 4. sent. dist. 17.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Per omnia opera pœnalia expiatur pœna debita peccato. Sed confessio pœnam habet. Ergo per confessionem expiatur aliquid de pœna debita peccato.

Determinatio.

Conclusio. Confessio simul cum absolutione habet vim liberandi á poena debita peccato.

Prob. Dupliciter enim confessio simul cum absolutione habet vim liberanci á poena. Uno modo ex ipsa vi absolutionis: et sic confessio in voto existens liberat á pœna æterna, sicut et á culpa. Quæ quidem pœna est condemnans et omnino exterminans, á qua homo liberatus, adhuc remanet obligatus ad pœnam temporalem, secundum quod pœna est medicina purgans et promovens, et hæc pœna restat in purgatorio patienda, etiam his qui á pœna inferni sunt liberati. Quæ quidem temporalis pœna est improportionata viribus pœnitentis in hoc mundo viventis; sed per vim clavium in tantum minuitur, quod remanet viribus pœnitentis proportionata, ita quod satisfaciendo, se in hac vita purgare potest. Primo igitur modo confessio, adjuncta absolutione, liberat á pœna, per hoc quod eam vi clavium facit de improportionata viribus pœnitentis in hac vita viventis, proportionatam. Alio modo diminuit confessio pœnam ex ipsa natura actus confitentis, quia habet pœnam erubescentiæ annexam, et ideo quanto pluries aliquis de ipsis peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod pœna temporalis non remittitur per satisfactionem, nisi virtute clavium, quibus se poenitens in confessione subjicit, virtute quarum temporalis poena fit poenitenti proportionata, ut eam solvere possit in hac præsenti vita.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod voluntas pro facto non reputatur in his quæ sunt ab alio, sicut est de baptismo; non enim tantum valet voluntas suscipiendi baptismum, sicut ipsius susceptio, sed reputatur voluntas pro facto in his quæ sunt omnino ab homine. Et iterum quantum ad præmium essentiale, non autem quantum ad poenæ remotionem, et hujusmodi, respectu quorum attenditur præmium accidentaliter, et secundario. Et ideo confessus et absolutus minus in purgatorio punietur, quam contritus tantum.

ARTICULUS III.

Utrum confessio apperiat paradisum.

Pro negativa. = Videtur, quod confessio non apperiat paradisum.

1. Apertio paradisi est effectus baptismi. Ergo apertio paradisi non est effectus confessionis.

Conseq. prob., quia diversorum sacramentorum diversi sunt effectus.

2. Moriens ante confessionem, potest intrare paradisum. Ergo confessio non aperit paradisum.

Conseq. prob., quia in id quod clausum est, ante apertionem non potest intrari.

PRO AFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud per quod quis se subjicit clavibus Ecclesiæ, aperit paradisum. Sed per confessionem homo se clavibus Ecclesiæ subjicit. Ergo confessio aperit paradisum.

Maior prob., quia per claves Ecclesiæ aperitur paradisus.

Determinatio.

Conclusio. Confessio sacramentalis aperit paradisum.

Prob. illud per quod removentur impedimenta prohibentia ab introitu paradisi, dicitur aperire paradisum. Sed confessio removet impedimenta prohibentia ab introitu paradisi. Ergo confessio aperit paradisum.

Minor prob., quia confessio removet culpam et reatum poenæ, ut in præced. articulis dictum est, quæ sunt impedimenta, quibus homo prohibetur ab introitu paradisi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi baptismus et pœnitentia sint diversa sacramenta, tamen agunt in vi unius, scilicet passionis Christi, per quam paradisi aditus est apertus, et ideo eundem effectum habent.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod moriens ante confessionem, si contritionem habuit, potest intrare paradisum, quia contritio confessionis votum includit. Unde ante votum confessionis paradisus clausus erat peccanti mortaliter; sed postea per contritionem, virtute voti confessionis, aperitur etiam ante confessionem actualiter factam, non tamen obstaculum reatus est totaliter amotum ante confessionem et satisfactionem. Negatur igitur conseq. Ad probationem dicitur, quod ante actualem confessionem paradisus est apertus virtute confessionis, cujus votum in contritione includitur.

ARTICULUS IV.

Utrum confessio tribuat spem salutis.

Pro negativa. = Videtur, quod confessio non tribuat spem salutis.

1. Illud quod provenit ex omnibus actibus meritoriis, non debet poni proprius effectus confessionis. Sed spes salutis provenit ex omnibus actibus meritoriis. Ergo tribuere spem salutis non est proprius confessionis effectus.

2. Illud ad quod pervenimus per tribulationem, magis ad satisfactionem, quam ad confessionem pertinet. Sed ad spem per tribulationem pervenimus: ut patet Rom. 5. Ergo spes salutis magis ad satisfactionem, quam ad confesionem pertinet.

Maior prob., quia tribulationem sustinet homo præcipue in satisfactione.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud per quod homo fit humilior et mitior, tribuit spem salutis. Sed *per confessionem homo fit humilior et mitior:* ut dicitur lib. 4. sent. dist. 17. Ergo confessionis effectus est tribuere spem salutis.

Maior patet, quia homo accipit spem salutis per hoc quod fit humilis et mitis.

Determinatio.

Conclusio. Confessio tribuit spem salutis.

Prob. Illud per quod homo se subjicit clavibus Ecclesiæ, tribuit spem salutis. Sed per confessionem homo se subjicit clavibus Ecclesiæ. Ergo confessio tribuit spem salutis.

Maior prob., quia claves Ecclesiæ habent virtutem ex passione Christi, per quem spes remissionis peccatorum est nobis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod spes salutis ponitur effectus confessionis, quia ex ipsa est spes salutis non solum, ut est actus meritorius; sed etiam, ut est pars sacramenti.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod per tribulationem pervenimus ad spem, prout tribulatio est experimentum proprie virtutis, et purgat á pœna. Confessio autem spem salutis tribuit, non solum ut in ea est pœna, sed ut per ipsam homo se clavibus Ecclesiæ subjicit, et ut est pars sacramenti.

ARTICULUS V.

Utrum confessio generalis sufficiat ad delenda peccata mortalia oblita.

Pro negativa.=Videtur quod generalis confessio non sufficiat ad delendum peccata mortalia oblita.

1. Si peccata oblita, per confessionem generalem dimitterentur, sequeretur quod cum ad notitiam redeunt, non essent ex necessitate confitenda, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia peccatum per confessionem deletum non est necesse iterum confiteri.

2. Si per generalem confessionem mortalia oblita remittuntur, sequitur quod quicumque non est sibi conscius de aliquo peccato mortali, quandocumque generalem confessionem faciat, possit esse certus quod sit immunis á peccato mortali quod est falsum.

Conseq. prob., quia quicumque non est conscius sibi alicujus peccati, vel non habet peccatum, vel est oblitus sui peccati. Unde qui non est conscius alicujus peccati, facta generali confessione, erit certus se nullum habere peccatum.

Falsitas consequentis prob., quia est contra Apostolum 1. Cor. 4. dicentem: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

3. Nullus ex negligentia debet reportare commodum.

Sed quod aliquis peccatum mortale obliviscatur antequam ei dimittatur, non potest esse sine negligentia. Ergo non reportat ex hoc tale commodum quod sine speciali confessione peccatum ei dimittatur.

4. Confessio generalis non delet peccata per ignorantiam comissa. Ergo confessio generalis multo minus delet peccata oblita.

Antecedens prob., quia tunc hæretici, qui ignorant aliqua peccata quæ in eis sunt esse peccata, aut etiam aliqui simplices, per generalem confessionem absolverentur, quod est falsum.

Conseq. prob., quia magis est elongatum á cognitione confitentis id quod omnino ignorat, quam illud, cujus est oblitus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Psal. 33. dicitur: *accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Sed ille qui confitetur omnia peccata, quæ scit, accedit ad Deum, quantum potest, et plus ab eo requiri non potest. Ergo talis non confunditur, ut repulsam patiatur, sed veniam consequitur.

2. Ille qui confitetur, nisi sit fictus, veniam consequitur. Sed ille qui confitetur omnia peccata, quæ in memoria habet, et aliquorum oblitus est, non ex hoc est fictus: cum patiatur ignorantiam facti, quæ á peccato excusat. Ergo talis veniam consequitur. Et sic peccata quæ oblita sunt, relaxantur, cum impium sit dimidiam sperare veniam.

Determinatio.

Conclusio. Confessio generalis sufficit ad delenda peccata mortalia oblita, quantum ad culpam, non autem quantum ad pœnam.

Prob. Prima pars, scilicet quod generalis confessio sufficiat ad delendum oblita, quantum ad culpam. Quia confessio operatur præsupposita contritione, quæ culpam delet. Unde ille qui confi-

tetur; si non sit fictus, consequitur remissionem culpæ, et veniam.

Altera pars ostenditur, quia confessio per se ordinatur directe ad dimissionem pœnæ, quam ex duobus remittit, scilicet ex vi clavium, quibus pœnitens se submittit; et ex erubescentia. Contingit autem quandoque quod per contritionem præcedentem, peccatum aliquod deletum est quoad culpam, sive in generali, si ejus memoria tunc non habebatur, sive in speciali: et tunc quando ille qui confitetur, oblitus est alicujus peccati, confessio generalis sacramentalis operatur ad dimissionem pœnæ ex vi clavium, quibus se confitens subjicit, nullum obstaculum, quantum in ipso est ponens. Sed ex parte erubescentiæ, qua confessio pœnam minuebat, pœna istius peccati, de quo quis specialiter coram sacerdote non erubuit, non est diminuta.

Breviter igitur probatio secundæ partis conclutionis consistit in hoc, quod in confessione generali non habetur erubescentia de peccato oblito, et ideo ex hac parte confessio non sufficit ad pœnam delendam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. In confessione enim sacramentali, non solum requiritur absolutio, sed judicium sacerdotis satisfactionem imponentis expectatur; et ideo, quamvis in proposito casu, sacerdos absolverit, et pœnitens fuerit absolutus, tenetur tamen cum peccatum ad memoriam redit, confiteri, ut suppleatur illud quod defuit ad sacramentalem confessionem, scilicet erubescentia ex parte pœnitentis, et judicium de peccato oblito ex parte confessionis. Unde ad prob. dicitur quod peccatum deletum quantum ad culpam, non est necesse confiteri, sed potest ad ejus confessionem quis teneri, ratione pœnitentiæ, ut dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Confessio enim (ut dictum est) non operatur, nisi præsupposita contritione, quæ an vera fuerit, non potest aliquis scire; sicut nec scire potest, an habeat gratiæ plenitudinem. Et ideo nullus potest scire per certitudinem, utrum per confessionem generalem sit sibi peccatum oblitum dimissum, quamvis hoc possit per aliquas conjecturas æstimare.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod iste non reportat commodum ex negligentia, quia non ita plenam remissionem consequitur, sicut alias consequtus fuisset, nec tantum meretur. Et tenetur iterum confiteri, cum peccatum ad memoriam redit.

Ad 4. Dicitur ad maiorem quod confessio generalis non delet peccata, quæ committuntur per ignorantiam divini juris, qualia sunt hæreticorum peccata; sed delet peccata, quæ sunt ex ignorantia facti; oblivio autem habet ignorantiam facti, et ideo per confessionem generalem delentur talia peccata. Quid sit ignorantia juris, et facti, dictum est 1. 2. q. 76. art. 2. et 3.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 100.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* (Alph. Castr. Confessio) dicentis: in confessione non conferri gratiam, qua homo justificatur. Si enim confessio remittit peccata, utique confertur ibi gratia, qua peccatum remittitur; et consequenter per eamdem rationem, per quam demonstras, quod confessio à morte peccati liberat, demonstras etiam quod in confessione confertur gratia justificans. Vide in 3. par. de Bap. quæst. 69. art. 1. et 4. Nam in art. sup-

ponitur (ut patet) quod baptismus tollat peccatum, et det gratiam, cujus ad instar confessio dicitur operari; consequenter ratio hujus de confessione corroboranda relinquitur ex ratione illa de baptismo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam merito damnatam esse Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. ubi de confessione loquens, ait: « ante hoc tribunal sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam ab admissis peccatis possent liberari.» Item á Psal. 31. Dixi, confitebor ad versum me injustiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.» Item á Joan. « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, et justus, ut remittat illa, et emundet nos ab omni iniquitate. Item ab Isa. 43 « Narra, si quis habes, ut justificeris. » Vel (secundum LXX. interpretes) « Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris. » Item á, etc. ut quæst. 5. ar. 3. Item Conc. Trid. sess. 14. ca. 1. " Dominus noster Jesus Christus sui ipsius vicarios reliquit tamquam judices, ad quos omnia mortalia peccata deferantur: quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. » Ex quibus patet, quod confessio remittit peccata, quatenus absolutioni adjungitur, ut limitavit articuli conclusio: et per consequens, quod in illa sic accepta confertur gratia, contra Lutherum. Item ab eodem ibi de sacramento pœnitentiæ loquente cap. 3. " Sane vero res, et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim, et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo quam interdum in piis viris, et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet » Ubi nota ly « quantum ad ejus vim, et efficaciam pertinet, et ex hoc sensum rectum S. Thomæ in conclusione intelligas tam de confessione, quam de baptismo: immo (ut extendatur) de omnibus Ecclesiæ sacramentis. Item ab eodem sess. 4. ca. 14. sed, quoniam hoc alias adductum est, ideo vide tu supra. Item ab eodem sess. 14. ca. 1. " Si quis dixerit: in Ecclesia catholica pœnitentiam non esse vere, et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, á Christo Domino nostro institutum: anathema sit. Ubi nota ly *pro fidelibus Deo reconciliandis*. Ergo aut sic instruendo Christus erravit, quod est blasphemum, et hæreticum: aut confessio, ad quam aliæ poenitentiæ partes annectuntur, Deo reconciliat, quod est verissimum, et ab articulo intentum. Item ab Eugenio IV. sacro approbante Concilio Forentino: in decreto Armenis dato, sic: *effectus hujus sacramenti (si absolutio á peccatis*. Ubi per contextum loquitur de confessione. Item á Leone I. Papa epist. 89. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, sic; « Mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiae tradidit potestatem; ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent » Ubi nota ly *eosdem purgatos*, et ly *per januam reconciliationis*. Ergo confitentibus janua reconciliationis est confessio. Item á Papa Clemente I. in ep. 1. ad Jacobum fratrem Domini sic: « non erubescat, qui animae suae curam gerit, confiteri haec huic, qui praeest, ut ac ipso per verbum Dei, et consilium salubre curetur: quo possit integra fide, et operibus bonis poenas aterni ignis effugere, et ad perpetuae vitae praemia pervenire » Inter haec tamen praedicta, ubi confessionem conferre gratiam designatur, vitandus est error Petri Oxomensis dicentis quod sacramentum poenitentiae, quantum ad collationem gratiae, sacramentum naturae est non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti. Nam hunc errorem damnavit supra in hac appendice Concil. Trident. sess. 14. can. 1. ultra quod idem error damnatus fuerat antea per Sixtum IV. approbantem acta Alphonsi Carilli Archiepiscopi Toletani, cui auctoritatem contulerat declarandi, ac definiendi omnes propositiones et conclusiones falsas, erroneas, haereticas, ac male sonantes, quae in libello praefati Petri continerentur. Hujus libellum Reverendiss. D. Archiepiscopus antedictus comburendum judicavit, quem illico promotor fiscalis curiæ tradidit seculari: prius tamen prolata sententia qua conclusiones prædictas (inter has præcitata conclusio pro errore, scilicet quod sacramentum poenitentiæ, etc.) tamquam hæreticas, erroneas,

scandalosas, et mala sonantes Apostolica, et primitiali auctoritate damnandas decreverat. Hanc erroneam propositionem præmissam cum aliis abjuravit dictus magister Petrus Oxomensis inter cetera dicens: « Ego præfatus magister Petrus desiderans salutem animæ meæ ac proprium recognoscens errorem, et culpam, dico, et confiteor, me graviter errasse in compositione dicti libelli, utpote continentis propositiones falsas, erroneas, scandalosas, et male sonantes. Quas, ut tales confiteor, et declaro: submittoque me determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, et sententiæ præfatæ prolatæ per dictum Reverendissimum Dominum, cui ego ex nunc specialiter, et expresse assentior. Et cognoscens veram fidem, anathematizo omnem hæresim, maxime eam, de qua hactenus sum infamatus: et consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, et Sedi Apostolicæ, et ore, ac corde confiteor, me sacramenta Ecclesiæ, et illam fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa modernus auctoritate Apostolica, et Evangelica tenet. Et per hæc sancta Dei Evangelia omnes qui contra hanc fidem venerint, cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pronuncio.» Hæc ibi in Summa Conciliorum, ubi narratur vita Sixti IV. qui ad prædicta specialem confirmationem addidit, contra Lutherum sacramenta non dare gratiam, asserentem: vide Roffensem art. 1. magnopere triumphantem. Idem contra eumdem vide Leonem X. in Bulla contra Lutheri errores supra qu. 1. art. 1. et Concilium Tridentinum sess. 7. de sacramentis, can. 7: et 8. His enim singulis, imo etiam per Petri antedicti in calce abjurationem, damnatur implicite salutem error Lutheri in principio appendicis recitati. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa omnia scripturarum, ac patrum dicta pro quando effectum confessionis innuunt esse liberationem á morte peccati, et probes, et declares, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem quorumdam dicentium, nullam poenam remanere umquam post Confessionem. De hoc habetur in Concil. Trid. ubi et condemnatur, ut infra. Inter hos est Lutherus, qui ad tollendam satisfactionem absolute dicit: poena, quæ debetur culpae, dimissa culpa, remanet et ipsa dimissa. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, errorem praemissum merito damnari á Synodo Trid. sess. 14. can. 12. " Si quis dixerit: totam poenam sibi cum culpa remitti semper á Deo, etc. anathema sit. » Item canon. 15. " Si quis dixerit, etc. fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat anathema sit. » Item sess. 6. can. 30. " Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri, dixerit, ita, ut nullus, remaneat reatus poenae temoralis exsolvendæ vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit: anathema sit. » *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, Concil. Trid sess. 6. cap. 14. merito dixisse. " Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse á baptismali, eamque continere non modo cessationem á peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia spiritualis vitae exercitia, non quidem pro poenae aeterna quae vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur sed pro poena temporali: quae, ut sacrae literae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam receperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt et templum Dei violare non sunt veriti. » Ubi vide, si non ad literam ferme praesens D. Thom. recensetur articulus. Item et, quod merito idipsum, scilicet, quod á culpa cum poena aeterna per vim clavium, seu per absolutionem, et etiam á poena temporali remanente per verecundiam in actuali confessione habitam liberamur, insinuat saltem implicite sic. « Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, et peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Haec Concil. Trid.

sess. 14. c. 5. Confessionem ergo absolutioni junctam, verecundiamque in detectione peccatorum actualiter habitam, ista commoda in art. posita nobis poenitentibus afferre insinuat. Per commoda etiam intellige omnes effectus confessionis reliquos in ista quaest. positos. Concilium praemissum facit partim, pro quanto scilicet de culpae dimissione per confessionem ad art. praecedentis immediate confirmationem. Vide extra de poen. dist. 1. c. sacrificium. Item, quod merito Concilium Senonense Confessionem liberare ab aeterna poena, et verecundiam á temporali partim liberare, insinuavit decreto 10. de confessione sic inquiens. " Oportet itaque, quem antiquus ille serpens occulte momorderit, abstrusissimum quodque vulnus medico detegere, et omnem indigestum humorem, et si stomacho mentis altius insederit, evomere, pudorem in satisfactionis partem de singulo quovis errato pati: ne, dum occultis peccatorum vinculis sese teneri dissimulat, horrende tamdem sub omnium oculis aeternae damnationis laqueo constringatur. Item, quod merito á sacris literis insinuatum est, confessionem, dimissa culpa, poenaque aeterna, relinquere poenam temporalem pro iisdem peccatis expiandam, ut 2. Regum 12. dixit David; peccavi Domino, et Nathan ad eum, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quo enim Dominus transtulerat peccatum Davidis per confessionem, tamquam in figuram nostrae, dicentis, peccavi? Ad mortem filii ex adulterio nati: et ad persecutionem ab Absalone contra David fiendam, ac similia. Unde Nathan ipse, quasi translationem praedictam declarans, statim subinfert. *Verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quin etiam Dominus confessionem Davidis praevidens fecit, quod Nathan quasi hoc ignorans translationem ipsam praediceret, inquiens: «quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, et haec dicit Dominus. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua; et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis hujus. Haec ibi: cum tamen Christus purgasset peccata ipsius Davidis, ut dicitur Eccl. 47. delendo scilicet culpam, et remittendo poenam aeternam, mediante confessione praedicta. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Manichæorum* (Direct. Inquisit. par. 2. q. 13.) dicentium confessionem, peccatorum factam sacerdotibus Romanae Ecclesiae nihil valere ad salutem. Si enim pro salute intelligant per antonomasiam paradisum, sive paradisi apersionem: articulus praesens eos directe expugnat. Si vero per salutem intelligant viam directam salutis, idest gratiam vel remotam viam, idest liberationem á culpa, et poena: articuli 1. et 2. haereticos illos expugnarunt *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, haeresim hanc merito damnari á B. Jacobo cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini.* Ecce, quod confessio facta sacerdotibus valet ad salutem. Nam per ly *alterutrum* intelliguntur sacerdotes confessarii; ut patet ex Concilio Cabilonensi, 2. cap. 33. id contextualiter affirmante sic. " Quidam sacerdotibus peccata confitenda esse percensent, quod non sine magno frutu intra sanctam fit Ecclesiam. Ita, ut, etc. secundum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, ut salvemur. Confessio itaque, quae fit sacerdoti, » etc. Item per rationem ex articulo sumptam ostendes, hæresim praedictam merito damnari, etc. ut supra art. 1. et 2. append. Cum enim ratio quod aperiat paradisum confesio, sit haec, quod scilicet culpam, poenamque amovet, atque in appendicibus illorum articulorum canonice monstretur, quod hujusmodi effectus confessio facit, liquet; quod ab ibidem dictis radicaliter, et ostenditur, quod ista aperit Paradisum, et contrarium (quod est praemissus error) condemnatur. Item, merito damnari á Concilio Moguntino, cap. 27. sic. *Ipse Dominus ait:* " Nolo mortem peccatoris, sed, ut convertatur, et vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore poenitentiam denegat: et de sperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce praemium ad Christi dexteram pendens, si illum

unius horae poenitentia non juvisset. Cum esset in poena, poenituit: et per unius sermonis confessionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. » Ubi per poenitentiam intelligit confessionem sacerdoti factam: quoniam in illo capitulo determinat, quod suspendendi in patibulis sunt et confessione sacramentali, et sacra Eucharistia post dignam confessionem muniendi. Ecce igitur; quod non tantum de salute qualibet, sed expresse de Paradisi, tamquam de effectu confessionis, synodus illa facit mentionem. Nec te moveat Lutherus huic veritati infestus inquiens (ut ait Leo Papa in Bulla contra errores Lutheri) quod fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur animam ab ingressu coeli. Verum quidem est, quod confessio fomitem omnino non tollit: tamen ob hoc non sequitur, quod anima post confessionem absque actuali peccato, ejusque reatu existens ab ingressu coeli retardetur ob fomitem praedictum. Nam, si anima talis post confessionem statim exiret á corpore, in coelum reciperetur. Quare? Quia confessio illa praecedens Paradisum aperuit: etiam quod ad homine ipso vivente fomitem totaliter non abstulerit. Quod enim fomes non sit peccatum, et consequenter ab ingressu paradisi animam alias digna non remoretur, et per consequens, quod Lutherus in hoc damnetur: habes á Concilio Trident. sess. 5. Decr. 1., ubi sic ait: " manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur, et sentit, quae, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimmo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appelleri, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit; anathema sit. Et, licet Synodus ipsa loquatur ad litteram de fomite in baptizatis: tamen universaliter etiam in confessis hoc, quod videlicet fomes non est peccatum proprie, verificatur: error etiam præcedens á Leone ibidem condemnatur: cujus Bullæ particulam si videre cupis, vide supra q. 1. art. 1. app. et 3. par. q. 68. art. 9. Vide Roffensem contra Lutheri errore art. 2. et 3. Cæterum, si á Manichæis in principio appendicis dictis fiat vis in ly Romanæ Ecclesiæ, quasi quod de sacerdotibus non omnibus, sed Romanæ Ecclesiæ tantum negetur confessionis valor ad salutem: vide quæst. 6. art. 2. et qu. 8. art. 2. ubi confutatur iste error pro hac parte. Quibus adde, contra eumdem, Concilium Aquisgranense ca. 9. ubi de sacerdotibus loquens ait: « in novo autem testamento post Christum sacerdotalis ordo á Petro Apostolo cœpit. Ipsi enim primum datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus. Tu es Petrus, et super hanc petram, etc. Et infra: quatuor sunt genera Apostolorum: unum á Deo tantum, ut Moises: alterum per hominem, et Deum, ut Josue: tertium tantum per hominem, sicut bis temporibus multi favore populi, et potestatum in sacerdotium subrogantur: quartum autem genus ex se est, sicut pseudoprophetarum, et pseudoapostolorum. » Cum ergo quartum genus sacerdotum, tamquam pseudo rejiciatur: et tertium á sancta Synodo Tridentina (ut patet ex appendicibus articulorum proxime citatorum) reprobetur: restat, ut in novo testamento sacerdotalis ordo ille nullus sit, nisi qui derivatur á Petro Apostolo, qui fuit á Deo tantum. Matth. 16. et 24. qu. 1. rogamus: Romanus Pontifex, et consequenter, quod Romane Ecclesiæ sacerdotes (hi omnes sunt, qui ubilibet existens á Petro in sacerdotio dependent) soli sunt veri sacerdotes. Hoc voluit dixisse Concilium Aquisgranense supra: quando sacerdotalem ordinem in novo testamento á Petro Apostolo cœpisse sanxit. Vide pro hoc q. 22. art. 1. not. primam post ad primum. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam inclusive negantium (ut ex Concilio Trid. nunc adducendo patet) quod confessio non tribuat spem salutis. Dixit ly inclusive, quia hi negant spem habendam pro quibuscumque bonis operibus universaliter, et consequenter in suo hoc dogmate perverso includunt etiam confessionem. Quandoquidem confessio ipsa est actus virtutis, q. 7.

art. 2. et 3. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam hæresim merito damnari á Concilio Trid. sess. 9. ca. 16. sic; " bene operantibus usque in finem proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. Et cap. 26. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, et sperare æternam retributionem á Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint: anathema sit." Ex quibus patet inclusive: quod confessio, cum sit bonum opus, tribuit spem salutis habendæ sive per gratiam in re, sive per gloriam in spe; sive etiam per gloriam in re, si perseverantia inibi á Concilio notata jungatur. Item merito damnari ab Apostolo 1. Corinth. 15. "Abundate in omni opere bono: scientes, quod labor vester non est inanis in Domino." Hoc est, habentes spem, quod labor vester retributionem accipiet á Domino, et consequenter scientes, quod omne opus bonum (confessio autem est hujusmodi) spem tribuit salutis. Item ab eodem Hebr. 6. " Non enim injustus est Deus: ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius." Ecce, quod omne opus bonum (secundum doctrinam Apostoli) et consequenter confessio spem salutis tribuit. Unde et clarius eamdem hæresis damnans Heb. 10. inquit: " Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem." Quasi aperte dicat, confidentia vestra causata á bonis operibus, quæ fecistis, bona est. Unde in contextu de bonis operibus idem mentionem fecerat, dicens: " rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum; et in altero quidem opprobriis, et tribulationibus spectaculum facti in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem, et manentem substantiam." Hæc ille, immediate subdens ly: *Nolite amittere confidentiam*, etc. Item merito damnari á Psal. 118. " Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem." Hoc est, propter spem retributionis, sive sperando retributionem. Item merito damnari ab Apostolo Hebr. 12. de Moyse dicente, quod *aspiciebat in remunerationem*. Ecce, per has virtualiter, seu inclusive damnari errorem dicentium, quod confessio non tribuit spem salutis. *Tertio* habes quomodo per rationem ostendas, Concil. Trid. jure radicaliter insinuasse, confessionem tribuere spem salutis; dum sess. 6. ca. 7. inquit: " Vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum cujusque dispositionem, et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis D. N. Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissime passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret." Et ca. 3. prædixerat: quod meritum passionis Christi nobis communicatur in baptismo. A simili ergo et in aliis sacramentis; quare et in confessione. Cum igitur radix, quod confessio tribuat spem salutis, sit meritum Christi, et ejusdem meriti communicatio nobis per confessionem facta (ut in corp. art. patet) clarum est; quod Concilium per illa capitula insinuat radicaliter, confessionem dare spem salutis. Consule supra qu. 5. art. 3. et qu. præsent. art. 1. 2. et 3. et inde multa pro hujus conclusionis veritate, et contrarii erroris falsitate, ex appendicibus canonice hauries. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, Concilium Tridentin. merito innuisse, peccata oblita in confessione generali dimitti. Reliqua autem insinuasse videtur sess. 14. ca. 5. dum ait: " Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fiducialiter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me, Domine. Hæc ibi: consideranti patere potest, quod peccata oblita in confessione generaliter inclusa, á

Domino Deo mundantur, præsupposita tamen semper contritione. Ad cujus Psalmi. 18. intellectum conformiter Synodo ipsi, antequam esset, loquitur venerabilis Beda, in hujusmodi super Luc. cap. 4. dicens: « modo Salvator rogatur, modo ultro sanat ægrotos, ostendens, se contra peccatorum passiones precibus fidelium semper annuere: et ea, quæ ipsi minime in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel etiam non intellecta dimittere, juxta illud, quod postulat, dicens: delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. » Item: quomodo per rationem ostendas, consuetudinem ecclesiasticam, qua dicit sacerdos: " Absolvo te á peccatis, quæ mihi modo confessus es, et ab omnibus aliis, quorum memoriam non habes; consuetudinem, inquam, hanc merito insinuare, quod confessio generalis, idest in generali clausula, scilicet de omnibus etiam aliis, non tantum de specialiter confessis, in quibus offendi Deum, dico meam culpam, peccata comprehendens universa, sufficit ad delenda, mortalia. Nisi enim sufficeret ad hoc minister Ecclesiæ, quæ est columna veritatis secundum Apostolum, non diceret: *absolvo te ab his, quorum memoriam non habes.* Et nota, quod hoc intelligitur de non habitis in memoria post diligentem cogitationem, pro conatu ad rememorandum ut supra alibi dictum fuit, et Concilium Trident. adductum nunc innuit) non aliter. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas. quod ex præmissis, scilicet Concilio, et consuetudine ecclesiastica, merito damnatur pestiferus error Lutheri (ut narrat Leo X. in Bulla contra ipsius errores) dicentis: quod liberum arbitrium, dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Secundum Concilium enim supradictum cogitavit iste confitens diligenter peccata sua, faciendo scilicet quod in se est, ut recordaretur illorum, et tamen non solum non peccasse ipsum, sed etiam ex hoc munditiam conscientiæ de oblitis promeruisse, vidimus. Quod de Concilio damnante Lutheri errorem dictum est, dic etiam tu de consuetudine ecclesiastica præmissa. Quanta autem sit auctoritas ecclesiasticæ consuetudinis, patet ex hoc, quod præponderat auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque alterius Doctoris, de quo vide 2. 2. qu. 10. art. 12. Item errat prædictus á Leone ipso inter alios damnatur de quo ejus Bullæ particulam vide supra qu. 1. art. 1. append. et 3. par. qu. 68. art. 9. Rursum per rationem articuli ostendes, merito damnari ex eisdem Concilio, et consuetudine ecclesiastica hæresim Novati (Prateolus Accesus Novat. Episcopus) dicentis: peccantes ad mortem post baptismum á communione divinorum esse rejiciendos, et solius Dei, non sacerdotis esse potestatem hujusmodi peccantibus delicti remissionem concedere. Ecce enim quod Concilium, et consuetudo ecclesiastica talibus peccatoribus per confessionem sacerdoti factam remissionem delicti, etiam obliti dari decernunt. Ergo et á fortiori (quod pro art. 1. facit) de eisdem delictis specialiter confessis sacerdoti, remissionem concedunt. Idem ex eisdem ostendes, merito damnari hæresim Judæorum, et Luteranorum (Prateolus Judæorum hæreses) una voce dicentium, peccatum statim á resipiscentia, et dolore, nullam agentibus pœnitentiam, neque confitentibus esse remissum. Patet enim discurrentibus, quod tam Concilium, quam ecclesiastica consuetudo præmissam confessionem, saltem in generali, factam implicite supponunt etiam á contrito ad hoc, ut peccatum oblitum ei remittatur. Faciunt præmissæ auctoritates ad append. artic. multorum supra pro confutandis variis erroribus ibi adductis. *Tertio* habes; quomodo per rationem præmissa in Concilio, et ecclesiastica consuetudine dicta, pro quanto confessionem generalem ad mortalium remissionem statuunt valere, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA PRIMA.

DE SIGILLO CONFESSIONIS, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde quæritur de sigillo confessionis.

Et circa hoc quæruntur quinque.

Primo, utrum in quolibet casu teneatur homo celare ea quæ sub sigillo confessionis habet.

Secundo, utrum sigillum confessionis se extendat in alia quam ad illa quæ habita sunt de confessione.

Tertio, utrum solus sacerdos sigillum confessionis habeat.

Quarto, utrum de licencia confitentis possit sacerdos ejus delictum, quod habet sub sigillo confessionis alteri prodere.

Quinto, utrum teneatur illud celare, etiamsi aliter noverit.

ARTICULUS I.

Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quæ sub sigillo confessionis habet.

Pro negativa.=Videtur quod sacerdos non teneatur in quolibet casu, celere peccata quæ sub sigillo confessionis novit.

1. *Id quod institutum est pro charitate, non militat contra charitatem*, ut Bernardus lib. de dispens. et præcepto dicit: sed celatio confessionis in aliquo casu militat contra charitatem. Ergo in tali casu sacerdos non tenetur celare quæ in confessione novit.

Minor prob., quia si aliquis in confessione sciat aliquem hæreticum, quem non potest inducere ad hoc quod desistat, á corruptione plebis. Et simile est de illo qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos qui contrahere volunt; in quibus casibus celare confessionem, contra charitatem militat.

2. Illud ad quod quis obligatur ex præcepto Ecclesiæ tantum, non est necesse observari, mandato Ecclesiæ in contrarium facto. Sed celatio confessionis est introducta ex statuto Ecclesiæ tantum. Si ergo per Ecclesiam præcipiatur, quod quicumque scit aliquid de tali peccato, dicat; ille qui per confessionem illud peccatum scit, dicere tenetur.

3. Aliquando aliquis peccatum celans incurrit proprie conscientiæ damnum. Ergo in tali casu ei licet confessionem publicare.

Anteced. manifestatur. Quando enim ille, qui peccatum in confessione scit, adducitur in testem pro peccato illo quod in confessione novit, et jurare cogitur de veritate dicenda, tunc enim celando verum, conscientiæ damnum videtur incurrere. Vel cum aliquis Abbas scit per confessionem peccatum alicujus Prioris sibi subjecti, et occasione prioratus ad ruinam inducitur; tunc enim tenetur ei curam pastoralis digninatis auferre, et auferendo videtur ejus confessionem publicare.

Conseq. prob., quia magis debet homo servare conscientiam suam, quam famam alterius, secundum ordinem charitatis.

4. Aliquis sacerdos per confessionem alicujus potest accipere conscientiam, quod sit prælatione indignus, cujus promotioni ex hoc, quod est indignus, contradicere tenetur, si sua intersit. Ergo contradicendo, suspicionem inducere videtur de peccato, et sic quodammodo confessionem revelare. Videtur ergo quod quandoque oporteat confessionem revelare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur in Decretal. lib. 5. tit. 38. cap. 12. extra de penit. et remiss. pecc. cap. *Omnis, caveat sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem.*

2. Deus peccata, quæ per confessionem panduntur, non revelat, sed tegit. Ergo nec sacerdos ea revelare debet.

Conseq. prob., quia sacerdos debet Deo, cujus est minister, confirmari.

Determinatio.

Conclusio. De necessitate sacramenti est quod confessor confessionem peccatorum celet, et tamquam violator sacramenti peccat, qui confessionem revelat.

Prob. Confessio, qua quis sacerdoti se subjicit, et signum interioris subjectionis, quo quis Deo se subjicit. Ergo de necessitate sacramenti est quod sacerdos confessionem celet.

Anteced. prob., quia in sacramentis ea quæ exterius geruntur, sunt signa rerum quæ interius fiunt.

Conseq. prob., quia Deus peccatum illius, qui se illi subjicit per pœnitentiam tegit. Unde hoc oportet in sacramento pœnitentiæ significari, per confessionis sigillum.

Et confirmatur concl. Quia sunt aliæ utilitates hujus celationis. Per hoc enim homines magis ad confessionem trahuntur, et simplicius etiam peccata confitentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Quidam dicunt quod sacerdos non tenetur servare sub sigillo confessionis, nisi peccata, de quibus pœnitens emendationem promittit, alias potest illa revelare ei qui potest prodesse et non obesse.

Reprobatio.

Sed hæc opinio videtur erronea, cum hoc sit contra veritatem sacramenti, quæ consistit in hoc quod significet celationem, qua Deus peccata ejus, qui sibi se subjecit celat: quæ veritas non debet tolli per hoc quod peccator ficte ad sacramentum accedit. Sicut enim baptismus est sacramentum, etsi quis fictus ad baptismum accedat; nec est mutatum propter hoc aliquid de essentialibus sacramenti. Ita confessio non desinit esse sacramentalis, propter hoc quod ille qui confitetur, emendationem non proponit. Et ideo ejus peccata quæ confitetur, sub occulto tenenda sunt.

Vera responsio.

Ad argumentum igitur aliter respondendo, negatur minor. Sigillum enim confessionis numquam militat contra charitatem. Ad prob. dicitur, quod charitas non requirit quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit. Illud autem quod in confessione quis scit, non scit ut homo, sed ut Deus; et ideo non revelare peccata in confessione scita, non est contrarium charitati.

Debet tamen confessor in dictis, vel similibus casibus, aliquod remedium adhibere, quantum potest, sine revelatione confessionis. Sicut monendo eos qui confitentur, ut desistant á tali peccato: et aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum: ita tamen quod non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat.

Ad 2. Negatur minor. Præceptum enim de confessione celanda consequitur ipsum sacramentum, et ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda est de jure divino, et non potest aliqua dispensatione, vel jussione humana homo absolvi ab eo: ita nullus potest ad revelationem confessionis ab homine cogi, vel licentiari. Unde si præcipiatur sub pœna excommunicationis jam latæ quod dicat si aliquid scit de tali peccato; non debet dicere, quia debet existimare quod intentio præcipientis sit, si sciat ut homo: hoc autem confessarius non scit ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione, non debet aliquid dicere, nec excomunicationem incurreret, quia confessarius non est subjectus superiori suo, nisi ut homo: quod autem scit in confessione, non scit ut homo, sed ut Deus.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo, et ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum, ut

Deus. Similiter etiam potest Prælatus, sine læsione conscientiæ, dimittere peccatum impunitum quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum defertur. Unde in his quæ deferuntur ad ipsum in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro quantum potest, adhibere remedium. Ut Abbas, in casu prædicto, debet eum admonere, ut prioratum resignet, vel si noluerit, poterit aliqua alia occasione absolvere eum á cura prioratus, ita tamen quod omnis suspicio vitetur de revelatione confessionis.

Ad 4. Negatur consequentia. Contradicendo enim indigno promovendo, non revelatur confessio: quia ex multis causis redditur quis indignus ad prælationis officium quam ex peccato; sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi. Et ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, ne confessionem revelat.

ARTICULUS II.

Utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quæ sunt de confessione.

Pro affirmativa. — Videtur quod sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quæ sunt de confessione.

1. Aliquando quis cum peccatis quæ sola de confessione sunt, narrat multa alia quæ ad confessionem non pertinent. Ergo videtur quod etiam ad illa confessionis sigillum extendatur.

Conseq. prob., quia illa quæ simul cum peccatis in confessione dicuntur sacerdoti, ut Deo dicuntur.

Formalius. Ad ea quæ dicuntur sacerdoti, ut Deus, se extendit confessionis sigillum. Sed multa alia cum peccatis aliquando dicuntur sacerdoti in confessione, ut Deo. Ergo ad multa alia se extendit sigillum confessionis.

2. Aliquando aliquis alicui dicit aliquod secretum, non consernens aliquod peccatum, et ille recipit sub sigillo confessionis. Ergo sigillum confessionis se extendit etiam ad illa quæ non sunt de confessione.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea quæ sunt annexa alicui sacramento, non se extendunt, ultra illud sacramentum. Sed sigillum confessionis est aliquid annexum sacramentali confessioni. Ergo sigillum confessionis non se extendit nisi ad ea, de quibus est sacramentalis confessio.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Sigillum confessionis directe non se extendit, nisi ad ea quæ ad confessionem pertinent.

Hæc patet ex ratione inducta pro negativa.

2.ª Conclusio. Sigillum confessionis indirecte tantum se extendit ad ea quæ ad confessionem non pertinent, ut sunt illa per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi.

Hæc remanet probata ex argumento primo pro affirmativa.

3.ª Conclusio. Illa quæ in confessione dicuntur et sciuntur quæ ad confessionem non pertinent, sunt etiam summo studio celanda.

Manifestatur, quia hoc est faciendum, tum propter vitadum scandalum quod oriri posset ex hoc quod dicta in confessione revelarentur. Tunc etiam, ne ex consuetudine dicendi ea quæ in confessione noscuntur, causaretur pronitas, per quam esset periculum dicere etiam peccata in confessione audita.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est, quod probat secundam conclusionem. Ad illa enim quæ cum peccatis dicuntur, se extendit sigillum confessionis indirecte: quæ tamen summo studio celanda sunt, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo, scilicet sub sigillo confessionis; si tamen recipiat, tenetur ex

promissione illud celare; ac si in confessione illud haberet, quamvis vere sub sigillo confessionis non habeat. Unde ad illa nullo modo se extendit confessionis sacramentalis sigillum; sed ad illud tenetur qui sic secretum acceptat, ex promissione facta.

ARTICULUS III.

Utrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis.

Pro negativa. = Videtur quod non solus sacerdos habeat sigillum confessionis.

1. Aliquando confitetur aliquis sacerdoti, necessitate urgente, per interpretem, qui etiam tenetur confessionem celare. Ergo etiam aliquis non sacerdos confessionis sigillum habet.

2. In aliquo casu necessitatis potest quis confiteri laico qui peccata celare tenetur in casu illo, cum sibi dicantur, ut Deo. Ergo non solus sacerdos sigillum confessionis habet.

3. Aliquando fingit se aliquis sacerdotem, ut per hanc fraudem alterius conscientiam exploret, qui si postea peccata sibi in confessione dicta revelet, peccat. Ergo aliquis non sacerdos sigillum confessionis habet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod est annexum sacramento confessionis solus sacerdos habet. Sed sigillum est annexum sacramento confesionis. Ergo solus sacerdos habet confessionis sigillum.

Maior prob., quia solus sacerdos est hujus sacramenti minister.

2. Ille solus habet confessionis sigillum qui est Dei minister. Sed solus sacerdos est Dei minister. Ergo solus sacerdos tenetur peccata sub sigillo tenere.

Maior prob., quia ideo aliquis tenetur ea quæ in confessione audit celare, quia non scit ea, ut homo, sed ut Deus.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Solus sacerdos proprie habet confessionis sigillum.

Manifestatur: quia sigillum confessionis competit sacerdoti, in quantum est minister hujus sacramenti, quod nihil aliud est, quam debitum celandi confessionem: hoc enim est de ratione hujus sacramenti, cum hoc per ipsum significetur, ut artic. 1. dictum est. Sicut etiam clavis quæ est potestas absolvendi, soli sacerdoti convenit.

2.ª Conclusio. Laicus in aliquo casu tenetur peccata celare, non tamen proprie habet confessionis sigilum.

Manifestatur: quia sicut aliquis qui non est sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem: ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis, et tenetur eam celare, quamvis proprie sigillum confessionis non habeat quod tantum sacerdoti convenit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Et ad alia duo simul dicitur quod probant secundam conclusionem. Interpres enim, laicus, et ille qui ex necessitate confessionem audit. Et ille qui se sacerdotem fingit, tenentur peccata in his casibus audita celare, et secreto tenere, non tamen proprie sigillum habent, quia non sunt hujus sacramenti ministri.

ARTICULUS IV.

Utrum de licentia confitentis possit sacerdos, ejus peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere.

Pro negativa. = Videtur quod de licentia confitentis, non possit sacerdos peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere.

1. Papa non posset alicui confessario licentiam dare, quod peccatum in confessione auditum, alteri prodat. Ergo multo minus ille qui confitetur, potest confessario licentiam dare, ut peccatum quod cognoscit in confessione, alteri prodat.

Conseq. prob., quia quod non potest superior, nec potest inferior.

2. Illud quod est institutum propter bonum commune, non potest ex unius arbitrio irritari. Sed celatio confessionis est instituta propter bonum totius Ecclesiæ, ut homines confidentius ad confessionem accedant. Ergo ille qui confitetur, non potest sacerdoti ad dicendum peccata quæ sub sigillo habet, facultatem dare.

3. Si posset dari licentia sacerdoti ad revelandum peccata in confessione audita, videretur dari pallium malitiæ malis sacerdotibus, quia possent prætendere sibi licentiam datam, et sic impune peccarent quod est inconveniens. Ergo videtur quod non possit confessario á confitente hæc facultas dari.

4. Ille cui peccatum á confessario revelatur, non habebit illud sub sigillo confessionis, et sic poterit peccatum jam deletum publicare quod est inconveniens. Ergo inconveniens est quod pœnitens possit confessario, ad sua peccata dicenda, licentiam dare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Superior potest remittere peccatorem cum litteris ad inferiorem sacerdotem, de voluntate ipsius peccatoris. Ergo de voluntate confitentis potest sacerdos peccatum alteri revelare.

2. Qui potest aliquid facere per se, potest et per alterum facere. Sed confitens potest peccatum suum quod fecit, per se alteri revelare. Ergo etiam potest per sacerdotem hoc facere.

Determinatio.

Conclusio. Sacerdos potest de licentia confitentis, prodere alteri suum peccatum quod sub sigillo confessionis habet; debet tamen cavere scandalum, ne fractor sigilli habeatur.

Prob. Ille qui potest facere quod sacerdos sciat ut homo, illud quod sciebat solum ut Deus; potest, si absit scandalum, dare licentiam sacerdoti ad dicendum ea quæ sub sigillo confessionis habebat. Sed pœnitens potest facere quod sacerdos ea quæ sciebat ut Deus, sciat ut homo quod facit licentian dando ipsi ad dicendum. Ergo pœnitens potest dare licentiam sacerdoti ad propalandum sua peccata; et sacerdos potest illa, si absit scandalum, alteri dicere.

Maior manifestatur: duo enim sunt, propter quæ tenetur sacerdos peccatum in confessione auditum occultare. Primo et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vices gerit in confessione. Secundo, propter scandalum vitandum. Ille igitur qui potest facere quod sacerdos sciat aliquod peccatum, ut homo, potest sacerdoti licentiam dare ad dicendum illud alteri, et sacerdos potest illud propalare; debet tamen cavere scandalum, ne reputetur fractor sigilli.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod posse licentiam dare confessario ad dicendum peccata, non est ex superioritate, sed ex hoc quod quis potest facere quod sacerdos sciat ut homo, quod sciebat ut Deus. Et quia Papa non potest facere quod sacerdos sciat peccatum alterius ut homo, quod tamen potest facere ille qui est confessus; propterea Papa non potest, et pœnitens potest confessario, ad dicendum peccatum quod sub sigillo habebat facultatem dare.

Ad 2. Negatur sequela, scilicet quod illa conclusio sequatur ex illis præmissis. Conclusio enim quæ debet inferri, est. Ergo sigillum confessionis non debet frangi, et hoc verum est. Quando autem confessarius, de licentia pœnitentis, manifestat ejus peccatum; non frangit sigillum, quia per licentiam pœnitentis, ea quæ habebat sub sigillo, habet extra sigillum.

Ad 3. Negatur consequentia. Ex hoc enim non datur aliqua impunitas malis

sacerdotibus, quia imminet eis probatio (si accusantur) quod de licentia pœnitentis revelaverint.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod ille ad quem notitia peccati devenit, mediante sacerdote, de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis, et ideo simile est de eo et de interprete, de quo dictum est art. præced. ad 1. Nisi forte peccator velit quod ille libere et absolute sciat.

ARTICULUS V.

Utrum illud quod sacerdos scit per confessionem, et etiam extra confessionem, possit alteri revelare.

Pro negativa. = Videtur quod illud quod quis scit per confessionem, et etiam aliquo alio modo, non possit alteri revelare.

1. Frangere confessionis sigillum, est ilicitum. Sed ille qui revelat ea quæ in confessione audivit, qualitercumque aliter sciat, frangit confessionis sigillum. Ergo revelare ea quæ in confessione quis audivit, etiam quod aliunde illa sciat, est illicitum.

2. Qui obligatur secreto tenere peccata alicujus, non potest illa quomodocumque sciat, alteri revelare. Sed qui confessionem alicujus audit, ei obligatur ad hoc quod ejus peccata non revelet. Ergo qui alicujus confessionem audivit, quomodocumque ejus peccata aliter sciat, non potest illa revelare.

3. Duorum quorum unum est altero potentius: illud quod est potentius, trahit ad se reliquum. Sed scientia, qua quis scit peccatum, ut Deus, est potentior et dignior scientia, qua scit peccatum, ut homo. Ergo illa trahit ad se istam, et ita non poterit revelare scientia, qua scit ut homo.

4. Secretum confessionis institutum est ad vitandum scandalum et ne homines á confessione retrahantur. Sed si aliquis posset dicere illud quod in confessione audivit, etiam si aliter sciret, nihilominus scandalum sequeretur. Ergo nullo modo potest aliquis dicere id quod in confessione audivit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Nullus potest aliam obligare, ad quod non erat obligatus, nisi sit Prælatus qui obliget cum præcepto. Sed ille qui sciebat alicujus peccatum per visum, non erat obligatus ad celandum. Ergo ille qui ei confitetur, cum non sit prælatus suus, non potest eum obligare ad celandum, per hoc quod ei confitetur.

2. Sequeretur ex hoc quod posset justitia Ecclesiæ impediri; si aliquis, ut evaderet sententiam excomunicationis quæ in ipsum ferenda esset propter aliquod peccatum, de quo convictus est, confiteretur ei qui sententiam ferre debuisset quæ tamen justitia est in Præcepto. Ergo non tenetur quis celare peccatum quod alias scit, ex hoc quod ipsum in confessione audivit.

Determinatio.

Conclusio. Illud peccatum quod confessarius scit etiam extra confessionem, non tenetur celare sub confessionis sigillo; debet tamen illud celare, ad vitandum scandalum, nisi immineat necessitas.

Manifestatur: illud quod confessor scit ut homo, non tenetur celare sub sigillo confessionis. Sed peccatum quod confessor extra confessionem novit, scit ut homo. Ergo non tenetur celare illud sub sigillo confessionis: unde talis confessor potest dicere, *scio illud peccatum, quia vidi*; sed non potest dicere, *audivi illud in confessione.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Quando enim aliquis dicit se vidisse quod in confessione audivit, non revelat quod in confessione audivit, nisi per accidens. Sicut qui scit aliquid per auditum et visum, non revelat quod vidit, per se loquendo, si dicat se audivisse; sed per accidens, quia dicit auditum, cui accidit esse vi-

sum, et ideo talis non frangit confessionis sigillum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod audiens confessionem, non obligatur ad hoc quod non revelet peccatum simpliciter; sed prout est in confessione auditum in nullo enim casu dicere debet, se audivisse in confessione.

Ad 3. Dicitur quod maior est vera in his quæ oppositionem habent ad invicem. Tunc enim fortius trahit ad se debilius. Tunc ad minorem subsumendam dicitur quod scientia qua scit aliquis peccatum, ut Deus, et illa qua scit ut homo, non sunt opposita, et ideo confessarius debet peccata celare, quatenus scit illa ut Deus, et potest illa dicere necessitate imminente, quatenus illa scit ut homo. Et hoc facit, dum dicit se illud vidisse, et tacet se illud in confessione audivisse.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 101.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo ostendas, merito esse decretum á Concilio Lateranense generali sub Innocentio III. ca. 21. quod confessarius ad sigillum strictissime tenetur, et hoc sic, « Caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed, si prudentiori Consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat; quoniam, qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum á sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.» Hæc ibi, et recitatur extra de pœnitent. et remiss. cap. omnis utriusque. Item ab Eugenio et Gregorio summis Pontificibus, ut infra art. 4. append. Item merito idipsum de sigillo fuisse sancitum á Papa Leone I. epist. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, et Picænum constitutos, quæ in ordine est epist. 78. in 1. Tom. Concilii sic. « Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi á quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri » (de pœnitentia videlicet, quæ ita á fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publice recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Removeatur tam improbabilis consuetudo; ne multi á poenitentiæ remediis arceantur dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo fit, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim demum pluries ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. » Leonis decretum hoc ad illum finem tendit principaliter, ut sacramentalis confessio secreto, non publice fiat, fateor, et in hoc sensu adducta fuere supra, cum de modo confitendi secrete contra errantes tractaretur. His tamen non obstantibus, adaptantur secundario ad sigillum conservandum de confessis, et hoc ad mentem ipsius Papæ. Quem finem sibi præstituit Papa, quando ista decrevit? Tectionem delictorum confitentis ne, ut ipse dicit, " multi á poenitentiæ remediis arceantur, et ut plures ad poenitentiam provocentur. » Iste idem est finis sigilli, ut patet. Consequenter igitur Papa sub prædicto decreto cointellexit, implicite saltem, præcipere de sigillo. Tunc videre delectat, quam conformiter Pontificiæ huic declarationi correspondeat 2. conclusio præsens, et ex consequenti, quam apte conclusio ipsa per hujusmodi Pontificis dicta confirmetur ad litteram. Item, etc. merito ipsum de sigilli custodia fuisse á sacra scriptura insinuatum Ecclesiastici 10. « Secundum judicem populi, sic et ministri ejus:» conjungendo cum Ezech. 18. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus pec-

catis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor. » Cum igitur confessarius sit minister Dei, secundum ly " accipite Spiritum Sanctum, quorum remisseritis peccata, » etc. Joan. 20. et secundum quod ex Concilio Tridentino alibi supra adductum est, et Deus post poenitentiam peccatoris non recordetur peccatorum illius, in quantum scilicet tegit illa, non puniendo amplius, oportet secundum scripturam hanc, quod et confessarius peccata ipsius confitentis tegat, quod est sigillum custodire. *Secundo* habes quomodo et Concilii, et Pontificis, et scripturarum prædicta, pro quanto sacerdotem ad sigillum peccatorum in confessione auditorum obligant, et intelligas, et declares, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insituatum ab *Innocentio III.* quod directe ad sigillum spectant peccata, indirecte vero, ea, per quæ peccator, vel peccatum ejus posset deprehendi. Insinuatur autem id, ut in append. articuli 1. narratum est, per ejus litteram sic. " Caveat sacerdos, ne verbo, vel signo, vel quovis modo, prodat peccatorem. " Quasi dicat: illa, per quæ posset vel peccator confessus, vel ejus peccatum deprehendi, pertinent, saltem indirecte, ad sigillum confessionis. Pro hoc consule quoque Eugenium, et Gregorium, articul. 4. append. Hinc vide bonitatem Dei maximam; non tantum, quia ipse per ministrum suum tegit peccata sibi sacramentaliter confessa, quod est proprium confessioni huic: cum in foro contentioso ex confessione delictorum suorum quis decapitetur, aut aliam poenam subeat; sed etiam, quia ipsa voluit ab eodem confessario tam strictissima circumspectione semper tegi, ita, ut eorum videatur mox post confessionem totaliter oblitus. Hanc oblivionem confessarii voluit forsan, ultra alias expositiones, designare Deus; quando Ezechiel. 33. inquit: " Si impius egerit poenitentiam, et cætera, vita vivet, omnia peccata ejus non imputabuntur ei. " Hoc est, ut ab oppositis loquamur, oblivioni tradentur. Ibi namque præmisserat; " Etiamsi dixero justo, quod vita vivet, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Et infra. Si dixero impio, morte morieris, et impius egerit Poenitentiam, et cætera, omnia peccata ejus non imputabuntur ei, et cæt. vita vivet. Ecce, quod, ab oppositis discurrendo, in idem redit ly *non imputabuntur*, cum ly *oblivioni tradentur*. Quare nunc in tertia persona dicit, *non recordabuntur:* cum tamen supra capitulo 18. in prima persona dixerit, *non recordabor*? ut ex hac phrasi locutionis designet, ministrum suum, qui est in persona alter ab eo, non recordaturum, seu ad modum non recordantis se habiturum, circa peccata á poenitente sibi confessa. Ecce, quod sigillum á ministro suo custodiendum etiam antiquitus prædixerat divina bonitas. Et nota juxta seriem capitulorum ordinem sigilli: quoniam series hæc demonstrat, ideo sigillum debere servari á ministro ex eo, quod in Deo præcessit: idest, quod, ut articulo 1. in corpore dixit sanctus Thomas, sacerdos debet custodire sigillum confessionis, eo quia á Deo teguntur peccata. Quod autem series capitulorum id ostendat, patet: qui in capitulo 18. dixit, *non recordabor*; et in capitulo 13. subjunxit, *non recordabuntur*. Hinc aliud quoque mirandum, quod tamen verum est, vide, quod scilicet homo inexcusabilis est, si non confiteatur: ex quo peccata sua in confessione revelata tantæ celationis custodia, sub tanto præcepto, communiuntur. Vide mirum. Si peccator tegit peccata sua, Deus eadem detegit: si vero peccator detegit Deus eadem tegit. Ex præcepto itaque sigilli á Christo Domino instituti, et ab Innocentio III. superius in appendice hac declarati, duo habita sunt ad litteram; bonitas maxima Dei erga peccatorem confitentem, inexcusabilitas maxima peccatoris præ rubore vel alio venenoso respectu, peccata propria confiteri recusantis. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta á Pontifice, et scripturis, pro quanto sigillum tum directe tum indirecte statuunt, et declares, et probes, atque defendas: maxime si junxeris articulum 1. huic. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem monstres, *Innocent. III.* per extensionem insinuasse, quod quilibet de actu confessionis participans, etiam laicus,

debet necessario servare sigillum. Insinuavit autem hoc per idem decretum supra articulo 2. append. recitatum; ubi accipitur proprie ly sacerdos pro audiente confessionem ex officio, puta, quia habet ordinem, et jurisdictionem, Extensive autem pro quocumque, et quomodocumque audiente confessionem; quantum ad sigillum servandum, loquendo. Intentio namque Innocentii ibi est: quod peccata confitentis maneant omnimode, dempto tunc audiente, secreta. Effectum vero hunc, scilicet totalem peccatorum absconsionem, non consequeretur, nisi de omni audiente confessionem, etiam laico, extensive non intendisset. Cum Ergo Papa sufficienter providere famæ confitentis voluerit, ut undique libera esse confessio, et ipsius famæ sufficienter provideri non possit, nisi per extensionem sigilli ad quoscumque peccata confitentis in confessione narrata quomodocumque audientes, ut patet, clarum restat, quod Papa ipse præmissum decretum ad omnes hos, implicite saltem, extendere voluit, et extendit. Sub nomine igitur sacerdotis intellexit quoscumque, etiam laicos: non quia laici sacerdotes, sint, hoc enim est damnata hæresis q. 8. a. 1. et 2. et 4. sed quia in proposito, de quo loquimur, possunt et ipsi aliquo modo participare de audientia confessionis: ut supra in notat. post conclus. Quoniam ergo accesorium sequitur naturam principalis, de reg. ju. in 6. et principalis in casu nostro est verus sacerdos immediate audiens confitentem, accesorius autem est quicumque alius, etiam laicus: fatendum est, quod intentio Papæ est obligare istos accessorios, et eodem proportionaliter circumspectionis vinculo, et eisdem poenis: vide igitur ar. 2. decreti illius districtionem, et circumspectionis, et poenarum: atque inde ad hos etiam facito utriusque rectam applicationem. Ex supradictis quoque motus, Gregorium et Eugenium allegatos ibi, scripturasque pro sigillo sacerdotum adductas huc proportionaliter applicare potest ad instar auctoritatis Innocentii te regulando. Hinc videbis melius et bonitatem Dei ibi articulo 2. expressam, et hominis non confitentis inexcusabilitatem. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Pontificis et scripturæ præfata, pro quanto sigillum extendunt etiam ad alios á sacerdote confessario immediate, intelligas, probes, ac tuearis. Addendo, quod participans alicujus naturam, et proprietates ejus participat: ut patet de ferro ignito, et mille allis per te faciliter inveniendis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem rejiceas errorem quorumdam (ut refert Magister Joannes de Tabia) dicentium: quod non licet sacerdoti de licentia confitentis dicere audita ab eo in confessione. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc merito repelli á Papa Alexandro III. extra, de Adulter. capitulo significasti. Sic, "significasti nobis quemdam presbyterum cum alterius conjuge intra Ecclesiam dormivisse, quæ se, et illum cuidam sacerdoti hujusmodi delictum confessos fuisse, publice tibi detexit, et hoc ipsum idem sacerdos nomen adulteri celans in præsentia tua dixit." Ubi apparet, quod iste sacerdos (secundum Panormitanum etiam) revelavit hoc de licentia mulieris, quæ sibi hoc confessa fuerat. Nominavit ergo mulierem, quia licentiam ab ea habebat: celavit nomen adulteri, quia ab illo licentiatus sic non fuerat. Item á Papa *Lucio III. Matheus Cardinalis secreta nobis insinuatione monstravit, quod, cum fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen*, et cætera. Hæc extra de sermo. Matthæus. Ubi dicunt doctores, quod iste Cardinalis revelavit ex licentia sibi data: et dicit Abbas: "nota ex hoc textu, quod peccatum detectum in pœnitentia potest per confessorem alteri detegi, consentiente tamen ipso peccatore pœnitente. Hæc ille, et recitatur in marginalibus glossis ad capitulum prædictum. Nec valet ratio illorum errantium in contrarium adducta, quando dicunt quod confitens non potest in hoc dispensare sacerdotem: quia est de lege naturæ, divina, et essentia sacramenti, sigillum. Respondetur enim per textum articuli quod confitens non dispensat super jura prædicta: sed quod facit per licentiam suam illud idem esse notum sacerdoti, ut homini: quod ante licentiam erat solum notum ipsi, ut Deo. Responsum hoc ad illos errantes confirmatur ex Eugenio Papa, capitulo si sacerdos, extra de offic. jud. ord. dicente: "Tamen non postest nominatim eum re-

movere á communione, licet sciat eum esse reum; quia non ut judex scit, sed ut Deus » Ecce quod Eugen. Papa adducens rationem de servando sigillo á sacerdote, inquit. quod *sacerdos scit, ut Deus, non, ut judex*, idest, ut homo. Quasi ex opposito dicat; si sacerdos illud sciret, ut homo, posse revelare. Cum igitur confitens per licentiam faciat, quod dictum est, patet (ultra quod ratio D. Thom. est fundatissima: cum sit et ratio Eugenii) quod de ejus licentia potest sacerdos revelare, cum cautela tamen debita, et notata, tum in textu artic. tum in elucid. Cæterum, si á pœnitente licentiam super hoc non habeat: nec aliunde sibi detecta in confessione sciat, videat diligenter, ut observet jam dicta in 1. ar. append. Quibus et addas præceptum Gregorii Papæ dicentis. "Sacerdos ante omnia caveat: ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est, non propinquis non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam, si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Hæc ibi, de pœniten. dist. 6. cap. Ubi vides, quod nec pro scandalo aliquo vitando licet frangere sigillum. Item ab hoc ipsum adde Eugenium Papam dicentem. "Si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, et emendare noluerit (nisi judiciario ordine quis probare possit) non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate; sicut dixit Christus: unus vestrum me traditurus est. Sed, si ille, cui damnum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit, sed tamen non potest eum nominatim removere á communione: licet sciat eum esse reum: quia non ut judex scit, sed ut Deus, sed debet eum admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Judam á communione removit. Hæc extra de offic. jud. ordin. si sacerdos. Ecce, quod confessum sacramentaliter non vult prodi á sacerdote propter rationem dictam; quia sc. sacerdos tunc illum esse reum scit, non ut judex (idest in foro contentioso. in quo et petitur justia á damnificato, et excommunicatio fertur) sed ut Deus. *Tertio* habes: quomodo per rationem dictum Alexandri supra, pro quanto sacerdotem posse de licentia poenitentis dicere audita in confessione insinuat, et intelligas, et probes, et defendas. Memineris tamen in tali casu semper cautelæ dictæ in corp. art. et in coroll. post ad 4. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem convincas errorem quorumdam dicentium, quod in confessione audita, etiam quod alia via noscat eadem, non potest quis revelare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc errorem á fortiori rejici ex prædictis in art. 4. append. Dixi, á fortiori, quoniam, si de licentia confitentis audita in confessione manifestare licet, multo magis visa extra confessionem, etiam quod ante, vel post in confessione sint habita, manifestare licebit, ut patet. Nam licentia illa confitentis non est adeo remota á confessione, sicuti sunt illa, quæ totaliter extra confessionem cognita sunt. Item, merito damnari directe ab Eugenio Papa, extr. cap. Si sacerdos, etc. ut supra a. 4. append. Nam ibi dicit sententialiter Eugenius, quod scire, ut Deus, prohibet nos á manifestatione ad extra; scire autem, ut homo, non item. Vide tu verba ejus ibi. Cum igitur aliquis sibi dictum in confessione, et consequenter scitum á se, ut Deo, sciverit quandoque extra, et consequenter, ut homo: patet secundum Eugenium, quod absque peccato manifestare poterit. Memento tamen semper illius cautelæ, quæ in 3. conclusione explicatur. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SECUNDA,

DE SATISFACTIONE QUOAD EJUS QUIDDITATEM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de satisfactione, de qua quatuor consideranda sunt. Primo de ejus quidditate. Secundo de ipsius possibilitate. Tertio de ejus qualitate. Quarto de his per quæ homo Deo satisfacit.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.

Secundo, utrum sit actus justitiæ.

Tertio, utrum definitio satisfactionis quæ in littera ponitur, convenienter assignatur.

ARTICULUS I.

Utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.

Pro negativa.—Videtur quod satisfactio non sit virtus, nec actus virtutis.

1. Omnis actus virtutis est meritorius. Sed satisfactio non est meritoria. Ergo satisfactio non est actus virtutis.

Minor prob., quia meritum gratuitum est, satisfactio autem debitum attendit.

2. Omnis actus virtutis est voluntarius. Sed satisfactio quandoque non est voluntaria. Ergo satisfactio non est actus virtutis.

Minor prob., quia fit aliquando satisfactio, homine invito, ut quando aliquis pro offensa in dominum commissa, á judice punitur.

3. Actus virtutis est cum electione. Sed satisfactio non est semper cum electione. Ergo satisfactio non est actus virtutis.

Maior prob., quia dicitur 8. Ethic. cap. 13. *Virtutis, et moris principale est electio.*

Minor prob., quia satisfactio principaliter respicit exteriora opera.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod pertinet ad pœnitentiam, pertinet sd virtutem. Sed satisfactio pertinet ad pœnitentiam. Ergo pertinet ad virtutem.

Maior prob., quia pœnitentia est virtus.

2. Illud per quod peccatum totaliter annihilatur est actus virtutis. Sed per satisfactionem peccatum totaliter annihilatur. Ergo satisfactio est actus virtutis.

Maior prob., quia nullus actus operatur ad deletionem peccati, nisi sit actus virtutis: contrarium enim per suum contrarium destruitur.

Determinatio.

Distinctio. Aliquis actus dicitur esse actus virtutis dupliciter. Uno modo materialiter. Alio modo formaliter. Dicitur aliquis actus virtutis materialiter, qui malitiam non habet implicitam, vel defectum debitæ circunstantiæ: quia quolibet tali actu potest uti virtus in suum finem. Sicut sunt ambulare, loqui, et hujusmodi. Actus autem virtutis formaliter est qui suo nomine formam et rationem virtutis implicitam habet: sicut fortiter sustinere, dicitur actus virtutis fortitudinis.

1.ª Conclusio. Satisfactio est actus virtutis materialiter.

Prob. Quia satisfactio nullam malitiam, vel debitæ circunstantiæ defectum importat; quod dictum est pertinere ad actum virtutis materialiter.

2.ª Conclusio. Satisfactio est actus virtutis formaliter.

Prob. Omnis actus qui importat rationem medii, est actus virtutis formaliter. Sed satisfactio importat rationem medii. Ergo satisfactio est actus virtutis.

Maior prob., quia formale cujuslibet virtutis moralis est ratio medii; ut dictum est 1. 2. quæst. 64. art. 1.

Minor prob. Illud quod importat æqualitatem, importat rationem medii. Sed satisfactio suo nomine æqualitatem importat: non enim dicitur aliquid satisfieri, nisi secundum proportionem

æqualitatis ad aliquid. Ergo satisfactio importat rationem medii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod quamvis satisfacere in se sit debitum, tamen in quantum satisfaciens voluntarie hoc opus exequitur, rationem gratuiti accipit ex parte operantis, et sic operans facit de necessitate virtutem. Ex hoc enim habet debitum quod non sit meritorium, quia necessitatem importat. Unde si voluntas necessitati consentiat, ratio meriti non tollitur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod actus virtutis non requirit voluntarium in eo qui patitur; sed in eo qui facit, quia illius actus est. Et ideo cum ille in quem judex vindictam exercet, se habeat ut patiens ad satisfactionem, non ut agens, non oportet quod in eo voluntaria sit satisfactio, sed in judice faciente.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod principale in virtute potest accipi dupliciter. Uno modo in quantum est virtus, et sic ea quæ ad rationem ejus pertinent, vel magis ei propinqua sunt, principaliora esse dicuntur: et sic electio, et interiores actus principaliores sunt in virtute, ut virtus est, quia hujusmodi actus ad rationem virtutis, ut virtus est, pertinent, vel rationi virtutis propinquiores sunt. Alio modo potest accipi principale in virtute, in quantum est talis virtus; et sic principalius in ipsa est illud ex quo determinationem accipit actus interior qui in aliquibus virtutibus determinatur per actus exteriores: electio enim quæ communis est omnibus virtutibus, ex hoc quod est electio talis actus, efficitur propria hujus virtutis. Et sic actus exteriores in aliquibus virtutibus sunt principaliores, quatenus determinant electionem. Ex hoc igitur quod satisfactio actus exteriores respicit, non sequitur quod rationem virtutis non habeat.

ARTICULUS II.

Utrum satisfactio sit actus justitiæ.

Pro negativa. — Videtur quod satisfactio non sit actus justitiæ.

1. Reconciliatio non est actus justitiæ, sed charitatis. Sed satisfactio fit ad hoc quod homo reconcilietur Deo quem offendit. Ergo satisfactio non est actus justitiæ, sed charitatis.

Maior prob., quia reconciliatio est actus amoris.

2. Illud ad quod pertinet peccatorum causas excindere, non est actus justitiæ. Sed ad satisfactionem pertinet peccatorum causas excindere: ut dicitur in 4. lib. sent. dist. 15. Ergo satisfactio non est actus justitiæ.

Maior prob., quia causæ peccatorum in nobis sunt animæ passiones, circa quas non est justitia, ut patet 5. Ethic, c. 2. et 3.

3. Illud ad quod pertinet cavere in futurum, non est actus justitiæ. Sed ad satisfactionem pertinet cavere in futurum. Ergo satisfactio non est actus justitiæ.

Maior prob., quia cavere in futurum, pertinet ad prudentiam, cujus pars ponitur cautio.

Minor prob., quia satisfactionis est, suggestionibus peccatorum aditum non indulgere, quod est in futurum peccata cavere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod attendit rationem debiti, est actus justitiæ. Sed satisfactio attendit rationem debiti. Ergo satisfactio est actus justitiæ.

Maior prob., quia nulla virtus præter justitiam rationem debiti attendit.

Minor probatur, quia satisfactio honorem debitum Deo impendit, ut Anselmus in lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 11. dicit.

2. Actus ad quem pertinet rerum exteriorum adæquationem perficere, est actus justitiæ. Sed ad satisfactionem

spectat rerum exteriorum adæquationem perficere. Ergo satisfactio est actus justitiæ.

Maior prob., quia nulla virtus habet rerum exteriorum adæquationem perficere, nisi justitia.

Minor prob., quia per satisfactionem constituitur æqualitas emendæ ad offensam præcedentem.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Satisfactio est formaliter actus justitiæ.

Prob. Actus importans adæquationem rei ad rem, est actus justitiæ formaliter. Sed satisfactionis nomen importat adæquationem rei ad rem. Ergo satisfactio est formaliter actus justitiæ.

Maior probatur, quia medium justitiæ accipitur secundum adæquationem rei ad rem, in proportionalitate aliqua, ut dicitur 5. Ethic. cap. 3. Actus igitur importans hanc adæquationem quæ formaliter ad rationem justitiæ pertinet, sequitur quod sit formaliter actus justitiæ.

Minor prob., quia hoc adverbium, satis æqualitatem proportionis designat.

2.ª Conclusio. Satisfactio est actus justitiæ qui est sui ad alterum, proprie loquendo, faciens æqualitatem in actionibus.

Prob. Prima pars. Actus justitiæ qui exprimit æqualitatem in ipso faciente, est actus justitiæ quæ est unius ad alterum. Sed satisfactio æqualitatem in ipso faciente exprimit. Ergo satisfactio est actus justitiæ, qui est unius ad alterum. Utraque præmissa simul manifestatur. Nam actus justitiæ, secundum Phil. 5. Ethic. cap. 3. est: vel sui ad alterum, ut quando aliquis reddit alteri quod ei debet: vel alterius ad alterum, sicut quando judex facit justitiam inter duos. Quando est actus justitiæ sui ad alterum; æqualitas in ipso faciente constituitur. Quando autem est alterius ad alterum, æqualitas constituitur in eo qui passus est injustum. Ex quibus remanet manifestata conclusio, quantum ad illa verba, *qui est sui ad alterum*, et simul utraque præmissa, ut ex se manifeste patet.

Altera pars manifestatur. Nam sui ad alterum potest aliquis facere justitiam in actionibus et passionibus. Vel in rebus exterioribus. Sicut etiam injuria fit alteri. Vel subtrahendo res. Vel per aliquam actionem alterum lædendo; et quia usus rerum exteriorum est dare: ideo actus justitiæ; secundum quod æqualitatem in rebus exterioribus constituit, proprie dicit hoc quod est reddere. Satisfacere autem dicit æqualitatem in actionibus, quamvis quandoque unum pro altero ponatur. Unde satisfactio de qua est sermo, est actus faciens æqualitatem inter actiones, ut sicut per perpetrationem malorum Deum offendimus, per opera bona ei satisfaciamus.

3.ª Conclusio. Satisfactio est actus vindicativæ justitiæ, quantum ad illam partem quæ pœnitentia dicitur.

Manifestatur prior pars. Actus respiciens offensam præcedentem, pertinet ad justitiam vindicativam. Sed satisfactio respicit offensam præcedentem. Ergo satisfactio est actus justitiæ vindicativæ.

Maior prob., quia nulla pars justitiæ respicit offensam præcedentem, nisi justitia vindicativa, quæ æqualitatem constituit in eo qui injustum patitur, indifferenter: sive sit patiens idem quod agens, ut quando aliquis sibi ipsi pœnam infert; sive non sit idem quod agens, ut quando judex alium punit: ad utrumque enim vindicativa justitia se habet.

Altera conclusionis pars ostenditur: nam pœnitentia importat æqualitatem tantum in faciente, quia ipsemet pœnitens pœnam tenet, et ideo pœnitentia est pars vindicativæ justitiæ: cum igitur satisfactio æqualitatem in faciente importet, ut dictum est, erit opus justitiæ vindicativæ quæ pœnitentia dicitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod satisfactio fit quidem, ut homo reconcilie-

tur Deo, quem offenderat, sed tamen prius fit ad recompensandam illatam injuriam: est enim satisfactio quædam recompensatio illatæ injuriæ. Unde sicut injuria illata immediate pertingebat ad inæqualitatem justitiæ, et per consequens ad inæqualitatem oppositam amicitiæ; ita satisfactio perducit directe ad æqualitatem justitiæ, et ex consequenti ad æqualitatem amicitiæ. Et quia actus procedit elicitive ab illo habitu, ad cujus finem immediate ordinatur; imperative autem ab illo, ad cujus finem ultimo tendit, ideo satisfactio elicitive est á justitia imperative autem est á charitate. Ad formam autem dicitur primo ad maiorem quod reconciliatio est actus justitiæ et charitatis. Est actus justitæ immediate, et charitatis mediate. Ad minorem jam dictum est quod satisfactio fit primo ad recompensandam offensam, et secundario ad reconciliandum hominem Deo: et propterea satisfactio est actus justitiæ elicitivæ, et charitatis imperative.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis justitia, sit principaliter circa operationes, tamen etiam ex consequenti est circa passiones in quantum sunt operationum causæ. Quare sicut justitia cohibet iram, ne alteri læsionem injuste inferat, et concupiscentiam ne ad alienum accedat torum, sic etiam satisfactio potest peccatorum causas excindere.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quælibet virtus moralis participat actum prudentiæ, quia prudentia complet formaliter in eis rationem virtutis, cum secundum eam accipiatur medium in singulis virtutibus moralibus, et ideo satisfactio, ut prudentiam participat, in futurum præcavere debet.

ARTICULUS III.

Utrum deffinitio satisfactionis convenienter assignetur.

Pro negativa. = Videtur quod deffinitio satisfactionis ab Augus. assignata, qua dicitur quod *satisfactio est peccatorum causas excindere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere, non sit conveniens.*

1. Illud quod potest excinderē causam peccatorum, potest excindere fomitem. Sed satisfactio non potest excindere fomitem. Ergo satisfactio non potest causas peccatorum excindere.

Maior prob., quia causa actualis peccati est fomes.

Minor prob., quia fomitem in hac vita non possumus excindere.

2. Homo non potest per se excindere peccatum. Ergo multo minus potest per satisfactionnem excindere causas peccatorum.

Conseq. prob., quia causa peccati est fortior, quam peccatum.

3. Ad id quod respicit præteritum, non pertinet, non indulgere aditum suggestionibus peccatorum. Sed satisfactio respicit præteritum. Ergo ad satisfactionem non pertinet non indulgere aditum suggestionibus peccatorum.

Maior prob., quia non indulgere aditum suggestionibus peccatorum, respicit futurum.

Minor prob., quia satisfactio est pars pœnitentiæ quæ præteritum, non futurum, respicit.

4. Satisfactio dicitur respectu præteritæ offensæ. Sed in assignata definitione nulla fit mentio de præterita offensa. Ergo assignata deffinitio non est conveniens.

5. Anselmus in lib. 1. Cur Deus homo, cap. 11. ponit aliam definitionem dicens: *satisfactio est honorem debitum Deo impendere.* In qua nulla fit mentio eorum quæ Agustinus ponit. Ergo altera earum non videtur esse conveniens.

6. Honorem Deo debitum potest Innocens impendere, cui tamen non competit satisfactio. Ergo definitio Anselmi non est convenienter assignata.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est auctoritas Augustini in lib. de Eccles. dogm. c. 54. et habetur de pœnit. dist. 3. c. 3. et Anselmi loc cit.

Determinatio.

Conclusio. Hæc est conveniens satisfactionis definitio, scilicet, satisfactio est illatæ injuriæ recompensatio, secundum justitiæ æqualitatem, causas peccatorum excindere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere.

Prob. Medicina curans peccata præterita, et præservans á futuris, convenienter definitur per hoc, quod recompensat preteritam injuriam, et excidit peccatorum causas, et eorum suggestioni aditum non indulget. Sed satisfactio est medicina curans peccata præterita, et præservans á futuris. Ergo convenienter modo dicto definitur.

Maior manifestatur: nam peccata commissa in Deum curantur per hoc quod ei fit recompensatio, secundum æqualitatem justitiæ: á futuris autem peccatis præservatur homo per illa duo, scilicet excidendo peccatorum causas, et suggestionibus peccatorum aditum non indulgendo; et quod hæc duo sint necessaria ad præservationem á peccato, ostenditur ex differentia morbi corporalis et spiritualis. Præservatio enim á morbo corporali fit per ablationem causarum corporalis morbi, ex quibus morbus sequi potest: eis enim ablatis, non potest morbus sequi. In morbo autem spirituali non sufficit excindere causas; sed requiritur ulterius, ut non detur aditus suggestionibus peccatorum; quia liberum arbitrium non cogitur. Unde positis etiam causis peccatorum, potest peccatum (etsi cum difficultate) vitari, et causis peccatorum amotis, potest peccatum incurri, et ideo excidendæ sunt peccatorum causæ, et ulterius liberum arbitrium non debet admittere suggestiones ad peccatum. Medicina igitur curans peccata præterita, et præservans á futuris, convenienter modo dicto definitur. Et sic patet maior.

Minor prob. Actus justitiæ pœnam inferentis, et medicina curans peccata præterita; et præservans á futuris. Sed satisfactio est actus justitiæ pœnam inferentis, ut ex dictis art. præced. patet. Ergo tatisfactio est medicina curans præterita peccata, et preservans á futuris.

Maior hujus ostenditur. Quia justitia non ad hoc tantum tendit, ut inæqualitatem præcedentem auferat, puniendo culpam præteritam; sed etiam, ut in futurum æqualitatem custodiat: quia secundum Phil. 2. Ethic. c. 3. *Pœnæ medicinæ sunt.*

Et confirmatur eadem minor, quia quando homo homini satisfacit, et præterita recompensat et á futuris cavet.

Anselmus igitur definivit satisfactionem, secundum quod est medicina curans præterita peccata, dum dicit quod *satisfacere, est honorem debitum Deo impendere.* Consideratur enim debitum ratione culpæ commissæ; et in idem redit cum eo quod dictum est quod satisfactio est illatæ injuriæ recompensatio, secundum justitiæ æqualitatem. Augus. autem eam definit, ut est præservativa á peccatis futuris, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod causa peccati est duplex, scilicet remota et proxima. Causa remota peccati actualis est fomes, et hæc non potest totaliter tolli in hac vita; potest tamen debilitari. Causa autem proxima est duplex, scilicet interior: ut est libido ex consuetudine, vel ex actu peccati relicta, et ea quæ dicuntur reliquiæ peccati: et exterior, ut sunt occasiones ad peccandum, scilicet locus, mala societas, et hujusmodi: et tales causæ in hac vita per satisfactionem tolluntur. Ad formam igitur argumenti negatur maior de causa proxima; non enim est necesse quod tollens causam proximam peccati, tollat fomitem. Ad

probationem dicitur quod fomes est causa remota peccatorum.

Ad 2. Negatur consequentia. Et ratio negationis est, quia causa mali, vel privationis, eo modo quo causam habet, non est nisi bonum deficiens: bonum autem facilius tollitur quam constituatur: et ideo facilius est causas privationis et mali excindere, quam ipsum malum removere, quia malum non removetur, nisi per constitutionem boni. Ad probationem dicitur, quod causæ supradictæ non sunt suficientes causæ peccatorum, cum ex eis non de necessitate sequatur peccatum; sed sunt occasiones quædam, unde non sunt fortiores, quam sit ipsum peccatum. Dicitur secundo ad argumentum quod supponitur in eo unum falsum, scilicet quod homo possit satisfacere sine Dei auxilio; sicut enim homo per se non potest excindere peccatum, sic non potest pro peccato satisfacere. Cum divino tamen auxilio potest et á peccato resurgere, et peccatorum causas per satisfactionem excindere.

Ad 3. Dicitur quod maior est vera de eo quod respicit tantum præteritum, et nullo modo futurum: non autem de eo quod utrumque respicit. Tunc ad minorem dicitur quod quamvis pœnitentia ex prima sui institutione respiciat præteritum; tamen ex consequenti respicit futurum, in quantum est medicina præservans: et sic etiam satisfactio respicit et præteritum, et futurum, ut supra dictum est in corp.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod August. definit satisfactionem, secundum quod fit Deo, cui secundum rei veritatem nihil subtrahi potest, quamvis peccator, quantum in se est, aliquid subtrahat et ideo in tali satisfactione principalius requiritur emendatio in futurum, quam recompensatio præteritorum; ex hac parte Aug. definit satisfactionem. Dicitur secundo ad eamdem minorem quod et si in definitione assignata ab Aug. non fiat expresse mentio de præterita offensione: fit tamen de ea mentio implicite: ex cautela enim futurorum, cognosci potest recompensatio præteritorum quæ fit circa eadem converso modo. In præterita enim respicientes, causas peccatorum propter peccata detestamur, incipientes á peccatis detestationis motum. Sed in cautela á causis incipimus, ut causis subtractis, facilius peccata vitemus.

Ad 5. Negatur consequentia. Non enim est inconveniens quod de eodem dentur diversæ definitiones, seu assignationes, secundum diversa quæ in ipso inveniuntur. Et quia satisfactio respicit præteritum et futurum, et ideo potuit convenienter ex utroque definiri. Unde assignatio Anselmi convenit satisfactioni, ut respicit culpam commissam: definitio vero Augustini, ut cavet futurum, quamvis implicite utraque assignatio utrumque respiciat, ut dictum est.

Ad 6. Dicitur ad antecedens, quod honor Deo debitus est duplex. Quidam ei debetur ratione suæ majestatis, et hunc innocens potest Deo reddere. Quidam vero qui competit Deo ratione offensæ præteritæ, et hunc pœnitentia respicit, et non convenit innocenti Deo reddere, sed solum pœnitenti.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 102.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Flor. et Trident. quod satisfactio est actus virtutis. Hoc autem insinuavit Floren. quando in Decreto Papæ Eugenii IV. determinavit, quod satisfactio

est pars, seu actus poenitentiæ. Item Concil. Trid. quando sess. 14. ca. 3. dixit: quod satisfactio est actus poenitentis, et pars poenitentiæ. Cum enim poenitentia sit virtus, alioquin á Christo Matth. 3. non præciperetur per ly *pœnitentiam agite*, cum præcepta legis non dentur, nisi de actibus virtutum, ut habetur ex 2. Ethicor. dicente Philosopho, quod legislator intendit facere homines virtuosos, sequitur aperte, quod, qui dicit satisfactionem esse partem, seu actum poenitentiæ, dicit per hoc, quod satisfactio est actus virtutis. Nec obstat phantasia Lutheri negantis satisfactionem esse partem poenitentiæ, et consequenter esse actum virtutis, ut dictum est: quoniam suum dicere damnatum intelligitur á prædictis Conciliis ibi. Unde idem Concilium Trident. eadem sessione damnans Lutherum can. 4. ait: " Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres poenitentiae partes dicuntur, etc. anathema sit. » Erubescat ergo Lutherus pertinaciæ suæ hæreticæ prædictæ (ut refert Roffensis contra ipsius assertiones, art. 5.) sic jugens: « vehementer odi et sublatum vellem hoc vocabulum, satisfactio. » Item damnatur illa hæresis á Papa Leone X. in bulla contra errores Lutheri: cujus particulam pro damnatione hujus cum aliis erroribus vido quæst. 1. art. append. et 3. par. quæst. 68. art. 9. Vide Roffensem supra contra errorem illum Lutheri mirifice triumphantem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta á Conciliis, pro quanto satisfactionem innuunt esse actum virtutis, merito damnasse errorem ipsum Lutheri: et quomodo eadem, pro tanto et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á sacris litteris, á Conciliis, á summis Pontificibus, quod satisfactio est actus justitiæ vindicativæ, seu actus justitiæ quoad illam partem, quæ poenitentia dicitur. A sacris litteris Matth. 3. *Facite fructus dignos poenitentiæ*. Hoc est. Vestras satisfactiones facite, ut ad æqualitatem proportionaliter præcedentium offensarum, de quibus jam vos poenituit, fiant. Quis non videat, per hoc aperte in sensu dici, quod satisfactiones ad justitiam pertinent? Lege corporis articuli principium de medio justitiæ, et inde, auctoritatem prædictam Evangelii sic innuere, facile colliges. Item Deuteron. 25. " Pro mensura delicti erit et plagarum modus. » Item Apoc. 18. « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum. » Audis æqualitatem? Infer justitiam. Item 1. Corint. 11. « Si nos ipsos judicaremus non utique judicaremur. » Judicium est actus justitiæ. 2. 2. q. 60. a. 1. et Apostolus satisfactiones hic vocat judicia, ergo per hoc manifeste docet, satisfactionem esse actum justitiæ. Item Rom. 6. « Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibere membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Hoc est. Unusquisque, quot in se habuit oblectamenta, tot de se inveniat holocausta. Convertat ad virtutum numerum, numerum criminum: ut totum serviat Deo in poenitentia, quicquid ex se Deum contempsit in culpa. Vide ergo satisfactionem, secundum Apostolum esse actum justitiæ. Item Psal. 118. « Feci judicium, et justitiam, non tradas me calumniantibus me. » Quid autem intelligat per justitiam, declaraverat jam in Ps. 6. dicens: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. » Quod exponens Chrysost. Hom. 41. de poenitentia, dicit: « Olim patratum peccatum, post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Poenitentem irasci non oportet, neque sævire, tamquam condemnatum, tamquam non habentem fiduciam, tamquam judicatum reum, tamquam ex sola salvari misericordia debentem, tamquam ingratum erga benefactorem redargutum injucundum, et reprobum, tamquam innumeris dignum suppliciis. Si hæc cogitet: non indignabitur, sed lugebit, flebit, gemet, et conqueretur nocte, ac die. Poenitentem numquam oportet oblivioni peccatum tradere: sed Deum quidem rogare, ne ejus meminerit: ipsum vero numquam ipsius oblivisci. Si nos ejus non recordemur, Deus ipsius non obliviscetur, si nos ejus meminerimus, Deus obliviscetur. A

nobis ultionem sumamus, nosipsos accusemus, ita placabimus judicem.» Ubi si notaveris ly ultionem, ly accusemus, dices, quod secundum Psalmistam ab eo interpretatum satisfactio est actus justitiæ A Conciliis item idipsum in principio append. insinuatum est. Nam concil. Trident. sess. 14. ca. 8. " Habeant sacerdotes Domini præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem. » Ecce, quod actum justitiæ vindicativæ et respectu præcedentis offensæ, esse satisfactionem, habes ex Concilio. Item octava Synodus, et recitatur 26 q. 7. Affectum illum in se recipiat poenitens, quem gerebat ille, qui dicebat: iniquitatem odio habui, et abominatus sum, etc. vel secundum ea, quæ Apostolus dixit ad eos qui secundum Deum contristati sunt. Quantum (inquit) in nobis operatus est sollicitudinem, sed accusationem, sed indignationem, sed æmulationem, sed vindictam, » etc. Item eadem Synodus 8. et recitatur 26. qu. 7. « Erga eum, qui peccatum non punit, tales esse debemus, sicut Dominus præcepit, dicens: sit tibi, sicut ethnicus; et sicut Apostolus docuit, dicens: subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinate, et secundum traditionem, quam tradidimus vobis.» Ubi ad propositum nota ly ponit. Item Concilium Aquense, cap. 1. sic: " Apostolus inquit, si nosipsos judicaverimus, á Domino non judicabimur. Hæc est vindicta, quam (inspirante Deo) omnis peccator pro suis admissis poenitendo in seipso vindicat. » A summis etiam Pontificibus idem in principio appendicis dictum insinuatum est. Leo enim I. sic ait: Oportet, unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Dominum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitae suæ constituat, quem periculose ignoratia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum: et, cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium, vel confessio poenitentis, vel reconciliatio sacerdotis.» Hæc ille in epistola ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, et est 89. in ordine, tom. 1. Conciliorum, ubi nota ad propositum ly judicium: quod scilicet de satisfactione loqui volens, ipsa ad judicium consequenter ad justitiam conscientiæ, pertinere affirmat. Item Gregorius I. epist. ad secundinum, sic: " A capite itaque incipientes ut ad quartum altaris ministrum hanc formam servandam cognoscimus, ut, sicut minorem maior præcedit in honore, ita et in crimine, et quem major sequitur culpa, majori plectatur vindicta, quae post poenitentiam, credatur esse fructuosa. » Ubi satisfactionem vocat vindictam: et vindictam ipsam pro majori delicto majorem fore determinat. Item innocentio III Livon. Episcopo, et eis, qui cum ipso sunt, fratribus, ait: «Poenitentiam non tam secundum quantitatem excessus, quam penitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium est moderanda. » Ubi idem apparet per ly *secundum quantitatem delicti*. Unde etiam patet, quod in satisfactione computatur contritionis magnitudo, ut justitiæ actus conservetur, quod annotatum est supra ante probat. conclus. *Secundo* habes; quomodo prædictas scripturarum, conciliorum, Romanorum Pontificum, pro quanto satisfactionem esse justitiæ vindicativæ actum insinuant, et declares, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri*, ut refert Leo Papa X. in bulla contra illius errores dicentis: optima poenitentia est nova vita. Ubi per novam vitam intelligit abstinere á peccatis, et virtutes assequi: non autem cointelligit recompensationem justam ratione culpæ præteritæ. Contra hunc, inquam, interimendum habes ex artic. non tantum rationem, sed Anselmi definitionem. Contra quem et habuisse recordaberis articulum 2. præcedentem. *Secundo* habes: quomodo per rationem articuli, et hujus, et præcedentis ostendas, hæresim prædictam merito damnatam fuisse á Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. sic: « Nemo umquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi, vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui, quod, dum novatores intelligere volunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent

ut omnem satisfactionis vim, et usum tollant.» Et Can. 13. «Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel á sacerdote injunctis, etc. atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam: Anathema sit.» Item, merito damnatam á Leone in prædicta bulla, cujus damnationis particulam vide quæst. 1. art. 1. append. et 3. par. quæst. 68. art. 9 Item á scripturis Luc. 15. «gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super 99. justis, qui non indigent poenitentia.» Quid contra novatores illos clarius, cum justi ipsi indigeant nova, vita, ut patet, saltem, perseverando, et non indigeant poenitentia? Ergo poenitentia addit ad novam vitam. *Tertio* habes: quomodo per rationem, definitionemque Augustini, interimas hæreses Almarici, ut refert Cardinalis Turrecremata de Eccles. lib. 4. par. 2. cap. 35. et direct. Inq. 2. par. qu. 7. dicentis, quod in charitate constituto nullum peccatum imputabitur: item, quasi declarantis prædictum dogma, quod, quæcumque stupra, adulteria, etc. ex charitate carnaliter commiscentes committunt, non sunt peccatum: ex quo et alia hæresis ab eodem parturiebatur de charitate ficta, dicente, quod mulieres non peccabant commiscendo carnaliter, dummodo ex charitate id aggerent. Et ejusdem fere tenoris erat hæresis Begardorum, et Beguinarum (Prat. Begardi garrientium, quod, cum ad statum quendam perfectionis homo pervenerit; tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere, quicquid placet. Concordant namque errantes hi omnes in hoc, quod non opus est cavere á peccatis excidendo causas illorum, ut considerantibus propositiones ipsorum adductas, quidnam pariant, facile patere potest. Contra hos ergo pugnat articulus praesens, in quantum dicit, quod homini jam indulgentiam de peccatis consecuto, et pro illorum poena satisfacienti, excidendae sunt causae peccatorum, etc. nimirum, quia talis homo, etiam in gratia constitutus potest cadere in peccatum sibi imputandum, et quia sensualitati suæ non est licitum libere concedere, quicquid placuerit. *Quarto* habes: quomodo ostendas per rationem, esse merito damnatum prædictum errorem Almarici ab Innocentio III. in Concilio generali Lateranens. c. 2. in fine sic: " Reprobamus etiam, et damnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam in sana. Hæc ibi: ubi, licet Pontifex Romanus singulariter loquatur tamen sub singulari illo totam Almarici doctrinam, et omne dogma condemnare intendit: ut fusius declarat Franciscus Pegna in scholiis suis super direct. Inq. in parte illa, ubi recensetur ista definitio Innocentii. Item merito esse damnatum errorem Begardorum, et Beguinarum á Clemente V. Papa in Concil. Viennen. ut habetur in Clemen. de Hæretic. cap. ad nostrum. Ibi enim narratis octo erroribus illorum simul cum isto in fine concluditur sic. *Sacro approbante Concilio sectam ipsam*, Begardorum, et Beguinarum sc. *cum præmissis erroribus damnamus, et reprobamus omnino. Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TERTIA,

DE SATISFACTIONIS POSSIBILITATE IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de possibilitate satisfactionis.

Circa quod duo quærantur.

Primo, utrum homo possit Deo satisfacere.

Secundo, utrum aliquis pro alio satisfacere possit.

ARTICULUS I.

Utrum homo possit Deo satisfacere.

Pro negativa. — Videtur quod homo non possit Deo satisfacere.

1. Ille qui potest Deo pro offensa in ipsum commissa, satisfacere, habet actionem infinitam. Sed hominis actio non potest esse infinita. Ergo homo non potest Deo, pro culpa in ipsum commissa, satisfacere.

Maior prob., quia satisfactio debet æquari offensæ, ut patet ex dictis in quæst. præced. Offensa autem in Deum commissa est infinita, quia quantitatem recipit ad eo, in quem committitur: cum plus offendat qui principem percutit quam alium quemcumque. Unde qui potest Deo pro offensa satisfacere, habet infinitam virtutem.

2. Servus non potest pro aliquo debito compensare domino suo. Sed nos Dei servi sumus, et quicquid boni habemus, ab ipso habemus. Ergo non possumus Deo satisfacere quod est Deo recompensare.

Maior prob., quia quicquid habet servus, domini est.

3. Ille cujus totum quod habet, non sufficit ad unum debitum exolvendum, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quicquid homo est, potest, et habet non sufficit ad exolvendum debitum pro beneficio creationis. Ergo nullo modo potest homo Deo satisfacere pro debito culpæ commissæ.

Minor prob., quia Isaiæ 40. dicitur: *Ligna Libani non sufficient in holocaustum.*

4. Homo debet expendere in Dei servitium totum suum tempus. Ergo homo non potest recompensationem Deo facere.

Conseq. prob., quia tempus amissum non potest recuperari, propter quod est gravis jactura temporis, ut Seneca dicit, Epist. 1.

5. Pro peccato originali nemo potuit satisfacere, nisi Deus factus homo. Ergo neque pro peccato actuali potest homo satisfacere.

Conseq prob., quia peccatum actuale mortale gravius est, quam originale.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod est a Deo præceptum, est homini possibile. Sed satisfactio est in præcepto. Ergo satisfactio est homini possibilis.

Maior prob., quia Hieron. in expositione fidei ad Damasum dicit: *qui dicit Deum aliquid impossibile homini præcepisse, anathema sit.*

Minor prob., quia Luc. dicitur: *facite fructus dignos pœnitentiæ.*

2. Possibile est, hominem homini satisfacere. Ergo possibile est hominem Deo satisfacere.

Conseq. prob., quia Deus est magis misericors, quam aliquis homo.

3. Contingit æqualem pœnam assumere delectationi quæ fuit in peccando. Ergo contingit Deo satisfacere.

Consequentia, quia satisfactio est, cum pœna æquatur culpæ: est enim justitia idem quod contra passum, ut Pytagorici dixerunt.

Determinatio.

Conclusio. Homo potest Deo satisfacere non quidem secundum æqualitatem quantitatis; sed secundum æqualitatem proportionalitatis.

Manifestatur, homo pro acceptis beneficiis potest Deo reddere æquivalens, non quidem secundum quantitatem, sed secundum proportionalitatem. Ergo homo potest Deo satisfacere pro offensa in Deum, non quidem si ly (satis) dicat æqualitatem secundum quantitatem, sed ly (satis) dicat æqualitatem proportionalitatis.

Consequentia ostenditur: quia homo dupliciter efficitur Deo debitor. Uno modo ratione beneficii accepti. Alio modo ratione peccati commissi. Et sicut gratiarum actio, latria, vel si est aliquid hujusmodi, respicit debitum accepti be-

neficii; ita satisfactio respicit debitum peccati commissi. Eo igitur modo, quo homo potest Deo reddere debitum pro accepto beneficio, poterit etiam satisfacere pro culpa commissa.

Antecedens prob. Nam in honoribus qui sunt ad parentes et ad Deum, etiam secundum Phil. 8. Ethic. c. ult. impossibile est æquivalens reddere, secundum quantitatem, sed sufficit quod homo reddat quod potest. Quia amicitia non exigit æquivalens, sed quod possibile est: et hoc etiam est æquale aliqualiter, scilicet secundum proportionalitatem. Quia sicut se habet id quod Deo est debitum, ad ipsum Deum; ita hoc quod iste potest reddere, ad ipsum; et sic aliquo modo forma justitiæ conservatur. Et hoc idem accidit in satisfactione pro offensa. Nam pœna, quam quis pro peccato commisso et remisso assumit, vel ei alius imponit, non potest absolute æquari pœnæ quæ debetur offensæ: tamen secundum proportionalitatem quodammodo est æquivalens, quia sicut se habet offensa commissa ad Deum, ita se habet pœna possibilis ad eum qui pœnam patitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Quidam respondent, negando maiorem. Ad cujus probationem dicunt quod offensa Dei habet infinitatem ex parte aversionis, et sic offensa et pœna gratis dimittitur. Sed ex parte conversionis est finita, et sic pro ea satisfieri potest ab homine, quia scilicet offensa, ex hac parte, est finita sicut et humana actio.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est, quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundum quod est offensa Dei; non habet autem quod sit offensa Dei, nisi ratione aversionis: et ideo oportet quod homo satisfaciat pro pœna peccati, secundum quod est aversio á Deo.

Vera responsio.

Dicitur ergo ad minorem, quod sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ majestatis, ita etiam satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest. Actus igitur hominis, quo Deo pro peccato remisso satisfacit, est quodammodo infinitus, ratione divinæ misericordiæ gratiam infundentis. Et in hoc redit id quod alii dicunt quod etiam quantum ad aversionem, pro peccato satisfieri potest, virtute meriti Christi quod quodammodo infinitum fuit. Hoc, inquam, in idem redit, cum præcedenti responsione, quia per fidem Mediatoris gratia data est credentibus. Si tamen Deus alio modo gratiam dedisset, vel daret, sufficeret ad satisfactionem, secundum modum dictum in corpore, scilicet secundum proportionalitatem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod homo est quidem Dei servus, sed tamen, quia ad imaginem Dei factus est; aliquid libertatis participat, in quantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium: et ideo ex hoc quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest: quia quamvis Dei sit; prout á Deo est sibi concessum, tamen libere ei traditum est, ita ut ejus dominus sit, quod servo non competit. Satisfacit igitur homo Deo, non prout ipse homo est servus; sed prout est dominus suæ actionis.

Ad 3. Dicitur quod ratio illa concludit, quod Deo non possit æquivalens satisfactio fieri, non autem quod non possit fieri sufficiens. Unde ad minorem dicitur quod quamvis totum suum posse homo Deo debeat; non tamen exigitur ab homine, ut faciat totum quod potest, tamquam necessarium ad salutem, quia hoc est impossibile, secundum statum præsentis vitæ, ut homo totum posse suum in aliquid unum expendat: cum oporteat eum circa multa esse solicitum. Sed est quædam mensura hominis ad-

hibita quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei, et super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat.

Ad 4. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod quamvis homo non possit tempus præteritum recuperare, potest tamen in tempore futuro recompensare illud quod in præterito facere debuerat; quia in præterito non debuit, nec in futuro debet, debito præcepti, omne quod potuit, ut in præced. responsione dictum est. Unde in futuro potest, per id quod ex præcepto non debet, satisfacere pro eo quod in præterito debebat, ex præcepto, et non fecit.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod originale peccatum, etsi minus habeat de ratione peccati quam actuale; est tamen gravius malum: quia peccatum actuale inficit personam, originale vero naturam. Et ideo per hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut expiatur actuale.

ARTICULUS II.

Utrum pœnam satisfactoriam possit unus pro alio explere.

Pro negativa. = Videtur, quod pœnam satisfactoriam non possit unus pro alio explere.

1. Unus non potest pro alio mereri, vel demereri. Ergo unus non potest pro altero satisfacere.

Anteced. prob., quia scriptum est Psal. 61. *Tu reddes unicuique secundum opera sua.*

Conseq. prob., quia ad satisfactionem, meritum requiritur.

2. Unus non potest pro alio conteri, nec confiteri. Ergo nec potest unus pro alio satisfacere.

Conseq. prob., quia satisfactio contra contritionem et confessionem dividitur.

3. Si unus posset pro altero satisfacere sequeretur quod simul etiam satisfaceret pro peccatis propriis, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia unus pro alio orando, etiam sibi meretur. Si igitur aliquis pro alio satisfacere potest, satisfaciendo pro alio, pro se etiam satisfacit.

4. Si unus posset pro alio satisfacere, posset contingere quandoque quod unum peccatum duplici pœna puniretur.

Consequentia ostenditur: nam si unus pro alio assumat onus satisfaciendi, ex quo unus solvit debitum, alius á pœna liberatur. Si igitur ille pro quo satisfactum est, moriatur, statim ad cœlum evolabit. Si autem ille qui assumpsit onus satisfaciendi, adhuc non satisfecerit, et ille pro quo satisfieri debuit, moriatur, retinebitur in purgatorio, et tunc ejus peccatum punitur duplici pœna, scilicet ejus qui in vita satisfacit, et ejus qui in purgatorio detinetur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicit Apostolus ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate.* Ergo videtur quod unus possit onus pœnitentiæ impositæ pro alio portare.

2. Apud homines unus potest pro alterius amore ejus debitum solvere. Ergo multo fortius in divino juditio hoc fieri potest.

Conseq. prob., quia charitas magis apud Deum, quam apud homines potest.

Determinatio.

Distinctio. Pœna satisfactoria est ad duo ordinata: scilicet ad satisfactionem debiti; et ad medicinam pro peccato vitando.

1.ª Conclusio. Satisfactio unius non prodest alteri, in quantum est medicina sequentis peccati.

Manifestatur: Quia ex jejunio unius, caro alterius, non domatur, nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum: sed hoc est magis per modum meriti, quam per modum satisfactionis.

2.ª Conclusio. Quantum ad solutio-

nem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint.

Hæc conclusio relinquitur ut manifesta, et eam probant duo argumenta pro affirmativa inducta.

3.ª Conclusio. Non oportet ut maior pœna imponatur ei qui pro altero satisfacit quam principali imponeretur.

Oppositum hujus conclusionis quidam dixerunt esse verum, hac ratione moti quod pœna propria magis satisfacit, quam aliena, cujus tamen contrarium verius apparet, ex hoc quod erit etiam conclusionis ratio. Quia pœna habet vim satisfaciendi ratione charitatis, qua homo pœnam ipsam sustinet. Et quia maior charitas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit quam si ipse satisfaceret; ideo minor pœna requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur.

Et confirmatur conclusio, quia in vitis Patrum dicitur quod propter charitatem unius, qui alterius sui fratris charitate ductus, pœnitentiam fecit pro peccato quod non commisserat, dimissum est etiam ei.

4.ª Conclusio. Non exigitur quantum ad solutionem debiti quod ille pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum.

Manifestatur: quia etiam si ille, pro quo satisfit, esset potens, alio satisfaciente pro ipso, á debito esset immunis. Verum tamen est quod ista impotentia requiritur, in quantum pœna satisfactoria est in remedium. Corol. Ex quibus sequitur non esse permittendum quod aliquis pro alio pœnitentiam agat; nisi defectus aliquis appareat in pœnitente. Vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum. Vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de merito, et de satisfactione. Potest enim unus pro altero satisfacere, et tamen unus non potest proprie pro altero mereri. Et ratio horum est, quia præmium essentiale quod propriæ cadit sub merito, redditur secundum dispositionem hominis; secundum enim capacitatem videntium, erit plenitudo visionis divinæ. Et ideo, sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur præmium essentiale, nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam, sicut meritum Christi, quo solo pueri per baptismum ad vitam æternam perveniunt. Pœna autem temporalis pro peccato debita, post culpæ remissionem non taxatur, secundum dispositionem ejus cui debetur, quia quandoque ille qui est melior, habebat maioris pœnæ reatum: et ideo, quantum ad remissionem pœnæ, unus alteri potest mereri, et actus unius efficitur alterius, mediante charitate per quam *omnes unum sumus in Christo*. Ad probationem igitur consequentiæ dicitur quod ad satisfactionem requiritur meritum, non quidem æternæ visionis; sed remissionis pœnæ, quam unus alteri potest mereri, ut nunc dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Non est enim eadem ratio in proposito de contritione et confessione ex una parte, et de satisfactione ex altera. Contritio enim ordinatur contra culpam quæ ad dispositionem bonitatis, vel malitiæ hominis pertinet. Et quia unus per actum alterius non disponitur per se, secundum malitiam, vel bonitatem; ideo per contritionem unius, alius á culpa non liberatur. Similiter per confessionem homo se sacramentis Ecclesiæ subjicit. Unus autem non potest pro alio sacramentum accipere, quia in sacramento datur gratia suscipienti et non alteri. Satisfactio autem non pertinet ad dispositionem ejus qui satisfacit, ut dictum est in præcedenti responsione, et ideo unus pro alio potest satisfacere, et non conteri, nec confiteri. Ad prob. dicitur, quod

etsi satisfactio contra alia duo distinguatur, non est tamen necesse quod in omnibus sit omnium eadem ratio.

Ad 3. Negatur conseq. Nam in solutione debiti attenditur quantitas pœnæ, in merito autem attenditur radix charitatis. Et ideo ille qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur, non autem qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit: quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum. Tamen ille, qui pro alio satisfacit, meretur aliquid majus, quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam. Ex quibus patet quid ad prob. consequentiæ sit dicendum.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur; quod si ille, qui satisfacere debet, ad aliquam pœnam se obligasset, non prius á debito esset immunis quam eam solvisset. Et ideo pœnam ipsa patietur, quamdiu ille satisfactionem pro eo fecerit quam si non fecerit, uterque est debitor illius pœnæ. Unus pro commisso, scilicet ille pro quo est facienda satisfactio; alius pro omisso. Et ita non sequitur quod idem peccatum bis puniatur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 103.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas errorem quorumdam, ut habetur ex Concilio infra assignando, dicentium hominem Deo offenso satisfacere non posse. Et est Lutheri, ut elicitur ex Roffensi contra illum art. 5. dicentis, « hoc vocabulum satisfactio, quod odi, periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere. » *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illum errorem damnatum fuisse á Concilio Tridentino sess. 14. ca. 8. sic. « Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est conformes efficimur: certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum. Nam, ut ex nobis, nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur á Patre. » Ecce quod sufficiens est nostra satisfactio; secundum Concilium, et consequenter secundum illud damnantur hi, qui hominem Deo satisfacere non posse dicunt. Ex his Concilii dictis gravissimis sumas articuli declarationem: ut supra in not. post ad 1. monitus es. Rursus. Canone 13. contra errorem illum. « Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis: vel á sacerdote injunctis, etc. Anathema sit. » Item merito damnatum á scripturis Jonae 3. « et crediderunt viri Nivitae in Domino, et praedicaverunt jejunia, et vestiti sunt saccis, etc. Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de viae sua mala, et misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. » Item tertio Reg. 21. " Itaque, cum audivisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit, dimisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Tesbitem dicens. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.» Item 2. Paralip. 33. " Qui Manasses, postquam coangustatus est, oravit ad Dominum Deum suum: et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum.

Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum, et cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.» Ex his tribus locis scripturarum, aliisque multis hujusmodi, inferas, et á fortiori quidem, quod satisfactionibus á sacerdote injunctis potest homo Deo satisfacere. Si Deus, inquies, poenitudinem horum, et afflictiones ipsorum sponte susceptas, clementia sua, velut justam poenae temporali, quae eorum sceleribus debebatur, satisfactionem admisit; ideoque cohibuit flagellum, quod illis digne inferre meditabatur; multo magis ad satisfactiones hominum a confessariis injunctas ipsemet Deus talia operabitur. Si satisfacere potuerunt Deo operibus praedictis homines illi: multo magis operibus suis poenitens per confessarium impositis Deo satisfacere poterit. Ratio deductionum harum est: quia satisfactionis opera per confessarium injuncta pluris valent, ut quae virtute clavium etiam operentur, quam ipsamet sine tali injunctione sponte suscepta, ut supra quaest. 6. art. 1. ad 4. et quaest. 8. art. 1. ad 3. et art. 6. ad 3. Vide Roffensem contra Lutheri. 5. articulum. *Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, aut scripturarum, pro quanto hominem satisfacere posse Deo significant, et declares, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem Mahumetis (Prateolus Mahumetis) dicentis, opera aliena nil prodesse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse hunc errorem damnatum á Moguntino Concilio, dum unum pro alio satisfacere posse decrevit. Hoc vero patet ca. 26. in haec verba: "ab infirmis in mortis articulo positis per praesbyteros pura inquirenda est confessio: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum studio pondus pœnitentiæ sublevandum: ut, si forte migraverint, ne alieni ex consortio bonorum fiant.» Ecce, quam patenter dicit: quod quantitas pœnitentiæ, idest satisfactionis á confessario impositæ, debet pro illo moribundo ab amicis impleri, vel quod (et in idem redit) pœnitentiæ suæ pondus illorum orationibus est sublevandum, et quod hoc valet illis ad solutionem debiti. Talem habuisse videntur mentem Pontifices illi, qui morientibus pœnitentiæ sacramentum non denegandum statuerunt. Cum enim scirent: quod ad sacramentum poenitentiæ integrandum requiritur satisfactio (hæc ordinarie vocatur poenitentia) et quod ab ipsis in articulo mortis constitutis per seipsos numquam fere impleri potest, valde probabiliter sequitur, quod præcipiendo de sacramento poenitentiæ moribundis dando, intentionem de satisfactione conformem Concilio Moguntino prædicto implicite saltem habuerint. Consequenter ergo dicendum, quod Julius I. Papa id subintelligi voluit in suo decreto sequenti: "Si presbyter poenitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: quocumque die conversus fuerit peccator ad poenitentiam, vita vivet, et non morietur. Vera enim confessio in ultimo tempore esse potest: quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est. Sicut latro, unius momenti poenitentia, meruit esse in Paradiso, in hora ultimæ confessionis. Hæc ille, et recitantur 26. quæst. 6. Item Coelestinus I. Papa in Decreto suo; "agnovimus, poenitentiam morientibus denegari; nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet; quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub honere peccatorum hominem pondere, quo se expedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam, sic promittat; peccator, inquiens, quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Et iterum: nolo mortem peccatoris sed tantum, ut convertatur, et vivat.» Hæc ille; et recitantur 26. quæst. 6. Item Leo I. Papa in epist. et est in ordine 89. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum. "His, qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia præsidium poe-

nitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras veraconfessio, dicente spiritu Dei per Prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.» Haec ibi; et recitantur 26. quaest. 6. Item: quomodo per rationem ostendas, praedictum Mahumetis errorem fuisse damnatum á Scripturis, Gal 6. "Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi." Nota ly portate, ut differentiam facias inter portare, et per voluntatem solam suscipere ad portandum, secundum quod fecit responsio ad 4. Quasi ergo dicat. Cum alter alterius onera satisfactionum non tantum susceperitis ad portandum, sed et portaveritis tunc adimplebitis legem Christi, qua apud Christum ipsum talis alter tenebatur de tanto onere satisfactionis. Alioquin, si tantum acceptaveritis ad portandum, non adimplebitis legem Christi de actuali satisfactione alterius fratris vestri: quoniam ipse frater tenebitur adhuc lege Christi obligatus ad satisfaciendum per seipsum. Hoc idem apertius taliter verificari ostenditur ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 35 "Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur. Haec ibi et recitantur 13. quaest. 2. Hoc ipsum confirmat Concilium Varense, ibi: cap. *Qui oblationes defunctorum retinent*, et Concilium Agathense ibi, cap. Clerici, vel seculares. Nisi enim requireretur actualis onerum alterius portatio ad hoc, ut de facto á pœnis satisfactoriis ille alter sublevaretur: tales, qui legata ad pias causas á defunctis pro sui sublevatione relicta differunt actualiter implere, non dicerentur egentium necatores; quoniam ipsi legata et adimplenda jam susceperunt, et idimplere intendunt. Quia igitur talis et susceptio, et intentio non sufficiunt ad sublevandum alterum, pro quo satisfacturi sunt: ideo tales negligentes egentium necatores vocantur. Necatores, inquam, quia ille alter in purgatorii carcere poenas solvendo manebit, quamdiu iste pro illo satisfacturus legata ejus actualiter non adimpleverit. Recte ergo necatores egentium animarum tales vivi dicuntur: quia per negationem adimplectionis actualis onerum illorum tenent defunctos in poenis purgatorii, quæ morti corporali æquiparantur. Damnarunt ergo omnes supradicti Pontifices, et scripturae illum errorem Mahumetis per hoc, quod sic dixerant, ut supra. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta superius Conciliorum, Pontificum, scripturarum, pro quanto unum pro alio satisfacere posse insinuant, et intelligas, et declares, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUARTA,

DE QUALITATE SATISFACTIONIS, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate satisfactionis.

Et circa hoc quæruntur quinque.

Primo, utrum homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.

Secundo, utrum ille qui de omnibus peccatis prius contritus fuit, et postea in peccatum incidit, de aliis peccatis quæ sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit extra charitatem existens.

Tertio, utrum homini postquam charitatem habuit, valere incipiat satisfactio præcedens.

Quarto, utrum opera extra charitatem facta sint alicujus boni meritoria.

Quinto, utrum opera prædicta valeant ad pœnæ infernalis mitigationem.

ARTICULUS I.

Utrum homo possit pro uno peccato satisfacere sine alio.

Pro affirmativa. — Videtur, quod homo possit pro uno peccato sine alio satisfacere.

1. Eorum quæ non habent connexio-

nem ad invicem, unum potest auferri sine alio. Sed peccata non habent connexionem ad invicem: alias, qui haberet unum peccatum, haberet omnia peccata. Ergo unum potest sine alio per satisfactionem expiari.

2. Homo recipit unius debiti solutionem, sine solutione alterius debiti. Ergo et Deus satisfactionem unius peccati, sine satisfactione alterius, recipit.

Prob. conseq., quia Deus est magis misericors, quam homo.

3. Contingit excindere causas unius peccati, et non præbere aditum suggestionibus ad tale peccatum; quod pertinet ad satisfactionem, ut dictum est quæst. 102. et non excindere causas aliorum peccatorum, et eorum suggestionibus aditum præbere. Sicut si quis luxuriam refrenet, et avaritiæ insistat. Ergo homo potest pro uno peccato, sine alio satisfacere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Opus satisfactorium ejus qui est in peccato, non est Deo acceptum. Ergo qui habet aliquod peccatum, non potest Deo satisfacere.

Anteced. prob., quia jejunium eorum qui ad contentiones et lites jejunabant, non erat Deo acceptum, ut dicitur Isaiæ 58. Cum tamen jejunium sit opus satisfactionis.

2. Quolibet peccatum aufert gratiam, sine qua non possunt peccata vitari. Ergo non potest fieri satisfactio unius peccati, sine alio.

Conseq. prob., quia satisfactio est medicina curans peccata præterita, et præservans á futuris, ut dictum est, quorum neutrum sine gratia fieri potest. Unde, qui non habet gratiam, non potest pro peccatis satisfacere. Ex hoc igitur quod quodlibet peccatum aufert gratiam, sequitur evidenter, quod qui habet unum peccatum, non possit pro altero satisfacere.

Determinatio.

Conclusio. Impossibile est quod homo pro uno peccato satisfaciat, alio retento.

Prob. Quodlibet peccatum impedit amicitiam charitatis, quæ est hominis ad Deum. Ergo impossibile est quod homo de uno peccato satisfaciat, alio retento.

Conseq. prob. Cum enim per satisfactionem tolli debeat offensa præcedens, oportet quod talis sit modus satisfactionis, qui sit competens ad tolendam offensam: offensæ autem ablatio est amicitiæ restitutio; et ideo, si aliquid sit quod impediat restitutionem amicitiæ, satisfactio esse non potest. Ex hoc igitur quod omne peccatum impedit amicitiam charitatis, quæ est hominis ad Deum, sequitur quod quandiu aliquis aliquo peccato detinetur, non sit Dei amicus, ac per hoc non possit satisfacere pro aliqua offensa.

Et confirmatur ratio et conclusio, quia hoc in hominibus etiam manifeste cernitur. Non enim homo satisfaceret homini pro alapa ei data, si dum se prosternit pro venia, aliam ei alapam similem daret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod peccata possunt considerari dupliciter. Uno modo secundum se. Alio modo, in quantum respiciunt principium remissionis. Si considerentur secundum se, non habent omnia connexionem ad invicem; et ideo potest committi unum, sine alio. Ratione vero principii remissionis habent connexionem, quia unum, et idem est principium remissionis omnium peccatorum, scilicet divina gratia: et ideo unum sine alio remitti non potest. Ad formam igitur argumenti negatur minor: habent enim peccata connexionem, non quidem secundum se, ut probatio ostendit; sed ratione principii remissionis.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de solutione debiti, et de

remissione offensæ. In obligatione enim debiti non est nisi inæqualitas justitiæ opposita, quia unus rem alterius habet, et ideo ad restitutionem non exigitur nisi quod restituatur æqualitas justitiæ: quod quidem potest fieri pro uno debito, et non pro alio. Potest enim aliquis, qui debet alteri centum aureos, et centum coros tritici, satisfacere pro debito aureorum, absque hoc quod satisfaciat pro debito tritici. Ubi autem est offensa, est inæqualitas, non solum, quæ opponitur justitiæ, sed etiam quæ opponitur amititiæ; et ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum opportet quod æqualitas justitiæ restituatur per recompensationem æqualis pœnæ; sed etiam quod restituatur amicitiæ æqualitas: quod non potest fieri, dum aliquid est quod amicitiam impediat. Et quia peccatum impedit Dei amicitiam, ideo qui peccatum habet, non potest Deo pro peccati pœna satisfacere. Ex quibus patet, quid dicendum sit ad prob.

Ad 3. Negatur anteced. Quia enim unum peccatum suo pondere ad aliud trahit, ut Greg. dicit lib. 25. moral. c. 2 et hom. 11. in Ezechiel. Qui unum peccatum retinet, non sufficienter causas alterius peccati excidit.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis de illis peccatis quæ sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit, extra charitatem existens.

Pro affirmativa. — Videtur quod qui de omnibus peccatis contritus fuit prius et postea in peccatum incidit, de aliis peccatis quæ sibi per contritionem dimissa fuerunt satisfacere possit extra charitatem existens.

1. Daniel dixit Nabuchodonosor, qui adhuc in peccato erat, ut ejus sequens pœna ostendit. *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4. Ergo potest in peccato existens satisfacere.

2. Si non posset fieri satisfactio, nisi ab eo, qui est in charitate; nullus sciret se satisfecisse: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia *nemo scit utrum amore, an odio dignus sit.* Eccles. 9.

3. Pœnitens, quando pœnitentiam inchoavit, in charitate erat. Ergo tota satisfactio sequens ex illa charitate, intensionem informante, efficaciam habebit.

Conseq. prob., quia ex intensione, quam homo habet in principio actus, totus actus informatur.

4. Ille, qui non est in charitate, potest facere adequationem culpæ ad pœnam. Ergo etiam ille, qui non est in charitate, potest satisfacere.

Conseq. prob., quia satisfactio consistit in quadam adæquatione culpæ ad pœnam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Satisfactio sine charitate non habet suam virtutem. Ergo qui est sine charitate, non potest satisfacere.

Anteced. prob., quia satisfactionis virtus est, delere delicta, quam virtutem satisfactio sine charitate non habet; quia delere delicta est proprium charitatis secundum illud Prov. 10. *Universa delicta operit charitas.*

2. Eleemosyna, quæ est inter opera satisfactoria præcipua, extra charitatem facta, non valet, ut dicitur 1. Cor 13. *Si distribuero*, etc. Ergo nec satisfactio aliqua cum peccato mortali facta, valet.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod postquam omnia peccata per præcedentem contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, et in peccato existens satisfaciat; satisfactio talis ei valeat, ita quod si in peccato moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Eorum rationes poterant esse argumenta pro affirmativa inducta.

Reprobatio et vera sententia.

Sed hæc positio stare non potest,

propter rationem inducendam pro conclusione.

Conclusio. Opera facta sine charitate, non sunt satisfactoria.

Prob. Opera satisfactoria debent esse Deo accepta. Sed opera sine charitate facta, non sunt Deo accepta. Ergo opera sine charitate facta, non possunt esse satisfactoria.

Maior manifestatur, quia in satisfactione oportet quod post restitutam amicitiam, restituatur etiam æqualitas justitiæ, quia si hujusmodi æqualitas non restitueretur, tolleretur amititia, ut patet 9. Ethic. c. 4. Æqualitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum æquivalentiam, sed secundum acceptationem ipsius. Et ideo oportet quod etiam si offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta.

Minor prob., quia charitas facit quod opera sint Deo accepta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod consilium Danielis intelligitur quod Rex deberet á peccato cessare et pœnitere, et sic per eleemosynas satisfacere.

Ad 2. Conceditur id quod concluditur, et negatur, quod sit inconveniens. Sicut enim homo nescit pro certo, utrum charitatem habuerit in satisfaciendo vel habeat, ita etiam nescit pro certo, utrum plene satisfecerit: et ideo dicitur Eccles. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Nec tamen exigitur quod propter hunc metum, homo satisfactionem expletam iterare debeat, si conscientiam peccati mortalis non habeat; quia etsi pœnam per hujusmodi satisfactionem non explet, tamen non incurrit reatum omissionis, ex satisfactione neglecta, sicut nec ille, qui accedit ad Eucharistiam cum peccato mortali, cujus conscientiam non habet, reatum indigne sumptionis incurrit.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod ex intentione, quam homo habet in principio actus, informatur totus actus, si tamen intentio illa non interrumpatur, ut accidit in proposito. Intentio enim illius, qui incæperat satisfacere in charitate, interrumpitur per peccatum sequens, si postea peccet. Et ideo illa intentio non dat vim aliquam operibus post peccatum factis.

Ad 4. Neg. antec. Non enim, qui est sine charitate, potest facere sufficientem adæquationem, nec secundum æquivalentiam, quia hæc ad Deum fieri non potest, nec secundum divinam acceptationem, quia Deus opera eius qui non est in charitate, non acceptat.

ARTICULUS III.

Utrum homini, postquam charitatem habuerit, valere incipiat satisfactio præcedens.

Pro affirmativa. = Videtur quod postquam homo charitatem habuerit, valere incipiat satisfactio præcedens.

1. Super illud Lev. 25. *Si attenuatus frater tuus*, etc. dicit Glos. interlin. quod *fructus bonæ conversasionis debent computari ex eo tempore, quo peccavit.* Ergo fructus bonæ conversationis, qui sunt opera satisfactoria, valere incipiunt post recuperatam charitatem.

Conseq. prob., quia non computarentur hujusmodi opera, nisi ex charitate sequenti aliquam efficaciam acciperent.

2. Baptismus incipit valere, recedente fictione. Ergo satisfactio incipit valere, recedente peccato.

Conseq. prob., quia sicut efficacia satisfactionis impeditur per peccatum, ita efficacia baptismi impeditur per fictionem.

3. Si alicui pro peccatis commissis injuncta fuerint jejunia, et in peccatum cadens ea perfecerit, cum iterum confitetur, non injungitur ut jejunia illa iteret quod tamen deberet ei injungi, si satisfactio non impleretur per jejunia facta sine charitate. Ergo per pœnitentiam sequentem, opera præcedentia accipiunt efficaciam satisfaciendi.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Per pœnitentiam non vivificantur opera, quæ in peccato fuerunt peracta ut probatum est supra. 3. p. q. 89. art 6. Ergo per pœnitentiam sequentem illa opera non fiunt satisfactoria.

Conseq. prob., quia opera extra charitatem facta, ideo non erant satisfactoria, quia fuerunt mortua. Unde si per pœnitentiam non vivificantur, sicut prius non habebant vim satisfaciendi, ita post pœnitentiam satisfactoria non possunt esse.

2. opera satisfactoria debent esse charitate informata, ut art. præced. dictum est. Sed opera extra charitatem facta, non possunt esse charitate informata. Ergo opera extra charitatem facta, non sunt satisfactoria.

Minor prob. Opera, quæ nullo modo ex charitate processerunt, et de cætero non possunt procedere, non informantur charitate, quæ non informat actum, qui ab ea aliqualiter non procedit. Sed opera extra charitatem facta, non procedunt aliqualiter ex charitate. Ergo non sunt charitate informata.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod opera in charitate facta, quæ viva dicuntur, sunt meritoria vitæ æternæ, et satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ: et quod per charitatem sequentem, opera extra charitatem facta, vivificantur quantum ad hoc quod sunt satisfactoria, sed non quantum ad hoc quod sunt meritoria vitæ æternæ.

Reprobatio.

Sed hoc esse non potest, hac ratione. Opera extra charitatem facta, non vivificantur per sequentem charitatem, quantum ad hoc quod sint meritoria vitæ æternæ (ut autores dictæ positionis confitentur.) Ergo nec vivificantur quantum ad hoc quod sint satisfactoria.

Conseq. prob., quia utrumque scilicet esse meritorium et satisfactorium, habent opera ex eadem causa, scilicet ex hoc quod sunt Deo grata; quod est ex charitate. Unde sicut opera facta in peccato, non vivificantur per sequentem charitatem, quantum ad meritum, nec vivificantur quantum ad hoc quod possint esse satisfactoria. Ex quibus sequitur.

Conclusio. Satisfactio præcedens non incipit valere per sequentem charitatem.

Quæ conclusio remanet probata per rationem, qua reprobata est opposita positio: quia scilicet opera extra charitatem facta, non vivificantur per sequentem charitatem. Et fortius confirmatur per duo argumenta inducta pro negativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad auctoritatem Glos. inductam dicitur tripliciter. Primo quod non debet intelligi quod fructus computetur á tempore, quo primo in peccato fuit, sed á tempore, in quo peccare cessavit, quo scilicet ultimo in peccato fuit.

Secundo quod Glos. illa intelligitur, quando peccator statim post peccatum contritus fuit, et fecit multa bona, antequam confiteretur.

Tertio quod quanto est maior contritio, tanto magis diminuit de pœna; et quanto aliquis plura bona facit, in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit. Et ideo probabile est quod minoris pœnæ sit debitor; et propter hoc deberent á sacerdote discrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, in quantum invenit eum melius dispositum.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de baptismo, et satisfactione propter duo.

Primo, baptismus imprimit characterem in anima, non autem satisfactio. Et ideo adveniens charitas, quæ fictionem tollit, et peccatum, facit quod baptismus effectum suum habeat, non au-

tem hoc facit fatisfactio, quæ est actus nihil imprimens in satisfaciente.

Secundo, quia baptismus ex ipso opere operato justificat quod non est opus hominis, sed Dei. Et ideo non eodem modo mortificatur, sicut satisfactio, quæ est opus hominis.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod satisfactiones sunt in duplici differentia. Quædam sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit; sicut ex jejunio manet corporis debilitas, et ex eleemosynarum largitione, substantiæ diminutio, et sic de alliis similibus: et tales satisfactiones in peccatis factæ, non oportet quod iterentur, quia quantum ad hoc quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt. Aliæ sunt satisfactiones, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, ut sunt orationes et alia hujusmodi: et tales, si fiant in peccato, sunt iterandæ. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, unde oportet quod iteretur.

ARTICULUS IV.

Utrum opera extra charitatem facta, sint alicujus boni meritoria.

Pro affirmativa.=Videtur quod opera extra charitatem facta, sint alicujus boni, saltem temporalis, meritoria.

1. Sicut habet pœna ad malum actum, ita se habet præmium ad bonum. Sed nullum malum factum, apud Deum justum judicem, est impunitum. Ergo nullum bonum est irremuneratum, et sic per illud bonum aliquid meretur.

2. Merces non debetur, nisi merito. Sed operibus, extra charitatem factis, merces debetur. Ergo opera extra charitatem facta, fuerunt alicujus boni meritoria.

Minor prob., quia Matt. 5. dicitur, de illis, qui propter gloriam humanam aliqua bona faciunt quod *receperunt mercedem suam.*

3. Ille, qui magis Deo appropinquat, magis de ejus bonis percipit. Sed duo in peccatis existentes, quorum unus multa, bona facit, ex genere, ex circumstantia, alius autem nulla, non æqualiter propinque se habent ad accipiendum bona á Deo. Alias non esset ei consulendum, ut aliquid boni faciat. Ergo iste per opera bona, quæ facit, aliquid boni á Deo meretur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. August. dicit quod *peccator non est dignus pane, quo vescitur.* Ergo peccator non potest aliquid á Deo mereri.

2. Qui nihil est, non potest aliquid mereri. Sed peccator, cum non habeat charitatem, secundum esse spirituale, nihil est, ut patet 1. Corin. 13. Ergo peccator non potest aliquid mereri.

Determinatio.

Quid sit meritum, et quod modis dicatur.

Meritum proprie dicitur actio, qua efficitur ut ei, qui agit, sit justum aliquid dari.

Distinctio. Sed ista justitia dupliciter dicitur. Uno modo proprie, et hæc est, quando respicit debitum ex parte recipientis. Alio modo, quasi similitudinarie, quæ scilicet respicit debitum ex parte dantis. Aliquid enim decet, dantem dare quod tamen recipiens non habet debitum recipiendi: et secundum hunc modum dicitur justitia *decentia divinæ bonitatis*, sicut Anselm. dicit in suo prosologio c. 10. quod *Deus justus est, cum peccatoribus parcit, quia eum decet*, scilicet parcere. Et secundum hoc, meritum dicitur dupliciter. Uno modo actus ille, per quem efficitur, ut ipse agens habeat debitum recipiendi; et hoc vocatur meritum condigni. Alio modo, actus ille, per quem efficitur, ut sit debitum dandi in dante, secundum decentiam ipsius, et hoc meritum vocatur meritum congrui.

1.° Conclusio. Opera extra charitatem facta, non sunt meritoria ex con-

digno, neque æterni, neque temporalis alicujus boni apud Deum.

Prob. Opera facta ab eo qui caret Dei amicitia, non sunt meritoria ex condigno alicujus boni æterni, vel temporalis apud Deum. Sed opera extra charitatem facta, sunt ab eo, qui caret Dei amicitia. Ergo opera extra charitatem facta, non sunt meritoria ex condigno alicujus boni æterni, vel temporalis apud Deum.

Maior prob., quia cum in omnibus illis, quæ gratis dantur, prima ratio dandi sit amor; impossibile est quod aliquis sibi debitum faciat, qui caret amicitia ejus, ex cujus liberalitate sibi aliquid datur. Et ideo, cum omnia et temporalia et æterna ex divina liberalitate nobis donentur; nullus acquirere potest debitum recipiendi aliquod illorum (quod debitum ad meritum ex condigno requiritur) nisi per amicitiam ad Deum. Opera igitur facta sine Dei amicitia, non sunt ex condigno meritoria alicujus boni apud Deum, et sic patet maior.

Minor prob., quia charitas est Dei amicitia.

2.ª Conclusio. Ex merito congrui aliquis dicitur mereri aliquod bonum, per opera bona extra charitatem facta.

Manifestatur, quia Decet divinam bonitatem, ut ubicumque dispositionem invenit, perfectionem adjiciat. Et secundum hoc opera ista ad triplex bonum valent; scilicet ad temporalium consecutionem. Ad dispositionem ad gratiam. Et ad assuefactionem ad bona opera facienda.

3.ª Conclusio. Magis concedendum est quod opera extra charitatem facta, non sunt alicujus boni meritoria, quam quod sint.

Manifestatur, quia meritum congrui non proprie dicitur meritum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Quia enim, sicut Phil. dicit 8. Ethic. c. ult. Filius per omnia, quæ facere potest, nihil æquale potest reddere patri, in his, quæ á patre recepit, propter quod numquam pater debitor filii efficitur: et multo minus homo propter æquivalentiam operis, dominum sibi constituere debitorem. Et ideo nullum opus nostrum, ex quantitate suæ bonitatis habet quod aliquid apud Deum mereatur: sed hoc habet ex vi charitatis, quæ sunt amicorum, esse communia. Unde quantumcumque opus sit bonum, si extra charitatem sit factum, non facit proprie loquendo, in homine debitum aliquid á Deo recipiendi. Opus autem malum, ex quantitate suæ malitiæ, secundum æquivalentiam, pœnam meretur, quia ex parte Dei non sunt nobis aliqua mala facta, sicut bona, et ideo opus malum meretur pœnam ex condigno, non tamen opus bonum extra charitatem factum, meretur præmium ex condigno.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod bonis operibus extra charitatem factis, debetur præmium de congruo, non de condigno.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod ille, qui aliqua bona opera ex genere, in peccato existens, facit, meretur aliquid, non ex condigno, sed de congruo.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Dicitur quod peccator non meretur panem, quo vescitur, de condigno; si tamen in peccato existens aliqua bona facit, meretur de congruo.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod qui spiritualiter nihil est, nihil mereri potest de condigno, cum quo stat quod si faciat aliquod bonum, de congruo mereatur.

ARTICULUS V.

Utrum opera extra charitatem facta valeant ad mitigationem pœnarum infernalium.

Pro negativa. = Videtur quod opera prædicta non valeant ad mitigationem infernalis pœnæ.

1. Opera, quæ valent ad diminutio-

nem pœnarum infernalium, debent minuere quantitatem peccati. Sed opera extra charitatem facta non minuunt quantitatem peccati. Ergo opera extra charitatem facta non minuunt quantitatem pœnarum infernalium.

Maior prob., quia secundum quantitatem peccati, erit quantitas pœnæ in inferno.

2. Si opera extra charitatem facta aliquid subtraherent de quantitate debita pro peccatis, contingere posset tantum multiplicari illa opera quod totaliter tolleretur pœna inferni, quod est impossibile.

Conseq. prob., quia pœna infernalis, quamvis sit duratione infinita, tamen intentione finita est. Quodlibet autem finitum consumitur aliqua finita subtractione facta.

3. *Damnatis in inferno non prosunt suffragia Ecclesia*, ut August. dicit in Enchir. c. 110. Ergo Multo minus pœnæ inferni, per opera extra charitatem facta, mitigari possunt.

Conseq. prob., quia suffragia Ecclesiæ sunt magis efficacia, quam opera extra charitatem facta.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit in Enchir. cap. 110. « Quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, « ut sit plena remissio, aut certe, ut to- « lerabilior sit ipsa damnatio. »

2. Dimittere malum, semper vitat pœnam, etiam in eo, qui charitate caret. Ergo multo fortius hoc facit, operari bonum.

Conseq. prob. quia maius est facere bonum, quam dimittere malum.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid diminuere pœnam infernalem, potest intelligi dupliciter. Uno modo, ita quod quis liberetur á pœna quam jam meruit. Alio modo, ita quod meritum pœnæ impediatur.

1.ª Conclusio. Opera bona extra charitatem facta, non valent ad mitigationem pœnarum infernalium quas quis jam meruit.

Prob. Opera extra charitatem facta, non possunt tollere, nec diminuere culpam commissam, per quam quis meruit pœnam. Ergo opera extra charitatem facta non possunt inferni pœnas mitigare.

Conseq. prob., quia nullus liberatur á pœna, nisi sit absolutus á culpa: eo quod effectus non diminuantur, nec tollantur, nisi diminuta, vel ablata causa. Et ideo manente culpa, non potest auferri, aut diminui pœna.

2.ª Conclusio. Opera bona extra charitatem facta pœnam inferni minuunt, per hoc quod meritum pœnæ infernalis maioris possunt impedire.

Manifestatur. Primo, quia homo qui hujusmodi opera facit, reatum omissionis evadit.

Secundo: quia hujusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, ut homo ex minori contemptu, peccata faciat, atque á multis peccatis per hujusmodi opera retrahatur.

3.ª Conclusio. Opera bona extra charitatem facta, diminutionem, vel dilationem temporalis pœnæ merentur, scilicet de congruo, eo modo quo et bonorum temporalium consecutionem.

Hæc concl. manifesta remanet, ex historia Achab. quæ narratur 3. Reg. c. 21. Scilicet quod cum Achab. post interfectum Naboth, audiens terribiles Dei minas, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit capite demisso. Post quæ factus est sermo domini ad Eliam Thesbitem, dicens. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa; non inducam malum in diebus ejus, etc. Ex quibus patet quod bona opera facta extra charitatem, de congruo merentur pœnæ dilationem.

Aliorum positiones de hoc quæsito.

Prima. Quidam dicunt quod opera

extra charitatem facta diminuunt pœnam inferni, non subtrahendo aliquid de ipsa quantum ad substantiam, sed fortificando subjectum, ut melius sustinere possit pœnam.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, quia fortificatio non est, nisi ex ablatione passibibitatis: passibilitas autem est secundum mensuram culpæ: cum igitur hujusmodi opera non diminuant culpam, nec subjectum patiens fortificare possunt.

Aliorum positio.

Secunda. Quidam alii dicunt quod per opera extra charitatem facta, diminuitur pœna, quantum ad vermem conscientiæ, non quantum adignem.

Reprobatio.

Sed hoc etiam nihil est, quia sicut pœna ignis æquatur culpæ, ita etiam pœna remorsus conscientiæ. Unde sicut hujusmodi opera non possunt minuere culpam, nec conscientiæ remorsum minuere aliqualiter possunt.

Vera sententia.

Restat igitur quod opera extra charitatem facta non minuant aliquo modo pœnas damnatorum, sed solum quod impediant meritum harum pœnarum, et de congruo mereantur diminutionem, vel dilationem temporalium pœnarum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod est vera de operibus quæ habent mitigare pœnas, quas quis jam meruit. Non enim pœnæ quas aliquis meruit, possunt mitigari, nisi per culpæ diminutionem quod non possunt efficere opera extra charitatem facta. Non autem ipsa maior est vera de operibus quæ diminuunt tantum poenam, per hoc quod impediunt meritum pœnæ. Et sic opera, extra charitatem facta, pœnas infernales minuere possunt, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod loquitur de diminutione pœnæ infernalis, quam quis jam meruit et patitur. Si enim hujusmodi pœna posset minui, posset tandem auferri; sed sic opera prædicta non minuunt pœnam, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur quod damnatis in inferno, nec suffragia Ecclesiæ, nec opera, quæ extra charitatem fecerunt, prosunt: antequam tamen aliquis has pœnas mereatur, et opera bona, et magis Ecclesiæ orationes possunt prodesse, ad vitandam magnitudinem pœnarum.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad 1. Dicitur quod Aug. non loquitur de operibus extra charitatem factis, sed de suffragiis, nec loquitur de damnatione ad pœnas inferni, sed purgatorii, ut dicetur quæst. 161. art. 5 ad 2.

Ad 2. Dicitur, quod facere bonum extra charitatem, minuit, modo dicto, pœnas magis, quam non facere malum: neutrum tamen horum minuit pœnas, quas quis jam patitur in inferno damnatorum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 104.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á sacris litteris, quod homo non potest satisfacere pro uno peccato, et non pro alio, juxta sensum tamen prædeclaratum. Hoc autem insinuatum fuit 3. Reg. 18. « usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. » Ecce; quod Elias, per ly *usquequo claudicatis in duas partes*? demonstrat: quod populus rem inconvenientem, imo et impossibilem facere conatur, dum et Domino Deo adhærere vult, et á Diabolo simul non vult discedere. Hoc siquidem inconveniens, quin et impossibile esse denotat de se ille modus incre-

patorius cum interogatione: ut consideranti facile patet. Juxta igitur dictum impossibile est, simul cum Deo amicitiam habere, et á Diabolo non recedere. Hoc autem in idem redit (ut declaratum est) cum eo, quod dicimus hominem non posse satisfacere pro uno peccato, et non pro alio. Item insinuatum Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire*, etc. Quasi aperte in proposito dicat. Nemo potest Deo, et appetitui diabolico conformi, satisfacere, quod sane est, uno peccato velle satisfacere alio retento. Item Isa. 59. " Quare jejunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. Ecce ad contentiones, et lites jejunatis. Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino?» Ecce quod per Isaiam Dominus dicit, se non acceptaturum esse illud, quod pro parte peccatorum sibi datur: si pars alia peccatorum ab ipsis peccatoribus retineatur: hoc significant, si considerentur, verba prædducta: maxime si ad interrogationem hominum sic pro peccatis suis satisfacere volentium jungantur tamquam ad eamdem interrogationem (ut par est) responsio. Quare (inquit) «jejunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti?» Hoc est. Quare, etc. et ad modum non aspicientis te habuisti (*humiliavimus*,) etc. et ad modum nescientis fuisti? Cum ergo non aspiciat, imo despiciat quis illud, quod non acceptat (ut quotidie per experientiam patet) neque id ipsum sciat, imo se nescire profiteatur, restat, quod per illa verba dicere velint impii, quare jejunium, et humiliationes nostras non acceptasti? Hoc vero adhuc magis ad litteram patet, si responsionem exprimentem sensum illorum sic quærentium notaveris dicentem, *numquid istud vocabis* (ó tu interrogans, et in interrogando nimis arrogans) *numquid istud vocabis jejunium acceptabile Domino*? Quasi dicat, non: et quare non? Quia *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*: qua scilicet partem peccatorum vestrorum retinere vultis: satisfacere ergo per jejunium, sive aliud bonum opus, non potest aliquis, secundum Isaiam, ita, quod sit acceptabilis domino satisfactio illa (sic etiam loquitur articulus) si aliud peccatum mente retineat. Vide qu 9. art. 2. et 4. ubi tractatur de confessionis integritate: item qu. 2. art. 3. ubi agitur de integritate, contritionis, et inde multa ad propositum præsens facientia huc applicabis. Nam circa integritatem contritio, confessio, et satisfactio assimilantur. Cave tamen, ne ex præmissis occasione accepta dicas, quod dolor de uno peccato sine dolore omnium sit peccatum. Erroneum enim est dictum hoc, et pro tali revocatum á Jacobo Præposit. tamquam á SS. Patribus reprobatum (ut refert Bernardus á Lutzeb. in catal. hær.) *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa scripturarum dicta, pro quanto hominem non posse pro uno peccato satisfacere, insinuant, sine alio, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem *Cacangelorum* dicentium: certum unumquemque esse debere, quod gratis propter Christum peccata sibi remissa sint: quodque Deo acceptus, et hæres sit vitæ æternæ: quidquid sit de nostris operibus. Ecce, quod secundum istum satisfactio extra caritatem erat Deo accepta: cum et ipse satisfaciens, etiam si esset in peccato mortali. (Nonne hoc significant per ly *quicquid sit de nostris operibus?*) sit Deo acceptus. Contra horum ergo vesaniam hanc movetur iste articulus, contra quos etiam, ut certitudinem gratiæ innuunt modo prædicto, habes, quid dicas ex argumenti 2. auctoritate, et responso ad illud. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari á Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8 " Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum, etc. omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum ac-

ceptantur á Patre.» Ecce, quod satisfactiones nostræ requiruntur, etiam quod Christus satisfecerit, quoniam non ideo satisfecit pro nobis, ut nos non satisfaciamus, sed ideo satisfecit, ut satisfactiones nostræ ad ipsius exemplum fierent, et ex ipsius satisfactionibus vim haberent ad hoc, ut acceptarentur á Patre. Rursum inquit. *In quo*, Christo, *vivimus, in quo satisfacimus.* Sine hoc ergo quod nos vivamus in Christo, dum satisfacimus, nostræ satisfactiones, secundum concilium, non sunt acceptæ Deo, et consequenter non satisfaciunt. Quomodo in Christo vivimus? Per caritatem, seu per fidem charitate formatam, 1. Jan. 4. et Ephes. 3. Satisfacimus ergo in Christo, quando satisfactiones nostræ in charitate fiunt: tantum abest, ut vera sit illorum blasphemia ly *quicquid sit de nostris operibus*. Item damnari á scripturis 1. Corinth. 3. " Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest. » Ubi patet, nullam satisfactionem, nisi in charitate fiat, valere apud Deum ad vitam æternam consequendam: licet apud forum Ecclesiæ valeat, in quantum non reiteratur, ut in ad 2. et etiam apud Deum, in quantum aliqua alia bona præter vitam æternam extra charitatem satisfaciens á Deo opera illa remunerante consequitur, quem et sensum habet articuli prædicta conclusio. Nec huic veritati ultimæ obstat Apostolus per ly *nihil sum*, ly *nihil mihi prodest*: quoniam comparative intelliguntur, et secundum æstimationem Apostoli. Bona enim temporalia, immo totus mundus, in comparatione ad vitam æternam, et nihil revera sunt, et pro nihilo revera habentur ad Apostolo, licet ipsa secundum seipsa aliquid revera sint, et pro aliquo sic sumpta habeantur ab Apostolo. Similiter quoque Apostolus secundum seipsum consideratus, etiam quod in charitate non esset, aliquid revera est, tamen in comparatione ad supernaturalem vitam, vel in præsenti, vel in futuro haberi solitam consideratus ipsemet, et nihil revera est, et nihil se esse revera æstimat, in quo sensu et Philipp. 1. dixit *Mihi vivere Christus est*, et Galat. 2. *vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ecce igitur, secundum scripturam, opera de genere bonorum magnorum, hoc importat ly *omnes facultates meas in cibos pauperum*, atque pœnalium, hoc significat ly *corpus meum, ita, ut ardeam* si extra charitatem fiant, non posse Deo satisfacere. Ut cum Augustino dicamus. " Illa quidem magna sunt, sed, si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non illa, sed ego, nihil sum. Ecce venitur ad passionem, venitur et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incensionem: et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prossunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera." Hæc ille in homilia super Evangelium: *ego sum pastor bonus.* Item á Concilio Trident. merito damnari quoad ly " certum, etc. quod gratis per Christum peccata sibi remissa sint, etc. quicquid sit de nostris operibus," etc. " Verum, etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.» Hæc in sessione 6. cap. 3. Item á Leone I. Theodoro Forojuliensi Episcopo scribente sic. " Multiplex misericordia Dei ita lapsibus humanis subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut, qui dona regenerationis violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent. " Hæc ille: et recitantur in decr. de pœn. distin. prim. multiplex. Vide, quod ad hoc, ut effectualiter salvemur, non sufficit, quod pro nobis Christus mortuus sit, alioquin omnes de facto salvarentur, cum pro omnibus mortuus sit Christus: sed requiritur, quod meritum passionis, et mortis ejus nobis communicetur. Communicatur autem nobis, in quantum in nos influit jugiter, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites; ut ait Concil. idem sess. capitulo 16. Membra vero ejus fieri non possumus sine lavacro regenerationis,

saltem in voto (ut ibi capitulo 4.) et post violationem donorum regenerationis, sine pœnitentiæ medicina (ut supra dixit Leo.) Ex quibus omnibus secundum concilium, atque Leonem, concludenda relinquitur veritas hæc, quod Christus actualiter non influit, nisi in filios suos, seu in justificatos: quoniam his solis meritum passionis ejus per sacramenta communicatur actualiter. Haec omnia contra Cacangelos, idest malos angelos, ut qui per praedictum errorem nobis mala annuncient, dicta sint in damnationem. *Tertio* habes: quomodo per rationem praemissa, tum scripturae, tum Patrum dicta, pro quanto nullum per opera extra charitatem facta insinuant satisfacere posse, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas haeresim Buceri impiissime dicentis, homines debere credere, se esse gratos Deo per Christum quantumlibet impure, et scelerate vivant. Si enim per charitatem subsequentem opera etiam de genere bonorum facta in peccato mortali non possunt esse satisfactoria, eo, quod non possunt fieri grata Deo: multo utique magis homo peccata perpetrans non erit gratus Deo. Unde homo in peccato uno mortali existens bona opera faciendo non est gratus Deo, et adeo non est gratus ut sua etiam bona tunc facta ob hoc neque sint, neque fieri possint per charitatem sequentem grata Deo: quomodo ergo fieri umquam poterit, ut homo opera mala, impura, ac scelerata committens, sit gratus Deo? Taceo, quod Bucerus suo isto pessimo dogmate implicite admittit, quod opera illa bona per charitatem sequentem fiunt satisfactoria, immo quod etiam tunc prius erant satisfactoria, eo quod (secundum Bucerum) tunc ille homo, quamvis in peccato mortali, erat Deo gratus, et consequenter sua opera tunc facta. Taceo, inquam hoc, ne disputatio de minori disputationem de majori aliquo modo impediat. *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori ostendas, hanc merito fuisse damnatam á Concilio Trident. sess. 6. cap. 15. sic: " Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae á regno Dei non solum infideles excludit sed et fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, coeterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, á quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt, et pro quibus á Christi gratia separantur. Et can. 27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, et enormi praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. " Quibus omnibus Concilii verbis vide adeo Bucerum cum sua dulci, mortifera tamen cantilena constringi, ut non habeat, quo se vertat. Item á, etc. ut applicare potes huc ex artic. 1. et 2. append. ubi ostenditur, Christum non influere actualiter, nisi in justificatos, atque non claudicandum, et consequenter damnatur, quod scelerate viventes sint grati Deo per Christum, aut etiam, quod hoc ipsum isti credere debeant, quamdiu sic vixerint. Item á justitia in eum, tamquam haereticum, exercita, quoniam anno 1557. de mense Februarii, reintegrata religione in Anglia, animadversum est in ossa Buceri, eoquod indigna viderentur piis, quae in sacro loco sepulta quiescerent, quare defossa in Anglia combusta sunt (teste Lindano.) Cum enim Augustinus de fide catholica de quibusdam haereticis dicat: *Quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur auctores?* patet, quod ex damnatione praedicta Buceri, ejus capitula, seu dogmata, quorum unum est haeresis in principio narrata, pariter damnari cointelliguntur. item á Scripturis 2. Corint. 6. 7. " Quae participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? Qui autem concensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, quoniam inabitabo in illis, et inambulabo inter illos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit

Dominus, et immundum ne tetigeritis: et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios, et filias; dicit Dominus omnipotens. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus perficientes santificationem in timore Dei.» Videsne, Apostulum ex promissione, et spe, gratificandi nos Deo, deducere conclusionem hanc: " Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus, perficientes santificationem in timore Dei? » Ubi nos gratos Deo neque esse, neque debere credere esse, apertissime (contra Bucerum) monstravit, nisi emundemus nos non tantum ab aliquo, sed et ab omni inquinamento, non tantum carnis, sed et spiritus. Quare autem dixit, *sanctificationem perficientes*? Quia non solum emundare se á malo quocumque requiritur ad hoc, ut quis sit gratus Deo, sed etiam facere bonum (quod est sequi sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum) ad hoc ipsum conrequiritur. Notastine illas interrogationes, quasi per manifestissimae veritatis inculcationem in principio ab eodem factas? *Quæ* inquit, *participatio*, etc. *Quæ societas*, etc. *Quæ conventio*, etc. *Quæ pars*, etc. *Qui consensus* etc. Ac si dicat: nulla, nullus. Hoc norunt omnes ratione utentes. Quibus verbis Apostolus, seu potius in Apostolo Spiritus Sanctus, quasi digito monstravit, Bucerum illam suam haeresim evomentem esse notorie sine ratione. Item á Levit. 11. 19. 20. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Ne autem sanctitatem nostram, more Buceri, libertatem scelerate vivendi somniares, addidit ly mihi, in cap. 20. dicens: *Eritis sancti mihi.* Quae autem sit sanctitas ei, idest, quae sanctitas in nobis placeat ei, exprimitur Deuter. 10. sic: " Et nunc Israel, quid Dominus tuus petit á te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini ? " Ubi patet ex librorum ordine, quod sanctitatem, quae in Levitici capitulis requisierat á populo, nunc eidem populo, ne quando ab aliquibus nomine sanctitatis abutentibus deciperetur, distinctissimis, lucidissimisque verbis declarat. Item a. 1. Jo. 1. " Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato. " Ergo, secundum Beatum Joannem, non sumus grati Deo, si in peccatis ambulamus, et, si hoc credimus (ut suadebat Bucerus) á veritate deviamus, et mentimur. Ergo, secundum eumdem Joannem, Christi sanguis non emundat nos, idest non prodest nobis, si etiamnum ambulamus in tenebris. Ergo secundum eumdem, emundari per Christi sanguinem non tantum ab uno, sed etiam ab omni peccato exigitur ad hoc, ut societatem habeamus cum Deo, id est simus grati ei. Haec omnia deducta sint ex Beati Joannis auctoritate illa, ad tollendum verba malitiae Buceri, et similium excusantium excusationes in peccatis. Item, merito esse damnatas Galat. 2. *Numquid Christus peccati minister est? Absit.* Non vult ergo Apostolus ullo modo, quod patrocinio, vel ministerio, aut alio quovis favoris praetextu Christi glorientur, quod haereticis familiare est; vel etiam innitantur ii, qui voluntariae in sceleribus, et inpudicitiis vivunt. Aliter enim agentes Christum tamquam ministrum peccati faciunt, cum tamen, secundum rei veritatem, nihil á divina justitia magis alienum fit, Item a. 1. Thessal. 4. *non vocavit nos Deus in immunditiam sed in sanctificationem.* Huic Apostolico dicto subinferas tu, quod Deus vocavit nos ad hoc, ut simus grati sibi, et videbis damnationem Buceri, cum similibus apertam. Item a. 2. Thessalon. 2. *Ambuletis digne Domino, qui vocavit vos in suum regnum. Tertio* habes: quomodo per rationem dicta scripturarum superius, pro quanto virtualiter saltem indirecte innuunt, opera in mortali facta non esse post satisfactoria, seu non placentia Deo, et declares et probes, et (quantum opus est) tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem 1. conclus. interimas haeresim *Pelagii* dicentis, mereri posse hominem vitam aeternam absquae gratiae Dei auxilio. Cum enim neque etiam temporalis boni alicujus sint meritoria, quantacumque ope-

ra bona nostra extra charitatem facta: patet á fortiori, quod ad merendum vitam æternam requiritur necessario gratia Dei informans opera nostra. Quod si Pelagius neget conclusionem illam 1. si neget Aug. in 1. argum. contrario adductum, si neget 2. ibi argum. ex Apostolo tractum, ratio naturalis in corpore allata ipsum convincit: si tamen ratione naturali, ut homo vivat, et totaliter in brutorum naturam rationis incapacem non transierit. Id autem, quod nunc de Pelagio dicitur, ad omnes hæreticos applicari posset; quando rationi naturali á S. Doctore in corpore articuli adductæ acquiescere nollent: cum ratio naturalis hominem non tantum, ut Christianum, sed etiam ut solum hominem adstringat. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem á fortiori quoque ostendas, Pelagianam illam haeresim merito damnari ab Apostolo Rom. 8. " Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. " Ergo bona non ista, vel illa, sed hujus temporis, idest quæcumque possunt fieri in hoc tempore, quantum est ex quantitate illorum operum, non sunt meritoria de condigno futuræ gloriæ, idest vitæ æternæ. Unde loquitur Apostolus de merito condigni, sicut et Pelagius, de operibus secundum se consideratis absque auxilio gratiæ Dei: et tamen de his ad litteram negat, quod Pelagius pro sua superbia affirmat. Item á Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. " Christus Jesus tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent. » Nota ly sine qua, et ly nullo pacto, et quod loquitur de operibus justificatorum. Ergo á fortiori, secundum Concilium, opera non justicatorum non possunt sine virtute influxa á Christo esse meritoria vitæ æternæ. Ad merendum igitur, secundum Concilium, oportet operantem esse in gratia, utpote per ipsam justificatum, et ultra hoc á Christo influxum virtutis motivæ ad operandum participare, et hoc est quod S. Th. id 1. 2. quæst. 109. art. 9. catholice determinavit, ubi eum videas cum pulcherrimo exemplo Augustini. Item ab eodem Concilio ibidem cap. 2. ibi. " Si quis dixerit: ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, et difficulter possit, anathema sit. » Item á, etc. ut in 1. par. quæst. 12. art. 4. et quæst. 23. art. 1. et quæst. 62. art. 2. append. Item á Conciliis Milevitano cap. 4. 5. 6. et Arausicano cap. 3. 6. 7. 8. 25. et á Carthaginensi in epist. ad Papam Innocentium I. quæ habetur tom. 1. Conciliorum inter epistolas ejusdem Innocentii, et ab Africano cap. 80. Hoc tamen quod dicitur cap. 18. Concil. Arausicani non est prætereundum. " Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia Dei, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Neminem nisi Deo miserante, salvari. " Item damnari á summis Pontificibus, Innocentio I. in epistola rescripta ad Concilium Carthaginense, et est epistola in ordine 25. et Celestino I. in epistola 1. ad Episcopus Galliæ. Vide tu loca hic citata; ne nimia fiat prolixitas. *Tertio* habes: quomodo, per rationem 2. conclusionis articuli ostendas merito á Concilio, et scripturis fuisse insinuatum, quod per opera extra charitatem facta de congruo aliquid meremur. A Concilio quidem Trid. id fuit insinuatum sess. 14. c. 4. quando de attritione, quæ est opus sine gratia, ait: " Quamvis sine sacramento poenitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. » Cum ergo opera etiam alia extra charitatem facta disponant ad gratiam, á fortiori ad bonorum operum assuetudinem, et ad bonorum temporalium adeptionem valebunt; quoniam disponere ad gratiam, majus est, quam ista alia duo: triplex ergo bonum hujusmodi opera de congruo merentur. A scripturis vero tale quid insinuatum fuit Exod. 1. " et quia timuerunt obstetrices Deum aedificavit illis domos; et Ezech. 29. Rex Babyloniae servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei; » et infra dicitur: " Erit merces exercitui illius: et dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverunt mihi. » Ecce tum obstetricum, tum Regis Baby-

lonis, opera erant extra charitatem facta, et tamen meruerunt de congruo; illorum quidem domos, idest rerum temporalium abundantiam, vel prolis foecunditatem, istius autem terram Ægipti. Si enim Ægyptus tamquam merces data est exercitui illius propter servitutem illam, utique, cum merces correspondeat merito, per ipsam servitutem meruit, at non de condigno, quia extra charitatem fuit, ergo de congruo. Ergo meritum de congruo ex sacris litteris, scilicet Ezech. 29. sicut et Matth. 5. in respons. ad 2. habetur. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Amsdorphianorum* dicentium; opera bona perniciosa esse ad salutem. Item, hæresim Lutheri (Prat. Lutherani) dicentis, opera omnia cujuslibet, etiam recte facta, quomodocumque esse peccata. Si enim bona opera extra charitatem facta tanti valent ad utilitatem nostram (sicuti valent) utique nec peccata, nec perniciosa ad nostram salutem sunt. Quocirca et 4. et 5. articulorum rationes contra istorum phantasmata diriguntur, et efficaciter á fortiori quoque faciunt. Per ipsas enim demonstratur, quod talia opera in bonum et nunc, et in futuro operantibus cedunt, quod proculdubio majus est, quam demonstrare solum, quod nec peccata, nec ad nostram salutem perniciosa sunt. Item, quia Lutherus etiam de operibus justorum in charitate factis loquitur, á fortiori confunditur, quando etiam de operibus bonis extra charitatem factis demonstratur, quod ad bonum nostrum, et multipliciter sane valent, quod de peccatis sentiendum non est, cum semper ex se de malo in malum trahant. *Secundo* habes: quomodo per rationem immo per rationes á fortiori ostendas, hæreses illas merito damnari á Concilio Trid. sess. 6. cap. 11. "Constat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt: justum in omni bono opere saltem venialiter peccare aut (quod intolerabilius est) pœnas æternas mereri." Hæc ibi, et can. 24. "Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit; aut (quod intolerabilius est) mortaliter; atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit." Et can. 7. "Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare anathema sit." Item, damnari á Leone X. in Bulla contra errores Lutheri, quam damnationem videas quæst. 1. art. 1. et 3. par quæst. 68. art. 9. Item Jonæ 3. ubi opera bona Ninivitarum adhuc extra charitatem existentium, neque peccata, neque ad salutem suam perniciosa, immo salutifera primum fuisse testatur Scriptura, dicens: "Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est super malitiam, qua locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Item, damnari á Principe Apostolorum in tota sua sequenti prædicatione, quam Papa sanctus, et martyr Clemens I. in epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini enarrat in hæc verba: "Bonorum operum, inquit, semina sunt, quantum unusquisque sapit, et potest, totis intimi cordis visceribus Deum diligere: et proximum, velut seipsum. Abnegare seipsum sibi, ut Jesum Christum Dominum nostrum sequatur, et nihil ejus amori præponere, veritatem corde, et ore proferre debere, et totam spem Deo semper committere. Instruebat actus suæ vitæ omni hora custodire, et in omni loco Deum respicere: firmiter scire, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et sacerdotibus Domini manifestare. Os suum á multo, vel pravo, colloquio custodire, et verba vana, aut mendacia non loqui, quia os, quod mentitur, occidit animam. Verba divina libenter audire, et sacerdotibus libenter obtemperare, atque obedientes esse docebat. Prædicationi, et orationi, ac lectioni frequenter incumbere, et eleemosynas veras perficere. Desideria carnis non perficere, sed propriam frangere voluntatem: bonum aliquid in se cum viderit, Deo attribuere, non sibi: et malum á se factum cognoscat, et sibi imputet. Multum loqui non amare, sed custodire labia sua, ne dolum, aut malum loquantur. Diem judicii timere, gehennam expavere, vitam æternam omni concupiscentia desiderare. Non occidere, non adulterari, non furtum

facere, non rem proximi desiderare, non falsum testimonium dicere: sed omnes homines honorare, corpus custodire, vanas, et caducas non amplecti delicias, jejunium, et vigilias sanctas amare, pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, sitientes potare, mortuos sepelire, et diligenter eorum exequias peragere, pro eisque orare, et eleemosynas dare, dolentes consolari, et suis bonis refovere, et á malis actibus se alienum facere. Non esse superbum, non vinolentum, nec multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuratorem, nec detractorem, quia qui detrahit, non se solum, sed et multos alios occidit. Iram non perficere, nec iracundiæ tempus reservare: dolum in corde non tenere, nec pacem falsam prætendere. Charitatem non derelinquere, nec jurare, ne forte perjurium (quod absit) fiat. Malum pro malo non reddere, nec injuriam facere; sed factam patienter sufferre. Inimicos diligere, maledicentibus se non maledicere, sed magis benedicere, et persecutionem pro justitia sustinere. Castitatem habere. Nullum odio habere: quia, qui odit fratrem suum homicida est. Elationem fugere, zelum malum non habere, invidiam non exercere, nec contentionem amare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, et de Dei misericordia numquam desperare. Seniores venerari, et juniores diligere, plebem, et cunctos Ecclesiæ ministros, Episcopos tota animi virtute diligere, ut oculos suos, quia oculi sunt illorum. Eorum præceptis in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, memores scilicet illius dominici præcepti; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Ipsi autem Episcopi, si exorbitaverint, ab istis non sunt reprehendendi, vel arguendi, sed supportandi, nisi in fide erraverint. Nullus se extollat erga doctores, ac magistros suos: quia discipulus super magistrum esse non debet, nec potest. Nullus velit dici sanctus, antequam sit: sed prius sit, ut verius dicatur. Præcepta Domini, doctorumque, ac magistrorum factis quotidie adimplere et in Christi nomine pro inimicis orare oportet. Obedientia enim, et humiliatio, quæ magistris agitur, Domino exhibetur. Veh dissolutis corde, qui non credunt Deo, et resistunt mandatis ejus, et inobedientes, ac contumaces sunt his, qui ejus legatione sunguntur, et ideo non protegentur ab eo. Currite, dum lumen vitæ habetis: ne tenebræ mortis vos comprehendant. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos: omnis, qui vult vitam, et cupit dies videre bonos, prohibeat linguam suam á malo, et labia sua ne loquantur dolum; divertat á malo, et faciat bonum, inquirat pacem, et sequatur eam. Timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctis suæ benedicetur. » Clemens de Petro sic instruente. Ergo, bona opera esse peccata, et ad salutem perniciosa, etiamsi extra charitatem fiant, damnat Petrus dum omnes, inter quos utique erant et peccatores, ad opera illa bona facienda hortatur. Similiter in eorumdem hæreticorum in principio append. dictorum damnationem consentit Clemens ipse per hoc, quod præmissam Petri approbans de operibus prædicationem, subdit ibidem: "Propter quod deprecor te, frater charissime, ut doces attentius hunc prædicationis ordinem, et absolutionum dies, ut salventur animæ hominum, » etc. Prolixior fui; quia in prædicatione Petri, et multa bona à nobis agenda expresse docentur, et multæ hæreses condemnantur ultra prædictas, ut per te videbis, si hanc prædicationem contra errores diversos, juxta quod occurrent in appendicibus narrari, ut decet, applicaveris. Ad hæc, si placet, vide Roffensem contre Lutheri errores, art. 3. et 32. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, Petrique, pro quanto moralia bona, etiam extra charitatem facta insinuant, operantibus esse utilia, á fortiori et probes, et declares, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINTA,

DE HIS PER QUÆ FIT SATISFACTIO, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his per quæ satisfactio fit.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum satisfactionem oporteat fieri per opera pœnalia.

Secundo, utrum flagella quibus á Deo in hac vita homo punitur, sint satisfactoria.

Tertio, utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur, quod sunt tria, scilicet eleemosyna, jejunium et oratio.

ARTICULUS I.

Utrum oporteat fieri satisfactionem per opera pœnalia.

Pro negativa. = Videtur quod satisfactionem non oporteat fieri per opera pœnalia.

1. Per satisfactionem oportet fieri recompensationem ad divinam offensam. Sed per opera pœnalia nulla fit ad Deum recompensatio. Ergo per opera pœnalia non debet fieri satisfactio.

Minor prob., quia Deus non delectatur in poenis nostris.

2. Si oportet opera satisfactoria esse poenalia; sequitur quod quanto magis hujusmodi opera essent facta in charitate, essent minus satisfactoria; quod tamen est falsum.

Conseq. prob., quia cum *charitas pœnam non habeat*, ut dicitur 1. Jo. 4. Quanto aliquod opus ex maiori charitate procedit, tanto minus erit poenale, ac per hoc minus satisfactorium.

3. *Satisfacere, est honorem debitum Deo impendere*, ut Ansel. dicit in lib. 1. *Cur Deus homo* c. 11. Ergo satisfactionem non oportet operibus tantum poenalibus fieri.

Conseq. prob., quia etiam aliis operibus, quam poenalibus, potest debitus honor Deo impendi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Greg. dicit 4. Mor. c. 21. « Justum est ut peccator tanto maiora sibi « inferat lamenta per poenitentiam; quanto maiora sibi intulit damna per « culpam. »

2. Illud, per quod oportet peccati vulnus perfecte sanari, debet fieri per opera poenalia. Sed per satisfactionem oportet peccati vulnus perfecte sanari. Ergo satisfactio poenalibus operibus est facienda.

Maior prob., quia peccatorum medicinæ sunt poenæ, ut dicitur 2. Ethic. c. 3.

Determinatio.

Conclusio. Satisfactio debet fieri per opera poenalia.

Manifestatur: nam satisfactio habet duplicem respectum, ut dictum est quæst. 102. art. 3. in corp. Unum ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem. Alterum ad futuram culpam, á qua per eam præservamur: et quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio fiat per opera poenalia.

Probatur igitur primo quod satisfactio debeat fieri per opera poenalia, quatenus habet respectum ad offensam commissam. Deinde quod debeat fieri per opera poenalia, quatenus habet respectum ad futuram culpam.

Primum sic ostenditur. Recompensatio offensæ debet fieri per opera poenalia. Sed satisfactio est recompensatio, quæ fit Deo pro culpis commissis. Ergo satisfactio facienda est per opera poenalia.

Maior manifestatur, quia recompensatio offensæ importat adæquationem, quam oportet esse ejus, qui offendit, ad eum in quem est offensa commissa. Adæquatio autem in humana justitia attenditur per substractionem ab uno qui plus justo habet, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid: quamvis autem Deo, quantum est ex ejus

parte, nihil subtrahi possit; tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ut dictum est quæst. 102. art. 3. ad 4. Unde ad hoc quod fiat recompensatio, oportet quod aliquid subtrahatur á peccante, per satisfactionem, quod cedat in honorem Dei. Opus autem bonum ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum operantem; et ideo subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi sit poenale: unde ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium et recompensativum offensæ, oportet quod sit bonum, et in honorem Dei, et poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur.

Alterum autem, scilicet quod satisfactio, ut habet respectum ad futuram culpam, debeat esse per opera poenalia, ostenditur; quia non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam est expertus. Propter quod secundum Phil. 2. Ethic. c. 3. poena sunt medicinæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod quamvis Deus non delectetur in poenis nostris, ut sunt poenæ: delectatur tamen in eis, ut justæ sunt: et sic satisfactoriæ esse possunt.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod pœnalitas se habet ad opus satisfactorium, sicut se habet difficultas ad opus meritorium. Potest autem in opere meritorio esse duplex difficultas. Una est ex parte operis: sicut in martyrio est maior difficultas, quam in jejunio. Altera est ex parte operantis; sicut cum maiori difficultate jejunat gulosus, quam qui abstinentiæ est deditus. Per ablationem difficultatis ex parte operis, minuitur meritum. Per ablationem vero dificultatis ex parte operantis, non solum non minuitur, sed potius augetur meritum, ut alias dictum est. Sic in satisfactione, duplex potest esse poenalitas. Una quæ est ex parte operis satisfactorii. Altera, ex parte satisfacientis. Si tollatur poenalitas ex parte operis, minuitur quantitas satisfactionis. Si vero auferatur poenalitas ex parte satisfacientis, non minuitur quantitas satisfactionis. Charitas non aufert difficultatem ex parte operis satisfactorii, sed solum ex parte satisfacientis: et ideo non minuit satisfactionem, sed magis auget.

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod satisfacere est reddere Deo debitum, non quodcumque, sed illud quod Deo debetur ratione offensæ in eum commissæ; et de tali debito loquitur Ansel. unde negat. conseq. Ad prob. dicitur, quod debitum hoc non solvitur, nisi per opera poenalia, ut in corpore probatum est.

ARTICULUS II.

Utrum flagella præsentis vitæ sint satisfactoria.

Pro negativa. — Videtur quod flagella, quibus á Deo punimur in hac vita, non possint esse satisfactoria.

1. Opera satisfactoria debent esse etiam meritoria. Sed flagella, quibus á Deo punimur, non sunt meritoria. Ergo hujusmodi flagella non sunt satisfactoria.

Minor prob. Ea, quæ sunt meritoria, sunt á nobis. Sed flagella, quibus á Deo punimur, non sunt á nobis. Ergo flagella, quibus á Deo punimur, non sunt meritoria.

2. Ea quæ sunt communia bonis et malis, non sunt satisfactoria. Sed flagella inducuntur non solum super bonos, sed etiam super malos, immo malis præcipue debentur. Ergo flagella non sunt satisfactoria.

Maior prob., quia satisfactio tantum bonorum est.

3. Ea quæ infliguntur his qui peccatum non habent, non sunt satisfactoria. Sed flagella infliguntur etiam his qui peccata non habent sicut patet de Job. Ergo flagella præsentis vitæ non sunt satisfactoria.

Maior prob., quia satisfactio respicit peccata præterita.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ea quæ purgant peccata, sunt satisfactoria. Sed flagella hujus vitæ purgant peccata. Ergo flagella præsentis vitæ possunt esse satisfactoria.

Minor prob., quia dicitur Rom. 5. « Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, » idest *á peccato purgationem*, ut Glos. ordin. dicit ibidem.

2. Amb. dicit serm. 18. super Psal. 118. *Etsi fides*, idest peccati conscientia, *desit, pœna satisfacit.* Ergo hujusmodi flagella sunt satisfactoria.

Determinatio.

CONCLUSIO. Flagella præsentis vitæ possunt esse satisfactoria.

Prob. Poenæ quæ aliquo modo possunt fieri ipsius patientis, possunt esse satisfactoriæ. Sed flagella præsentis vitæ possunt aliquo modo fieri ipsius qui ea patitur. Ergo flagella præsentis vitæ possunt esse satisfactoria.

Maior manifestatur. Nam recompensatio offensæ, quæ ad satisfactionem pertinet, potest fieri ab eo qui offendit, et ab alio. Recompensatio offensæ, quæ fit ab alio, potius habet rationem vindictæ, quam satisfactionis. Quando autem fit ab ipso qui offendit, habet rationem satisfactionis. Flagella igitur, quæ aliquo modo possunt fieri ipsius patientis, possunt esse satisfactoria.

Minor prob. Possunt enim hujusmodi flagella fieri ipsius patientis, in quantum ea acceptat in purgationem peccatorum, patienter ea sustinendo. Si autem omnino per impatientiam eis dissentiat, non efficiuntur aliquo modo ipsius, et tunc non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum, quibus scilicet Deus vendicat offensam sibi factam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad minorem prob. dicitur, quod quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid in potestate nostra sunt, ut scilicet eis patienter utamur, et sic homo facit de necessitate virtutem: unde et meritoria, et satisfactoria esse possunt.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod *sicut ex eodem igne* (ut Greg. dicit) *aurum rutilat, et palea fumat:* ita etiam iisdem flagellis, et boni purgantur, et mali magis per impatientiam inficiuntur. Et ideo, quamvis flagella communia sint, satisfactio tamen tantum bonorum est.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod flagella respectum habent ad culpam præteritam semper, sed non semper ad culpam personæ, sed quandoque ad culpam naturæ. Si enim in humana natura nulla culpa præcessisset, nulla poena fuisset. Sed quia culpa in natura præcessit, alicui personæ divinitus poena infertur, sine culpa personæ, ad meritum virtutis et ad cautelam peccati sequentis, quæ duo etiam in satisfactione necessaria sunt. Oportet enim satisfactionem esse opus meritorium, ut honor Deo exhibeatur. Et oportet esse virtutum custodiam, ut á futuris peccatis præservemur.

ARTICULUS III.

Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria.

Pro negativa. = Videtur quod inconvenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur quod sunt tria eleemosyna, jejunium, et oratio.

1. Opus satisfactorium debet esse poenale. Sed oratio non est opus poenale. Ergo oratio non est opus satisfactorium.

Minor prob., quia oratio est medicina contra tristitiam poenæ, secundum delectationem. Unde dicitur Iac. 5. *Tristatur aliquis vestrum oret.*

2. Omne peccatum, vel est carnale, vel est spirituale. Sed sicut dicit Hieron super illud Matt. 9. *Hoc genus dæmo-*

niorum non ejicitur etc. *Jejunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis.* Ergo præter jejunium et orationem, nullum aliud debet esse opus satisfactorium.

3. Satisfactio est necessaria ad emundationem peccatorum. Sed eleemosyna ab omnibus peccatis emundat. Dicitur enim Luc. 11. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo alia duo, scilicet oratio et jejunium sunt superflua.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Videtur quod opera satisfactoria debeant esse plura. Contraria contrariis curantur. Sed multo plura sunt peccatorum genera, quam tria. Ergo multo plura debent satisfactionis opera computari.

2. Peregrinationes etiam pro satisfactione injunguntur, et disciplinæ, sive flagellationes, quæ non continentur sub aliquo horum. Ergo insufficienter opera satisfactoria enumerantur.

Determinatio.

Conclusio. Opera satisfactoria convenienter enumerantur, et sunt eleemosyna, jejunium, et oratio.

Manifestatur tripliciter, secundum numerum eorum, quæ ad satisfactionem pertinent. Tria enim sunt quæ ad satisfactionem pertinere diximus. Primum est quod satisfactio sit talis quod per ipsam nobis aliquid subtrahamus in honorem Dei. Alterum, quod satisfactio est peccatorum causas excindere. Tertium est quod satisfactio non debet indulgere suggestionibus peccatorum. Hæc enim tria in definitione satisfationis ponuntur, ut quæst. 102. art. 3. dictum est.

Sufficienter igitur enumerantur opera satisfactoria ratione eorum, quæ ad satisfactionem pertinent, quia nos non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, et bona fortunæ, scilicet exteriora bona. Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis aliquid, per eleemosynam. Ex bonis corporis, per jejunium. Ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti; sed per hoc quod ea Deo totaliter submittimus, et hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus, ex parte illa qua satisfactio peccatorum causas excindit. Quia radices peccatorum tres ponuntur, 1. Jo. 2. Scilicet « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Contra concupiscentiam carnis, ordinatur jejunium. Contra concupiscentiam oculorum, ordinatur eleemosyna. Contra superbiam vitæ, ordinatur oratio. Competit etiam iste numerus, quantum ad hoc quod satisfactio est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere. Quia omne peccatum; vel in Deum committitur, et contra hoc ordinatur oratio. Vel in proximum, et contra hoc ordinatur eleemosyna: vel in nos ipsos, et contra hoc ordinatur jejunium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter ad minorem. Primo secundum quosdam quod duplex est oratio. Quædam: quæ est contemplativorum, quorum conversatio in coelis est et talis oratio, quia totaliter est delectabilis, non est satisfactoria. Alia est, quæ pro peccatis gemitus fundit, et hæc habet poenam et est satisfactoria. Secundo dicitur (et melius) quod quælibet oratio est satisfactoria, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis. Quia ut dicit Greg. hom. 14. super Ezech. *Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis.* Unde et nervus femoris Jacob, ex lucta Angeli emarcuisse legitur, Gen. 32.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod omne peccatum est quidem vel carnale, vel spirituale. Sed carnale duplex est. Quoddam quod in ipsa delectatione car-

nis completur, ut gula et luxuria. Quoddam vero quod completur in his, quæ ad carnem ordinantur, quamvis non in delectatione carnis, sed in delectatione animæ magis perficiatur, ut est avaritia. Et talia peccata sunt quasi media inter corporalia et spiritualia. Et ideo oportet quod etiam eis respondeat aliqua satisfactio propria, et hæc est eleemosyna. Quia igitur peccatorum genus triplex est; scilicet pure carnale, pure spirituale, et medio modo se habens, ideo triplex opus satisfactorium ponitur; scilicet jejunium, per quod curantur peccata pure carnalia; oratio, per quam curantur pure spiritualia: et eleemosyna, per quam curantur ea quæ medio modo se habent inter spiritualia et carnalia.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod hæc tria opera per quandam convenientiam singulis peccatis appropriantur, quia congruum est ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, et quod radix peccati commissi, per satisfactionem abscindatur. Tamen quodlibet horum operum, pro quodlibet peccato satisfacere potest. Unde ei, qui non potest unum ex his perficere, injungitur aliud, et præcipue eleemosyna quæ aliorum vices supplere potest, in quantum alia satisfactionis opera per eleemosynam quisque sibi mereatur. Ex hoc igitur quod eleemosyna omnia peccata emundat, non sequitur quod alia satisfactoria opera sin superflua.

AD ARGUMENTA.

Pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis sint plura peccata in specie, tamen alia omnia ad illas tres radices, vel ab illa tria peccatorum genera, quibus diximus opera satisfactoria respondere, reducuntur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quicquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur: et quicquid in proximi utilitatem expenditur, totum eleemosynæ rationem habet: et similiter, quæcumque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem. Et ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 105.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Dosithei* dicentis: vivendum esse solum secundum carnem in lege Domini. Si enim vivendum est solum secundum carnem, jam sequitur propter ly solum, quod dogma hoc implicat hunc errorem, quod satisfactio non debet fieri per opera pœnalia, cum hæc, secundum omnes sint contraria carni, seu ipsi vivere secundum carnem, et hunc errorem in illo hæretico dogmate includi necesse est, nisi forsan Dositheus vitare volens hunc in alium peiorem incidat, scil. Catharorum, ut refert Cardinalis Turrecremata, de Ecclesia, lib. 4. c. 35. dicentium, non esse poenitendum de peccatis. Cæterum hic error damnatus ad sufficientiam intelligitur per ea, quæ dicta fuere quæst. 2. art. 2. et 6. et quæst. 3. art. 1. et 2. et q. 6. art. 1. et 3. adjunctis quæst. 7. art. 2. et 3. Nam inde quomodo hoc totaliter timoris Dei destructivum phantasma, scilicet de peccatis non est pœnitendum, condemnatur multipliciter, et in textu, et in elucidatione habetur, et consequenter ad Dositheum, si ad hoc confugerit, habes quid dicas. Quod si non; á fortiori, ut dicebamus, ratione ex articulo sumpta hæresim ejus in principio dictam interimere potes. Nam, si per opera pœnalia satisfactionem debere fieri demonstraveris, utique eadem ratione convinces, quod tunc temporis multo minus est vivendum secundum carnem, ergo nec semper, ergo

nec solum, ut ipse mentiebatur. *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori ostendas, brutalem illam Dosithei hæresim fuisse merito condemnatam á scripturis, 1. Pet. 2. Charissimi, obsecro vos, tamquam advenas, et peregrinos; abstinere vos á carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Item infra. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Non dicit, ut vivatis secundum carnem in lege sua. Item ibi 3. " Christus mortus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu. » Audis, quod ideo passus est Christus, ut simus mortificati, non autem viventes secundum carnem? Item ibi 4. " Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desiit á peccatis: ut jam non desideriis hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis. » Ergo secundum Beatum Petrum, vivens desideriis hominum, idest secundum carnem non vivit secundum voluntatem Dei. Ergo dicere, vivendum est secundum carnem solum in lege Domini, est dicere, vivendum est solum non secundum voluntatem Domini in lege Domini. En apertissima fatuitas Item á Ro. 8. " Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis: et infra. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. » Item Galat. 5. " Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. » Ergo Dositheus per suum dogma vult, nos non placere Deo, nos mori, nos non esse christianos. Item, damnatam á Principe Apostolorum in tota sua prædicatione per Papam Clementem narrata, et recitata ad longum supra quæst. 14. art. 5. append. ubi continue fideles hortatur ad vivendum contra desideria carnis. Item á Concil. Trident. sess. 14. in doctrina de sacramento extremæ unctionis circa principium capituli; ubi dicit, quod tota christiana vita pœnitentia perpetua esse debet. Item á Ps. 18. *Lex Domini immaculata.* Nam sunt manifeste immunda, scil. fornicatio, etc Item ab ipso Domino legis Matth. 16. " Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Sed, quia et tota scriptura, et omnia Concilia, et omnes summi Pontifices, clamant contra Dositheum: ideo ipsum dimittendo ad articuli rem propius accedendum. *Tertio* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, merito Concil. Trid. sess. 14. c. 8. dixisse. " Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ne occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii, et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere á peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. » Ubi nota, satisfactiones dari, ne peccata putentur leviora; et esse quasi frænum, et coercere: quæ omnia, immo singula, satisfactionum opera esse poenalia dicunt. Et infra hoc ipsum docet inquiens: " Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei numquam existimata fuit ad amovendam imminentem á Domino poenam, quam, ut hæc poenitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc: quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, » etc. Et infra. " Satisfactio sit etiam ad præteritorum peccatorum vindictam; et castigationem. » Nota ly *opera pœnitentiæ*, ly *satisfaciendo patimur*, ly *vindictam*, ly *castigationem*. Item Apocalyp. 2. *Memento itaque, unde excideris, et age pœnitentiam.* Quid autem est poenitere, nisi poenam tenere: et poenitentia, nisi tentio poenæ? Ex ipso igitur nomine, dum satisfactionem vocat poenitentiam, monstrat scriptura, quod satisfactio fit per opera poenalia. Vide loca additionum citata supra in principio append. *Quinto* habes: quomodo per rationem prædicta sanctorum Patrum, pro quanto satisfactionem decernunt fieri per opera poenalia, et intelligas, et probes, et defendas. *Sexto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas errorem quorumdam (ut ex Conc. Trid. infra patebit) dicentium, flagella in præsenti vita hominibus á Deo inflicta non esse satisfactoria. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas,

hunc merito damnari á Concil. Trid. sess. 14. cap. 9 « Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum poenis sponte á nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis á Deo inflictis, et á nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. » Et cano. 1. " Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel á sacerdote injunctis, etc. anathema sit. » Item á scripturis Thob. 3. " In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. » Hæc verba sunt de flagellis á Deo inflictis, cum sint Saræ mulieris in proposito suæ magne afflictionis prolata. Iterum Eccl. 2. " Pius, et misericors est Deus, et remittit in die tribulationis peccata. » Ecce, quod (ut dicebat Concil. Trid.) hoc est argumentum magnæ pietatis, et misericordiæ divinæ, flagella scil. ab ipso nobis inflicta, patienterque tolerata computari in satisfactiones pro peccatis nostris. Iterum Eccles. 35. " Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis. » Item Psalm. 98. « Deus tu propitius fuisti eis, et ulcissens in omnes adinventiones eorum. Hoc est. Tu Deus ulciscendo contra peccata eorum, idest pro eis flagellando ipsos, fuisti propitius eis. Ubi insinuatur idem, quod flagella nobis immissa reputantur pro satisfactionibus, si patienter tolerentur: et hoc est magna propitiatio Dei erga nos sic flagellatos. Item Psal. 94. " Quadraginta annis offensus fui generationi illi, » et secundum aliam litteram communiter ab Ecclesia pro invitatorio Psalmo receptam, 40, *annis proximus fui generationi*. Dicitur autem Deus fuisse proximus generationi illi, in quantum erga illam misericordia magna usus est: dicitur vero eidem fuisse infensus, in quantum illam pro peccatis sæpius flagellavit. Ecce, quod secundum intentum Psalmitæ tunc fuit proximus, quando ei fuit infensus, idest tunc misericordiam erga illam generationem exercuit, quando ipsam pro delictis castigavit. Et nota, quod non dicit ly propinquus, sed ly proximus, ut ex superlativo non qualemcumque sed maximam, in genere puniendi peccatores, misericordiam illam fuisse cognoscas, et revera sic est. Nam fuit misericordia, in quantum castigationes illas peccatis debitas pro satisfactionibus etiam computari Deus voluit: fuit magna, in quantum flagellationes easdem locum poenarum in purgatorio pro iisdem peccatis habendarum (cum tamen incomparabiliter ferme illæ purgatorii præsentes excedant) supplere dignatus est: fuit maxima, in quantum illas ipsas etiam meritorias effecit (quod tamen in purgatorio cum tanta acerbitate poenarum non fit.) Exemplum de latrone á dextris crucifixo, in cujus flagellis hæc triplex Dei misericordia resplenduit. Confirmatur intelligentia hæc ex D. Thom. qui super epist. ad Hebr. c. 3. lect. 2. exponens ly proximus, postquam hoc ad divinam misericordiam retulit, subdit sic: " Hoc ipsum temporaliter punire peccatores magnum misericordiæ signum est. » Unde August. " Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. » Ubi notabis tu, quod accipitur ly magnum antonomastice, idest pro maxima, propter rationem supradictam. Item á lib. 2. Machab. 6. " multo tempore non sine peccatores ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. » Ubi per ly magni, tamquam antonomastice dicti, intelliges maximi. Redit enim auctoritas ista in idem cum superioribus á Psalmo, et S. Doctore prolatis. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa Scripturarum Sanctorumque dicta, pro quanto flagella vitæ præsentis indicant esse satisfactoria, et intelligas, et probes, et tuearis: *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Joviniani* (Prat. *Lutherani*) dicentis, jejunium nullius esse meriti apud Deum: item Pelagii dicentis: orationem prorsus esse inutilem, nulliusque virtutis. Qua enim ratione probatur, et jejunium, et orationem esse opera satisfactoria, eadem probatur, quod sunt alicujus virtutis, et meriti, cum satisfactio sit actus virtutis, quæst. 12. art. 1. et opus meritorium, qu. 14. art. 2. et quæst. hujus art. 2. ad 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari prædictas hæreses á Concilio Triden-

tino. sess. 6. ca. 14. sic: " Docendum est, christiani hominis pœnitentiam post lapsum continere cessationem á peccatis, eorum detestationem, cor contritum, et humiliatum, eorumdem sacramentalem confessionem, itemque satisfactionem, per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spirituales vitæ exercitia. » Ubi jejunium, orationemque esse utilia, et alicujus virtutis, ac meriti, determinari vides per hoc, quod satisfactoria decernuntur: et alia quoque pia exercitia quod est pro confirmatione responsionis ad 5. in satisfactionem computari. Et sess. 14. ca. 13 " Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis, etc. ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit. » Ubi vides id, quod supra, et ulterius anathematismum contra negantes, ista esse satisfactoria, atque ideo nullius meriti, virtutis, vel utilitatis. Item á Concilio Carthaginensi 4. ca. 85. " Baptizandi diu sub abstinentia vini, et carnium, crebra examinatione baptismum percipiant. Hæc ibi; et recitantur de consecrat. dist. 4. Ergo jejunium, immo et abstinentia, est ad utilitatem, et alicujus virtutis, ac meriti. Item á Concilio Telensi in rescripto ad Siricum Papam contra Jovinianistas. » Non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem, et diligentiam carnis, non in desideriis erroris; sed in spiritu, quo renovamur, est vivendum. Si parum est, quod Apostolus dixit: Audiant Prophetam dicentem: et operui in jejunio animam meam. Ergo, qui non jejunat, intectus, et nudus est; patet vulneri. Denique, si Adam se texisset jejunio, non fuisset nudus effectus. Ninive se á morte jejunio liberavit; et ipse Dominus ait: Non ejicitur hoc genus dœmoniorum, nisi per orationem, et jejunium. Ubi etiam de oratione habes, quod est alicujus utilitatis, et virtutis, cum dæmonium exagitet, ac expellat. Item á Papa Sirico; ut ex eodem rescripto habetur. « Itaque Jovinianum, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Germinialem, Martialem, Januarium, et Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. » Audivimus modo ex Augustino in de fide cathol. quod « capitula, seu dogmata illa non possunt recipi, quorum damnatur auctores. » Item á scripturis multis, quarum tu loca videbis. Nam populus Hebræus jejunio á Samuele indicto in Maspbat, hostes superavit, 1. Reg. 7. et Achab jejunio, sacco, lachrymis suorum veniam criminum obtinuit, 3. Reg. 21. et Judith jejunio afflicta Holofernem prostravit, Judith. 7. et Daniel trium hebdomadarum jejunio visionem Domini intellexit, Daniel 10. et Hester post triduanum jejunium furorem Assueri in mansuetudinem convertit, Hester. 4. et Machabæus contra Gorgiam pugnaturus, jejunio sese armans, victoria potitus est. Quid? Salvator noster, qui nos solum utilia, ac virtuosa docuit, jejunium nobis exemplo suo commendavit, Matth. 4. et jejunii modum nobis injunxit, ut scilicet jejunium nostrum vacaret ab hypocrisi, et vana gloria, Matth. 6. et jejunium futurum in nobis prædixit, inquiens Luc. 5. " Venient dies, in quibus auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. Item á Coelestino I. Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, in qua errores Pelagii damnat sic: " Orationes Ecclesiæ gratiam Christi resonant: qua genus humanum reparatur, et ab aeterna damnatione reducitur. Haec ille in sententia. Item apertissime á Christo Domino Luc. 18. " Oportet semper orare, et numquam deficere. » Item Act. 10. " Corneli, orationes tuae ascenderunt ante conspectum Domini: et nunc mitte, et accersi Simonem, qui vocatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere. " En á fortiori. Iste Cornelius nondum erat actualiter baptizatus; et tamen orationes suae tam utiles ei fuerunt, ut salutis notitiam pleniorem his mediantibus habere promeruerit. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum, quod eleemosynae sunt satisfactoriae, in Concilio V. Constantinopol. act. 1. sic: " Eleemosynis [illegible] expurgari peccata didicistis. « Item Tob. 4. " Eleemosyna ab omni peccato, et morte liberat: et non patietur animam ire in tenebras. « Item Eccles. 3. " Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.» Item ib. 29. "Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. » Item

iterum Tob. 12. Eccles. 3. 4. 7. 17. et Dan. 4. Matth. 6. Luc. 11. 12. Act. 10. 24. Propter auctoritatem tamen præmissarum occasionem, præsertim Tob. 4. Eccles. 3. cave diligenter: ne incidas in errorem quorumdam ab Augustino de civit. Dei, lib. 21. cap. 22. recitatorum, dicentium, quod " eleemosynæ sunt tantæ virtutis, ut, qui eas exercuerit, quantumlibet criminose, et nefarie vivat, æternum tamen supplicium non est habiturus." Cave etiam inde, ne impingas in scandalosam illam propositionem nonnullorum, recitatam ab Alphons. Cast. de jus. hæres. punit. lib. 1. cap. 3. dicentium, quod eleemosynam pauperibus elargiri est majoris meriti, quam eleemosynam pro Missæ sacrificio offerre. Nam primum damnat apertissime Apostolus 1. Corint. 23. " Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. " Nota ly omnes, ly meas, ly cibos, ly pauperum, ly nihil, scilicet ad vitam æternam promerendam, et supplicium æternum evadendum. Item illud damnat Concilium Cabilonense II. c. 36. " Sed nec hoc prætereundum putavimus, quod quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem, quamdam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna extinguit pecata, juxta illud: ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna extinguit peccata; sed ea, quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea vero, quæ ex industria, aut cujuslibet libidinis explendæ causa idcirco fiunt, ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia, qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, ut elcemosinam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim, et corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio, et contritio debet reducere ad veniam. » Ex his quoque recte glossato tu illud Tobiæ 4. cum dicit, quod " eleemosyna non patietur, animam ire in tenebras. " Vel etiam intellige sic, quod eleemosyna, quantum est de se, etc. non autem, si alias male vivatur. Vide quæst. 14. art. 3. app. et quæst. 15. art. 1. append. et 1. par. quæst. 87. art. 2. append. Disputat et August. lib. 21. de Civ. Dei, cap 27. contra prædictum errorem á se de aliis recitatum supra. Porro propositionem illam scandalosam redarguit ratio hæc, ut omnia alia omittamus. Nam illa, ut cuique patet potest, á sacrificio missæ, reverentiaque ejus, avertit. Si enim populus credat, minoris meriti esse missæ sacrificium, quam eleemosynam; tunc populus reverebitur minus, quam oportet, illud sacrificium, et consequenter non tam frequenter, ut nunc facit, illud celebrari faciet; sed unam Missam, ut evomuit Lutherus, uni populo affirmabit esse satis. Redarguit etiam, atque damnat hanc Conc. Trid. sess. 22. decret. de obser. et evit. in celebr. Missæ: " Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse ut, quanta maxima potest, interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur.» Nota ly tam sanctum, ly tam divinum, ly interiori, ly exteriori. Missa ergo, secundum Concilium, nil sanctius, nil divinius, nil tanta interiori, exterieque devotione tractandum. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXTA,

DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de suscipientibus sacramentum poenitentiæ.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum poenitentia possit esse in innocentibus.

Secundo, utrum in sanctis qui sunt in gloria.

Tertio, utrum in angelis seu bonis, seu malis.

ARTICULUS I.

Utrum pœnitentia possit esse in innocentibus.

Pro negativa. = Videtur quod in innocentibus poenitentia esse non possit.

1. In his, qui nullum malum commiserunt, non potest esse poenitentia. Sed innocentes nullum malum commiserunt. Ergo in innocentibus non potest esse poenitentia.

Maior prob., quia poenitentia est præterita mala plangere.

2. His in quibus est poenitentia debetur poena. Sed innocentibus non debetur poena. Ergo in innocentibus non potest esse poenitentia.

Maior prob., quia pœnitentia ex suo nomine importat pœnam.

3. In his in quibus potest esse pœnitentia, habet locum vindicativa justitia. Sed in innocentibus non habet locum vindicativa justitia. Ergo in innocentibus non potest esse pœnitentia.

Maior prob., quia pœnitentia in idem cum vindicativa justitia coincidit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omnes virtutes simul infunduntur. Sed pœnitentia est virtus. Ergo pœnitentia simul cum aliis virtutibus innocentibus infunditur.

2. In eo qui est spiritualiter sanabilis, potest esse pœnitentia. Sed innocentes sunt spiritualiter sanabiles. Ergo in innocentibus potest esse pœnitentia.

Maior prob., quia sicut sanatio in actu á vulnere peccati non est nisi per actum pœnitentiæ, ita sanabilitas non est nisi per habitum pœnitentiæ. Qui igitur est sanabilis spiritualiter, habet penitentiæ habitum.

Minor prob., quia ille qui numquam fuit infirmus corporaliter, dicitur tamen sanabilis corporaliter, quia in eo sunt principia sanationis, puta naturalis calor, etc. Ita qui numquam fuit spiritualiter infirmus, ut in innocentibus accidit, dicitur tamen sanabilis, ac per hoc debet habere principium quo possset sanari, si spiritualiter infirmaretur, quod principium est habitus pœnitentiæ.

Determinatio.

Conclusio. In innocentibus in statu innocentiæ existentibus, potest esse pœnitentia, non quantum ad actum, sed quantum ad habitum; et de facto in eis est, si tamen habeant gratiam.

Quæ habet tres partes. Prima est, quod in innocentibus non potest esse actus pœnitentiæ: secunda, quod in innocentibus potest esse habitus: tertia, quod in innocentibus de facto est habitus pœnitentiæ, si habeant gratiam. Et quoad singulas probatur, et primo quantum ad primam et secundam simul.

Innocentes non habent materiam actus pœnitentiæ, quæ sunt peccata. Ergo non habent actum pœnitentiæ.

Conseq. prob., quia subtractio materiæ tollit actum, propter hoc quod actus non potest esse sine materia in quam transit; et ideo habitus virtutis alicujus competit alicui cui non suppetit materia, propter hoc quod suppetere potest, et ita in actum exire. Sicut pauper homo potest habere habitum magnificentiæ, sed non actum; quia non habet magnitudinem divitiarum, quæ sunt materia magnificentiæ. Innocentes igitur possunt habere habitum pœnitentiæ, quia in eis possunt esse peccata: non est actus, quia in eis non sunt peccata, quæ sunt materia actus pœnitentiæ. Sed quia hæc ratio supponit quod in aliquo possit esse habitus virtutis sine suo actu, ideo hoc suppositum ostenditur esse verum: nam remoto priori, aufertur posterius, sed non é converso: remoto enim animali, removetur equus; sed potest removeri equus, remanere animal. Habitus virtutis est medium quoddam in-

ter potentiam et actum: potest enim aliquis habere scientiam primo in pura potentia, et sic habet scientiam ille qui numquam scientiam acquisivit. Secundo in habitu, et sic habet scientiam ille qui scientiam acquisivit, sed non speculatur. Tertio, in actu, et sic habet scientiam ille qui speculatur. Potentia igitur est ante habitum et actum; habitus est inter actum et potentiam; actus vero est ultimus. Si removeatur potentia, removetur habitus et actus: sed si removeatur actus, non removetur habitus. Potest igitur in aliquo esse habitus alicujus virtutis, et non actus.

Ultima conclusionis pars, scilicet quod innocentes de facto habent habitum pœnitentiæ, quando habent gratiam, ostenditur: quia cum gratia simul omnes virtutes infunduntur, ut alias dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod in his qui nullum commisserunt malum, non est actus pœnitentiæ: si tamen possint malum committere, potest esse in eis pœnitentia habitus. Tunc ad minorem dicitur, quod quamvis innocentes non commisserint peccatum, possunt tamen committere, et ideo eis habitum pœnitentiæ competit habere. Sed tamen habitus iste numquam in actum exire potest, nisi forte respectu venialium peccatorum; quia peccata mortalia tollunt innocentiæ statum et pœnitentiæ habitum: nec tamen hic habitus est frustra, quia est perfectio naturalis potentiæ.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis actu eis non sit debita pœna, tamen possibile est in eis aliquid esse pro quo eis pœna debeatur.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod remanente potentia ad peccandum, sicut manet in innocentibus, habet locum in eis vindicativa justitia, non secundum actum, si peccata actu non essent, sed secundum habitum.

ARTICULUS II.

Utrum sancti homines qui sunt in gloria, habeant pœnitentiam.

Pro negativa.=Videtur, quod sancti homines qui sunt in gloria, non habeant pœnitentiam.

1. In quibus est pœnitentia, debet esse dolor cordis. Sed sancti in gloria non habent dolorem cordis. Ergo sancti in gloria non habent poenitentiam.

Maior prob., quia poenitentia est dolor cordis.

Minor prob., quia Gregorius dicit lib. 4. Moralium: *beati peccatorum recordantur, sicut nos sani dolorum, sine dolore memoramur.*

2 In Christo non fuit poenitentia. Ergo nec in sanctis existentibus in patria erit poenitentia.

Anteced. prob., quia in Christo non fuit fides, quæ est principium poenitentiæ.

Conseq. prob., quia sancti in patria sunt Christo conformes.

3. Sancti in patria actu non poenitebunt. Ergo nec est in eis poenitentiæ habitus.

Anteced. prob., quia tunc esset in eis aliquid contra eorum votum.

Conseq. prob., quia frustra est habitus qui ad actum non reducitur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Justitia est perpetua et immortalis, quæ in patria remanebit. Sed poenitentia est pars justitiæ. Ergo poenitentia in patria remanebit in beatis.

2. In patria erit poenitentia de bono omisso. Ergo multo magis erit ibi poenitentia de malis commissis.

Anteced. prob., quia in vitis patrum legitur á quodam patre dictum, quod etiam Abraham poenitebit de hoc quod non plura bona fecerit.

Conseq. prob., quia magis debet hominem poenitere de malo commisso,

quam de bono omisso, de quo pater ille loquebatur.

Determinatio.

Conclusio. Habitus poenitentiæ remanebit in futura vita in his qui ipsum in præsenti vita habuerunt, non tamen secundum eumdem actum.

Prob. Virtutes cardinales remanebunt in patria secundum actus quos habent in suo fine, ut dictum est 1. 2. q. 67. Sed poenitentia est pars justitiæ, quæ est una virtutum cardinalium. Ergo poenitentiæ habitus remanebit in patria, non tamen secundum eumdem actum.

Actus autem poenitentiæ in futura vita erit, Deo gratias agere pro misericordia relaxante peccata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod poenitentia hujus vitæ habet quod sit dolor cordis, non autem hoc convenit poenitentiæ, secundum quod erit in patria in qua habet alium actum, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio, quantum ad hoc, de Christo et de sanctis: Christus enim peccare non potuit, et ideo materia poenitentiæ non competit illi nec actu nec potentia, propter quod in Christo nullo modo fuit virtus poenitentiæ. Ad probationem dicitur, quod quantum ad hoc nullus beatorum est Christo similis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod habitus non erit frustra, quia etsi non habuerit actum pœnitendi, qui convenit poenitentiæ in hac vita, habebit tamen alium actum, ut dictum est.

Ad argumenta pro altera parte.

Primum conceditur. Ad secundum vero dicitur, quod beatos non proprie poenitet de bonis omissis; sed dicuntur dolere, quatenus voluntate antecedente vellent esse omnia bona.

ARTICULUS III.

Utrum angelus sit susceptivus pœnitentiæ.

Pro affirmativa. = Videtur, quod angelus, seu bonus, seu malus, sit susceptivus poenitentiæ.

In his in quibus est timor, potest esse poenitentia. Sed in angelis est timor. Ergo in angelis potest esse poenitentia.

Maior prob., quia timor est initium poenitentiæ.

Minor prob., quia Jac. 2. dicitur, *dæmones credunt et contramiscunt.*

2. In his qui sunt maxime pravi, et quibus non deest aliqua poena, potest esse poenitentia. Sed doemones maxime sunt pravi, nec eis aliqua poena deest. Ergo in doemonibus potest esse poenitentia.

Maior prob., quia dicitur 9. Ethic. cap. 4. quod *pœnitudine replentur pravi, et hæc est maxima pœna eis.*

3. Angeli possunt mutari in peccatum, quæ mutatio est contra communem naturam eorum. Ergo multo fortius possunt revocari ad virtutem quæ est secundum naturam. Ergo in angelis potest esse poenitentia.

Antecedens patet, quia de facto aliqui eorum peccaverunt.

Prima consequentia probatur, quia facilius moveretur aliquid in id quod est secundum naturam, quam in id quod est contra naturam. Sicut aqua quæ per violentiam calefacta est, etiam per seipsam ad naturalem proprietatem redit.

Secunda conseq. prob., quia mutatio de peccato in virtutem fit per poenitentiam.

4. In animabus separatis potest esse poenitentia, ut quidam dicunt, et de animabus quæ sunt in patria dictum est articulo præcedenti. Ergo etiam in angelis potest esse poenitentia.

Conseq. prob., quia idem judicium est secundum Damascenum libro 2, orthod. fidei cap. 4. de angelis et de animabus separatis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illi qui sunt susceptivi poenitentiæ, possunt consequi veniam de peccato commisso. Sed angeli non possunt consequi veniam de peccato commisso. Ergo angeli non sunt susceptibiles poenitentiæ.

Maior prob., quia per poenitentia homo consequitur veniam de peccato commisso.

2. Illi qui sunt incorporei, non possunt suscipere poenitentiam. Sed angeli sunt incorporei. Ergo angeli non sunt susceptibiles poenitentiæ.

Maior prob., quia Damascenus dicit quod *homo fungitur, pœnitentia propter corporis infirmitatem.*

Determinatio.

Distinctio. Poenitentia in nobis dupliciter accipitur. Uno modo, secundum quod est passio; et sic nihil aliud est quam dolor vel tristitia de malo commisso. Et quamvis poenitentia, secundum quod est passio, non sit nisi in concupiscibili; tamen aliquis actus voluntatis similitudinarie poenitentia dicitur, quo quis scilicet detestatur malum quod facit: sicut etiam amor et aliæ passiones dicuntur in intellectivo appetitu. Alio modo accipitur poenitentia, secundum quod est virtus; et hoc modo actus ejus est detestari malum commissum, cum emendationis proposito et intentione expiandi vel Deum placandi pro offensa commissa. Poenitentia igitur tripliciter accipitur. Primo, ut est passio proprie; et sic est dolor de malo commisso: et sic est solum in sensu. Secundo, ut est passio, secundum similitudinem; et sic est detestatio mali commissi, et potest esse in voluntate. Tertio, prout est virtus, et sic est detestatio cum proposito expiandi et placandi Deum pro malo commisso.

1.ª Conclusio. Poenitentia, secundum quod est passio proprie vel secundum similitudinem, est in damnatis.

Prob. In his in quibus est naturalis ordo ad bonum, est poenitentia, quæ est passio proprie ad secundum similitudinem. Sed etiam in damnatis est naturalis ordo ad bonum. Ergo in damnatis est poenitentia, quæ est passio proprie vel secundum similitudinem, quatenus scilicet dolent vel detestantur malum.

Et confirmatur hæc conclusio, quia Sab. 5. dicitur de damnatis, *intra se pœnitentiam agentes*, etc.

2.ª Conclusio. In angelis beatis nullo modo est poenitentia, quæ est passio vel actus voluntatis.

Manifestatur, quia in sanctis angelis non præcesserunt peccata commissa de quibus possint dolere, vel quo debeant detestari.

3.ª Conclusio. In angelis malis est poenitentia, secundum quod est passio secundum similitudinem.

Prob. Quia eadem ratio est de malis angelis et de damnatis hominibus: nam secundum Damascenum lib. 2. orthod. fidei cap. 4. quod *hominibus est mors, hoc angelis est lapsus.*

4.ª Conclusio. Angeli non possunt esse susceptivi virtutis poenitentiæ.

Prob. Illi quorum peccatum est irremissibile, non sunt susceptivi virtutis penitentiæ. Sed peccatum angeli est irremissibile. Ergo angeli non sunt susceptivi virtutis poenitentiæ.

Maior manifestatur, quia peccatum, ut remissibile est vel expiabile, est propria materia virtutis poenitentiæ. Illis igitur quorum peccatum est irremissibile, non potest competere materia poenitentiæ, ac per hoc non possunt exire in actum, et per consequens nec habitus eis convenire potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod in quibus est timor, potest esse vel poenitententia, vel aliquis poenitentiæ motus. Tunc ad minorem dicitur, quod in angelis quia est timor, est aliquis motus

poenitentiæ, scilicet detestatio mali, non autem ipsa virtus penitentiæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod in his qui sunt maxime pravi, potest esse vel poenitentia, vel aliquis actus ejus et sic est in angelis malis qui detestantur malum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod quicquid in angelis est naturale, totum est bonum, et ad bonum inclinans: sed liberum arbitrium in eis est in malo obstinatum. Et quia motus virtutis et vitii non sequitur inclinationem naturæ, sed magis motum liberi arbitrii; ideo non sequitur ex hoc quod angeli naturaliter inclinantur in bonum, quod in eis sit virtus vel virtutis motus.

Ad 4. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio de angelis sanctis et sanctis animabus, quia in sanctis animabus præcessit vel præcedere potuit peccatum remissibile, non autem in angelis: et ideo quamvis sunt similes, quantum ad statum præsentem, non tamen sunt similes quantum ad statum præteritum, quem poenitentia directe respicit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 106.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas haeresim *Catharorum* (ut refert Cardinalis Turrecremata de Eccles. lib. 4. cap. 35.) dicentium, quod non est pœnitendum de peccatis. Si enim innocentibus, etiam quod de facto non peccaverint, convenit suo modo pœnitentia, alioquin nec innocentes essent, si propositum dolendi actualiter, dato, quod peccassent, non haberent: multo utique magis de peccatis jam actualiter commissis poenitendum erit. *Secundo* habes: quomodo á fortiori per rationem ostendas, illam merito damnari á, etc. ut qu. 15. ar. 1. Item á, etc. ut qu. 6. ar. 1. et 3. app. Nam ibi confessionem esse necessariam demonstratur, et confessio non fit, nisi de peccatis, qu. 9. art. 4. et est actus poenitentiæ, quæst. 7. art. 3. Item damnari á multis locis Scripturæ, ut Levit: 5. 3. Reg. 8. 2. Paralipom. 6. Job. 21. 24. Sapient. 11. 12. Eccles. 2. 20. 49. Jer. 8. 88. 31. Ezech. 33. Matth. 3. Luc. 3. 5. 15. 24. Roman. 3. 2. Corint. 7. Act. 2. 5. 8. 11. 20. 2. Pet. 3. Apocal. 2. 3. 9. Sed unum sufficiat expresse adducere in ejus manifestissimam damnationem, Luc. 23. dictum et á Concil. Trident sess. 14. cap. 1. pro veritate firmanda, et contra errores replicatum, scilicet: "Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis." Ecce Christus Dominus, qui passus est tot poenitentias pro nobis, loquitur. Quare? Ut scias, contra hæreticos, quod, *si compatimur et conglocificabimur*, Rom. 8. si autem non, non. Parum dixi. Non enim Christus ait solum, non: idest, si non compatimini, non conregnabitis, sed dicit plus, idest, si non compatimini, peribitis. Quid clarius contra Chatharos? *Tertio* habes: quomodo per rationem et recte intelligas, et in quo sensu merito fuisse dictum ostendas, illud Luc. 15. *justi non indigent pœnitentia*: et illud Luc. 5. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*: sine praejudicio tamen veritatis in præsenti articulo determinatæ. Indigent enim poenitentia justi, ad illamque vocantur, ut hic docetur, quia, nisi haberent firmum propositum dolendi actualiter, ut oportet, de peccato, si ipsum aliquando committerent, non essent justi: et non indigent poenitentia, neque vocantur ad illam, ut Evangelium dicit, quia cum non commisserint actu peccatum, de eo dolere tamquam de commisso non tenentur, immo nec possunt. *Quarto* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse virtualiter insinuatum á scripturis, quod poenitentia est in innocentibus. Hoc autem sic insinuatum videtur Eccles. 7. *Noli esse justus multum;* et Eccles. 18. *Sapiens in omnibus metuit.* Ille namque multum se esse justum præsumit, qui se esse hominem

peccabilem, quasi in justitia sua nimis confisus, non recognoscit; et talis non metuit de casu possibili sibi venturo, et consequenter non præcavet sibi ab illo, nec cogitat dicens, si, quod absit, cadam quandoque, habeo firmum propositum, quod tunc vellem de casu meo, ut oportet, poenitentiam facere. Quando igitur nos Scriptura ad metuendum in omnibus hortatur, et ab esse multum justos dehortatur: quasi nos ad nostræ considerationem fragilitatis reducit, et ad habendam poenitentiam modo exposito, dum sumus adhuc in justitia, monet. Et, quia, ut dictum est, nemo potest esse justus, nisi etiam præmissum poenitendi propositum habeat; ideo scriptura, quotiescumque ad esse justum invitat aliquem, toties ipsis justis, etiam quod antea numquam actu mortaliter peccassent, poenitentiam secundum habitum competere, attestatur. Plurimæ igitur Scripturæ id modo dicto affirmant; quam eorum affirmationem merito fieri, per rationem articuli et ostendere, et declarare; et defendere potes. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Scripturis insinuatum fuisse, quod in beatis patriæ est poenitentia, insinuatum est autem hoc Apocal. 21. ubi de patria loquens ait: " Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens. » Item Psal. 117. " Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam; et 100. Non habitabit in mediò domus meæ, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum; » et 94. ad peccatores etiam solum corde loquens Dominus, postquam permiserat ly " errant corde, et isti non cognoverunt vias meas, » subdicit dicens: " quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » Hoc est. Non introibunt; vel (et in idem redit) si introibunt, tale quid mali accidat; aut si introibunt, mihi amplius non credatur; aut aliquid hujusmodi. Solent enim, qui maxima determinatione apud se definitum esse aliquid volunt ostendere contra aliquos, quibus maxime irati sunt, jurare sic truncate, quasi præ iræ magnitudine juramentum totaliter exprimere non valentes: et tunc hoc modo jurando statutum irrefragabiliter, et adimplendum indispensabiliter, declarant esse illud, quod sic semipronunciant. Hunc modum jurandi humanum ibi in Psal. repraesentat Deus; ut facilius homines ex suo ipsorum solito modo jurandi intelligant, quid velit dicere per talem comminationem. Cum ergo loquatur sic Deus ibi ad peccatores, et dicat, illos, dum remanserint in tali statu, non intraturos in requiem suam, patet multo magis, quod nullus peccator existens manet in requie illa; seu, quod nullum peccatum est in beatis. Hinc fit, quod, cum ingratitudo sit peccatum, et scripturae praemissae á beatis peccatum omne excludant, ingratitudinem omnem etiam per hoc coexcludere intendant: et per consequens, quod in ipsis poenitentiam secundum actum statui beatorum convenientem ponant. Nam poenitentia illa est graditudo quaedam beatorum erga Deum de hoc, quod ei specialiter obligati sunt: et per consequens non poenitentia talis esset ingratitudo beatorum erga Deum. Nisi ergo poenitentia modo hic declarato esset in beatis, tunc ingratitudo, et ex consequenti, peccatum esset, in illis, quod aures fidelium audire non sustinent. Tot igitur et Scripturae, et Concilia, et sumi Pontifices, poenitentiam praedictam in beatis esse dicunt; quòt ab eis omne vel minimum peccatum excludunt. Ingratitudo enim peccatum est, 2. 2. quaest. 107. art. 3. quoniam repugnat virtuti gratitudinis, de qua nobis dicitur ad Coloss. 3. *et grati stote.* Quis modo nesciat, ingratum esse illum, qui á magnis liberatus periculis liberatori suo debitas non reddit gratias? Essent ergo ingrati in patria existentes (quod nefas est etiam cogitare) si Deo gratias non agerent pro misericordia, qua sibi ipsis relaxavit peccata, vel in quae de facto ceciderant, vel in quae cadere sive per commissionem, sive per omissionem quamcumque potuerant. Vide supra examen 3. post probationem. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Scripturarum praemissarum, aut similium, pro quanto poenitentiam insinuant reperiri in patriae beatis, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem 3. conclusionis, tamquam in radice,

interimas haeresim *Libertinorum* (Prat. Libertini) dicentium, quod diabolo misericordia Dei post judicium praesto erit: item Origenistarum (Prat. Origenistae) dicentium, diabolum, sivae daemones aliquando fore salvandos. Ex articulo enim habes, quod diabolus est impoenitens. seu quod non potest esse subjectum virtutis poenitentiae ex praesenti igitur articulo, tamquam illum in materia ista expendens, dicas. Aut Deo impenitentem salvabit, quod et suae justitiae derogat nimium, et toti sacrae scripturae repugnat ponenti, in illam nitidissimam patriam nullum peccatorem ingressurum: aut numquam salvabitur diabolus. Primum, cum sit expresse blasphemum, non est dicendum: et maxime, quia non de quomodocumque existente in peccato agitur, sed de totaliter secundum virtutem impoenitente. Unde, si sacrae litterae abhorrent, quod aliquis existens in peccato in illam immaculatam patriam ingrediatur, quanto magis hoc de impoenitente intelligi volunt? Adde, quod, si diabolus propter suum peccatum inde mox propulsatus est (ut tota scriptura testatur) quomodo vel leviter umquam cogitandum, quod ipse idem de peccato illo impoenitens in illam requiem introibit? Vide art. 2. append. juramentum Dei circa hujusmodi materiam in ly *quibus juravi in ita mea, si*, etc. Restat itaque concludendum secundum illius divisionis membrum, quod sc. diabolus numquam in aeternum salvabitur. Quod si Origenistæ, vel Libertini respondeant Divo Thomæ, quod aliquando ipsi dæmones poenitebunt de peccato suo; adverte, quod non possunt id sustinere; quoniam operatio alicujus rei dari non potest sine objecto: immo nec oppositum ab ullo sapiente fingi potest. Quod si res non poterit operari, mox profecto esse cessabit. Ecce ratio cum suo discursu tracta á Philosopho lib. 1. de anima, tex. 11. 12. Modo ad rem: D. Thom. pro ratione conclusionis 3. assignat: quod materia propria poenitentiæ virtutis deest dæmonibus: et ideo non adest (inquit) eis potentia exeundi in actum. Ac si aperte dixisset. Deest objectum poenitentiæ virtutis, idest peccatum remissibile in dæmonibus, 1. par. qu. 64. art. 2. et idcirco non possunt operari secundum hanc virtutem. Aut ergo aliquando totaliter otiosum dabitur in natura (quod est contra totam philosopiam) si poenitentia virtus in dæmonibus aliquando ponatur, aut poenitentia virtus numquam in eis poterit esse (quod est verum in conclus. 3. expressum.) *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, præmissam hæresim (Libertinorum enim illa tamdem in sensu cum Origeniana convenit) fuisse merito in suo capite condemnatam á quinta synodo Constantinop. generali; sess. 8. cap. 11. sic; "Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Appollinarem, Nestorium, Eutichen, et Origenem, cum impiis eorum scriptis, et omnes alios hæreticos qui condemnati sunt, et anathematizati á sancta Dei catholica, et Apostolica Ecclesia, vel prædictis quatuor sanctis Conciliis: sed et eos, qui similia cum prædictis hæreticis sapuerunt, aut sapere noscuntur, et usque ad finem permanserunt in propria impietate: talis anathema sit." Per hunc ergo canonem damnantur etiam Libertini, Evagrius, et Didymus, Origenistæ: imo et quicumque quocumque tempore Origeni adhæserint, aut in posterum adhærebunt, et quod dico de Origene, dic tu etiam de aliis ibi nominatis. Per eumdem quoque canonem damnantur quæcumque alio quocumque tempore ab eo hæreses conflictæ: ut, quod animae fuerint ante corpora, quod una anima in plura corpora ingrediatur, quod inferni supplicii aliquando finis erit; quod corpora cum animabus non resurgent, sed nudae animae. Vide Tom. 1. "Conciliorum in principio, de septem Conciliis æcumenicis." Item, merito condemnatam á, etc. ut 1. par. q. 64. appen. tum per scripturas, tum per Concilia. Item ab Ecclesia catholica, respons. pro defunctis ibi» *In inferno nulla est redemptio.* Item á, etc. ut pri. par. q. 62. ar. 8. appen. Ibi enim ostenditur efficacissime; quod nec beatitudo, nec miseria aliquando deficient contra Stapulensem, et Origenem, et consequenter 4. sequentes hæreses ejus, quæ ad unam reducuntur, ibique sub unius nomine omnes profligantur. Sunt vero istæ: Beatitudinem, et miseriam non fore perpetuam: Beatitudinis, et miseriae quasdam futuras esse alternationes. Beatas animas in corpora mortalia iterum reversuras in

quibus patientur: et hinc rursum ad beatitudinem revocandas: Beatitudinis, et miseriæ futurum circulum quemdam. Item (ut major sit prædictorum confusio) ab iisdemmet hæreticis, qui dicunt; diabolum substantiam esse malam, et malum principium. Licet enim hi Manichæi hæretice loquantur, ut habes 1. par. q. 63. ar. 4. et q. 39. ar. 3. et q. 21. ar. 1. et q. 44. ar. 1. appen. tamen contra Origenem, et Libert. faciunt: et ita vindicat se Deus per inimicos suos de inimicis suis, (ut olim in libris judicium, et regum gladio materiali saepius fecit.) Si enim diabolus est primum principium malum, et substantia secundum se mala utique etiam secundum Manichæos numquam poterit pœnitere; et consequenter numquam salvari. Item á Trinitariis, qui dicunt, quod diabolus numquam erit, nisi malus. Quamvis hoc, sc. quod numquam habuit, unde posset stare, idest quod ab instanti suae creationis fuit malus, haeretice dicant ut 1. par. q. 63. art. 5. append. ostenditur. Item á Priscillianistis dicentibus, diabolum non posse esse bonum Quamvis hoc, quod sc. ipse sit ex natura sua malus, haeretice dixerint, ut 1. par. q. 63. ar. 4. appen. monstratur. Valent hi, alias haeretici, ad revincendum praedictorum insanas haereses licet pro veritatis catholicae firmamento nec illa eorum dicta assumamus, nec eis vel tantillum indigeamus. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta prœmissorum Conciliorum, ac scripturarum, in quantum poenitentiam virtutem insinuant non posse esse in daemonibus, et declares, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTIMA,

DE POTESTATE CLAVIUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de potestate ministrorum hujus sacramenti, quæ ad claves pertinet. Circa quod primo, videndum est de clavibus. Secundo, de excommunicatione. Tertio, de indulgentia: hæc enim duo sunt annexa potestati clavium. Circa primum considerandum sunt quatuor. Primo, de entitate et quidditate clavium, et usu earum. Secundo, de effectu earum. Tertio, de ministris clavium. Quarto, de his in quibus potest exerceri usus clavium.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum claves in Ecclesia esse debeant.

Secundo, utrum clavis sit potestas ligandi, atque solvendi, etc.

Tertio, utrum sint duæ claves, vel tantum una.

ARTICULUS I.

Utrum claves in Ecclesia esse debeant.

Pro negativa. = Videtur quod claves in Ecclesia esse non debeant.

1. Ad intrandum domum, cujus ostium est apertum, non requiruntur claves. Sed ostium cœli est apertum. Ergo ad introitum cœli Ecclesia clavibus non indiget.

Minor probatur, quia Apoc. 4. dicitur: *vidi, et ecce ostium in cœlo apertum quod Christus est, qui de seipso,* dicit Joan. 10. *Ego sum ostium.*

2. Ejus est habere claves, cujus est aperire et claudere. Sed solius Christi est aperire et claudere. Ergo solius Christi est habere claves.

Maior prob., quia clavis est ad aperiendum et claudendum.

Minor prob., quia de Christo dicitur Apoc. 3. *Claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit.*

3. Quicumque habet claves coeli, habet etiam et claves inferni. Sed Ecclesia non dicitur habere claves inferni. Ergo nec claves coeli habet.

Maior prob., quia cuicumque clauditur coelum, aperitur infernus: et é contrario.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matth. 16. dicitur, *tibi dabo claregni cœlorum.*

2. Omnis dispensator debet habere claves eorum quæ dispensat. Sed ministri Ecclesiæ sunt dispensatores divinorum mysteriorum, ut patet 1. ad Cor. 4. Ergo debent habere claves.

Determinatio.

Conclusio. Ministri Ecclesiæ habent claves.

Prob. Illi qui habent potestatem removendi obstaculum per quod nobis clauditur coelum, scilicet peccatum, habent claves. Sed ministri Ecclesiæ habent potestatem tollendi impedimentum per quod nobis ingressus regni coelorum impeditur. Ergo ministri Ecclesiæ claves habere dicuntur.

Maior prob. Nam in corporalibus clavis dicitur, instrumentum quo ostium aperitur; regni autem coeli ostium per peccatum nobis clauditur, et quantum ad maculam, et quantum ad reatum poenæ, et ideo potestas qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. Qui igitur habent potestatem removendi hoc impedimentum ingrediendi coeli januam, scilicet remittendi peccatum, dicuntur habere claves. Quia (inquam) clavis metaphorice dicitur potestas removendi obstaculum januæ coeli.

Minor manifestatur: nam hæc potestas est in sancta Trinitate, in Christo et in Ecclesiæ ministris, diverso tamen modo. In sancta Trinitate est potestas hæc per auctoritatem: et ideo dicitur á quibusdam quod sancta Trinitas habet clavem auctoritatis.

In Christo autem homine fuit hæc potestas ad removendum prædictum obstaculum per meritum passionis, quæ etiam dicitur coeli januam aperire: et ideo dicitur, secundum quosdam, Christum habere claves excellentiæ. Et quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, ex quibus Ecclesia fabricatur; ideo in sacramentis Ecclesiæ efficacia Passionis manet: propter hoc etiam ministris Ecclesiæ, qui sunt dispensatores sacramentorum, potestas aliqua ad prædictum obstaculum removendum est collata, non quidem propria, sed virtute divina et passionis Christi. Et hæc potestas Ecclesiæ, secundum metaphoram, dicitur clavis ministerii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ostium coeli, quantum est de se, semper est apertum; sed alicui clausum dicitur propter impedimentum intrandi in coelum, quod impedimentum in ipso est. Impedimentum totius humanæ naturæ, ex peccato primi parentis consecutum, per passionem Christi amotum est; et ideo Joannes post passionem vidit in coelo ostium apertum, sed alicui quotidie adhuc manet clausum propter peccatum originale quod contraxit, vel actuale quod commisit: et propter hoc indigemus sacramentis et clavibus Ecclesiæ.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod cum dicitur, quod solus Christus aperit et claudit, intelligitur de clausione qua limbum clausit, ne aliquis ultra in illud descendat, et de apertione qua aperuit Paradisum, remoto impedimento naturæ per suam passionem.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negatur maior: clavis enim inferni qua infernus clauditur et aperitur, est potestas conferendi gratiam per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod est inferni porta; et clauditur, ne ultra homo in peccatum labatur gratia sustentatus. Potestas autem conferendi gratiam, solius Dei est, et ideo clavem inferni sibi soli retinuit. Clavis autem regni est potestas etiam dimittendi reatum poenæ temporalis, qui manet, per quem homo á regno prohibetur; et ideo magis potest homini dari clavis regni, quam clavis inferni;

non enim sunt idem: nam aliquis educitur de inferno per dimissionem poenæ æternæ, qui non statim in regnum introducitur, propter reatum temporalis poenæ quæ manet.

Secundum dicitur (ut quidam dicunt) negando minorem: dicunt enim eamdem esse clavem inferni et coeli: unde sicut Ecclesia habet clavem regni, habet etiam clavem inferni; sed tamen hæc clavis denominatur á nobiliori.

ARTICULUS II.

Utrum clavis sit potestas ligandi et solvendi, etc.

Pro negativa. — Videtur quod clavis non sit potestas ligandi et solvendi, qua Ecclesiasticus Judex dignos recipere et indignos excludere debet á regno.

1. Potestas spiritualis in sacramento collata, est idem quod character. Sed clavis non est idem quod character. Ergo clavis non est potestas.

Minor prob., quia per characterem homo ad Deum comparatur, per clavem vero ad subditos.

2. Judex Ecclesiasticus non dicitur nisi ille qui habet jurisdictionem, quæ simul cum ordine non datur. Sed claves in ordinis susceptione conferuntur sine jurisdictione. Ergo in definitione clavium non debuit fieri mentio de Ecclesiastico Judice.

3. Ad id quod aliquis habet ex seipso, non indiget aliqua potestate activa, per quam inducatur ad actum. Sed eo ipso quod aliquis est dignus, ad regnum admittitur. Ergo non pertinet ad potestatem clavium, dignos ad regnum admittere.

4. Peccatores indigni sunt regno. Sed Ecclesia pro peccatoribus orat, ut ad regnum perveniant. Ergo non excludit indignos; séd magis, quantum in se est, admittit.

5. In omnibus agentibus ordinatis ultimus finis pertinet ad principale agens non agens ad instrumentale. Sed Deus ad salutem hominis est spirituale agens. Ergo ad Deum pertinet ad regnum admittere, quod est ultimus finis, et non ad habentem claves, qui est sicut instrumentum vel minister.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est auctoritas Hieronymi tom. 9. super illud Matth. 16. *Tibi dabo claves*, etc. hoc modo definientis claves.

Determinatio.

Conclusio. Clavis convenienter definitur per hoc quod dicitur, clavis est potestas ligandi et solvendi, quia Ecclesiasticus judex dignos recipere, indignos excludere debet á regno.

Prob. Definitio potentiæ in qua ponitur objectum, actus, subjectum et modus agendi, est conveniens. Sed clavis est potentia quædam, ut articulo præcedenti dictum est; et in hac definitione fit mentio de actu, de subjecto, objecto et modo agendi. Ergo hæc est conveniens definitio clavis.

Maior manifestatur, quia secundum Philosophum 2. de anima tex. 33. *potentia per actus definitur:* unde in definitione potentiæ, ad hoc ut conveniens sit, debet poni actus in quo exprimatur etiam objectum á quo potentia speciem habet, et modus agendi ex quo apparet potentia ordinata: et quia potentia est accidens quoddam, debet in ejus definitione exprimi etiam subjectum.

Minor ostenditur: Nam in hac definitione ponitur primo genus, sub quo continetur clavis, cum dicitur, clavis est potestas. Deinde ponitur, subjectum hujus potestatis, cum dicitur, qua judex ecclesiasticus. Postea ponitur actus, scilicet excludere et recipere, secundum duos actus materialis clavis, qui sunt aperire et claudere. Objectum hujus potestatis tangitur, cum subditur, á regno et quia actus hujus potestatis non est aperire coelum absolute, quia jam per Christum est apertum, sed debet aperire huic: quod quidem ordinate fie-

ri non potest, nisi pensata idoneitate ejus cui aperiendum est coelum: ideo subditur modus, cum dicitur dignos et indignos, scilicet illos admittendo, et hos excludendo. Conveniens est igitur definitio clavis assignata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ad duo, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur: sicut in igne calor est ad calefaciendum et ad dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo, quod est Christus, provenit; ideo eadem potentia per essentiam esse videtur, qua sacerdos conficere potest, et qua potest solvere et ligare, si jurisdictio adsit: nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur. Sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus et liquefactivus: et quia character ordinis sacerdotalis nihil aliud est quam potestas exercendi illud ad quod principaliter sacerdotii ordo ordinatur; oportet quod sit idem quod spiritualis potestas: ideo character, potestas conficiendi, et potestas clavium, unum et idem sunt per essentiam, et differunt tantum ratione: per characterem enim comparatur homo ad Deum et ad subitos, secundum aliam et aliam rationem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quia omnis spiritualis potestas datur cum aliqua consecratione, clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget materia debita, quæ est plebs subdita per jurisdictionem; et ideo sacerdos, antequam jurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. Sed quia clavis per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad jurisdictionem pertinens, scilicet claudere et aperire, et fit mentio de ecclesiastico judice.

Ad 3. Dicitur quod aliquis potest esse dignus aliquo, dupliciter. Uno modo, per hoc quod habet jus habendi illud. Alio modo, per hoc quod insit ei aliqua congruitas, ad hoc ut ei detur. Primo modo, innocentes cum gratia digni sunt coelo: secundo modo, peccatores poenitentes. Tunc ad maiorem dicitur quod qui est dignus primo modo habendi coelum, non indiget potestate clavium: sed qui est dignus secundo modo, indiget clave qua removeatur impedimentum ingrediendi coelum.

Ad 4. Dicitur exponendo quod infertur quod sicut Deus obdurat aliquem non impartiendo malitiam, sed non conferendo gratiam; ita sacerdos dicitur excludere, non quod impedimentum ad intrandum ponat, sed quia impedimentum positum non amovet, quia ipse amovere non potest, nisi prius Deus amoveat; et ideo Ecclesia rogat Deum ut ipse absolvat, ut sic sacerdotis absolutio locum habeat. Orat igitur Ecclesia, quod indigni fiant digni, non tamen aperit nisi dignis.

Ad 5. Conceditur totum: actus sacerdotis non est immediate super regnum, sed super sacramenta quibus homo ad regnum quod solus Deus dat pervenit.

ARTICULUS III.

Utrum sint duæ claves, vel tantum una.

Quod sit tantum una.=Videtur quod non sint duæ claves, sed tantum una.

1. Ad unam seram aperiendam non requiritur nisi una clavis. Sed sera ad quam amovendam ordinantur Ecclesiæ claves, est una, scilicet peccatum. Ergo Ecclesiæ non indiget duabus clavibus, sed una sufficit.

2. Claves in collatione ordinis conferuntur. Sed scientia quæ ponitur una clavis, non semper in collatione ordinis confertur. Ergo scientia non est clavis, ac per hoc una tantum est Ecclesiæ clavis ponenda.

Minor prob., quia scientia non est semper ex infusione, sed quandoque ex acquisitione, nec ab omnibus ordinatis habetur, et á quibusdam non ordinatis habetur.

3. Potestas conficiendi corpus Christi verum, est una tantum. Ergo etiam potestas quæ respicit corpus Christi mysticum, quæ est clavis, est una tantum.

Conseq. prob., quia potestas quam habet sacerdos super corpus Christi mysticum, dependet ex potestate quam habet super corpus Christi verum.

Quod sint plures quam duæ.

1. Sicut ad actum hominis requiritur scientia, et potentia, ita etiam requiritur voluntas. Sed scientia discernendi ponitur clavis, et similiter potentia judicandi. Ergo et voluntas absolvendi debet dici clavis.

2. Tota Trinitas peccatum remittit. Sed sacerdos per claves est minister remissionis peccatorum. Ergo sacerdos debet habere tres claves, ut Trinitati configuretur.

Determinatio.

Conclusio. Duæ sunt claves in Ecclesia, scilicet clavis scientiæ et potestatis.

Probatur. In omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis actum illum, duo sunt necessaria ei qui debet actum illum exercere, scilicet judicium de idoneitate recipientis, et expletio actus. Sed actus clavis requirit idoneitatem in eo in quem exercetur. Ergo ille qui actum clavis exercet, indiget judicio discretionis, quo idoneitatem judicet: et ipso redditionis actu, et ad utrumque horum potestas quædam, sive auctoritas requiritur: et secundum hoc, duæ sunt claves, quarum una pertinet ad judicium de idoneitate ejus qui absolvendus est, et dicitur clavis scientia; et alia ad ipsam absolutionem, et dicitur clavis potestatis.

Maior manifestatur á simili in actu justitiæ: quia enim per actum justitiæ redditur alicui hoc quo dignus est, oportet esse judicium quo discernatur an iste sit dignus, et ipsam redditionem. Et ad utrumque horum potestas quædam sive autoritas requiritur: non enim dare possumus nisi quod in potestate nostra habemus, nec judicium dici potest nisi vim coactivam habeat, eo quod judicium ad unum jam terminetur: quæ quidem determinatio in speculativis fit per virtutem primorum principiorum, quibus resisti non potest, et in rebus practicis, per vim imperativam in judicante existentem. In actibus igitur qui exiguut idoneitatem in eo in quem exerceri debent, requiritur in eo qui actum illum exercet, judicium quo cognoscat idoneitatem, et potestas exercendi actum illum in eum in quem actum exercet. Et sic patet maior.

Minor ostenditur, quia Judex Ecclesiasticus, cujus est actum clavis exercere, recipit *dignos, et excludit indigos*, ut patet in definitione posita in articulo præcedenti: et ideo actus clavis exigit idoneitatem in eum in quem est exercendus.

2.ª Conclusio. Duæ claves Ecclesiæ non distinguuntur ab invicem essentia auctoritatis, sed ex comparatione ad actus.

Probatur prima pars, quia utrique clavi idem officium competit: secunda, quia unus actus alium præsupponit; judicium enim discretionis præsupponit ipsam absolvendi potestatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ad unam seram aperiendam, una clavis immediate ordinatur: sed non est inconveniens quod una ad actum alterius ordinetur: et sic est in proposito: secunda enim clavis, quæ dicitur potestas solvendi et ligandi, est quæ immediate aperit seram peccati, sed clavis, quæ dicitur scientia, ostendit cui aperienda sit sera peccati.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod circa clavem scientiæ duplex est opinio: quidam enim dixerunt quod scientia secundum quod est habitus acquisitus vel infusus, dicitur hic clavis. Et quod non est principalis clavis sed in ordine ad

aliam clavem, dicitur clavis: et ideo, quando est sine alia clavi, quæ est potestas ligandi et solvendi, non dicitur clavis. Sicut in viro literato, qui non est sacerdos, illa scientia non dicitur clavis, quia hujusmodi vir non habet aliam clavem. Et licet hac clavi quandoque sacerdotes careant, quia neque habent scientiam acquisitam, neque infusam, qua obsolvere et ligare sciant; tamen industria naturali ad hoc utuntur, quæ secundum eos claviola dicitur: et sic, licet clavis scientiæ quandoque cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine, quod fit clavis, quod prius non erat: et hæc videtur fuisse opinio magistri in 4. dist. 19.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verbis Evangelii concordare, quibus claves Petro dandæ promittuntur; et ita non una sola clavis, sed duæ in ordine dantur.

Alia opinio.

Et propter hoc alia opinio dicit quod scientia quæ est habitus, non est clavis; sed clavis dicitur auctoritas exercendi actum scientiæ infusæ vel acquisitæ: quæ auctoritas quandoque sine scientia est; quandoque autem est scientia sine ipsa, sicut etiam patet in judiciis secularibus: aliquis enim judex secularis habet auctoritatem judicandi, qui tamen non habet juris scientiam; et aliquis é contrario habet juris scientiam, qui non habet auctoritatem judicandi. Et quia actus judicii, ad quem aliquis ex auctoritate susceptа ordinatur, non potest bene exerceri sine utroque, scilicet sine scientia et potestate ea utendi in judicio: ideo auctoritas judicandi sine scientia non potest sine peccato accipi; sed scientia sine auctoritate sine peccato haberi potest. Ad formam igitur negando minor sic explicata: nam in ordine traditur clavis scientiæ, idest auctoritas exercendi scientiam in Ecclesiastico judicio.

Ad 3. Negatur conseq: potestas enim conficiendi est tantum ad unum actum alterius generis ab actibus ad quos ordinatur potestas clavium: et ideo hæc potestas non connumeratur clavibus, nec multiplicatur sicut potestas clavium, quæ est ad diversos actus, quamvis secundum essentiam auctoritas utriusque clavis sit una, ut dictum est in corpore. Ad probationem dicitur quo etsi potestas clavium ab illa dependeat, non tamen ex hoc sequitur quod debeat esse una, sicut illa, quia illa ad unum solum actum, hæc ad duos ordinatur.

Ad argumenta pro alia parte.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod actum hominis requiritur quidem etiam voluntas, non tamen eo modo quo alia duo: nam ad hoc quod homo possit uti scientia, et possit solvere, requiritur auctoritas hæc exequendi. Ad volendum autem nulla requiritur auctoritas, cum velle unicuique liberum sit: et ideo voluntas non ponitur clavis.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod tota Trinitas eodem modo remittit peccata, sicut una persona: et ideo non oportet quod sacerdos qui minister est Trinitatis, tres claves habeat, et precipue cum voluntas quæ Spiritui Sancto appropiatur, clavem non requirat, ut in præcedenti responsione dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 107.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse á Scripturis, claves esse in Ecclesia convenienter. Hoc autem fuit dictum, quando á Christo, qui omnia convenientissime facit, claves datas esse Petro, testificantur. Sci-

mus enim, quod á Petro in totam Ecclesiam derivatum postea est sacerdotium, dicente Siricio Papa in ep. 4. ad concilium Telense " Per sanctum Apostolum Petrum, et Apstolatus, et Episcopatus, in Christo cœpit exordium." De qua re etiam ad longum supra visum est quæst. 6. art. 2. et quæst. 8. art. 2. et quæst. 10. art. 3. append. scimus, inquam, hoc: et per consequens vere fatemur, quod, si datæ sunt Petro, datæ sunt et Ecclesiæ: non quia Petrus sit Ecclesia, sed quia est caput Ecclesiæ, ut testatur Concilium Constantiense damnans haeresim contrariam Joannis Huss. sess. 15. De qua re etiam supra quæst. 6. art. 6. et quaest. 8. art. 5. et 6. item magis directe in 1. par. quaest. 32. art. 4. Porro de clavibus datis Petro loquuntur Scripturae Matth. 16. et Joan. 21. ibi quidem in promissione, hic vero in exhibitione. Nam Christus Petro Matth. 16. ait: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, et Jo. 21. *Pasce oves meas.* Sicut enim ly dabo, cum sit futuri temporis, sonat promissionem: ita ly pasce, cum sit praesentis, exhibitionem: ac si aperte in Matth. diceret Christus Petro: ego faciam te pastorem ovium mearum; et in Joan. Ego te facio. Ubi etiam, connectendo hunc ad primum locum, declaravit optime Christus, quid intellexerit per claves Matth. 16. dictas: quod videlicet intendebat (ut sacrosancti Concilii Florentini sess. ult. verbis utar) " plenam potestatem pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam; et quod per ly tibi, quod videlicet intendebat (secundum idem Concilium) tum Petrum ipsum, tum quemlibet canonice electum successorem ejus. Adeo, quod (eodem Concilio testante) ipsi quoque successori Romano Pontifici, tunc in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam plena potestas tradita fuit á Domino nostro Jesu Christo, " quemadmodum, etiam inquit, in gestis œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur, etc. ut semel pro semper contra veritatis, præmissique Concilii, adversarios, libet ab instituto parum digressi. Zelum domus Dei inducntes respondeamus, diligenter notato; quod antedicta Concilii declaratio fuerat ab ipsismet Græcis coram imperatore suo, absentibus Latinis, post multam disputationem, et librorum Doctorum suorum revolutionem inter se invicem conclusa prius, quam hoc factum Latinis innotesceret, ac de unanimi consensu post modum in litteris sanctæ unionis poneretur (ut in eadem sess. ultima parum ante has litteras patet) id, quod apertissime monstrat, quanta sit vis veritatis contra Græcos ipsos, sic acerrime antea hoc ipsum oppugnantes, in ore Græcorum. Quanta vero libertate, quantoque honore á Latinis donata sit Orientalis Ecclesia in eadem Synodo generali (quod et præcipue pro definita veritate stat) testatum reliquit Reverendissimus D. Bessarion Græcus, Patriarcha Constantinopolitanus post dictum Concilium á Græcis ipsis ad propria reversis electus Episcopus Tusculanus, et S. R. E. Cardinalis Nicænus, in epist. Magnifico, et clarissimo viro Alexio Lascari Philantropino scripta, cujus verba sunt hæc: " Abierunt igitur Latini, recessimus et nos: et cum omnes jam appulissemus Florentiam, decreta fuit dies, in quo incipiendum, atque continuandum erat Concilium. Et in termino adveniente, rursus accusare Latinos incoepimus: quemadmodum etiam in illa quæstione: an liceat addere quicquam, nos accusatorum, Latini vero, respondentium tenuerunt locum; et ita responderunt, ut nil nos ad illa, replicare potuerimus. Ita etiam in ipso dogmate nos quidem tamquam accusantes proposuimus: illi vero respondebant. In omnibus enim ad libitum nostrum, et prout volebamus, ita facere nobis licebat. Et tamen non pudet aliquos dicere, vim nobis illatam fuisse. Quod numquam fuit, teste veritate quæ Deus est. Haec ibi: *et post multa subdit:* Propter haec omnia merito secuta est unio: et omnes absque quacumque violentia, sponte, et voluntarie, huic rei concesserunt. Qui vero concedere noluerunt (fuerunt autem duo, et non plures) cum omni libertate, sine aliqua oppressione, in suo arbitrio relicti, cum honore, et charitate sumptibus Ecclesiae Romanae ad propria remearunt." Haec illae Besarion. Ecce testis oculatus et multis de causis, ut patet, omni exceptione major; et dicti sui Deum in testem, animo tranquillo, ac deliberato, absque omni coactione, invocans. Ad rem modo in ordine primam. In Ecclesia er-

go, secundum Scripturas ex Concilio expositas, sunt claves, idest potestas universalis, ut supra. Universalis, inquam: quia ex contextu etiam Evangelii hoc patet Praemisserat enim Christus Joan. 10. " Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor. » Quasi aperte dixerit: postquam adduxero illas alias oves, ex quibus cum his praesentibus fiendum est unum ovile; tunc ergo faciam unum pastorem, sive (quod idem est) á me fiet unus pastor. Non igitur antea, sed post adductionem illarum ovium, vult promissas claves, Matth. 16. actualiter dare Petro. Quae sunt illae aliae oves, et quomodo adducendæ a Christo? Sunt Gentiles, et ab ipso adducendae sunt per passionem suam. Quod utique per contextum Joannis significatum est. Nam cap. 12. quasi verba illa cap. 10. declaraturus subdit: " Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo acceserunt ad Philippum, qui erat á Bethsaida Galileae; et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus, et dicit Andreae. Andreas rursus, et Philippus, dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis, dicens: venit hora, ut clarificetur filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. » Colligitur ergo ad litteram: et quod illae aliae oves sunt gentiles, et quod adducendae sunt per passionem Christi ad veram cognitionem ejus; quod est adducere ad ovile Christi Ideo enim de mortificatione grani cadentis in terram respondit Dominus ad discipulos quaerentes pro Gentilibus, ut viderent eum; quo vel hinc agnoscas, Gentilium plenitudinem ad Christi veram cognitionem non esse adducendam, nisi per passionem ejus. Restabat ergo solum, postquam Christus passus est, pro complemento sententiae illius praedictae cap. 10. quod fieret unus pastor. Propterea ordinate procedens B. Joannes, narrata Christi morte cap. 19. institutionem unius pastoris inducit cap. ult. Pasce, inquit, oves meas. Ubi ex ordine textuum patet, quod per ly oves intelligit Christus non solum Judaeos, sed etiam Gentiles, et, cum totus mundus hac divisione exhauriretur (erant enim, quicumque reperiebantur in mundo aut Judaei, aut Gentiles) sequitur quod per ly oves comprehendebantur omnes de quacumque natione existentes in mundo, qui tamen pertinerent ad Christum, ad quod innuendum additur ly meas. Quaecumque igitur personae in universo mundo ad Christum pertinent ratione fidei in ipsum, omnes curae Petri committuntur per ly oves meas. Ecce ergo, quod illa pastoralis potestas data Petro est universalis, et non particularis. Si enim esset particularis, vel dixisset, pasce istas, vel illas oves meas, et non simpliciter ly oves meas: vel saltem dixisset hoc, antequam adducerentur aliae oves, quae non erant de illo Judaico ovili. Poterat siquidem tunc forte intelligi solum particulariter, puta de solis Judaeis, ly oves meas, quoniam, quamvis absolute locutio fieret, tamen ratione materiae, quia scilicet aliae oves non existentes de illo ovili nondum ad existere de illo ovili adductæ fuerant, poterat limitate intelligi, ita quod intelligeretur locutio facta absolute, non simpliciter, sed absolute in genere Judaeorum. Nunc vero, cum Petro non commisserit regimen ovium suarum, nisi postquam alias non existentes de illo ovili adduxerat ad existere de illo ovili (ratione scilicet ejusdem fidei in Christum. Quo et modo dicitur Galat. 3. in Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina) » patet, quod per ly oves meas intelligit omnes absolute simpliciter. Alioquin de nullis prorsus secundum rem intelligeret: quoniam, cum omnes oves jam tunc essent de eodem ovili, eadem ratione, qua eximere velles aliquas, immo unam solam, á cura hic Petro commissa, eximere posses et alias, immo et omnes. Ut quid etiam (ut antea tetigimus) omnes ad unum ovile adducendas, et omnes has unius Christi primi pastoris vocem audituros prædixit, antequam unum pastorem faceret: nisi ut, cum ab eo fieri unum pastorem per ly pasce oves meas, audieris, intelligas (velis, nolis) sermonem universalem absolute simpliciter esse de ovibus: ac per hoc Petrum Christi non qualemcumque, sed universalem vicarium in pascendis ovibus constituit? Ecce igitur, quam apte, quam accomode, quam appo-

site, ad contextum prædictum Evangelii dixit Florentina Synodus: quo Petro, et successoribus suis in eo data est á Christo Domino plena potestas pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam: et quod Petrus, et quilibet successor legitimus est verus Christi vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, omnium christianorum pater, ac doctor. Vide veritates aureas super legem Mosaicam, lib. Numer. concl. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa tum Scripturarum, tum conciliorum dicta, pro quanto claves esse debere sentiunt in Ecclesia, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam (ut ex *Concilio Tridentino* nunc adducendo colligitur) dicentium; claves Ecclesiæ datas esse tantum ad solvendum. Quapropter, secundum istos, non posset sacerdos, vel non amovere impedimentum, quod est quoddam ligare, ut in responsione ad 4. patet, vel satisfactionem necessario implendam imponere pœnitenti, vel excommunicare, quæ omnia, et singula sunt falsa. Potest enim quodlibet illorum; ut patet ex definitione clavis, in qua quovis illorum modorum trium sumitur ly ligandi. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concilio Trident. sess. 14. ca. 8. sic: " Claves sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui patres et credunt, et docent. Nec propterea existimarunt, sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum. » Unde videtur quoque conjiciendum, dari motivum istorum negantium, claves datas fuisse ad ligandum; quia scilicet credebant, hoc falsissimum inde sequi, quod sacramentum pœnitentiæ esse forus iræ, atque pœnarum. Item ab eod. ib. c. 15. " Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, poena temporalis plerumque exolvenda remaneat: anathema sit. » Item á Scripturis Jo. 20. " quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et, quorum retinueritis, retenta sunt. » Super quibus verbis ad propositum clavium, seu potestatis sacerdotalis dicit Concil. Trident. sess. 14. ca. 1. " Verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit. » Ubi nota ly ad reconciliandos fideles. Cum enim verbum hoc ponatur tamquam finis non tantum peccata remittendi, sed etiam retinendi, patet, per Concilium esse solutum illud motium supradictum, quo dicebant adversarii, sacramentum poenitentiæ, si claves Ecclesiæ sint etiam ad ligandum, esse forum iræ, et poenarum. Nam hinc habetur ad litteram, quod Ecclesia, etiam quando ligat, intendit finaliter reconciliare fideles peccatores Deo. Adeo, quod, sive non remittendo peccata, sive imponendo poenas, sive excommunicando (quamvis excommunicatio ad forum exteriorem pertineat) semper ad finem hunc reconciliationis tendit: nec in poenis, ut poenæ sunt, delectatur; nec in ligando, ut ligare est, finaliter quiescit, ut adversarii credidisse videntur. Cum igitur á fine ultimo quælibet res denominanda sit, in cujus signum mæchans, ut furetur, magis fur, quam mæchus, dicendus est, secundum Philosophum; et finis ultimus ligantis Ecclesiæ sit reconciliare fideles: non sequitur, quod forus, in quo ligantur quocumque dictorum trium modorum fideles, sit forus iræ, vel poenarum: immo inde totum sequitur oppositum. Pia ergo semper est nostra mater Ecclesia, et adeo, ut etiam, dum ligat, pia sit, et non ligaret, nisi pia esset. Hæc enim felix alligatura est, de qua Eccles. 6. dicitur: *vincula illius*, scilicet Ecclesiæ, sive Dei per Ecclesiam, *alligatura salutis*. Item super iisdem Evangelii verbis ad propositum clavium inquit idem Concilium sess. ead. can. 3. " Si quis dixerit: verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et, quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento poenitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus

sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit. » Ex quo etiam apparet: quomodo adversarii illa verba de clavibus loquentia male interpretabantur; ut in sua perfidia liberius consisterent. Item ad propositum clavium per illa verba importatum Concil. Trident. sess. 14. ca. 5. quasi exponens ipse dicit: " Dominus noster Jesus Christi é terris ascensurus ad coelos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides, et judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles eciderint: qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionit peccatorum sententiam pronuncient. » Item damnatam á Matt. 16. " quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. » Cave tamen hic ne, postquam ex verbis tam apertis motus declinaveris totaliter errorem in principio appendicis notatum, incidas in Lutheranum, qui est (teste Roffense a. 26. contra ipsum) quod verbum solvendi, et ligandi æqualem dicunt potestatem, idest, quod extenditur solvendi potestas dumtaxat ad ligata ab ipso Petro. Damnatur enim hæc phantasia pro errore ab eodem Evangelio, dum Petro dat claves ad solvendum mortalia crimina á fidelibus commissa. Apertissimum sane cuilibet vel parum discurrenti est, quod Petrus numquam ligavit istos, idest non fecit, quod hi committerent peccata: á quibus tamen illos absolvere potest. Ecce, quod solvenda longe plura sunt, quam á Petro ligata. Non ergo exponitur illud verbum Christi, quasi dixerit Petro: do tibi potestatem solvendi solum ea quæ tu ligaveris, puta per excommunicationem: sed sic exponitur: do tibi potestatem solvendi omnia, quæ reperis super terram esse ligata, etiamsi á te ligata non fuerint. Aliud est enim non posse solvere, nisi ligata: aliud est, non posse solvere, nisi á seipso solvente ligata. Alioquin excommunicatos tantum posset solvere Petrus, quod, quamvis error Lutheri prædictus concederet, est contra veritatem á Concil. Trident. supra toties determinatam; qua non excommunicatos solum; sed et aliis vinculis post baptismum irretitos, potestate clavium posse solvi declarat; atque per hoc errorem Lutheranum istum condemnat. Vide Roffensem contra Lutherum art. 25. 26. *Tertio* vides: quomodo per rationem præmissa Scripturarum, Patrumque dicta, pro quanto claves esse potestatem sentiunt ligandi, atque solvendi, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem *Lutheri* (ut refertur in bulla Leonis X. contra errores Lutheri) dicentis; quod sacerdos non debet requirere á confitente, utrum sit contritus, nec ullo modo confitens debet sacerdoti respondere, se esse contritum. Item alium ejusdem dicentis: si sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen confessus credat se absolutum, verissime est absolutus. Item alium ejusdem (Prat. Lutherani) dicentis: absolutio censenda est efficax, non quia fit, a quocumque tamdem fiat, erret, vel non erret, sed quia creditur. Hæc enim Lutherana phantasmata, ut consideranti patet, clavem unam, scientiæ videlicet, implicite negant. Nam, si in ministro Christi ponerent clavem scientiæ, dicerent utique, quod debet requirere á confitente de contritione, et quod confitens tenetur de hoc respondere veritatem, ut sacerdos possit scire, utrum absolvere debeat. Dicerent quoque, quod confitens non est vere absolutus, etiam quod credat se esse absolutum, si sacerdos joco absolvat: quoniam intentio, sine qua prudens non agit defuit. Dicerent etiam, quod, si fiat error in substantialibus, puta, quod per crassam ignorantiam sacerdos absolvat indignos, absolutio non est efficax: et nota, quod Lutherus negat in tertio errore supradicto etiam clavem ordinis per ly *á quocumque tandem fiat*. Ac si aperte dicat. Laicus, puer, mulier possunt efficaciter absolvere. Contra igitur hos, simulesque errores veritas præsentis articuli facit quos et validissime convincit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos fuisse merito damnatos á Papa Leone X. ibi in Bulla, cujus damnationis particulam vide q. 1. art. 1. appen. et 3. par. q. 68. a. 9. Item á Concilio Trid. sess. 14. c. 6. sic. " Non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri; ut etiamsi nulla adsit illi contritio, aut sacerdoti animus, serio agendi, et vere absolvendi desit; putet tamen, se

propter suam solam fidem vere, et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret: et non alium serio agentem sedulo requireret.» Ubi lutherum sacramentum confessionis quasi in ludibrio ponentem, et pro joco habentem, vide astum dæmonii in illo, arcet á malitia. Item ibi can. 9. "Si quis dixerit: absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti: aut confitentem esse absolutum, modo tantum credat se esse absolutum, etiamsi sacerdos non serio, sed joco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: anathema sit.» Item ab eod. sessio. 7. canon. 11. de sacramentis. "Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.» Item ab eod. sess. 14. cap. 6. "Daclarat sancta synodus, falsas esse, et á veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt.» Et can. 10. "Si quis dixerit, etc. non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum. Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo, et quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correctionem duntaxat, si correptus acquieverit: secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.» Item damn. á. etc. ut qu. 5. art. 1. append. Vide etiam qu. 8. art. 2. Item á Papa Innocen. IV. in Concilio generali, cap. 21. "Sit sacerdos discretus, et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris, et peccati circumstantias, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.» Ubi patet confessarium oportere habere scientiam inquisitivam de circumstantiis peccatoris, inter has est, an sit contritus, et peccati, inter has est saltem reductive, an peccatum sit reservatum, idest. utrum á tali peccato possit absolvere: contra errores Lutheri prædictos. Item á Matth. 15. "Si cœcus cœco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.» Esset vero, ut cuicumque sapienti patet, sacerdos cœcus in ducendo confitentem ad salutem, si careret, vel potestate absolvendi, vel scientia dignos absolutione ab indignis discernendi. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta præmissa, pro quanto duas insinuant esse claves Ecclesiæ, et intelligas, et probes, et defendas. Insinuant autem hoc, ubicumque in numero plurali nominant claves, alioquin, si una tantum esset, semper in singulari numero loquerentur. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAVA,

DE EFFECTU CLAVIUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu clavium.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ.

Secundo, utrum sacerdos possit remittere peccatum quoad pœnam.

Tertio, utrum sacerdos per potestatem clavium ligare possit.

Quarto, utrum possit solvere, et ligare secundum proprium arbitrium.

Utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ.

Pro affirmativa. = Videtur quod potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ.

1. Dominus quando tradidit claves discipulis, Joan. 20. dixit: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo sacerdos exercens actum clavium, peccata remittit.

Conseq. prob., quia tunc verba illa Domini essent intelligenda quantum ad manifestationem, scilicet quod sacerdos absolvens ostendat solum peccatorem absolutum, ut magister dicit in 4. Sent. dist. 18. Et si sic esset, sacerdos novi Testamenti, non deberet maiorem potestatem quam sacerdos veteris Testamenti.

2. In pœnitentia cujus dispensator est sacerdos, ex vi clavium, datur gratia ad remissionem peccati. Ergo videtur quod sacerdos ex vi clavium, ad remissionem culpæ operetur.

Conseq. prob., quia gratia non opponitur peccato ex parte pœnæ, sed ex parte culpæ. Unde conferens sacramentum in quo datur gratia, operatur ad remissionem peccati.

3. Aqua baptismi hanc virtutem accipit, *ut corpus tangat et cor abluat*, secundum Augustinum tract. 80. in Joan. Ergo multo fortius sacerdos in sui consecratione hanc potestatem accipit, ut cor á culpæ macula abluere possit.

Conseq. prob., quia maiorem virtutem recipit sacerdos ex sua consecratione, quam aqua baptismi ex sua sanctificatione.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Magister dicit in 4. dist. 18. quod Deus hanc potestatem non contulit ministro, quod ad interiorem emundationem cooperaretur ei. Sed si minister virtute clavium peccata, quoad culpam, remitteret, cooperaretur Deo in emundatione interiori. Ergo potestas clavium non se extendit ad remissionem culpæ.

2. Peccatum non remittitur nisi per Spiritum Sanctum. Sed non est alicujus hominis dare Spiritum Sanctum, ut magister dicit in libro 1. dist. 14. Ergo nec est hominis peccata, quoad culpam, remittere.

Determinatio.

Conclusio. Potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam.

Quæ conclusio prius declaratur, deinde probatur. Declaratur (inquam) quoad illa verba aliquo modo, ostendendo modum quo clavium potestas ad culpæ remissionem ordinetur; et hoc ex convenientia et differentia, quæ est inter sacramentum baptismi et pœnitentiæ, ad quod pertinet potestas clavium.

Sciendum est ergo quod *sacramenta continent invisibilem gratiam ex sanctificatione*, ut dicit Hugo in libro de sacramentis part. 9. cap. 1. Quæ sanctificatio tripliciter potest se habere ad sacramenta: quandoque enim requiritur ad necessitatem sacramenti, tam in materia quam in ministro, sicut patet in confirmatione, quæ requirit sanctificatum ministrum, qui est Episcopus, et sanctificatam materiam, quæ est Chrisma; et tunc vis sacramentalis est in utroque conjunctim. Quandoque autem ex necessitate sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiæ, sicut est in baptismo; quia non habet ministrum determinatum, quantum ad sui necessitatem; et tunc tota vis sacramentalis consistit in materia. Quandoque vero de necessitate sacramenti requiritur consecratio vel sanctificatio ministri, sine aliqua sanctificatione materiæ, et tunc tota vis sacramentalis consistit in ministro, sicut est in pœnitentia. Unde eo modo se habet potestas clavium, quæ est in sacerdote ad effectum sacramenti pœnitentiæ, sicut se habet virtus quæ

est in aqua baptismi, ad effectum baptismi. Conveniunt autem sacramentum baptismi et pœnitentiæ quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam directe ordinatur: quod non est de aliis sacramentis. Differunt vero in hoc, quia sacramentum pœnitentiæ cum habeat actus pœnitentis quasi materiales, non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur præparatio ad recipiendum effectum sacramentorum. Baptismus autem quandoque datur adultis, et quandoque pueris, et aliis carentibus usu rationis, ut dictum est supra quæst. 68. art. 3. 7. et. 12. Et ideo per baptismum datur gratia et remissio peccatorum pueris et carentibus usu rationis, sine aliqua sui preparatione præcedente; non autem adultis, in quibus præexigitur præparatio removens fictionem: quæ quidem præparatio quandoque præcedit tempus sufficiens ad susceptionem gratiæ, antequam baptismus actu percipiatur; sed non ante votum baptismi, post tempus propalatæ Evangelicæ veritatis. Quandoque vero talis præparatio non præcedit tempore, sed est simul cum susceptione baptismi, et tunc in susceptione baptismi confertur gratia remissionis culpæ. Per pœnitentiæ autem sacramentum numquam datur gratia, nisi absit præparatio, vel prius fuerit. Unde virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in voto existens, vel dum in actu exercetur, sicut etiam facit aqua baptismi. Sed sicut baptismus non agit sicut principale agens, sed sicut instrumentum, non quidem pertingens ad causandam susceptionem gratiæ, etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam per quam fit remissio culpæ, et ita est de potestate clavium. Unde solus Deus remittit per se culpam, et in virtute ejus agit instrumentaliter baptismus, ut instrumentum inanimatum, et sacerdos, ut instrumentum animatum, quod dicitur servus, ut dicitur 8. Ethic. cap. 11. et ideo sacerdos agit ut minister. Et sic patet quomodo potestas clavium ordinetur ad remissionem culpæ: ordinatur enim potestas ad remissionem culpæ, non ut causans eam ut agens principale, nec ut agens instrumentale, sed ut disponens ad ipsam culpæ remissionem, ut instrumentum. Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad suscipiendam gratiam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si tamen obicem non poneret.

Tunc probatur conclusio. Si clavis nullo modo ordinaretur ad remissionem culpæ, sed ad remissionem pœnæ tantum, ut quidam dicunt; sequeretur quod non esset necessarium votum recipiendi effectum clavium, scilicet absolutionem; sicut non exigitur votum ad suscipienda alia sacramenta quæ non ordinantur ad culpæ remissionem, sed contra pœnam: quod tamen est manifeste falsum, cum contritio includat votum effectus clavium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia: Dominus enim in verbis illis tradit discipulis, ut virtute clavium possint dispositive instrumentaliter operati ad remissionem culpæ. Unde magister dicit in 4. dist. 18. quod sacerdotibus commissa est potestas dimittendi peccata, non ut propria virtute remittant, quia hoc est Dei; sed ut operationem Dei remittentis ostendant, tamquam ministri. Ad id autem quod subditur, contrarium dicto magistri, scilicet quod tunc sequeretur sacerdotes novi Testamenti non habere maiorem potestatem, quam haberent veteris Testamenti sacerdotes, qui solum ostendebant aliquos mundos: dicitur quod ostendere aliquem peccatis absolutum, contingit dupliciter. Uno modo, ut ostendant emundationem non præsentem, sed promittant eam futuram, sine hoc quod aliquid operentur ad ipsam; et sic sacramenta veteris le-

gis operationem Dei significabant: unde et sacerdos veteris legis ostendebat tantum, et nihil operabatur. Alio modo, ut significent præsentem, et nihil ad eam operentur; et sic quidam dicunt quod sacramenta novæ legis significent collationes gratiæ quam Deus in ipsa collatione sacramentorum impartitur, sine hoc quod in sacramentis sit aliqua virtus operans ad gratiam: et secundum hanc opinionem, etiam potestas clavium esset tantum ostendans divinam operationem in culpæ remissione, in ipsa sacramentali collatione factam. Tertio modo, ut significent divinam operationem ad remissionem culpæ præsentem, et ad ipsam aliquid dispositive instrumentaliter operentur: et sic, secundum aliam opinionem quæ sustinetur communius, sacramenta novæ legis emundationem divinitus factam ostendunt: et hoc modo etiam sacerdos novi Testamenti ostendit absolutos á culpa, quia proportionaliter oportet loqui de sacramentis et de potestate ministrorum. Nec obstat quin claves Ecclesiæ ad remissionem culpæ disponant, per hoc quod quando est usus clavium, culpa est remissa; quia nec obstat quod baptismus, quantum in se est, disponat in eo qui jam sanctificatus est: dicitur enim utrumque sacramentum disponere ad culpæ remissionem; quia si ille qui baptizatur, non esset á culpa per votum baptismi liberatus, liberatur per baptismi susceptionem; et idem est de usu clavium discendum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod sacramentum pœnitentiæ, sicut nec sacramentum baptismi, pertingit ad remissionem culpæ, nec ad gratiam directe, sed solum dispositive, ut dictum est.

Ad 3.[b] Dicitur, etiam ad antecedens, quod aqua baptismi abluit cor non directe, sed dispositive; sicut etiam vis clavium á culpa dispositive mundat.

Ad argumenta pro negativa.

Ad utrumque simul dicitur quod probant quod potestas clavium directe ad remissionem culpæ non operetur: hanc enim potestatem sibi Dominus reservavit, qui solus Spiritum Sanctum dare potest.

Censura.

Verum hæc quæ in hoc articulo dicta sunt, ob reverentiam magistri, cujus expositioni intendebatur, dicta esse constat. Cæterum, si usque huc tertia pars protracta fuisset, profecto aliter huic quæstioni fuisset satisfactum: unde juxta ea quæ dicta sunt in quæstionibus 62. et 84. aliter dicendum est, secundum hunc qui sequitur, modum.

1.ª Conclusio. Potestas clavium non se extendit ad remissionem culpæ, ut principalis et prima causa.

Manifestatur, quia hoc est solius Dei, ut magister ostendit in 8. dist. 4. Sententiarum, multas inducens auctoritates: et hanc probant duo argumenta pro negativa inducta.

2.ª Conclusio. Potestas clavium se extendit ad remissionem culpæ instrumentaliter, non tantum dispositive, sed proprie attingendo ipsam culpæ remissionem.

Manifestatur, quia supra quæst. 62. dictum est quod sacramenta novæ legis conferunt gratiam quam continent et significant. Et in quæstione 84. dictum est quod sacerdos vere á peccatis absolvit, ut patet per ipsam formam sacramenti pœnitentiæ, et non solum ostendit pœnitentem absolutum, ut art. 3. ejusdem quæst. 84. ad 5. dictum est.

Hanc probant etiam argumenta pro affirmativa inducta: Dominus enim Joan. 20. dedit Apostolis potestatem absolvendi, non quidem propria virtute: sed Dei. Et minister confert gratiam, conferendo sacramentum, ut est minister Dei: et tandem, sacerdos recipit in sui consecratione potestatem abluendi cor á macula culpæ, ut divinum quoddam vivum instrumentum.

ARTICULUS II.

Utrum sacerdos possit remittere peccatum, quoad pœnam.

Pro negativa. = Videtur quod sacerdos non possit remittere peccatum, quoad pœnam.

1. Peccato debetur pœna et temporalis. Sed sacerdos non potest remittere pœnam æternam, ut de se patet; nec pœnam temporalem, quia etiam post absolutionem pœnitens remanet obligatus ad pœnam temporalem in purgatorio vel in hoc mundo persolvendam. Ergo sacerdos non remittit pœnam.

2. Ex divina justitia taxata est pœnitentibus pœna quam debent subire. Ergo sacerdos non potest de ea aliquid remittere.

Conseq. prob., quia sacerdos non potest præjudicare divinæ justitiæ.

3. Si sacerdos posset remittere peccatum, quoad pœnam, sequeretur quod quandoque posset remittere totam pœnam: quod est falsum.

Conseq. prob. Nam ille qui parvum peccatum commissit, non est minus susceptivus effectus clavium, quam ille qui commissit maius peccatum. Unde si sacerdos potest dimittere aliquid de pœna peccati maioris, poterit esse aliquod peccatum ita parvum, quod ei non conveniat plus de pœna, quam fuerit ea quæ remissa fuit de gravi peccato; et sic ei qui parvum peccatum commissit, poterit sacerdos totam pœnam remittere.

4. Si sacerdos posset per actum clavium aliquid de pœna dimittere; sequitur quod peccatum remanere possit impunitum.

Conseq. prob. Nam tota pœna temporalis peccato debita, est unius rationis. Si ergo per primam absolutionem dimittatur aliquid de pœna, poterit per absolutionem secundam ab eodem peccato, aliquid de pœna dimitti; et sic tantum poterit multiplicari absolutio, quod vi clavium tota pœna tolletur, cum secunda absolutio non sit minoris efficaciæ quam prima: et sic peccatum remanebit impunitum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sacerdos potest injungere pœnam temporalem. Ergo et potest absolvere ad eadem pœna.

Conseq. prob., quia clavis est potestas ligandi et solvendi.

2. Si sacerdos non potest remittere peccatum quantum ad pœnam temporalem; sequitur quod nullo modo ipsum remittere possit: quod est contrarium dictis Evangelii.

Conseq. prob., quia sacerdos non potest dimittere peccatum quantum ad culpam, ut magister dicit in 18 dist. 4. lib. Nec quantum ad pœnam æternam, eadem ratione, quia scilicet utrumque ad solum Deum pertinet. Si ergo non potest remittere quantum ad pœnam temporalem, nullo modo poterit remittere.

Determinatio.

1.° Conclusio. Sacerdos per usum clavium potest remittere peccatum, quantum ad temporalem pœnam.

Prob. Per fidem et contritionem præcedentem baptismum, aliquis consequitur gratiam et peccatorum remissionem quantum ad culpam, et per actualem susceptione postea consequitur augmentum gratiæ et totalem absolutionem á reatu pœnæ, quia fit particeps passionis Christi. Ergo etiam ei qui per contritionem consecutus ad remissionem peccatorum quantum ad culpam, et per consequens quantam ad reatum pœnæ æternæ, quæ simul cum culpa dimittitur, ex vi clavium ex passione Christi efficaciam habentium, augetur gratia et remittitur temporalis pœna, cujus reatus adhuc post culpæ remissionem remanserat.

Conseq. prob., quia idem judicium est de effectu quem potestas clavium actualiter exercita complet in eo in quo

contritio tempore præcessit, et de effectu baptismi, qui jam habenti gratiam datur. Sicut igitur baptismus actualiter acceptus ab eo cui per fidem et votum baptismi remissa est culpa, auget gratiam et tollit temporalem pœnam; ita vis clavium idem operatur in eo qui post debitam contritionem clavibus se subjicit.

2.ª Conclusio. Per vim clavium non remittitur semper tota pœna, sicut remittitur in baptismo.

Manifestatur, quia homo in baptismo regeneratus configuratur passioni Christi, totaliter efficaciam passionis Christi, quæ sufficit ad omnem pœnam delendam, in se suscipiens, ut nihil de prioris actualis peccati pœna remaneat; quia non debet alicui imputari ad pœnam, nisi quod ipsemet fecit. Et quia in baptismo homo novam vitam suscipiens, fit per gratiam baptismalem novus homo, ideo nullus reatus pœnæ pro præcedenti peccato in eo remanet. In pœnitentia autem homo non mutatur in aliam vitam, quia pœnitentia non est regeneratio, sed sanatio quædam: ideo ex vi clavium quæ operatur in sacramento pœnitentiæ, non tota pœna remittitur, sed aliquid de pœna temporali, cujus reatus post absolutionem á pœna æterna remanere potuit. Nec solum de pœna illa quam hic pœnitens habet in confitendo, ut quidam dicunt, quia sic confessio et sacramentalis absolutio non essent nisi in onus: quod non competit sacramentis novæ legis; sed etiam de illa pœna quæ in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens, quoad secundam ejus partem: remittitur enim per vim clavium temporalis pœna. Et ad probationem dicitur, quod quia non remittitur tota pœna, sed pars; ideo remanet pœnitens obligatus ad aliquam temporalem pœnam. Sed melius dicitur, negando antecedens, quoad utramque partem: nam ex vi clavium ministerialiter remittitur culpa, et per consequens pœna æterna, et multo magis pœna temporalis, vel in partem, vel etiam in totum, secundum maiorem vel minorem contritionem pœniteñtis: quod si sit minus sufficiens, remanet obligatus ad reliquam pœnæ partem.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod passio Christi sufficienter satisfecit pro peccatis totius mundi: et ideo sine præjudicio divinæ justitiæ aliquid de pœna sibi debita remitti potest, secundum quod effectus passionis Christi ad ipsum per sacramenta Ecclesiæ pertingit.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod numquam remittitur ex vi clavium tota pœna magni vel parvi peccati, sed remittitur solum proportionalis pars; puta si de magno peccato remittitur poena ut decem, cum mereretur poenam ut viginti, de parvo peccato quod merebatur poenam ut quatuor, remittitur ut duo; et sic numquam remittitur tota poena, nec magni, nec parvi peccati. Sed melius dicitur, concedendo quod infertur, negando falsitatem: potest enim sacerdos ex vi clavium remittere quandoque totam poenam; sed quia hoc non constat sacerdoti, ideo semper imponit poenam satisfactoriam.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob dicitur, quod etiam in secunda absolutione aliquid de poena vi clavium dimittitur, quia in secunda absolutione confertur augmentum gratiæ: et quanto maior gratia recipitur, minus de impuritate præcedentis peccati manet; et ideo minor poena purgans debetur. Unde etiam in prima absolutione alicui plus et minus dimittitur de poena, secundum quod se plus ad gratiam disponit: et potest esse tanta dispositio, quod etiam ex vi contritionis tota poena tollatur. Unde etiam non est inconveniens, si per

frequentem confessionem etiam tota poena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum in aliquo pro quo poena Christi abundanter satisfecit.

ARTICULUS III.

Utrum sacerdos per potestatem clavium possit ligare.

Pro negativa.=Videtur, quod sacerdos per potestatem clavium non possit ligare.

1. Virtutes sacramentales ordinantur contra peccatum, ut medicinæ. Sed ligare non est medicina peccati, sed magis aggravatio morvi, ut videtur. Ergo sacerdos per vim clavium, quæ est vis sacramentalis non potest ligare.

2. Qui potest ligare, potest ponere obstaculum regni. Sed sacerdos non potest ponere obstaculum regni. Ergo sacerdos non potest ligare.

Maior prob., quia ligare est obstaculum ponere, sicut absolvere vel aperire est obstaculum amovere.

Minor prob., quia obstaculum regni est peccatum quod nobis non potest ex alio imponi, quia sola voluntate peccatur.

3. Claves ex passione Christi habent efficaciam. Sed ligare non est effectus passionis Christi. Ergo ex clavium potestate non potest sacerdos ligare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 16. dicitur, *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.*

2. Potestates rationales sunt ad oppositа. Sed potestas clavium est potestas rationalis, cum habeat discretionem adjunctam. Ergo potestas clavium se habet ad oppositа, scilicet ad ligandum et solvendum.

Determinatio.

Conclusio. Sacerdos per potestatem clavium potest ligare.

Prob. Deus habet operationem, et in culpam, et in poenam: in culpam quidem, ad solvendum habet operationem directe; ad ligandum autem indirecte, in quantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur. Sed in poenam habet operationem directe, quantum ad utrumque, quia et poenæ parcit, et poenam infligit. Ergo et sacerdos ex vi clavium aliquam habet operationem ad culpæ remissionem ordinatam, ut Christi minister; non tamen habet operationem ligandi quantum ad culpam, nisi ligare dicatur, non absolvere, sed ligatos ostendere. In poenam vero habet potestatem et ligandi et solvendi: solvit enim á poena quam dimittit; sed ligat quantum ad poenam quæ remanet persolvenda.

Conseq. prob., quia operatio sacerdotis in usu clavium, est conformis Dei operationi, cujus est minister. Unde sicut Deus habet operationem solvendi et ligandi respectu poenæ, ita et sacerdoti attribuenda est similis potestas.

Declaratur conclusio: nam sacerdotem ligare ad poenam potest intelligi dupliciter. Uno modo, considerando ipsam poenam et ejus quantitatem in communi; et sic sacerdos non ligat, sed ostendit peccatorem per peccatum fuisse ligatum ad poenam. Alio modo, considerando poenam hanc, vel illam determinate; et sic sacerdos ligat ad poenam, imponendo eam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor: nam illud residuum poenæ ad quam sacerdos obligat, est medicina purgans peccati impuritatem.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod obstaculum regni non solum est peccatum, sed etiam poena quam qualiter sacerdos ponat ut in corpore dictum est.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod etiam ligare est effectus passionis Christi, quæ obligat nos ad poenam aliquam per quam ei conformemur.

ARTICULUS IV.

Utrum sacerdos possit ligare et solvere secundum proprium arbitrium.

Pro affirmativa.=Videtur quod sa-

cerdos possit solvere et ligare secundum proprium arbitrium.

1. Hieronymus dicit (et refertur in Decret. de pœnit. dist. 1. c. 85. Mensuram) « Mensuram temporis in agenda « pœnitentia ideo non satis aperte præ« figunt Canones, pro unoquoque crimi« ne, ut de singulis dicant qualiter unum« quodque sit emendandum, sed magis « arbitrio sacerdotis intelligentis relin« quendum statuunt.» Ergo videtur quod ipse sacerdos secundum suum arbitrium possit ligare et solvere.

2. *Dominus* Lucæ 16. *laudavit villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset*, quia debitoribus domini sui remisit largiter. Sed Deus est magis pronus ad misericordiam, quam quilibet temporalis dominus. Ergo videtur quod laudabilior sit sacerdos, quanto plus de pœna remiserit.

3, Christus ipse quibusdam peccantibus nullam pœnam imposuit, sed solum emendationem vitæ, ut patet de adultera, Joan. 8. Ergo videtur quod secundum arbitrium suum possit etiam sacerdos, qui est vicarius Christi, dimittere totam pœnam.

Conseq. prob., quia omnis Christi actio, nostra est instructio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Gregorius dicit (et refertur de Pœnit. dist. 5. c.) *Falsam pœnitentiam dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminis imponitur*. Ergo videtur quod non sit omnino in arbitrio sacerdotis ligare et solvere.

2. Ad actum clavis requiritur discretio. Sed si esset omnino in voluntate sacerdotis dimittere et imponere de pœna quantum vellet, non esset ibi necessaria discretio. Ergo non est omnino in arbitrio sacerdotis.

Determinatio.

Conclusio. Sacerdos non potest ligare et solvere secundum proprium solum arbitrium.

Manifestatur. Sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Ergo sacerdos in usu clavium non debet operari secundum solum proprium arbitrium, sed secundum quod instructu divino movetur.

Consequentia ostenditur, quia nullum instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur á principali agente.

Et confirmatur conclusio, quia dicit Dionysius in fine cap. ult. de Ecclesiastica Hierarchia, quod *sacerdotes uti debent virtutibus Hierarchicis, quomodo divinitas eos moverit*.

Confirmatur secundo, quia in hujus signum Matth. 16. ante potestatem Petro traditam, fit mentio de revelatione divinitatis ei facta, dum dicitur: *beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est*. Et Joan. 20. præmittitur potestati remissionis, Apostolis datæ, Spiritus Sancti donum quo filii Dei aguntur, dum dicitur: « accipite Spiri« tum Sanctum, quorum remisseritis pec« cata, remittuntur eis. Unde si quis, « præter illum motum divinum, uti sua « potestate præsumpserit, non conseque« retur effectum, » ut Dionysius loco citato dicit.

Et confirmatur tertio, quia si sacerdos non uteretur potestate clavium secundum divinum motum, averteretur á divino ordine, et sic culpam incureret.

Confirmatur quarto á simili: nam pœnæ satisfactoriæ infligendæ sunt medicinæ quædam. Medicinæ autem in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt, secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed operantis secundum scientiam medicinæ. Sic pœnæ satisfactoriæ in Canonæ determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt, secundum arbitrium sacerdotis, divino instincta

regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, et á pœnitentia totaliter recedat. Et sic patet conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod quantitas pœnæ committitur arbitrio sacerdotis, regulato tamen divino instinctu.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod villicus ille laudatur, non solum de hoc quod debitoribus domini sui remisisset largiter, sed etiam quia prudenter hoc fecisset, et ideo in remissione pœnæ debitæ est abhibenda discretio.

Ad 3. Negatur consequentia: Christus enim habuit potestatem excellentiæ in sacramentis: unde ipse ex auctoritate pœnam totam vel partem poterat dimittere sicut volebat: quam excellentiam non habet sacerdos: et ideo non est eadem ratio de Christo, et sacerdotibus qui ut ejus ministri operantur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 108.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Armenorum* (Prat. Armeni) dicentium: sacramentum nullum conferre gratiam, nec posse, quantumlibet ad ejus susceptionem animam suam quis præparet. Per hanc enim locutionem universalem cointelligitur, Armenos ipsos negare, potestatem clavium se extendere ad remissionem culpæ (ut patet;) quoniam, si nullum sacramentum gratiam confert, ergo nec sacramentum confessionis, et, si gratiam non confert, culpam non remittit, quandoquidem sola gratia peccata remittuntur. Item hæresim Novatianorum dicentium, sacerdotes non habere potestatem dandi remissionem peccatorum lapsis post baptismum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito fuisse damnatam á Concil. Trident. sess 7. can. 2. sic. " Si quis dixerit: ea ipsa novæ legis sacramenta á sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi: anathema sit. » Quæ autem differentia sit inter veteris legis, atque novæ sacramenta, monstrat, et consequenter per hoc hæresim antedictam condemnat, Papa Eugenius IV. in Decr. suo Armenis dato, sacro approbante Conc. Flor. sic. " Novæ legis septem sunt sacramenta, scil. etc. Pœnitentia, etc. Quæ multum á sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Ubi ex comparationis natura ly conferunt, idem videtur valere, quod causant. Nam prius in comparationem adducens antiqua sacramenta dixit ly non causabant. Ergo, ex opposito loquendo, sacramenta nova gratiam causant: id, quod Concilium expressit per hoc vocabulum conferunt. Ex hoc, aliisque citandis, confirma, quæ dicta sunt in responsione ad 1. Item damnatam á Concil. Trident. sess. ead. can. 6. " Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externæ sint accceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, etc. Anathema sit. » Et can. 8. " Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam: sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit. » Item ab eod. sess. 6. cap. 6. Non enim absque causa per totum illud capitulum declarat modum præparationis ad gratiam justificantem per baptismum, et á simili per alia sacramenta, consequendam:

maxime autem, quia in principio capituli 7. dicit. "Hanc dispositionem, seu præparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum. Hujus justificationis causæ sunt, etc. efficiens vero misericors Deus, etc. instrumentalis item sacramentum baptismi," etc. Ubi vides contra hæresim illam, et præparationem nostram ad gratiæ consecutionem non esse frustra, et sacramenta esse causam instrumentalem justificationis, idest remissionis culparum, et adeptionis gratiæ, atque donorum. Nam, quod de sacramento Baptismi in hac materia dixit; de aliis sacramentis, ut quæ in ratione sacramenti præcise similia sint, cointelligendum est. Capitulum illud 6. quoniam et pulcherrimum, et optimum est, et hic propter prolixitatem vitandam dimissum, vide ibi. Item damn. á, etc. ut q. 17. art. 2. appen. Item á, etc. ut q. 10. art. 1. append. Vide Roffensem contra assertiones Lutheri art. 1. Item damn. á Leone X. in bulla contra err. Lutheri, cujus damnationis particulam vide qu. 1. art. 1. append. et 3. par. q. 68. a. 9. Nam et Lutherus ait: quod sacramenta non dant gratiam. Item damn. á, etc. ut q. 10. art. 5. et 1. par. q. 48. art. 4. appen. Ubi contra Novatianorum prædictum errorem agitur. Vide etiam contra hunc aliqualiter Conc. Trid. in 3. par. q. 68. art. 6 appen. *Tertio* habes: quomodo per rationem supradicta patrum, pro quanto potestatem clavium ad remissionem culpæ indicant valere, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem confringas errorem *Lutheri*, ut ex Roffense contra ipsum a. 5. colligitur, dicentis, quod poenas temporales pro peccatis debitas Ecclesia non potest auferre per claves. Item errorem quorumdam, ut ex Concil. Trid. adducendo nunc, edocemur, dicentium, fictionem esse, quod, remota poena æterna virtute clavium, poena temporalis exolvenda plerumque remaneat. Item, quomodo hæresim Novatianorum: quæ art. 1. appen. recitatur. Vide ibi: et applica huc, pro quanto de remissione peccatorum, quoad poenam, negatum suum possent etiam intelligere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito condemnari á Conc. Trident. sess. 4. c. 7. sic. "Neque vero ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem á domino poenam securior, quam ut hæc poenitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent." Et can. 12. "Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper á Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit." Ex quo loco confirmatur doctrina nunc data in not. post respon. ad 4. Item damn. ab eo. can. 15. "Si quis dixerit, etc. fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena æterna, poena temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema sit." Item sess. 6. can. 30. "Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti culpam remitti, et reatum æternæ poenæ deleri dixerit, ita ut nullus remaneat reatus poenæ temporalis exolvendae vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit." Item: quomodo per rationem ostendas haer. Novatianorum, pro quanto de remissione peccatorum, quoad poenam negant, damnari merito, á, etc. ut quæstione, vide ar. 1. append. circa fine. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum á Concilio Triden. sess. 14. cap. 2. non esse eumdem effectum baptismi, et clavium confessionis in hæc verba. "Alius est præterea baptismi, et alius poenitentiæ fructus, per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, et integritatem per sacramentum poenitentiæ sine magis nostris fletibus, et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus á sanctis Patribus dictus fuerit." Quibus etiam verbis damnari errores prædictos cuilibet recte considerauti, atque intelligenti patere potest. *Quarto* habes: quomodo per rationem supradicta Patrum, pro quanto claves ad mi-

nuendam poenam temporalem remanentem valere insinuantur, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito positam esse á Scripturis et per consequens á Conc. omnibus de hac re tractantibus, quamdam alligaturam, quæ dicitur esse salutis: et consequenter non omnem alligaturam esse malam, seu fugiendam, immo quamdam á catholicis amplexandam. A scripturis quidem, Eccles. 6. " Vincula illius alligatura salutis. Et sup. injice pedem tuum in compedes illius, et in toques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam: et ne accedieris in vinculis ejus. In novissimis enim inveniens requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem, et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, et bases virtutis: et torques illius in stolam gloriæ. » Ubi loquitur de sapientia. Item á Scripturis, Matth. 16. " Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis. Et 18. Quæcumque alligaveris super terram, etc. et Jo. 20. Quæcumque retinueritis, retenta sunt. » Nullatenus vero dubium est, quod, quæcumque fecit Christus, pro nostra salute fecit. A Concilio vero Trident. sess. 14. cap. 1. et 5. et 8. Item can. 3. et 15. De his locis Concilii vide supra qu. 17. art. 2. append. ubi literaliter adducuntur. Quod etiam hujusmodi ligaturæ sint salubres, dixit idem Concilium eadem sessione, cap. 8. sic: Divinam clementiam decet; ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata remittantur: ne, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in diæ iræ. » Diximus autem supra, quod poena, ad quam ligat sacerdos, et satisfactio. Item idem Concilium mox infra: " Proculdubio magnopere á peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent, hæ satisfactoriæ pœnae, cautioresque, et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. » Nonne igitur multum tibi videntur *alligaturæ salutis*? Item Concil. infra: " Accedit ad hæc: quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur, et conglorificabimur. » Ex quibus omnibus patet, quantum saluti nostræ insidientur Epicurei Novatores, dum satisfactiones hujusmodi, Ecclesiæque sanctæ ligamina etiam alia, quæ leges vocantur, ad instar serpentis, Genes. 30. totis viribus dissuadent: et contra, quantum nostrae saluti faveant, qui ligaturas hujuscemodi nobis persuadent. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta evangeliorum, atque similia, pro quanto potestatem ligandi in sacerdote virtute clavium ponunt, in sensu recto et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á Concilio *Cabilonensi II.* cap. 25. sic. " Poenitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur; ideoque á Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulctetur poenitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, et reconcilietur. » Item á decret. de poenitentia, et remissione, cap. quæsitum, sic: " Si ex incuria ipsorum mortui inveniantur in cunis, et illud fuerit occultum, eis poenitentia pro arbitrio poenitentiarii imponantur. » Papa Coelestinus III. Item ibidem cap. immediate seq. " Poenitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium est moderanda, pensata qualitate personarum super fornicatione, adulterio, perjurio, homicidio, et aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, etc. prout saluti eorum viderit expedire. » Haec ibi ex Papa Innocentio III. Item á Concilio Vormatiensi, can. 7. sic. " Poenitentibus secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio poenitentiae decernantur. Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singulorum causas singulatim considerare: origenem quoque, modumque culparum, et affectus, gemitusque delinquentium dili-

genter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, et personarum, locorum quoque aetatum qualitates inspicere; ut etiam pro consideratione locorum aetatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscujusque delinquentis, á sacris regulis oculos non reflectat.» Item á Concilio 6. generale Constantinopolitano, can. 102. sic: " Oportet, qui facultatem ligandi, atque solvendi á Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur, et peccatoris promptitudinem ad reversionem: ut sic medicamentum admoveant aegritudini aptum: ne, si de peccato sine discrimine statuant, aberrent á salute aegrotantis. Non enim simplex est peccati morbus; verum varius, et multiformis. Igitur, qui spiritualem medendi artem profitetur, oportet attente rimari, qualiter affectus sit, qui peccavit: an ad salutem inclinet, an contra moribus; quibus familiariter assuevit, adversus se aegritudinem provocet, inpicere, et quid ille secum deliberet ad redeundum ad meliorem frugem, an obtemperet magistro, an mentis ulcus per admota pharmaca crescat; et sic misericordiam aequa lance impartiri: summa enim ratio praefecto pastorali curae esse debet, errantem ovem reducere, et vulneratam an angue curare, et nec per praecipitia desperationis detrudere, nec habenas laxare ad vitae dissolutionem, sed omnimodo scire, qua pharmacis austerioribus, qua mollioribus, et levioribus morbo contraire; et ne ulcus cicatricem obducat, obnitatur, fructus poenitentiae examinans, et sapienter dispensans, et hominem ad claritatem illam supernam vocatum prudenter gubernans. Utraque igitur scire oportet, et quae sunt rigoris, et quae commiserationis.» Haec ex illo. Ecce quanta discretio in sacerdote pro servando canonum sensu, non superficie, requiritur. Item á Concil. Trident. sess. 24. cap. 8. de reform. " Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet, ut, quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.» Ecce canonum poenitentialium observantia, tamquam medicinae in arte determinatae (ut verbis textus utat) in usum revocata, epicheia tamen illa, quam in corollario diximus, adjuncta comite. Item partim á, etc. ut qu. 8. art. 7. et qu. 12. art. 2. et qu. 3. art. 3. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem praemissorum patrum dicta, pro quanto sacerdotem nolunt juxta arbitrium voluntarium absque instinctu divino, vel in communi per canones, vel in particulari per specialem veram prudentiam, subministrato, ligare, aut solvere, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA NONA,

DE MINISTRIS CLAVIUM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministris clavium, et usu earum.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum sacerdos legalis claves habuerit.

Secundo, utrum Christus claves habuerit.

Tertio, utrum soli sacerdotes claves habeant.

Quarto, utrum sancti homines non sacerdotes claves, vel usum earum habeant.

Quinto, utrum mali sacerdotes usum clavium habeant efficacem.

Sexto, utrum schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, et degradati usum clavium habeant.

ARTICULUS I.

Utrum sacerdos legales claves habuerit.

Pro affirmativa. — Videtur quod sacerdos legales claves habuerit.

1. Qui habet ordinem sacerdotalem, habet etiam claves. Sed sacerdotes legales habuerunt sacerdotalem ordinem, per quem sacerdotes dicebantur. Ergo habuerunt etiam claves.

Maior prob., quia clavis ordinem sacerdotalem consequitur.

2. Habentes scientiam discernendi et potentiam judicandi, habent claves. Sed sacerdotes legales habebant scientiam discernendi et potentiam judicandi, ut de se patet. Ergo sacerdotes legales habuerunt claves.

Maior prob., quia duæ sunt claves, ut dictum est supra q. 109. seu 19. Suppl. art. 3. scilicet scientia discernendi et potestas judicandi.

3. Qui habent potestatem spiritualem super populum, habent clavem. Sed sacerdotes legales habebant potestatem spiritualem super populum. Ergo habebant clavem.

Maior prob., quia clavis est spiritualis potestas.

Minor prob. Nam sacerdotes legales habebant aliquam potestatem super reliquum populum non temporalem, quia sic potestas Regia non fuisset distincta á sacerdotali. Ergo habebant potestatem spiritualem.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Qui habet claves, potest regnum cœlorum aperire. Sed sacerdos legalis non poterat cœlum aperire. Ergo non habebat claves.

Maior prob., quia claves ordinantur ad aperiendum regnum cœlorum.

Minor prob., quia cœlum non potuit aperiri ante Christi passionem.

2. Ministri sacramentorum per quæ non poterat cœlum aperiri, non habebant claves. Sed sacerdotes legales erant ministri sacramentorum quæ non poterant cœlum aperire. Ergo sacerdotes legales clavem non habuerunt.

Maior prob., quia ut dictum est, claves ad aperiendum cœlum ordinantur.

Minor prob., quia illa sacramenta non conferebant gratiam sine qua regnum cœlorum aperiri non potest.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod in veteri lege erant claves regni apud sacerdotes quia eis erat commissum imponere pœnam pro delictis, ut dicitur Levit. 5. quod ad claves videtur pertinere. Sed addunt, quod fuerunt tunc incompletæ, nunc autem per Christum in sacerdotibus novæ legis perfectæ sunt.

Reprobatio.

Sed hoc videtur esse contra intentionem apostoli in epist. ad Hebr. cap. 9. ubi sacerdotium Christi præfertur sacerdotio legali, per hoc quod « Christus « assistit Pontifex futurorum bonorum, « introducens per proprium sanginem in « tabernaculum non manufactum, in « quod non introducebat sacerdotium ve- « teris legis per sanguinem hircorum et « taurorum: » unde patet quod sacerdotii illius potestas non se extendebat ad cælestia, sed ad figuras cœlestium.

Vera sententia.

Conclusio. Sacerdotes legales non habebant claves, sed in eis figura clavium præcessit.

Hanc probant duo argumenta facta pro negativa, quia scilicet non poterant aperire cœlum; nec illa sacramenta gratiam conferebant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod clavis regni cœlestis consequitur ad sacerdotium, non quodcumque, sed illud per quod homo in cœlum introducitur: non autem tale erat sacerdotium Leviticum, et ideo legales sacerdotes non habuerunt claves cœli, sed solum claves terreni tabernaculi.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sacerdotes veteris legis habebant auctoritatem discernendi et judicandi, sed non ut admitteretur homo ab eis judicatus in cœlestia, sed tantum in figuras cœlestium.

Ad 3. Negatur minor: non enim habebant potestatem spiritualem, quia per sacramenta legalia non á culpis, sed ab irregularitatibus homines purgabantur, ut ad manufactum tabernaculum aditus, purgatis per eos, pateret: et in hoc eorum potestas á potestate Regia secernebatur.

ARTICULUS II.

Utrum Christus clavem habuerit.

Pro negativa. = Videtur quod Christus non habuerit clavem.

1. Qui habet clavem, habet etiam characterem. Sed Christus non habuit characterem. Ergo Christus non habuit clavem.

Maior prob., quia clavis characterem ordinis consequitur.

2. Christus habuit in sacramentis potestatem excelentiæ, ut effectum sacramenti sine sacramentibus posset conferre. Sed clavis est quoddam sacramentale. Ergo Christus non indigebat clavi, et sic frustra eam habuisset.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apocal. 3. dicitur, *hæc qui habet clavem David, etc.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Christus habet clavem.

Prob. Ille qui habet potestem aperiendi cœlum, habet clavem. Sed Christus habet potestatem aperiendi cœlum. Ergo Christus habet clavem.

Maior prob., quia clavis de ratione sua exprimit potestatem aperiendi et claudendi, sive aliquis aperiat ut principale agens, sive quasi minister.

Minor prob., quia in Christo est sacramentalis potestas; ut in agente ad salutem nostram: per auctoritatem quidem, in quantum est Deus; sed per meritum, in quantum est homo.

2.ª Conclusio. In Christo est clavis altiori modo quam sit in ejus ministris: unde dicitur clavis excellentiæ.

Manifestatur, quia virtus agendi aliquid est in instrumento et in agente, sed non eodem modo; sed in agente est perfectiori modo. Et quia virtus sacramentalis quam nos habemus, est instrumentalis, et in Christo est ut in agente principali; sequitur quod clavis Christi sit altior quam ea quam nos habemus. Nostra igitur est clavis ministerii, Christi vero clavis est excellentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior de eo qui habet clavem excellentiæ. Ad probationem dicitur, quod character de sua ratione dicit aliquid ab aliquo derivatum, et ideo potestas clavium, quæ in nobis á Christo derivata est, sequitur characterem quo Christo conformamur. In Christo vero non sequitur characterem, sed principalem formam.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod clavis quam Christus habuit, non erat sacramentalis, sed sacramentalis clavis principium.

ARTICULUS III.

Utrum soli sacerdotes claves habeant.

Pro negativa. = Videtur quod non soli sacerdotes claves habeant.

1. Illi qui inter bonos et malos habent judicium, et dignos recipiunt, et indignos rejiciunt, habent claves. Sed Ostiarii inter bonos et malos habent judicium, dignos recipiunt et indignos rejiciunt. Ergo etiam Ostiarii, et non soli sacerdotes, habent claves.

Maior prob., quia illa est definitio clavium, ut ex dictis patet.

Minor est Isidori libro 2. de Off. Eccles. cap. 14. et lib. 7. Etym. c. 12.

2. Qui habent divinitus potestatem super fidelem populum, et per unctio-

nem sanctificantur, habent claves. Sed reges habent divinitus potestatem super fidelem populum, et per unctionem sanctificantur. Ergo non soli sacerdotes, sed etiam reges habent claves.

Maior prob., quia claves sacerdotibus dantur, dum per unctionem potestatem divinitus accipiunt.

3. Sacerdotium est Ordo uni singulari personæ conveniens. Sed clavem aliquando videtur habere tota una congregatio. Ergo non soli sacerdotes clavem habent.

Minor prob., quia quædam capitula excommunicationem ferre possunt, quod ad potestatem clavium pertinet.

4. Mulier non est sacerdotalis ordinis susceptiva. Sed aliquæ mulieres videntur habere claves, sicut Abbatissæ, quæ habent spiritualem potestatem in subditas. Ergo habere claves non convenit tantum sacerdotibus.

Maior prob., quia *mulieri docere in Ecclesia non competit*, ut dicitur 1. ad Cor. 14.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ambrosius dicit in libro 1. de poenitentia cap. 2. *Hoc jus*, scilicet ligandi et solvendi, *solis sacerdotibus est concessum*.

2. Illi soli habent claves, qui sunt medii inter populum et Deum. Sed solis sacerdotibus competit hoc quod sint medii inter populum et Deum. Ergo soli sacerdotes habent claves.

Maior prob., quia per potestatem clavium efficitur aliquis medius inter populum et Deum.

Minor prob., quia *soli sacerdotes constituuntur in his quæ sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis*, ut dicitur ad Hebr. 5.

Determinatio.

Distinctio. Clavis est duplex: una, quæ se extendit ad ipsum coelum immediate, removendo impedimenta introitus in coelum per remissionem peccati; et hæc vocatur clavis ordinis: alia clavis est, quæ non directe se extendit ad ipsum coelum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad coelum vadit, dum per eam aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis, per excommunicationem et absolutionem: et hæc vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum: et hæc non proprie dicitur clavis coeli, sed quædam dispositio ad ipsam.

1.ª Conclusio. Clavem ordinis habent soli sacerdotes.

Manifestatur, quia ipsi soli ordinantur pro populo in his quæ sunt ad Deum directe.

2.ª Conclusio. Clavem jurisdictionis in foro causarum possunt habere etiam illi qui non sunt sacerdotes.

Manifestatur, quia hanc possunt habere Archidiaconi, et electi et alii qui excommunicare possunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de his qui propria auctoritate judicare possunt inter bonos et malos, et de his qui excludunt et admittunt ad regnum coelorum, non autem est vera de his qui alieno judicio obsequuntur, et admittunt solum ad materiale templum. Tunc ad minorem dicitur, quod Ostiarii habent clavem custodiendi ea quæ in templo materiali continentur, et habent judicium á tali templo excludendi et admittendi, non quidem sua auctoritate judicantes qui sint digni vel indigni, sed judicium sacerdotum exequentes, et sic quodammodo executores sacerdotalis potestatis videntur.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera, non de habente potestatem divinitus super fidelem populum quamcumque, nec de eo qui qualitercumque injungitur, sed sed solum de habente spiritualem potestatem, et per unctionem in aliquo sacro ordine consecratur. Tunc ad minorem

dicitur, quod reges non habent aliquam potestatem in spiritualibus, et ideo clavem regni coelestis non accipiunt; sed solum in temporalibus, quæ etiam nonnisi á Deo esse potest, ut patet ad Rom. 13. Nec per unctionem in aliquo sacro ordine consecrantur, sed excellentia potestatis ipsorum á Christo descendere significantur, et ut ipsi sub Christo in populo christiano regnent.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod communitas aliqua potest habere clavem jurisdictionis in foro causarum, ut dictum est: sicut enim dictum est libro 2. Polit. cap. 4. Quandoque Judex habet totam potestatem, sicut est est in regno. Quandoque autem multi in diversis officiis constituti, etiam ex æquo, ut dicitur 8. Ethic. cap. 10. Ita etiam in spiritualibus jurisdictio potest haberi ab uno solo, sicut ab Episcopo; et á pluribus imul, sicut á Capitulo.

Ad 4. Negatur minor; mulier enim secundum Apostolum 1. ad Cor. 11. et 14. est in statu subjectionis, et ideo non potest habere aliquam spiritualem jurisdictionem, quia etiam secundum Philosophum 8. Ethicorum cap. 10. corruptio est urbanitatis, quando dominium ad mulierem pervenit: unde mulier non habet clavem ordinis, nec clavem jurisdictionis. Ad probationem dicitur quod mulieri potest committi aliquis usus clavium, et sic committitur Abbatissæ actus correctionis in subditas sibi mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent.

ARTICULUS IV.

Utrum sancti homines non sacerdotes habeant claves, vel aliquem earum usum.

Pro affirmativa= Videtur quod etiam sancti homines non sacerdotes usum clavium habeant.

1. Illi qui maxime passioni Christi conformantur, possunt absolvere et ligare. Sed sancti homines, maxime Passioni Christi conformantur. Ergo sancti homines, etiamsi sacerdotes non sint, habent potestatem ligandi et solvendi.

Maior prob., quia absolutio et ligatio quæ fit per claves, efficaciam habent ex merito passionis Christi.

Minor prob., quia sancti homines per patientiam et alias virtutes Christum passum sequuntur.

2. Qui potest alios benedicere, habet usum clavium. Sed sancti homines possunt alios benedicere. Ergo sancti homines habent usum clavium.

Maior patet, quia absolutio quæ in usu clavium consistit, benedictione fit.

Minor prob. «Minus á meliore sine ulla contradictione benedicitur,» ut dicitur ad Hebr. 7. Sed sancti etiam non sacerdotes, sunt maiores non sancti sacerdotibus: «in spiritualibus «enim maius idem est quod melius.» ut Augustinus dicit libro 6. de Trinitate cap. 8. Ergo sancti homines possunt alios benedicere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

«Cujus est potentia, ejus est actio,» ut dicitur in libro de somno et vigil. cap. 1. Sed clavis quæ est potestas spiritualis, est tantum Sacerdotum. Ergo et usus ejus tantum sacerdotibus convenire potest.

Determinatio.

Conclusio. Sancti homines non sacerdotes non habent claves, nec earum usum.

Prob. Agens instrumentale non potest in affectum suum, ut est causa instrumentalis, nisi applicetur ad agendum á principali agente. Sed ministri clavium sunt instrumentales causæ ad causandum effectum clavium, et applicantur ad agendum per ordinis susceptionem. Ergo quantumque aliquis habeat de sanctitate, si ordine careat, nec claves, nec earum usum habere potest.

Maior manifestatur ex differentia quæ est inter agens per se, et agens instru-

mentale: agens enim per se, sive principale, et agens instrumentale in hoc differunt, quod agens instrumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis: Principale vero agens inducit in effectum propriam similitudinem, et ideo principale agens, ex hoc quod est principale agens, habet formam aliquam quam potest in alterum transfundere: agens autem instrumentale non habet formam quam in effectum cujus est causa instrumentalis possit inducere, nisi sit applicatum á principali agente ad effectum producendum: et sic patet maior.

Minor ostenditur, quia cum in actu clavium principale agens sit Christus, ut Deus per auctoritatem, et ut homo per meritum; ideo ex ipsa plenitudine divinæ bonitatis in eo, et ex perfectione gratiæ, sequitur quod possit in actum clavium: sed homo purus non potest in actum clavium sicut per se agens, quia nec ipse alteri gratiam qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri: et ideo non est nisi sicut agens instrumentale: unde et ille qui affectum clavium consequitur non assimilatur utenti clavibus, sed Christo: et propter hoc, quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad affectum clavium, nisi applicetur ad hoc quasi minister, per ordinis susceptionem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Ad hoc enim quod aliquis habeat usum clavium, non est necesse ut assimiletur Christo in eo per quod est causa effectus clavium, scilicet in gratia; sed sufficit quod aplicetur ad clavium ministerium. Sicut namque inter instrumentum et effectum qui est á causa instrumentali, non exigitur similitudo secundum convenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum; ita non requiritur hujusmodi similitudo inter instrumentum et principale agens. Sancti igitur homines non sacerdotes assimilantur Christi passioni magis quam sacerdotes minus sancti: quia tamen non deputantur Christi ministri per ordinem, eorum sanctitas eis clavium usum, nec claves confert.

Ad 2. Negatur minor, loquendo de benedictione, que est absolutio á peccatis. Ad probationem dicitur, quod etsi purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen unius meritum potest ad salutem alterius cooperari: et ideo duplex est benedictio. Una quæ est ab ipso homine puro, sicut merente per proptium actum (et talis benedictio potest fieri á quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam; et hæc benedictio requit maioritatem bonitatis, ad minus inquantum hujusmodi) Alia est benedictio, qua homo benedicit, ut applicans alicui instrumentaliter benedictionem quæ est ex merito Christi: et quantum ad hoc requiritur maioritas ordinis, et non virtutis.

ARTICULUS V.

Utrum mali sacerdotes usum clavium habeant.

Pro negativa. = Videtur quod mali sacerdotes usum clavium non habeant.

1. Habentes usum clavium, habent Spiritum Sanctum. Sed mali sacerdotes non habent Spiritum Sanctum. Ergo mali sacerdotes non habent usum clavium.

Maior prob., quia Joan. 20. ubi usus clavium Apostolis datur, Spiritus Sancti donum præmittitur, dum dicitur: « Accipite Spiritum Sanctum.»

2. Hostes Regis coelestis non habent usum clavium. Sed mali per peccatum sunt hostes coelestis regis. Ergo mali non habent usum clavium.

Maior prob., Nullus sapiens Rex dispensationem sui thesauri suo inimico committit. Sed usus clavium consistit in dispensatione thesauri cœlestis Regis, qui est ipsa sapientia. Ergo usus clavium malis non convenit.

3. Habentes usum clavium, possunt remittere peccata. Sed mali non possunt

remittere peccata. Ergo mali non habent usum clavium.

Maior prob., quia remissio peccatorum est usus clavium.

Minor probatur., quia libro 5. de baptismo contra donatistas cap. 21. dicit Augustinus quod «sacramentum gratiæ «dat Deus etiam per malos, ipsam vero «gratiam nonnisi per seipsum vel per «sanctos tuos; et ideo remissionem pec«catorum per seipsum facit, vel per ip«sius columbæ membra; peccatores autem «non sunt membra columbæ.»

4. Intercessio mali sacerdotis non habet aliquam efficaciam ad reconciliandum. Sed usus clavium fit per quamdam intercessionem, ut patet in forma absolutionis. Ergo malis sacerdotes non habent efficacem clavium usum.

Maior prob., quia Gregorius dicit in Pastorali part. 1. cap. 11. «Cum is qui »displicet, ad interpellandum mittitur, »irati animus ad deteriora provocatur.»

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si nullus posset uti clavibus in absolvendo, nisi existens in statu salutis, nullus sciret se esse absolutum: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia nullus potest scire de alio an sit in statu salutis.

2. Iniquitas ministri non potest auferre liberalitatem domini. Sed sacerdos est solum minister. Ergo non potest sua malitia donum á Deo transmissum nobis per eum auferre.

Determinatio.

Conclusio. Mali sacerdotes non privantur usu clavium per peccatum.

Prob. per remotionem formæ ab instrumento, quæ non facit ipsum instrumentum, non tollitur usus instrumenti. Sed Homo concurrit in usu clavium, ut instrumentum, et non constituitur in esse instrumenti per gratiam, sed per receptionem ordinis. Ergo remotio gratiæ per peccatum ab homine, non tollit usum clavium. Sicut igitur sacerdotes non constituuntur ministri clavium per gratiam et bonitatem vitæ, sed per ordinem quem receperunt; ita per eorum malitiam non privantur potestate clavium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de habentibus usum clavium congrue, non autem simpliciter: donum enim Spiritus Sancti exigitur ad usum clavium, non ut sine quo fieri non possit; sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis, quamvis subjiciens se clavibus, effectum clavium per tales etiam ministros consequatur.

Ad 2. Negatum maior. Ad probationem dicitur, quod est vera de rege terreno qui in thesauro suo defraudari et decipi potest, et ideo dispensationem ejus hosti non committit: rex autem cœlestis defraudari non potest, quia totum ad ipsius honorem cedit, etiam quod aliqui male clavibus utantur, quia novit ex malis eticere bona, et etiam per malos multa bona facere, propter quod non est simile de rege terreno et cœlesti.

Ad 3. Negatur minor: possunt enim etiam mali sacerdotes ex vi clavium ministerialiter peccata remittere. Ad probationem dicitur, quod Augustinus loquitur de remissione peccatorum, secundum quod sancti homines cooperantur ad ipsam, non ex vi clavium, sed ex merito congrui: et ideo dicit quod etiam per malos sacramenta ministrat, et inter alia sacramenta etiam absolutio, quæ est usus clavium, computari debet: sed per membra columbæ, idest per santos homines, facit Deus remissionem peccatorum, inquantum eorum intercessionibus peccata remittit. Vel dicendum quod Augustinus membra columbæ nominat, omnes ab Ecclesia non præcisos: qui enim ab eis sacramenta recipiunt, gratiam consequuntur; non autem qui recipiunt ab illis qui ab Ecclesia sunt præcisi; quia ex hoc ipso peccant, excepto baptismo quem in casu necessitatis licet etiam ab excommunicato recipere.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod intercessio quam sacerdos malus ex propria persona facit non habet efficaciam; sed illa quam facit ut minister Ecclesiæ, habet efficaciam ex merito Christi. Utroque tamen modo debet intercessio sacerdotis populo prodesse, et talis est intercessio boni sacerdotis.

ARTICULUS VI.

Utrum Schismatici, Hæretici, excommunicati, suspensi et degradati usum clavium habeant.

Pro affirmativa.=Videtur quod Schismatici, Hæretici, excommunicati, suspensi et degradati usum clavium habeant.

1. Sacerdos per excommunicationem, suspentionem et degradationem, non amittit potestatem conficiendi Eucharistiam, nec ejus usum: nam si conficiunt, confectum est, quamvis peccent conficientes. Ergo nec possunt amittere usum clavium.

Conseq. prob., quia sicut potestas conficiendi, ita et potestas clavium ab ordine dependet.

2. Omnis potestas spiritualis activa in eo qui habet usum liberi arbitrii, exit in actum quando vult. Sed potestas clavium, quæ spiritualis est, manet in prædictis sacerdotibus excommunicatis, etc. Ergo per hanc potestatem poterunt exire in actum, cum voluerint.

Minor prob., quia hæc potestas confertur per ordines tantum, et tamen prædicti cum ad Ecclesiam redeunt, non reordinantur.

3. Per culpam non impeditur aliquis ab usu clavium, ut articulo præcedenti dictum est. Ergo multo minus impeditur per excommunicationem et cætera prædicta, quæ sunt quædam poenæ.

Conseq. prob., quia spiritualis gratia magis impeditur per culpam quam per poenam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illi qui sunt ab unitate Ecclesiæ divisi, non habent usum clavium. Sed prædicti sunt ab unitate Ecclesiæ præcisi. Ergo non habent usum clavium in remittendis peccatis.

Maior prob., quia Augustinus dicit trac. 121. in Joan. quod *Ecclesia charitas, quæ facit Ecclesiæ unionem, peccata dimittit.*

2. Nullus absolvitur á peccato, secundùm hoc quod peccat. Sed aliquis á prædictis absolutionem peccatorum petens, peccat contra præceptum Ecclesiæ faciens. Ergo per eos á peccato absolvi non potest.

Determinatio.

Conclusio. In Schismaticis, Hæreticis, excommunicatis, suspensis et degradatis manet potestas clavium quantum ad essentiam: impeditur tamen usus ex defectu materiæ.

Manifestatur. Illi á quibus subtrahitur materia propria usus clavium, non habent usum clavium. Sed Ecclesia subtrahit á prædictis propriam materiam usus clavium. Ergo prædicti habent usum clavium.

Maior patet, quia non exercetur actus nisi in propria materia; non posset enim aliquis consecrare nisi adesset panis, nec baptizare nisi adesset homo baptiszandus et aqua, etc.

Minor prob. Nam usus clavium in utente requirit prælationem, respectu ejus in quem est usus: et ideo materia propria clavium est homo subditus: et quia per ordinationem Ecclesiæ unus alteri subditur, ideo etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subditus; et hoc facit Ecclesia cum prædictis quos privat, subtrahendo subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid; et ideo quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt usum clavium habere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod utraque potestas ab ordine dependet et ideo semper potestas ma-

net. Sed tamen, quia materia sacramenti Eucharistiæ non est homo, sed panis triticeus, et in baptismo homo simpliciter: sicut si subtraheretur ab hæretico panis triticeus, non posset conficere; ita per subtractionem prælationis non potest habere sacerdos usum clavium, quia subtrahitur ei materia talis usus. Potest tamen baptizare et conficere, et si ad sui damnationem.

Ad 2. Dicitur quod maior propositio habet veritatem, quando non deest materia, sicut deest supradictis.

Ad 3. Negatur consequentia: per culpam enim non subtrahitur materia, sicut fit per aliquam poenam. Unde poena non impedit per contrarietatem ad effectum inducendum; sed quia tollit materiam usus, ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 109.ª QUÆSTIONE.

Ex art 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito á scripturis, et á conciliis fuisse insinuatum, sacerdotem legalem non habuisse claves. A scripturis quidem insinuatum id fuit Galat. 3. *si data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia,* adjuncto illo capituli 2. *si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Subsume tu. Sed gratis, idest sine causa, Christus mortuus non est. Ergo ex lege non erat justitia, sive, quod in idem redit, lex non poterat vivificare. Secundum Apostolum igitur non poterant legalia sacramenta ex vi sua delere peccata, quod est spiritualiter vivicare, seu justificare, et consequenter sacerdos legalis non habebat claves regni, quibus per sacramenta peccatoribus adhibita á sacerdote delerentur ipsorum peccata. Idem ergo tandem est dicere, lex antiqua vivificare non potuit, seu per legem antiqua non potuit esse justitia: et dicere, sacerdos legalis non potuit regni coelorum habere claves. Plus ergo dixit Apostolus, quam quaerebamus. Ab eo siquidem audire quaerebamus, quod sacerdos legalis non habuit claves, et cum audivimus dicentem, quod non potuit habere claves, alioquin, si eas potuisset habere Christus gratis mortuus esset. Item Hebr. 9. " Quae parabola ese temporis instantis, juxta quam munera, et ostiae efferuntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis; usque ad tempus correctionis impositis. » Ecc- quod sacerdos legalis non mundabat conscientiam: sed tantum justitias carnis, idest, munditias exteriores operabatur, usque ad tempus correctionis impositas: et consequenter, quod non habebat claves, sed figuras clavium. Nam ideo dicit Apostolus, quod illae justitiae carnis erant impositae usque ad tempus correctionis, idest, figurabant fienda tempora novi testamenti, in quo omnia in melius corrigenda erant. Item ib. " sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.» Ecce, quod emundabant tantum exterius legalia secundum Apostolum. Item c. 8. "Si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus requireretur. Vituperans enim eos, dicit: ecce dies veniunt, dicit dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, etc. Hoc autem est testamentum, quod disponam domui Israel dando leges meas in mentem eorum, et in corda eorum superscribam eas, » etc. Ecce, quod secundum Apostolum legalis observantia non vacabat culpa, idest culpam interioris conscientiae ex vi sua non auferebat: et, quod testamentum novum, ad differentiam testamenti veteris dati patribus eorum interius operatur, utpote superscriptum in mentes, et in corda fidelium. Item ib. 7. " Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus, et inutilitatem. »

Vide, quod inutile dicitur mandatum legale non absolute, ad multa enim valebat; cum esset á Deo, qui docet nos utilia, sed comparative ad interiorem emundationem, quae novo testamento reservabatur. Hinc etiam mandatum illud vocatur carnale, in eodem cap. dicente: alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est. » Item á Concilio Trid. sess. 6. cap. 1. " omnes homines usque adeo servi erant peccati sub potestate Diaboli, ac mortis, ut non modo gentes, per viam naturæ, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari, aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, et inclinatum. » Ecce, quod legalia vi propria non tollebant culpam, et consequenter, quod sacerdos legalis non habebat claves. Item ab eodem ibidem can. 1. " Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo: anathema sit.» Ubi insinuatur idem, quod prius, ad quod juvat notare ly justificari coram Deo, quod sc. non sine causa additum est ly coram Deo. Item ab eodem sess. 7. can. 2. " Si quis dixerit, novae legis sacramenta á sacramentis antique legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus externi; anathema sit. Et can. 8. " Si quis dixerit: per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem promissionis ad gratiam consequendam sufficere anathema sit. » Ubi annotari videtur differentia inter legalia sacramenta et nova, ex eo, quod legalia ex opere operato, idest ex vi ipsorum sacramentorum operatorum, idest in opere positorum, non conferebant gratiam, sed ex opere operantis, idest per fidem devotam ipsius operantis respectu promissionis divinae habitam, sacramentis adhibitis, gratia infundebatur á Deo: et sacramenta nova ex ipso opere operato, idest vi sua, ipsam conferunt. Ex quo de sacerdote legali dic, ut supra ex Apostolo. Item á Concil. Florentin. sive ab Eugenio IV. eodem Concilio approbante, in Decreto Armenis dato, sic. " Novae legis sacramenta multum á sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam: sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Unde idem, quod prius, dic de sacerdote legali. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta praemissa tum scripturarum, tum patrum, pro quanto sacerdotem legalem insinuant non habuisse claves, et inteligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, Christum habere clavem. Ut Apocalyp. 3. " Haec dicit sanctus, et verus, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit.» Quasi exponat, quid sit illa clavis habita á sancto, et vero antonomastice, idest á Christo, dicit, qui aperit, etc. idest, qui rectum judicium infallibile habet in aperiendo, et claudendo. Et hoc est ad differentiam habentium clavem ministerialem, qui quandoque aperiunt, vel claudunt secundum propriam voluntatem, et non secundum instinctum Spiritus Sancti, contra determinata in quæst. 18. art. 4. Item Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. " Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico,» etc. Ecce quod Christus habet clavem, quia dimittuntur peccata, quæ non est clavis ministerialis, sed principalis. Si enim esset ministerialis, non posset per illam facere effectum sacramenti sine sacramento: cum tamen absque sacramento pœnitentiæ peccata tunc remittat. Item ad idem facit, quod habetur Luc. 7. de Chisto, qui dicit Magdalenæ ploranti: *remittuntur tibi peccata tua.* Remisit enim peccata sine sacramento poenitentiæ, quod non est clavis ministerialis, sed principalis, quamvis non sine poenitentia virtute. Poenituit enim Magdalenam suorum malefactorum, sine quà displicentia non ei remississet: in cujus signum Christus dixit: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* ostendens, quod dilectio Dei fuit radix poenitendi de malefactis. Item á Joan 8. idem insinuatum est, cum de Adultera, cui Christus simili modo peccata condonavit, locutus est. Item ab Evangelistis idem insinuatum est, quando de remissione

negationis commissæ á Petro mentionem fecerunt, in cujus tamen remissione sacramentum poenitentiæ non adduxerunt. Hinc apparent, quam deridendi sunt hæretici illi, atque ignorantiæ coarguendi, qui ex eo, quod videtur Christum dimittere peccata sine sacramento poenitentiæ, dicunt quod sacramentum hoc non est necessarium ad remissionem peccati. Dixissent saltem non esse necessarium ad remissionem peccati fiendam á Christo immediate: et bene dixissent. Cum vero á Christo ad ministros faciant transitum, contendentes, quod sine sacramento isto possunt sacerdotes ministri Christi remittere peccata, vel quod Christus non instituerit confessionem peccatorum necessariam, ad hoc, ut per ministros suos peccata hominibus condonaret, ignorantia maxima laborant, et tanta, quanta differentia est inter caput, et membra, seu inter habentem clavem excellentiæ, et habentem clavem ministerialem. Scripturæ siquidem adductæ non solum intendunt ostendere, quod Christus habet clavem, sed quod illam habet per excellentiam. Hinc apparet, quod, sicut impossibile est, alium præter Christum habere clavem excellentiæ; ita impossibile est, alium præter Christum posse remittere peccata absque sacramento poenitentiæ. Idem ergo erit tandem dicere, quod confessio peccatorum non est necessaria pro illorum remissione, et dicere, eatis immediate ad Christum, ut remmittat vobis peccata, et negare simul totum ordinem institutum á Christo pro remissione per suos ministros habenda, quod est plus, quam blasphemum, ut q. 6. in multis locis tex. et elucid. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta scripturarum, pro quanto Christum affirmant habere clavem, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* (Prat. Luther.) dicentis, absolvere potest, ubi non est sacerdos, æque quilibet christianus, etiamsi mulier, aut puer sit. Et nota, quod per ly æque intendit, quod æqualem potestatem cum Papa tunc habet mulier, et puer: quoniam tenet Lutherus quod in sacramento poenitentiæ, et remissione culpæ, non plus facit Papa, quam Episcopus, aut infimus sacerdos, ut patet in Bulla Papæ Leonis X. contra errores Lutheri. Sed de hoc, scilicet de majori posse Papæ super hos ratione reservationis casuum, alias supra dictum est, etiam per Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Item, illam Pauperum de Lugduno (ut refert Cardinalis Turrecremata de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium, se esse successores Apostolorum, et Apostolicam auctoritatem ligandi atque solvendi habere. Item hæresim eorumdem (Direct. Inquis. 2. par. quæst. 14.) dicentium, quod omnis vir, et omnis mulier, de eorum secta est vere sacerdos. Item hæresim aliam Lutheri (Prat. Lutherani, Bohemi, Jacob. præpositi) dicentis: Christianos omnes esse sacerdotes, et æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus differentia facta. Item hæresim novorum Manichæorum (Direct. Inquis. 2. par. quaest. 13.) dicentium, nec Papam, nec alium de Romana Ecclesia habere potestatem absolvendi aliquem á peccatis. Item hæresim quorumdam, ut refert Cardinalis Turrecremata de Ecclesia lib. 4. cap. 37. dicentium, quod omnis jurisdictionis auctoritas est omnino in ministris Ecclesiæ Romanæ evacuata: et in solis ipsis manet, sicut spiritualis vitæ sanctitas. Item similem hæresim Begardorum (Direct. Inquis. 2. par. quæst. 8.) dicentium, quod Ecclesiæ sacerdotes, aliique ministri, sic sunt jurisdictionis, et ordinis auctoritate deserti, ut nec sententiam ferre, nec sacramenta conficere, nec subjectum populum instruere valeant, vel docere; sed sunt privati omni Ecclesiastica potestate, nisi sint de eorum Begardorum secta, « apud quos solum, ajunt, sicut spiritualis vitæ sanctitas, sic ecclesiastica auctoritas perseverat. » Vigilantissime autem advertas tu, ne sacerdotis nomine intelligas id, quod dogmatizat Lutherus (referente Alphons. Castr. adv. hær. Ord.) dicens, quod sacerdos est tantum, qui Evangelium prædicat; ceteri vero æquivoce, ut homo pictus. Revera enim sacerdos est, qui habet characterem ordinis sacerdotalem, ut in præsenti art. dicitur; per cujus rationes confutantur errores omnes prædicti; sive prædicet Evangelium, sive non. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas hæreses merito damnari á,

etc. ut quæst. 8. art. 1. et 2. et 4. append. Item á, etc. ut quæst. 6. art. 2. et quæst. 8. art. 2. et quæst. 10. art. 3. append. Item á Concilio Trident. sess. 14. ca. 6. sic: " Circa ministrum hujus sacramenti poenitentiae declarat sancta Synodus, falsas esse, et á veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad aliosvis homines praeter episcopos, et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: quæcumque alligaveritis super terram, etc. et quaecumque solveritis, etc. et, quorum remiseritis peccata, etc. et, quorum retinueritis, etc. ad omnes Christi fideles indifferenter, et promiscue contra institutionem hujus sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correctionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuique factam. » Quid autem intelligat per sacerdotes (contra Lutherum supra) declarat cap. 1. sic: " Dominus sacramentum pœnitentiae instituit, cum á mortuis excitatus insufflavit in discipulos, dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, etc. Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit. » Ubi vides, quod per sacerdotes intelliguntur Apostoli, et eorum legitimi successores, idest legitime juxta Ecclesiae Apostolicae instituta ordinati in sacerdotium: ut sess. 23. cap. 14. de reform. et can. 4. 6. et 7. patet. Item damnat sess. 14. can. 10. " Si quis dixerit: non solos sacerdotes esse ministros absolutionis; sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: quaecumque alligaveritis, etc. et, quaecumque solveritis, etc. et, quorum remiseritis peccata, etc. et, quorum retinueritis, etc. anathema sit. » Item sess. 7. can. 10. de sacram. « Si quis dixerit: Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem. Anathema sit. » Ergo anathema est attribuens potestatem laicis administrandi absolutionem, et sicut potestatem in aliis sacramentis, excepto baptismo in casu necessitatis. Item sess. 23. cap. 4. " Quoniam in sacramento Ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta Synodus damnata eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. » Ergo (contra Luth.) patet, quod sacerdos non constituitur in esse sacerdotis per praedicare Evangelium, neque non est sacerdos per non praedicare, sed per esse, vel non esse rite ordinatum. Item infra Concil. idem: " quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est, ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. » Vide Roffensem contra assertiones Lutheri art. 13. Item damn. á Papa Leone X. in Bulla contra errores Lutheri, cujus damnationis particulam vide quaest. 1. art. 1. app. et 3. par. quaest. 68. art. 9. Item Manichaeorum praedictorum secta damnata est per sanctam Romanam Ecclesiam in Decr. 24. quaest. 3. cap. Quidam. Item pauperes de Lugduno, qui et Waldenses, et Inzabbati vocantur, damnantur á Papa Gregorio IX. extr. de haeret. cap. Excommunicamus 2. Ibi enim dicitur: " excommunicamus, et anathematizamus omnes haereticos, Chatharos, Patharenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Analdistas, Spronistas, » etc. Item damnantur Begardi á Papa Joanne XXII. in extr. Sancta Romana, atque universalis Ecclesia, sic: " Nonnulli prophanae multitudinis viri, qui vulgariter Fraticelli, seu fratres de paupere vita, ac Bizochi, sive Beguini, vel aliis nominibus nuncupantur, etc. de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica nullius fuisse, et esse decernimus firmitatis, et quatenus de facto processerunt, de consilio, et auctoritate praemissis revocamus omnino, et perpetuae prohibitioni subjicimus, et ab Ecclesia Dei penitus habolemus. *Qui etiam Pontifex in extravaganti,* gloriosam Ecclesiam, *cum specialim errorem prædictum recensuit, mox*

subjungit hæc: In qua re donatistarum sequuntur errorem, qui olim facto schismate ab unitate Ecclesiae recedentes, ita in sua secta Dei gratiam dixerunt esse restrictam, ut nullus eam recipere esset idoneus, qui non foret ipsorum scelere maculatus. *Item damnatum, in quantum impetit Ecclesiam Romanam, á* Nicolao I. *in epistola ad Michaelem Imperatorem de potestate, ac dignitate Apostolicæ Sedis, sic inter alia disserente*: privilegia istius Sedis, vel Ecclesiae Romanae perpetua sunt, divinitus radicata, atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante Imperium vestrum fuerunt, et permanent (Deo gratias) hactenus illibata, manebuntque post vos, et, quousque christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Item á Leone Papa IX. in epist. advers. praesumpt. Michael. et Leon. Archiepiscop. Romanae Ecclesiae fides per Petrum super Petram aedificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in saecula, Christo ejus Domino rogante pro eo, ut testatur sub ipsa passione sua: ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quo dicto demonstravit, fidem fratrum vario defectu periclitandam: sed in concussa, et indeficiente fide Petri, velut firmae anchorae subsidio, figendam, et in fundamento universalis Ecclesiae confirmandam. Quod nemo negat, nisi, qui ex ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro, et successoribus ejus totius Ecclesiae deponitur emolumentum. Et, sicut cardo immobilis permanens ducit, et reducit ostium: sic Petrus, et sui succesores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum: quia summa sedes á nemine judicatur. Unde clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utrique illi, quo caetera moventur, vicinius adhaerentes. Haec ibi cap. 32. Qui et supra cap. 7. dixerat, Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem Christi, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne á sede principiis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos reprobata, et convicta, atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata? Et epistol. ad Petrum Episc Antioch. Quae venerabilis, et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius, usque in soeculum soeculi: sed corfirmavit corda fratrum variis concutienda fidei periclinationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.» De indefectibilitate fidei, etiam tempore Antichristi, vide compend. Alberti Magni lib. 7. cap. 7. schol. Plures adductae sunt Patrum auctoritates, ut, multis haeresibus præadductis, secundum quod diversae diversis respondent, partes applices (quod et semper ubique facere debes, quando multis erroribus multae veritates succedunt) absque alia communione. *Tertio* habes: quomodo per rationem supradicta Patrum, pro quanto solos sacerdotes habere claves ordinis, eosque (licet non solos) accedente superiorum auctoritate jurisdictionis etiam, dicunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses quorumdam, ut refert Cardinalis Turrecremata, de Eccles. lib. 2. cap. 71. dicentium, quod clavium potestatem habent omnes homines boni. Item Pauperum de Lugduno, ut habet Summa fratris Yconeti in Bibliotheca Vaticana Romæ manuscripta, dicentium, quod absolvere potest, et penitentiam injungere quilibet laicus bonus, et sciens. Item eorumdem, Direct. Inquisit. 2. par. qu. 14. dicentium, quod quilibet laicus, sive sit vir, sive mulier, dum tamen sit de secta ipsorum, potest vere consecrare, et conficere corpus Christi. Ex hoc enim sequitur patenter, quod poterant, secundum eos, ligare, et solvere, quoniam posse super corpus Christi mysticum dependet ex potestate, quæ habetur super corpus Christi verum, ut supra qu. 17. art. 3. ad 3. Item eorumdem, et clarius, Directo. ibi, dicentium, quod ipsi Waldenses quantumcumque sint illiterati, nec ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ ad sacrum aliquem ordinem promoti, tam viri, quam mulieres, habet potestatem á Deo solo, sicut Apostoli habue-

runt, audiendi confessiones in foro pœnitentiali virorum, et mulierum, et pœnitentias injungendi etiam salutares. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas hæreses merito damnari á, etc. ut art. 3. ad longum in elucid. Item á constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 31. auctore Papa Clemente I. et martyre, sic. « Laicus omnis sine sacerdote perficiens aliquid frustra facit, et ut Ozaias-Rex, cum non esset sacerdos, et sacerdotum sacra administrasset, in lepram incidit propter iniquitatem, sic omnis laicus non effugiet supplicium, si honorem sibi sacerdotum arrogaverit, non imitatus Christum, qui non ipse se glorificavit ut fieret sacerdos, sed expectavit, ut á patre audiret: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quod si sine patre Christus ipse se non glorificat, quomodo fieri potest, ut homo ipse se in sacerdotium projiciat, non accepta dignitate, et ea faciat, quæ solis licita sunt sacerdotibus? Nonne Choritæ, quamquam de Tribu Levi erant, incendio consumpti sunt, cum in Moysen, et in Aaron insultassent: et de iis, quæ ad se non spectabant, pugnassent? Et Dathan, et Abiron vivi in infernum descenderunt, et virga, cum germinasset, multorum insaniam compressit, et á Deo Pontificem institutum indicavit. Hæc ibi, ex 1. tom. Concilior. Item á Synodo 8. generali, actione 7. sic. Vobis laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, nullo modo licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, et universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, et quærere, Patriarcharum, Pontificum, et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, et ligandi potestatem habent; qui ecclesiasticas, et cœlestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel á ligamento solvi egemus: quantæcumque enim religionis, et sapientiæ laicus existat, vel, etiamsi universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet, etc. Oportet, nos ergo cum timore, et fide sincera hos audire, et facies eorum vereri, cum sint ministri omnipotentis, et nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem, ut videmus, adeo multos malitia in insaniam accendit; ut obliviscentes proprii ordinis, et, quod pedes sint, minime cogitantes, legem ponere velint oculis, etc. Moneo, et exhortor omnes, qui tales sunt, ut judicare judices desinentes, attendant sibi; et secundum divinam voluntatem conversari contendant. Nam non quiescet supernum judicium, sed contra diffidentes divinus furor stillabit, et justam ultionem opere cunctis ostendet. » Hæc idem Imperator Basilius, cujus verba sancta Synodus approbavit dicens. " Omnibus placent, quæ lecta sunt, omnes iisdem ipsis concordamus, omnes libenter subscribimus. » Ecce, quod laici, quantumcumque boni, et scientes, non habent claves; sed sunt oves, et inter oves pedibus assimilatur; attestante hoc etiam, et inter illos quoad hoc se connumerante Imperatore Basilio, adeo veritas prævalet. Item á Beato Petro Apostolo, ut habetur in epist. 1. Clementis Papæ I. ad Jacobum fratrem Domini sic. " Similis est status omnis Ecclesiæ magnæ navi quæ per undosum pelagus viros portat ad unam potentis regni urbem properare cupientes, etc Proretæ officium Episcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, epibatis autem totius fraternitatis multitudo similis sit, etc. Sed ante omnia cum quiete, et silentio epibatæ, idest laici, in suis unusquisque resideant locis. Ne forte per inquietudinem, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediant, vel, etc. Presbyteri, velut nautæ, aptent singula ad instructionem navis diligenter, et instruant, quæ in suo tempore requirenda sunt. *Ubi vides, presbyteros a laicis sub exemplo navigantium valde secorni.* Item á Synodo Simmachi Papæ: Laicis, quamvis religiosis, nulla de Ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas. Et recitantur 16. qu. 7. Laicis. Item á Concilio Bracharensi 1. can. 31. Ingredi sacrarium ad communicandum non liceat laicis, sed tantum clericis, et can. 38. Ex laico ad gradum sacerdotii ante nemo veniat, nisi anno integro prius in lectorum officio, vel diaconatus disciplinam Ecclesiasticam discat, et sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat.» Unde patet á fortiori, quod laici etiam digne communicaturi non sunt sacerdotes im-

mo neque clerici, et, quod multis gradibus á sacerdotio distant. *Tertio* habes: quomodo per rationem supradictam, pro quanto laicos, bonos etiam, non habere claves decernunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Valdensium* (Prat. Pauperes de Lugduno, et Card. Turrecrem. de Ecclesia lib. 1. c. 100.) dicentium, quod sacerdotibus illis tantum concessa est potestas ligandi, atque solvendi, qui vita, et doctrina pollent; sicut Apostoli. Et eorumdem, ac Begardorum (Direct. inqu. 2. par. qu. 14. 16. 18.) dicentium, sacerdotes rite, et legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere, vel conferre Ecclesiastica sacramenta. Et eorumdem (ut in Summa Fratris Yconeti in *Bibliotheca Vaticana Romae manuscripta*) dicentium, absolvere, et ligare non potest sacerdos peccator, cum sit ipse ligatus. Nota tu, in hac hæresi sumitur ly ligatus pro esse in mortali tantum; non ut in appen. seq. art. Et Joannis Huss (ut refertur in Concilio Constantiensi loco citando infra) dicentis, quod sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii polluunt dignitatem: et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, et de censuris. Item hæresim Donatistarum (Prat. Donatistæ) dicentium: sacerdotum malorum, aut impurorum sacramenta nulla esse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas merito damnari á Papa Leone IX. in epist. adver. præsumpt. Michael, et Leon. archiep. c. 34. « Cur hoc? nisi quia quicumque sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio? Nec potest denegari pro merito, quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si majus, aut minus fieret secundum humanorum varietatem meritorum essentque pene tot sacerdotia, quot homines. Item á Concil. Trid. sess. 7. can. 12. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit. Item ab eodem, sess. 14. cap. 6. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tamquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. » Ex quo etiam (quia scilicet virtute Spiritus Sancti, et ut ministri Christi, operantur) et multis aliis locis passim sessionis ejusdem contunditur impiissima hæresis Sectariorum (Prat. Sectarii) dicentium, sacerdotes membra Satanæ esse. Contra hoc est etiam articuli littera ex Augustino, ubi in ad 3. sacerdotes etiam mali, vocantur membra columbæ. Item ab eodem, sess. ead. ca. 20. " Si quis dixerit, sacerdotes, qui in mortali peccato sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere: anathema sit. Item á Nicolao Papa ad consulta Bulgarorum, sic: non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt: qualiscumque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, quousque judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est: quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat: et, unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. » Hæc ibi; et recitantur 15. q. 8. 8. cap. fin. Item á damnantibus Waldenses, de quorum damnatione habes supra art. 4. append. sub nomine Pauperes de Lugduno. Item á damnantibus Begardos, de quorum damnatione habes ibid. Item á Concilio Constantiensi sess. 15. ubi hæresis ipsius Joannis Huss reposita octavo loco damnatur simul cum aliis viginti novem: quin et damnatur ipsemet Joannes similibus verbis: " Hæc sancta Synodus præfatos articulos examinari fecit, et sæpius recenseri, quibus examinatis, fuit repertum, plures ex ipsis esse notorie hæreticos, et á sanctis Patribus reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, et blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, et seditiosos; idcirco hoc sacrum Concilium

Constantiense eumdem Joannem Huss pertinacem, et incorrigibilem, et hæreses, ac errores per eum publice defensatos: et publicatos nolentem abjurare, ab ordine sacerdotali, et aliis ordinibus, quibus existit insignitus, deponendum, et degradandum fore declarat: et attento, quod Ecclesia Dei non habet ultra, quid agere valeat, judicio sæculari relinquere, et ipsum curiæ sæculari relinquendum fore decernit. Hæc sententialiter ibi. Item á, etc. ut infra qu. 26. art. 4. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem supra dicta Patrum, pro quanto malos sacerdotes statuunt usum clavium non amittere, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Conciliis, quod excommunicati, etc. non amittunt claves, sed usum. Ut á Concilio Trident. sess. 7. cano. 9. " Si quis dixerit, in ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile: anathema sit. » Item á Concil. Florent. seu ab Eugenio IV. sacro illo approbante Concilio in decreto Armenis dato, sic " Ordo characterem, idest spirituale quoddam signum á cæteris distinctivum imprimit in anima indelibele." Item á Conc. Trid· sess. 25, cap. 3. de reform. "Excommunicatus vero quicumque ad sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur." Et, quia loquitur de excommunicatione majori, intelligit, quod non recipiatur ad sacramenta, nec etiam active, hoc est quod amittat usum clavium, secundum quod et magis apparebit per subsequentes canones. Item ab Alexandro II. qui scribit Valeriano Episcopo, et martyri sic. " Audivimus, quod hæreticus Ravennas dictus Archiepiscopus visus sit te excommunicare: verum, quia excommunicatus te excommunicare non potuit, apostolica auctoritate te, tuosque absolvendæ mandamus exinde numquam curare. » Nec te moveat ly absolvendo, quasi quod absolvat eum, quem non ligatum pronunciavit: quoniam hic manifeste sumitur ly absolvendo pro non ligatos ostendendo (ut etiam glosa ibi dicit.) Item ab eodem ibi. " Si ex corde suo nova hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia nec potest dejicere quemquam jam prostratus veris, scilicet catholicis, falsis idest per sententiam damnatis. Ligandi namque, vel solvendi veris non falsis sacerdotibus á Domino tradita est potestas. Apostolis enim dicturus. Quorum remiseritis peccata, etc. præmisit: accipite Spiritum Sanctum, ut evidenter cunctis ostenderet, eum, qui Spiritum Sanctum non habet, peccata non posse tenere, vel remittere. Porro Spiritum Sanctum nemo habet, nisi intra Ecclesiam: quia et ipsam unitatem per gratiam facit. Unde non nisi congregatis in unum dictum est, accipite Spiritum Sanctum, nec nisi super congregatos in unum die Pentecostes descendit Spiritus Sanctus: sicut autem extra Ecclesiam non accipitur, ita extra eam nihil operatur, etc. Et iterum: ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, nimirum cunctis ostendens se non habitare in cordibus eorum; qui superbiæ singularitatem secuti, á corporis Christi compage semetipsos abrumpunt, etc. Cum ergo peccata dimittere, vel tenere, excommunicare, vel reconciliare, opus sit Spiritus Santi et virtus Christi, apparet, quod hi, qui extra Ecclesiam sunt, nec ligare possunt, nec solvere. » Ex quo patet, schismaticos, hæreticosque clavium usu carere. Notabis pro supra, et infra, quod esse prostratum, vel remotum, vel dejectum non sumitur hic pro esse in peccato mortali tantum, sed etiam, secundum quod materia exigit, ita, quod dicatur. Non potest dejicere jam prostratus, jam dejectus, jam remotus, scilicet per excommunicationem, vel haeresim, vel schisma, vel degradationem. Item ab eodem ibidem. " Petro pro omnibus, et præ omnibus claves regni coelorum se daturum promisit dicens: tibi dabo claves regni cœlorum. Quicumque ergo ab unitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, consecrare non valet, excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet. » Haec ibi, et recitantur 24. q. 1. Item á Leone Papa sic. *Nihil erit ligatum, vel solutum, nisi quod B. Petrus; aut ligaverit, aut solverit.* Haec ibi: et eadem quaest. recitantur. Ubi ly Petrus sumitur pro auctoritate Petri: á quo videlicet in omnes sacerdotes catholicos (ut alias notatum est) derivatur. Item

á Nicolao Papa ad clerum Constantinopolitano. Aperte sedis nostrae sanxit auctoritas, nullum, sive episcopum, sive clericum, sive professione aliqua Christianum, qui á Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia praedicare coeperunt, vel communione, vel loco suo dejecti sunt, vel ejectum vel excommunicatum videri: quia neminem removere poterant, qui fuerant olim remoti, nec dejicere quemquam jam ante prostrati. » Haec ibi: et ead. quaestione recitantur. Item ab eodem in ead. quaestione. " Miramur, quomodo excommunicati ad judicandum recepti sunt, etc. aliud est potestas officii, aliud executio. Plerumque officii potestas vel accipitur in sacerdotali unctione, vel accepta sine sui executione retinetur: veluti á suspensis, quibus administratio interdicitur, potestas non aufertur. » Ubi cum excommunicati, haeretici, et schismatici sint suspensi, patet, quod secundum Papam carent executione ligandi et solvendi. Ex quibus manifestum est, quam damnandi sint illi haeretici, qui (ut in Director. Inquis. 2. p. q. 10.) impiissime mentiti sunt, dicentes: quod Apostoli omnes Angeli, et beati sunt schismatici, et quod schismaticum esse perfectius est, quam esse catholicum. Consequenter ergo vides, quam justissime Gregorius Papa XI. illos articulos, ut vere haereticales, publice condemnavit, eosque comburi, mandavit, et sic factum est (ut ibi in Directo.) damnatae enim jam olim fuerant praedictae infernales haereses ab Apostolo 1. cor. 1. obsecro vos per nomen Domini nostri Jesum Christi: ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, et ib. 12. Deus temperavit corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem; ut non sit schisma in corpore. » Quasi dicat, si Deus abhorret schisma in corpore nostro naturali: utique et multo magis abhorrebit illud in corpore suo mystico. Item á militibus etiam de veste Christi Ecclesiam significante, dicentibus Joan. 19. Non scindamus eam. Item á Psal. 67. Deus, qui habitare facit, unius moris in domo. » Item á Christo Jo. 13. " In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem. » Item ab eod. 17. " Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturí sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, etc. in nobis unum sint, etc. ut sint unum, sicut et nos unum sumus, etc. sint consummati in unum. » Vides, quantum et quoties Christus abhorret schisma, á suisque intensissima oratione arcet. Item á Deo num. 16. quando videlicet Dathan. et Abiron schisma in populo commoventes, terra eos deglutiente, vivos in infernum detrusit. De qua justissima, et horrendissima ad schismaticorum omnium exemplum, et emendationem, pœna mentionem quoque fecit Ps. 105. et Eccles. 45. et nota: quod etiam illorum complices poenam eamdem sustinuerunt. *Secundo* habes: quomodo praemisa Patrum dicta, pro quanto haereticos, schismaticos, et excommunicatos, usu clavium carere dicunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA,

DE HIS IN QUOS USUS CLAVIUM EXERCERI POTEST, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his in quos usus clavium exerceri potest.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum sacerdos possit in quemlibet hominem uti clave, quam habet.

Secundo, utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.

Tertio, utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem.

ARTICULUS I.

Utrum sacerdos possit uti clave, quam habet, in quemlibet hominem.

Pro affirmativa. = Videtur, quod

sacerdos possit uti clave quam habet, in quemlibet hominem.

1. Potestas clavium in sacerdote descendit ex illa divina auctorite, qua Dominus dixit: « accipite Spiritum Sanctum « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Joan. 20. quod est indeterminate dictum. Ergo habens clavem indeterminate, potest ea uti in quoslibet.

2. Clavis corporalis quæ aperit unam seram, aperit omnes alias seras ejusdem modi. Sed omne peccatum cujuscumque hominis, est obstaculum ejusdem rationis respectu introitus cœli. Ergo si sacerdos potest per clavem quam habet, absolvere unum hominem, poterit quoslibet alios absolvere.

3. Sacerdos veteris testamenti poterat uti sua potestate, quam habebat, discernendi inter lepram et lepram, indifferenter in omnes. Ergo multo fortius sacerdos evangelicus potest uti sua potestate in omnes.

Conseq. prob., quia sacerdotium novi testamenti est perfectius quam sacerdotium veteris testamenti.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Decret. 16. quæst. 1. c. 19. Adjicimus, dicitur: « Nulli sacerdoti li« ceat parochianum alterius absolvere, « aut ligare. » Ergo non quilibet sacerdos potest quemlibet absolvere.

2. In judicio temporali non potest quilibet judex quemlibet judicare. Ergo nec in judicio spirituali quod in usu clavium consistit, potest quibet sacerdos sua clave in quemlibet uti.

Conseq. prob., quia judicium spirituale debet esse ordinarius, quam temporale.

Determinatio.

Conclusio. Summus Pontifex potest uti clave in quoslibet, cæteri autem Episcopi et sacerdotes non possunt ea uti in quoslibet, sed tantum in eos qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, in quo quilibet habens clavem in quoslibet uti potest.

Prob. Ille qui habet spiritualem potestatem indistincte super omnes, potest uti clave in quoslibet; qui vero non habet potestatem super omnes, sed super aliquos tantum, non potest uti clave in omnes; sed solum super eos in quos potestatem accepit. Sed summus Pontifex habet potestatem spiritualem super omnes indistincte, cæteri autem Episcopi, et sacerdotes non habent spiritualem potestatem super omnes; sed super aliquos determinate. Ergo summus Pontifex potest uti clave in omes indistincte coeteri autem in eos tantum qui eis in sortem venerunt.

Maior prob., quia usus clavium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem usus clavium exercetur, efficitur materia propria illius actus. Ergo ille qui habet indistinctam spiritualem potestatem super omnes, in omnes clavibus uti potest. Qui vero super aliquos particulares habet potestatem, super eos tantum utitur clave.

Minor manifestatur: nam ea quæ circa singularia operari oportet, non eodem modo omnibus competunt. Unde sicut præter generalia medicinæ præcepta, oportet adhiberi medicos, quibus præcepta universalia medicinæ singulis infirmis, secundum quod debent, aptentur: ita in quolibet principatu, præter illum qui universalia præcepta legis tradit, oportet esse aliquos qui ea singulis, secundum quod expedit, adaptent. Et propter hoc etiam in cœlesti hierarquia, sub Potestatibus quæ indistincte præsunt, preponuntur Principatus qui singulis provinciis distribuuntur, et sub his Angeli qui singulis hominibus ad custodiam deputantur, ut patet ex his quæ in prima parte quæst. 108. art, 5. et 6 dicta sunt. Sic et in Ecclesia militante prælatio se habere debet, ut apud aliquem esset potestas indistincte in omnes, et hæc est potestas summi Pontificis, et

sub hoc essent alii qui super diversos diversam, et distinctam potestatem acciperent, ut Episcopi super diœcesanos, et parochi super parochianos.

Ultima conclusionis pars, scilicet quod in casu necessitatis, quilibet sacerdos habens clavem, in quoslibet ea uti possit, ostenditur, quia in articulo necessitatis nemini sunt sacramenta deneganda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ad absolutionem á peccato, requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, et potestas jurisdictionis; prima potestas est æqualiter in omnibus sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo, ubi Dominus Joan. 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quæ consequitur ordinem, unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata, Matth. 16. ut intelligatur quod ipse præ aliis habet potestatem jurisdictionis: Potestas ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos, et ideo indeterminate Dominus dicit: quorum remiseritis peccata; inteligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet, præsupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod clavis materialis non potest aperire nisi seram propriam, et virtus activa non potest agere, nisi in propriam materiam; et quia propria materia potestatis ordinis efficitur aliquis per jurisdictionem, ideo non potest aliquis uti clave in eum, in quem ei jurisdictio non datur.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio in proposito de sacerdotio veteris testamenti, et novi. Populus namque Israel erat unus populus, et unum tantummodo templum habebat, unde non oportebat sacerdotum jurisdictiones distingui, sicut nunc oportet in Ecclesia, in qua congregantur diversi populi et nationes.

ARTICULUS II.

Utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.

Pro negativa.==Videtur, quod sacerdos non possit semper suum subditum absolvere.

1. Nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis ab illis sit quæ in aliis vindicat, ut dicit August. in lib. de ver. et fal poenit. c. 20. Sed quandoque contingit quod sacerdos est particeps criminis quod subditus suus commissit: sicut quando mulierem subditam cognovit. Ergo videtur quod non semper possit in suos subditos, potestate clavium uti.

2. Per potestatem clavium, homo ab omnibus defectibus curatur. Sed quandoque alicui peccato annexus est irregularitatis defectus, vel excommunicationis sentencia, á qua simplex sacerdos absolvere no potest. Ergo videtur quod non possit uti clavium potestate in illos qui talibus sunt irretiti vinculis.

3. Minoribus judicibus, secundum legem veterem, non omnia competebat discutere; sed ad superiores remittebantur, ut dicitur Exod. 24. Ergo videtur quod non quilibet sacerdos novæ legis, de gravibus peccatis possit subditum suum absolvere; sed debeat ad superiorem remittere.

Consequentia prob., quia sacerdotii nostri judicium, et potestas per judicium veteris sacerdotii figuratur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cuicumque committitur principale, committitur etiam accessorium. Sed sacerdotibus committitur dispensatio Eucharistiæ subditis, ad quam dispensationem ordinatur absolutio á quibuscumque peccatis. Ergo sacerdos potest ab omnibus peccatis subditum absolvere, quantum est de clavium potestate.

2. Gratia quantumcumque parva sit, omne peccatum tollit. Sed sacerdos suæa

menta dispensat, quibus gratia datur. Ergo quantum est de potestate clavium, de omnibus peccatis absolvere potest.

Determinatio.

Conclusio. Simplex sacerdos habens jurisdictionem, potest absolvere á quolibet peccato, exceptis his quæ sibi superior reservat.

Probatur. Et quamtum ad primam partem, quia potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda. Unde quilibet sacerdos, si cum ordine habeat jurisdictionem, per quam datur propria materia usus clavium, potest á quolibet peccato absolvere.

Altera vero pars prob. Quia jurisdictio quæ ad usum potestatis clavium requiritur, á maioribus in inferiores descendit: et ideo potest superior aliqua sibi reservare, de quibus inferiori judicium non committat.

Declaratur conclusio, quoad secundam partem. Nam sunt quinque casus, in quibus oportet quod simplex sacerdos poenitentem ad superiorem remittat. Primus est, quando solemnis poenitentia est imponenda, quia ejus proprius minister est Episcopus. Secundus est de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absolvere, utpote quando excommunicatio, qua est innodatus, est á superiore lata. Tertius, quando invenit irregularitatem contractam, pro cujus dispensatione debeat ad superiorem remittere. Quartus, de incendiariis. Quintus, quando sat consuetudo in aliquo episcopatu quod alia enormia crimina ad terrorem reserventur Episcopo. Quia consuetudo dat, vel aufert in talibus potestatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod in tali casu, nec sacerdos debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato; sed debet ad alium mittere: nec illa debet ei confiteri; sed debet petere licentiam eundi ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret; et hoc tum propter periculum, tum quia est minor verecundia. Si tamen absolveret, absoluta esset. Quod autem Aug. dicit quod sacerdos debet esse immunis ab eodem crimine, intelligendum est secundum congruitatem, non secundum necessitatem sacramenti.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod pœnitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus poenæ, quia adhuc post peractam poenitentiam de homicidio, aliquis remanet irregularis; unde sacerdos potest de crimine absolvere; et pro amovenda poena debet ad superiorem remittere, nisi in excommunicatione; quia absolutio ab ipsa debet præcedere absolutionem á peccato quia quandiu aliquis est excommunicatus, non potest recipere aliquod Ecclesiæ sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod nec etiam sacerdotibus inferioribus novæ legis competit omnia discutere, quia superiores possunt sibi aliquia reservare, quorum judicium inferioribus non committant.

ARTICULUS III.

Utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem.

Pro negativa. — Videtur quod aliquis non possit uti clavibus in suum superiorem.

1. Actus quibet sacramentalis requirit propriam materiam. Sed superior non est propia usus clavium materia. Ergo non potest aliquis in suum superiorem uti clavibus.

Minor prob., quia propria materia usus clavium est persona subjecta.

2. In coelesti Ecclesia inferior Angelus numquam purgat, aut illuminat, aut perficit superiorem. Ergo nec aliquis inferior sacerdos potest uti actione Hierarchica quæ est per absolutionem, in superiorem.

Conseq. prob., quia Ecclesia militans imitatur triumphantem.

3. In exteriori foro inferior non po-

test excommunicare, aut absolvere superiorem. Ergo videtur quod nec in foro poenitentiali possit hoc fieri.

Conseq. prob., quia judicium poenitentiæ debet esse ordinatius, quam judicium exterioris fori.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Contingit superiorem prælatum peccare, et non potest in seipsum uti clave, cujus potestas est peccati remedium. Ergo potest inferior potestate clavis in ipsum uti.

Antecedens quoad priorem partem ostenditur. Quia et ipse circumdatus est infirmitate. Quod ad aliam partem, quia superior non potest esse simul judex, et reus.

2. Inferior potest dispensare Eucharistiam superiori, si petat. Ergo potest etiam potestate clavium in ipsum uti, si se ei subjecerit.

Conseq. prob., quia absolutio quæ fit per virtutem clavium, ordinatur ad perceptionem Eucharistiæ.

Determinatio.

Conclusio. Aliquis inferior potest uti clave in suum superiorem.

Manifestatur. Superior prælatus potest dare inferiori potestatem utendi clavibus in se ipsum. Ergo tunc inferior in superiorem suum potest uti clave.

Antecedens ostenditur: Nam potestas clavium, quantum est de se, extendit se ad omnes; sed quod in aliquem non possit sacerdos potestate clavium uti, contingit ex hoc, quod ejus potestas est ad aliquos per superiorem specialiter limitata. Unde ille qui limitavit, potest eam extendere in quem voluerit, ac per hoc potest dare ei potestatem, ut inferior in ipsum superiorem clave utatur. Non enim potest superior ea uti in se ipsum, quia ipse sibi ipsi subjectus esse non potest. Quæ ratio est prima inducta pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod quamvis Episcopus, quem simplex sacerdos absolvit, sit superior eo simpliciter, est tamen inferior eo, inquantum ei se ut peccatorem subjicit.

Ad 2. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de Angelis superioribus et inferioribus ex una parte, et de Prælatis et simplicibus sacerdotibus ex altera. Non potest enim in Angelis accidere defectus, ratione cujus superiores suis inferioribus subdantur, sicut accidit in hominibus, et ideo non est eadem utrorumque ratio.

Ad 3. Negatur consequentia. Judicium enim exterius est secundum homines, sed judicium confessionis est, quo ad Deum, apud quem aliquis redditur minoralis, ex hoc quod peccat, non autem apud hominum prælationes; et ideo in exteriori judicio sicut nullus contra se ipsum sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere, ut in eum sententiam excommunicationis ferat. In foro tamen conscientiæ, potest alteri committere suam absolutionem, qua ipse in se uti non posset. Unde non est simile.

Vel dicitur secundo, quod absolutio in foro confessionis est principaliter potestatis clavium: et ex consequenti respicit jurisdictionem; sed excommunicatio respicit totaliter jurisdictionem. Quantum ad potestatem ordinis, omnes sunt æquales, non autem quantum ad jurisdictionem, et ideo nec etiam est simile.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 110.ª QUÆSTIONE.

Ex art 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Lutheri* dicentis, quod absolvere potest in sacramento pœnitentiae infimus sacerdos aeque, ut Episcopus, et Papa. Item Hussitarum dicentium, quod sacerdotem potiorem non facit dignita, sed vitae meritum. Vide pro hujus confutatione etiam quaest. 19. art. 5. Item Aetii dicentis, sacerdotes omnes pares esse; inter quosvis sacerdotes nullum discrimen esse, etiam inter Episcopos. Item Pseudo apostolorum ut refert Cardinalis Turrecrem. de Ecclesia lib. 4. cap. 37. dicentium, quod nullus Papa Romanae Ecclesiae absolvere aliquem potest á peccatis: nisi esse ita sanctus, sicut fuit Beatus Petrus Apostolus in vivendo in omnimoda paupertate, et sine proprio, et in humilitate: non facienda bella, nec aliquem persequendo, sed permittendo, quemlibet vivere in sua libertate. Vide etiam pro hujus confutatione quaest. 19. art. 5. Item Marsilii cujusdam, ut refert idem Cardin. de Eccl. lib. 2. cap. 53. dicentis: quod Papa non habet aliquam plenitudinem potestatis, absque determinatione, idest concessione Imperatoris. Vide pro hujus confutatione etiam quaest. 17. art. 1. et qu. 19. art. 5. et quaest. 6. art. 3. et 6. Item Joannis Huss, ut in Concilio Constantiensi infra, dicentis: Romanum Pontificem reliquis Episcopis parem esse. Vide etiam pro hujus refutatione, ubi supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praedictos merito damnari á Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, et graviora crimina non á quibusvis, sed á summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae á Deo sunt, ordinata sunt, quin Episcopis omnibus hoc idem in sua cuique diœcesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate: praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politica, sed etiam coram Deo vim habere. Nota ly Pontifices maximi; et ly suprema potestate; et ly in Ecclesia universa, et ly pro illis. Episcopis, in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate: et ibidem canon. 11. Si quis dixerit: Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quo minus sacerdos á reservatis vere absolvat: anathema sit. Item ab Eugenio Papa, sic. Placuit communi nostro Concilio, ut nullus monachorum praesumat poenitentiam dare.» Haec ibi; et recitantur 16. quaest. 1. placuti. Ubi dicitur glos. quod *loquitur de monachis non habentibus populum*. A simili dic, de non habentibus etiam privilegiúm ad hoc, vel mandatum: et de sacerdotis aliis hujusmodi. Item á Callisto Papa sic. *Placuit, ut nulli sacerdotum liceat, quemlibet commissum alteri sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu ejus, cui se prius commissit.* Haec ibi. 9. quæst. 2. Item á, etc. ut quæst. 8. art. 4. elucid. Item á Concil. Trid. "Distincto populo in proprias, certasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Episcopi parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et á quo solo licite sacramenta suscipiant. Hæc in sess. 24. c. 13. de reform. Nota li *á quo solo licite sacramenta suscipiant*. Item ab eod. sess. 14. c. 9. de reform. "Jure optimo distinctæ fuerunt diœceses, et parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, et inferiorum Ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant: ut ordo ecclesiasticus non confundatur. Item á Decreto 13. q. 1. Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, et cœmeteria eis divisimus: et unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat. Sit unusquisque terminis suis contentus.» Nota ly *ita videlicet ut*, etc.

Contra illos errores, qui de Papa supra loquuntur vide etiam q. 17. art. 1. appen. Conc. Florent. et illa sufficiant: notando (ut multa unico verbo discas) vigilanto ibi ly " quemadmodum etiam in gestis æcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur. » Item á Concilio Constantiensi sess. 5. Vide q. 29. art. 5. app. damnationem Joannis Huss. Item q. 1. art. 1. app. vide damnationem contra Lutherum in Bulla Leonis. *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa dicta patrum, pro quanto insinuant, non omnem habentem claves posse illis uti in quemlibet hominem, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem cujusdam (ut refert Joseph. Angles ord. Min. lib. flores theologicarum quæst. de confess.) dicentis, quod poenitens est absolvendus sacramentaliter ab inferiori sacerdote, etiam á reservatis; hac lege, ut postea coram superiore compareat, non, ut eum absolvat; sed ut cognoscat vultum pecoris sui. Item errores multos, qui prænarrantur art 1. et q. 8. art. 1. et 2. et 4. et q. 19. art. 3. Item Joannis de Polliaco dicentis (ut refert Cardin. Turrecrem. de Ecclesia lib. 2. cap. 65.) quod Parochiani non possunt reduci in Deum per poenitentiam, nisi mediantibus parochialibus sacerdotibus. Per hoc enim videtur iste Joannes insinuare: quod sacerdotes parochiales possunt semper, immo etiam et ab omnibus absolvere suos subditos, et, quod nulla reservatio casuum illis in hoc obstare possit. Contra quod immediate præsens pugnat articulus. Item ejusdem Joannis (Direct. inquis. 2. par. qu. 8.) dicentis: quod Papa non potest dare licentiam generalem audiendi confessiones aliquibus, quin ipsi teneantur confiteri iterum eadem peccata Parochialibus sacerdotibus. Immo nec Papa (ut inquit ipse Joannes: referente eodem Cardinale, ubi supra) nec Episcopus, possunt audire confessiones Parochianorum, ita, ut teneantur iterum eadem peccata confiteri sacerdotibus parochialibus. Ex his enim apparere potest, quod ipse Joannes insinuant, ut supra; et pro tanto huc adducitur. Nam, Papa etiam, vel Episcopo absolventibus, ipsum debere ad Parochialem sacerdotem recurrere, monstrat, quod Parochialis habebat auctoritatem ex se (ex quo scilicet est institutus curatus) absolvendi quoscumque suos subditos, et á quibuscumque; nulla obstante reservatione casuum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito prædictos errores fuisse damnatus funditus á Concil. Trid. sess. 14. c. 7. et can. 11. ubi declarat reservationem casuum rationabiliter á Pontificibus, et Papa posse fieri ita, ut inferior ab iis reservatis nequeat absolvere, et anathematizatur contrarium. Vide art. 1. append. verba Concilii, et rationem ab eodem Concilio adductam, sup. q. 19. art. 6. in notat. post probationem primæ conclusionis. Item á maximis Pontificibus facto suo juridico, et quidem toties, quoties: quando videlicet sibi de aliquibus absolutionem reservant. Ut 17. q. 4. si quis suadente. Item de sent. exc. c. consequestus. Item eod. tit. in 6. quicumque. Item de poenis, in Clem. cupientes. Item multoties alibi; et quotidie in bullis urgentibus causis rationabilibus ad hoc. Item á Papa Joanne XXII. specialiter damnari merito errores prædictos, et alios Joannis de Polliaco in extravagan. Vas electionis, in hæc verba. " Auctoritate Apostolica omnes articulos, et quemlibet eorum, tamquam falsos, et erroneos, et á doctrina sacra devios; condemnamus, et probamus de fratrum nostrorum consilio doctrinam contrariam veram, et contrarium esse catholicum asserentes, scilicet quod illi, qui habentibus licentiam generalem audiendi confessiones confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi fuissent eorum proprio sacerdoti juxta Concil. generale. Optentesque veritatis vias notas esse fidelibus cunctis, et prædictis erroribus præcludere aditum, ne subintrent errores, fel. recor. Alex. IV. et Clem. IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis insistendo, universis, et singulis districtius inhibemus, ne quisquam præmissos articulos (ut præmittitur) damnatos, et reprobatos, et contenta in eis, vel aliquo ipsorum, utpote á catholicis mentibus respuenda, tenere audeat, seu defensare quomodolibet, vel docere.» Ubi non ly contenta in eis, vel aliquo ipsorum, quia, licet non omnes errores hic in app. præ-

narrati verbaliter sint in illa extravaganti: tamen omnes in iis, qui ibi narrantur, saltem, quoad sensum continentur, Item á Papa Callisto III. ejusdem Joannis damnati sunt errores Romæ anno 1446. per Bullam incipien. *Inter cætera*: et hæc habetur inter privilegia ord. Præd. (ut notatur in Direct. Inquis. 2 par. ubi ponitur extravag. *Vas electionis*.) Item á, etc. ut supra, q. 8. art 5. app. quem etiam locum juvere potes per annotata hic. Item á, etc. ut ar. 1. et q. 8. et qu. 19. ar. in principio hujus append. notatis: *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa patrum dicta, pro quanto sacerdotem insinuant non posse semper subditum suum absolvere, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem *Joannes Wicleff* (testante Conc. *Constantiensi* loco citando infra) seditiose dicentis; quod populares, et subditi homines possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Item, quod parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum auferre ab eis decimas ad suum libitum. Item: quod domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus. In his enim omnibus virtualiter insinuatur ab isto *Wicleff*, quod subditus in suum superiorem potest imperiose (et pro tanto hic errores illius adducuntur) contra quod articulus præsens militat, et quidem á fortiori. Si enim (juxta articulum) subditus non potest in superiorem etiam delinquentem, nisi præhabita jurisdictione ab eo: multo minus sine jurisdictione in ipsum superiorem poterit. Rursus. Si subditus superiorem delinquentem non potest malis, idest peccatis, spoliare pro suo arbitrio; multo minus (et hoc cæcutientes videreruntur) subditi superiores delinquentes bonis eorum spoliare poterunt ab arbitrium suum. Modo non tantum populares, sed etiam domini temporales sacerdotibus inferiores sunt: ut supra 1. q. 19. art. 4 app. per verba Imperatoris Basilii á Synodo confirmata habitum fuit. Item habes: quomodo per rationem ad tertium possis infringere ejusdem *Wicleff* errorem (teste eod. Conc.) improbe dicentis: quod nullus est dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali: *Secundo* habes: quomodo, per rationem ostendas á fortiori (ut supra nunc, arguendo) prædictos errores merito damnari ab eod. Concil. Constant. sess. 8. ubi enarratis 45. erroribus ipsius *Wicleff*, inter quos numer. 15. 16. 17. 18, prædicti collocantur, similes damnatio subsequitur summarie. « Hos sancta Synodus præfatos articulos 45. examinari fecit, et sæpius recenseri, quibus examinatis, fuit repertum, aliquos, et plures ex ipsis fuisse, et esse notorie hæreticos, et á sanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, et seditiosos. Propterea Concilium pronunciat hæreticum Joannem Wicleff. ac memoriam ejusdem condemnat, et mandat exhumari ossa ipsius, et cremari. *Hæc sententialiter ibi*. Item á Deo Hierem. 27. Nunc dedi ego omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis servi mei. Insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi: et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus; donec veniat tempus terræ ejus, et ipsius, et servient ei gentes multæ, et reges magni. Gens autem, et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor Regi Baylonis, et quæcumque non curvaverit collum suum sub jugo Regis Baylonis, in gladio, et in fame, et in peste, visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu ejus. » Ecce; quod idolatra est Rex non æquivoce, sed univoce: cum auctoritatem habeat super gentes; immo et tantam, ut dicat Deus, se vehementer castigaturum eos, qui sub jugo Regis Baylonis non curvaverit collum. Quod si pro Rege idololatra tantopere zelat Deus: quid faciet pro Dominis Christianis, etiamsi pessimi essent? Sufficiat ergo, quod Reges, quantumvis mali sint veraciter Reges apud Deum: etiam quod apud *Wicleff*, in damnationem ejus, non sint. Item á Jo. 6. *Nonne duodecim vos elegi: et unus ex vobis diabolus est?* En Judas peccator maximus adhuc est Apostolus, miracula cum aliis facit, etc. ut Evangelium sæpe contra Wiclffe narrat. Item á Papa Innoc. III. de elec. et electi potest. c. innotuit. Ibi enim

pro regula dat: quod *par non habet imperium in partem*, ubi gl. dicit, nisi se ei subjiciat: ut ff. de jurisd. omn. ju. est receptum, et 2. q. 7. nos si incompetenter. In hoc enim c. *nos si in competenter*: Papa Leo IV. Ludovio Augusto ex humilitatis dispensatione se subjicit: vestro, inquiens " admissorum nostrorum cuncta volumus emendare judicio, si incompetententer aliquid egimus. » Ergo multo magis in foro pœnitentiæ potest se subjicere voluntarie inferiori superior quicumque alius, ut habet conclusio. Item á Papa Nicolao Wicleff. damnatur dist. 21. inferior. Non potest judicio inferior potiorem ligare: unde propheta ait. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam? His itaque é divina scriptura commemoratis. Sole clarius exhibuimus (Gl. idest. probavimus) non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui majoris potestatis est, judiciis suis adjicere, aut propriis definitionibus subjugare. Item ab eod. ibid. c. Deniq. Illi, qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt (hodie quoque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisse servatur) ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente sacerdote, cujuslibet rei benedictionem dare nitatur: sed anterior stans ad pronunciandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? Numquid benedicere peccatum est? Absit, Sed per hoc innuitur, quantæ sensuræ fræno inferiores quique á suis præpositis judicandis coercendi sint: Si hi nec etiam benedicendi jus ullum pœnitus obtineant. » Hæc ibi: et á fortiori quidem contra Wicleff, et pro art. præsenti discurret tu. Item á. etc. ut q. 19. art 5. et alibi, in tex. et eluc. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto a fortiori, vel alio modo insinuant, inferiorem non posse in superiorem, nisi superior ei voluntarie se subjiciat, et intelligas, et probes, et defendas, *Quarto* vides: quomodo ex iis, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA UNDECIMA,

DE EXCOMMUNICATIONIS DEFINITIONE, CONGRUITATE, ET CAUSA, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter videndum est de excommunicatione. De qua primo considerandum est de definitione ex communicationis, et congruitate, et causa. Secundo, de eo qui potest excommunicare, et excommunicari. Tertio, de participatione cum excommunicatis. Quarto, de absolutione ab excommunicatione.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, utrum convenienter excommunicatio definiatur.

Secundo, utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare,

Tertio, utrum aliquis pro aliquo temporali damno sit excommunicandus.

Quarto, utrum excommunicatio injuste lata aliquem effectum habeat.

ARTICULUS I.

Utrum definitio excommunicationis sit conveniens.

Pro negativa. = Videtur quod non sit conveniens definitio excommunicationis á quibusdam posita, qua dicitur quod excommunicatio est separatio á communione Ecclesiæ, quoad fructum et suffragia generalia.

1. Eis pro quibus Ecclesia orat, valent Ecclesiæ suffragia. Sed pro excommunicatis Ecclesia orat. Ergo excommunicatis valent suffragia Ecclesiæ.

Maior prob., quia suffragia Ecclesiæ valent eis, pro quibus fiunt.

Minor prob., quia Ecclesia orat pro eis qui extra Ecclesiam sunt: sicut pro Hæreticis et Paganis, ac per hoc etiam pro excommunicatis.

2. Nullus amittit suffragia Ecclesiæ, nisi per culpam. Sed excommunicatio non est culpa, sed pœna. Ergo per excommunicationem non separatur aliquis á suffragiis communibus Ecclesiæ.

3. Fructus Ecclesiæ non videtur esse aliud, quam suffragia. Non enim per fructum Ecclesiæ possunt intelligi temporalia bona: quia hæc ab excommunicatis non auferuntur. Ergo superflue in definitione prædicta ponuntur fructus et suffragia.

4. Per minorem excommunicationem homo non perdit suffragia Ecclesiæ. Ergo hæc definitio non convenit omni excommunicationi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est auctoritas eorum qui hanc definitionem assignant, ut patet per magistrum in 4. lib. sent. dist. 18.

Determinatio.

Conclusio. Definitio excommunicationis, qua dicitur quod excommunicatio est separatio á communione Ecclesiæ, quantum ad fructum et suffragia generalia, est conveniens.

Manifestatur: nam ille qui per baptismum Ecclesiæ aggregatur, ad duo adscribitur. Primo ad cœtum fidelium. Secundo ad participationem sacramentorum. Quæ duo sic se habent quod secundum præsupponit primum; tantum enim baptizati fideles communicant in participatione sacramentorum, nec potest aliquis sacramentorum particeps fieri, nisi per baptismum; et secundum hæc duo, potest aliquis dupliciter ab Ecclesia separari. Uno modo, ut separetur tantum á participatione sacramentorum; et hoc fit per minorem excommunicationem, cui, cum perfectam excommunicationis rationem non habeat, non competit prædicta definitio nisi secundum aliquid, ut ad tertium dicetur. Alio modo potest aliquis extra Ecclesiam fieri per hoc, quod separatur et á consortio fidelium et á participatione sacramentorum, et hoc fit per maiorem excommunicationem. Non potest autem esse tertius separationis modus, scilicet separetur á cœtu fidelium, et non á participatione sacramentorum; quia, ut dictum est, participatio sacramentorum præsupponit aggregationem ad cœtum fidelium qui tantum in participatione sacramentorum communicant. Præmissa igitur definitio utramque separationem significat: per hoc enim quod dicitur quod excommunicatio est separatio ab Ecclesia, quoad fructum, importat separationem á participatione sacramentorum. Per hoc autem quod subdit, et quoad suffragia, importat separationem á cœtu fidelium quantum ad spirituales actus qui sunt communia suffragia. Sed sciendum quod communicatio fidelium, præter participationem sacramentorum, est duplex. Quædam in spiritualibus, sicut sunt mutuæ orationes et conventus ad sacra percipienda, vel etiam audienda, puta missam: quædam in corporalibus actibus legitimis quæ quidem duo communicationum genera his versibus continentur.

Si pro delictis, anathema quis efficiatur.
Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Os, ne osculum excommunicato detur. Orare, ne cum excommunicatis oremus. Vale, ne salutentur, communio, ne scilicet in sacramentis aliquis cum ipsis communicet. Mensa negatur. Ne aliquis cum eis commedat.

Sed quia præmissa definitio non comprehendit nisi separationem á participatione sacramentorum; et á communione in spiritualibus, ut dictum est; ideo alia definitio invenitur quæ datur secundum separationem ab utrisque actibus quæ talis est. Excommunicatio est á qualibet licita communione fidelium separatio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Non enim om-

nes, pro quibus Ecclesia orat, percipiunt orationis fructum. Orat enim Ecclesia pro infidelibus qui tamen orationis fructum non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt, et tamen fructum non percipiunt, quandiu in excommunicatione manent: sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.

Ad 2. Dicitur quod si sermo sit de justa excommunicatione, dicitur ad minorem quod etsi excommunicatio non sit culpa; præsupponit tamen culpam, pro qua fertur, et per quam quis est jam á charitate divisus. Si vero sermo sit de injusta excommunicatione, dicitur quod suffragia quæ pro aliquo fiunt, possunt continuari ei dupliciter. Uno modo ex vi charitatis quæ omnes fideles connectit, ut sint unum in Deo, sicut dicitur in Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et hanc continuationem excommunicatio injusta non intercipit, quia justæ quis excommunicari non potest, nisi pro culpa mortali, per quam quis á charitate jam divisus est, etiam si non excommunicetur. Injusta autem excommunicatio charitatem non potest auferre, cum charitas sit de maximis bonis quæ non possunt alicui invito auferri. Alio modo possunt suffragia unius alteri continuari, ex intentione ejus qui facit suffragia quæ fertur in eum, pro quo fiunt. Et hanc continuationem excomunicatio intercipit. Quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus tantum suffragia facit. Unde eis non prosunt suffragia quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere. Breviter ergo, negatur maior. Potest enim aliquis sine culpa amittere suffragia Ecclesiæ quæ pro fidelibus Ecclesia facere intendit, per excommunicationem etiam injustam, etsi semper, ex vi charitatis, fidelium suffragiorum sit particeps.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod fructus spiritualis Ecclesiæ non solum est ex suffragiis, sed etiam ex perceptione sacramentorum. Per fructum igitur, intelligitur participatio sacramentorum; et per suffragia intelligitur communio fidelium, quantum ad spirituales actus, de quibus in corpore dictum est.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod minor excommunicatio non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid ipsius participat, et ideo non oportet quod ei totaliter excommunicationis diffinitio conveniat, sed solum, quo ad aliquid, scilicet quod separat á participatione sacramentorum, non autem á cœtu fidelium et á suffragiis.

ARTICULUS II.

Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.

Pro negativa. = Videtur quod Ecclesia nullum debeat excommunicare.

1. Fideles prohibentur maledicere. Rom. 12. Sed excommunicatio est quædam maledictio. Ergo Ecclesia non debet excommunicare.

2. Illi qui sunt de Ecclesia triumphante, non inferunt maledictionis judicium. Ergo nec Ecclesia militans debet alicui judicium maledictionis, vel excommunicationis inferre.

Antecedens prob. quia in epistola Judæ legitur quod «cum Michael Archangelus «cum diabolo altercaretur de corpore «Moysi, Non est ausus judicium inferre «blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi do«minus.»

Conseq. prob. quia Ecclesia militans debet imitari triumphantem.

3. Nullus est in manu hostis tradendus, nisi omnino desperatus. Sed per excommunicationem traditur aliquis in

manu sathanæ: ut patet 1. Cor. 5. Et de nullo est in hac vita desperandum. Ergo Ecclesia nullum debet excommunicare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumenta sed contra

1. Apost. 1. Cor. 5. Mandat quemdam excommunicari.

2. Matth. 18 Dicitur de illo qui Ecclesiam audire contemnit: *Sit tibi, sicut Ethnicus et publicanus.* Sed Ethnici sunt extra Ecclesiam. Ergo illi qui Ecclesiam audire contemnunt, per excommunicationem extra Ecclesiam sunt ponendi.

Determinatio.

Conclusio. Ecclesia aliquos potest excommunicare.

Probatur. Cuius judicium debet esse conforme divino judicio, potest et quandoque debet aliquos excommunicare. Sed Ecclesiæ judicium debet esse conforme judicio divino. Ergo Ecclesia potest et aliquando debet aliquos excommunicare.

Maior ostenditur: nam Deus peccatores dupliciter punit. Uno modo flagelis castigando ut ab bonum eos trahat. Alio modo hominem sibi relinquendo, ut subtractis auxiliis, quibus á malo præpediebatur, suam cognoscat infirmitatem, et humilis ad Deum redeat, á quo superbus dicesserat; et hoc judicium imitatur aliquis excommunicando. Per excommunicationem enim separatur á communione et á suffragiis fidelium. Inquantum igitur excommunicans per excommunicationem aliquem á fidelium communione separat, ut erubescat, imitatur divinum judicium, quo per flagella castigat. Inquatum autem separat á suffragiis et ab aliis spiritualibus, imitatur divinum judicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem se ipsum cognoscens, ad Deum redeat. Et sic patet maior, quia scilicet excommunicare, est judicium divinum imitari, quoad illa duo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod maledictio potest fieri dupliciter. Uno modo ita quod in malo quod quod quis irrogat, vel dicit, per intentionem sistat: et sic maledictio omnibus modis est prohibita. Alio modo ita quod malum quod quis maledicendo imprecatur, ordinet ad bonum illius qui maledicitur, et sic maledictio, quandoque est licita et salutifera. Sicut etiam medicus aliquod nocumentum infert infirmo, puta sectionem, per quam ab infirmitate eum liberet.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod diabolus incorrigibilis est, et ideo maledictio non potest ordinari ab bonum eius et propter hoc non fuit maledictus á Michaele, nec debet á nobis maledici, aut excommunicari. Secus est autem de peccatoribus qui dum in hac vita sunt, possunt aliquod bonum, per excommunicationem recipere.

Ad 3. Dicitur negando maiorem. Possunt enim tradi in manu hostis etiam illi de quibus speratur his quæ per excommunicationem patiuntur quod reducantur ad Deum. Nam ex hoc ipso quod aliquis per excommunicationem suffragiis Eccesiæ privatur, triplex damnum et incommodum incurrit, secundum quod tria sunt quæ quis ex suffragiis Ecclesiæ consequitur. Valent enim primo suaffragia Ecclesia ad augmentum gratiæ eis qui eam habent, vel ad merendum eis qui non habent. Et quantum ad hoc, dicit Magister in dist. 18. 4. lib. sent. quod *gratia Dei per excommunitionem subtrahitur*. Valent secundo ad custodiam virtutis. Et quantum ad hoc dicit quod per excommunicationem protectio subtrahitur, non quod excommunicatus omnino excludatur á Dei providencia, sed ab illa protectione, qua filios Ecclesiæ specialiori modo custodit. Valent tertio ad defensionem ab hoste. Et quantum ad hoc idem Magister dicit quod per excommunicationem datur *diabolo major potestas sæviendi in excommunicatum et*

spiritualiter: et corporaliter: Unde in primitiva Ecclesia, quando oportebat per signa homines ab fidem invitare, sicut Spiritus Sancti donum visibili signo manifestabatur, ita et excommunicatio corporali vexatione á diabolo innotescebat. Nec est inconveniens si ille qui non est desperatus, hosti detur, quia non datur quasi damnandus; sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit, ex eius manu ipsum, cum voluerit, eripere.

ARTICULUS III.

Utrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari.

Pro negativa. = Videtur quod nullus pro aliquo temporali damno debeat excommunicari.

1. Pœna quæ est privatio alicuius boni spiritualis quod omnibus temporalibus bonis præminet, non debet infligi pro aliquo damno temporali. Sed pœna excommunicationis est privatio alicuius boni spiritualis quod omne temporale bonum excedit. Ergo excommunicationis pœna non debet infligi pro aliquo damno temporali.

Maior prob., quia pœna non debet excedere culpam.

2. Nulli malum pro malo reddere debemus, secundum præceptum Apost. 1. Thes. 5. Sed si pro aliquo temporali damno aliquis excommunicaretur, esset malum pro malo reddere. Ergo nullo modo pro temporali damno debet aliquis excommunicari.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Petrus Ananiam et sapphiram pro defraudatione pretii agri sententia mortis damnavit, ut legitur Act. 5. Ergo et Ecclesiæ licet pro temporalibus damnis excommunicare.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Pro damno temporali illato, Ecclesia potest aliquem excommunicare.

Prob. Pro peccato mortali potest Ecclesia aliquem excommunicare. Sed aliquis damnificando alium corporaliter, vel in rebus temporalibus mortaliter peccat, et contra charitatem facit. Ergo Ecclesia potest excommunicare eum qui alteri corporale, vel in rebus temporalibus damnum infert.

Maior manifestatur: nam per excommunicationem judex Ecclesiasticus excludit eos quos excommunicat, quodammodo á regno; et cum non debeat á regno excludere nisi indignos, ut ex definitione clavis patuit, nec aliquis reddatur indignus nisi per peccatum mortale charitatem amiserit quæ est vía ducens ad regnum; nullus excommunicari debet, nisi pro mortali peccato, pro quo solo excommunicatio potest ferri.

2. Conclusio. Excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, nisi ille qui tale peccatum commissit, contumax fuerit, vel non comparendo ad judicium, vel ante terminationem judicii sine licentia recedendo, vel determinationi judicis non parendo.

Manifestatur: Gravissima pœnarum Ecclesiasticarum non debet infligi nisi peccatori contumaci. Sed excommunicatio est gravissima pœnarum Ecclesiasticarum. Ergo non debet infligi, nisi contumaci peccatori.

Maior prob., quia pœnæ sunt medicinæ secundum Phil. 2. Ethic. c. 3. Sapientis autem Medici est á levioribus et minus periculosis incipere medicinis. Et ideo pœna gravissima non debet imponi, nisi contumaci. Peccator igitur, si postquam monitus fuerit, obedire contempserit, contumax reputatur, et excommunicari debet á judice, jam non habente, quid contra ipsum amplius faciat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod culpæ quantitas non mensuratur ex nocumento quod quis fascit; sed ex voluntate, qua quis facit, contra charitatem agens: et ideo, etsi pœna excommunicationis excedat no-

cumentum, non tamen excedit quantitatem culpæ.

Ad 2. Negatur minor. Cum enim aliquis per pœnam aliquam corrigitur, non redditur ei malum, sed bonum, quia pœnæ medicinæ sunt, ut dictum est in corpore.

ARTICULUS IV.

Utrum excommunicatio injuste lata, aliquem effectum habeat.

Pro negativa. — Videtur quod excommunicatio injuste lata, nullum effectum habeat.

1. Pœna per quam subtrahitur Dei gratia et protectio, si injuste infligatur, nullum habet effectum. Sed excomunicatio est pœna, per quam subtrahitur Dei gratia et protectio. Ergo excommunicatio injusta nullum habere potest effectum.

Maior prob. quia Dei gratia et protectio non potest subtrahi ab aliquo injuste.

2. *Æstimare esse ligatum, vel solutum qui ligatur, vel solvitur injuste, de supercilio Phariseorum est,* ut Hieron. in illud Matth. 16. *Tibi dabo claves, etc.* dicit: Supercilium autem Pharisæorum erat superbum et erroneum. Ergo excommunicatio injusta nullum habet effectum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. dicit homil. 26. in Evang. et habetur 11. quæst. 3. cap. 1. et 27. quod *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est:* qui timor vanus esset, nisi aliquid noceret, etiam injusta. Ergo excommunicatio injusta aliquem effectum habet.

Determinatio.

Distinctio. Excommunicatio potest dici injusta tripliciter. Uno modo, ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis aliquem excommunicat, qui tamen juste excommunicatur. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel scilicet quia causa excommunicationis, est indebita, vel quia fertur sententia, prætermisso juris ordine. Tertio modo ex parte excommunicati, et justa ex parte judiciis, sicut quando aliquis pro falso crimine, in judicio probato excommunicatur.

Subdist. In injusta vero excommunicatione ex parte sententiæ, quando scilicet non servatur juris ordo, potest esse duplex error. Primo, quod reddat ipsam sententiam nullam. Secundo, quod non annullet sententiam.

1.ª Conclusio. Excommunicatio injusta ex parte excommunicantis tantum, habet effectum suum.

Manifestar: quia ille qui excommunicatur, juste patitur, quamvis excommunicans injuste faciat et peccet.

2.ª Conclusio. Excommunicatio injusta ex parte ipsius excommunicationis, si error talis sit quod sententiam nullam esse faciat, nullum habet effectum.

Manifestatur: quia tunc non est excommunicatio.

3.ª Conclusio. Excommunicatio, cujus error non annulat sententiam, habet suum effectum, et excommunicatus in hoc casu debet humiliter obedire, et erit ei ad meritum, vel debet petere absolutionem ab excommunicante, vel ad superiorem judicem recurrere; et si contemneret, eo ipso mortaliter peccaret.

Quæ relinquitur ut manifesta, præcipue ex Verbis Gregorii.

4.ª Conclusio. Si aliquis excommunicetur injuste ex parte excomunicati, juste tamen ex parte judicis, ut patet de eo qui de falso crimine, probato in judicio, excommunicatur; si excommunicatus humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.

Hæc relinquitur tamquam per se manifesta.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Negatur minor: Ad probationem dicitur, quod quamvis homo gratiam Dei injuste amittere non possit; potest tamen amittere injuste illa quæ ex parte nostra sunt quæ ad gratiam Dei

disponunt; sicut patet, si subtrahatur alicui doctrinæ verbum quod ei debetur. Et hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur, ut ex dictis patet.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod Hieronymus loquitur quantum ad culpas, á quibus Deus principaliter solvit, non quantum ad pœnas quæ possunt etiam injuste infligi á rectoribus Ecclesiæ.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 111.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem infringas errorem *Lutheri*, tu narratur in Bulla Leonis X. dicentis, quod excommunicationes sunt tantum externæ poenæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. Item Joannis Wicleff dicentis, excommunicationem á Papa, aut á quocumque prælato inflictam, non esse timendam. Item ejusdem, ut in Concil. Constantiensi sess. 8. dicentis, excommunicationem á Papa, vel á prælato alio inflictam, esse censuram Antichristi. Item Lutheri (Prat. Lutherani dicentis, excommunicationem non solum non esse timendam, sed cum gaudio suscipiendam, et procurandam. Item ejusdem, ut in Bulla Leonis prædicti, dicentis; quod Christiani sunt docendi plus diligere excommunicationem, quam timere. Si enim præsens articulus S. Doct. probationem validissima concludit, quod excommunicatio tot mala secum fert: nonne è diametro monstrat, illa esse plusquam timendam? *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas; prædictos errores merito damnari á, etc. ut qu. 20. art. 3. de Concil. Constantiensi contra Wicleff. Item á, etc. ut qu. 1. ar. 1. append. et 3. par. qu. 68. at. 9. de Bulla Leonis contra Lutherum. Item ab Anthero Papa, et martyre, in epistola ad Episcopos provinciæ Beticæ, et Toletanæ sic: " veteri quidem in lege habetur, quod, quicumque sacertibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur á populo, aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur: et ejectus ab Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur. » Ubi vides, quam timenda sit excommunicatio: tantum abest, ut diligenda sit, vel procuranda. Item ab Urbano Papa, et mart. in ep. de communi vita, et oblatione fidelium: " Hæc, fratres, valde cavenda sunt, et timenda, etc. ne poenam, et mortem Ananiæ, et Saphiræ incurrant, et, quod pejus est, anathema Maranatha fiant; etsi non corpore, ut Ananias, et Saphira ceciderint, anima tamen, quæ potior est corpore, mortua, et alienata á consortio fidelium cadant, et in profundum barathri labantur. » Ubi patet, excommunicationem multo magis morte corporali timendam, et ipsius excommunicationis effectus horrendus. Quam vero injustissime Romano Pontifici titulum Antichristi inurant, patet ex damnatione ipsorum á tot Scripturis infra tangendis, et experientiis, tum antiquis, tum novis prædictorum pontificum adferendis. Antichristus enim (secundum Scripturas, 2. Thess. 2. Daniel. 9. Matt. 24. Mar. 13. 1. Machab. 1. et secundum Augus. lib. de Antichristi ortu) " erit á fide discessio, homo peccati, filius perditionis, abominatio desolationis, elatio super omne, quod dicitur Deus, ostentas seipsum Deum, veniens secundum operationem Satanæ in omni virtute, signis, et prodigiis mendacibus, Messiam se esse pronuncians, Christum vero seduxisse orbem. Judæos ad Hierosolymam convocans, ut Judaica gens in illum credat, triduo se resurrexisse fingens; ac tandem in nubes elatus, á Michaele Archangelo in tartara profundissima præcipitatus. » Hæc sunt ex Scripturis, ut superius, desumpta, quibus aperte et condemnantur omnes, qui de Pontifice Romano, tamquam de Antichristo sentiunt, et Romanus ipse Pontifex Antichristo contrarius, experientia accedente, luce clarius comprobatur. Quomodo enim discessio est, ut á Christo homines discedere faciat: si, ut ejus Vicarius, ad Christi

ovile oves reducit? Aut quomodo homo peccati, ut alios ad peccandum inducat, si tot legibus, ac poenis homines á peccatis deterret? Aut quomodo filius perditionis; ut sacramenta, et Christi præcepta perdat: si nihil magis in suis decretis, legitimisque Conciliis, quam sacramentorum Christi susceptionem, ipsiusque mandatorum observantiam inculcat? Quæ vero *abominatio desolationis stans in loco sancto*, aut in loco, ubi non oportet? Quænam elatio est contra omne, quod dicitur Deus? In quonam templo sedet ostentans, se esse Deum? Quando passi sunt, inquit Augustinus, se Dei instar, adorari Romani Pontifices? Quis horum indicare conatus est é Scripturis, se esse Messiam? Quando dixerunt: Christum seduxisse orbem? Quando Judaica gens in illos credidit? Quando convocarunt Judæos Hierosolymam? Quando denique é triduo resurrexisse, se mentiti sunt? Aut quando in nubes elati, ab Archangelo Michaele mox in barathrum profundissimum præcipitati fuerunt? Cæterum ad majorem veritatis hujus ostensionem, quot Pontifices in illa Romana Sede martyrio claruerunt? Quod doctrina singulari, vitaque unice christiana, in illa suprema sede nituerunt? Quod insignibus miraculis probitatis suæ á Christo Domino testimonium acceperunt? Nescit autem divina justitia patrocinium dare criminibus; sed Deus ubique verax, et omnis homo (quales sunt præmissi) mendax. De hoc vide, si horum nænias intimins cognoscere vis, 1. par. quæst. 32. art. 4. in elucid. ubi optime satisfiet, ultra prædicta, item supra quæst. 74. art. 3. append. de Ecclesia Romana, et quæst. 20. art. 1. in corollar. post ad 1. et quæst. 17. art. 1. append. Item contra Lutherum vide Roffensem art. 23. 24. Quod si addideris ap. et art. 25. ubi de primatu summi Pontificis disputat, plenius impium os verorum antichristorum Romanum Pontificem falso Antichristum vocantium obstrues. Coeterum, si præ veritatis clara manifestatione confusi refugiendo dicant, se loqui de Antichristo, non illo magno, de quo præmissæ Scripturarum auctoritates intelliguntur, sed de minori Antichristo, idest illius majoris figurativo, cujusmodi sunt omnes hæretici, qui et Antichristi á 1. Joan. cap. 2. vocantur, manifeste decipiuntur, et impudentissimo mendacio errant, aliosque mittere conantur in errorem. Adeo enim Papa non est talis Antichristus, ut non possit non esse, ut Papa, contrarius Antichristis omnibus: ut clare tibi, et cuique prudenti, ac bene Scripturam sacram intelligenti patebit; si videris infra citata. Videlicet, veritates aureas super legem veterem, Levit. 11. concl. 8. in ly pro Ecclesia S. Dei, et Compend. Alber. Magn. lib. 7. cap. 9. schol. Ex quorum lectione cognosces: quantam coecitatem hæretici in prædicta calumnia pro veritate venditare velint. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse á Gregorio IX de sentent. excommunicat. cap. Si quem sub hac; et á Concilio apud Palatium Vernis habito, ca. 9. excommunicationem majorem á perceptione sacramentorum, et á communione fidelium separare, ut seq. art. 4. adducentur ad litteram auctoritate horum. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto excommunicationem insinuant á communione fidelium et sacramentorum perceptione sejungere, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas Joan. Wicleff dicentis, quod nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat cum esse excommunicatum á Deo. Item addentis, quod si Prælatus excommunicat eum, quem nescit esse excommunicatum á Deo, est ex hoc ipse hæreticus. Item Joannis Huss. subscribentis Joanni Wicleff. sic: condemnatio quadraginta quinque articulorum Joannis Wicleff per doctores facta est irrationabilis, iniqua, et male facta. Item Albanensium dicentium, quod Ecclesia non potest excommunicare, et quod non debet malos persequi. Contra hos enim omnes articulos iste sancti Doctores pugnat, dum pro excommunicando aliquo, adducit solummodo imitationem Ecclesiæ respectu divini judicii: non autem revelationem specialem de hoc sibi factam, quod iste sit excommunicatus á Deo, et concludit, quod debet Ecclesia excommunicare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos merito damnari á Deo, Exo.

22. *maleficos non patieris vivere.* Item ab eodem humanato Matth. 18. « Si autem Ecclesiam non audierit, sit sibi, sicut Ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo. » Ecce, quod Christus dat auctoritatem excommunicandi, immo per ly *sit tibi sicut Ethnicus*, mandat; ut tamquam excommunicatus vitetur, qui Ecclesiæ noluerit obedire: nullam omnino faciens mentionem de speciali revelatione facta divinitus, quod iste sit excommunicatus á Deo, vel quod Prælati Ecclesiarum, qui sub persona Apostulorum continentur, debeant prius scire specialiter, hunc esse excommunicatum á Deo, antequam eumdem ipsi excommunicent. Contumacia igitur, secundum Christum, sufficit ad hoc, quod aliquis excommunicetur, quam contumaciam vocavit ipse non audire, idest non obedire Ecclesiæ. Quæcumque igitur jura contumaciam solam adducunt pro ferenda excommunicatione, per hoc damnant errores utriusque Joannis antedicti; et Christo in sententia præmissa subscribunt. Item damn. á Conc. Meldensi. "Nemo Episcoporum quemlibet sine certa, et manifesta causa peccati comunione privet ecclesiastica: quia anathema æternæ mortis est damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine, et illis, qui aliter non potuerunt corrigi. » Hæc ibi, et recitantur 11. quæstio 3. Ecce, quod Concil. nullam prorsus facit mentionem de speciali revelatione; quod iste sit excommunicatus á Deo, antequam, ab Ecclesia excommunicetur. Item á Concil. Alvern. sic. " Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, et levibus causis á communione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab Ecclesia jusserunt comittentes. Hæc in 11. qu. 3. Ubi solummodo excluditur veniale peccatum, ne scilicet quis pro eo excommunicetur. Nota ly *præter eas culpas, pro quibus antiqui*, etc. quod videlicet ibi á Concilio non dicitur, quod expectetur revelatio specialis de excommunicatione hujus á Deo, antequam excommunicetur ab Ecclesia. Item á Concil. Triburiensi sic. " Certum est, pro his tribus criminibus aliquem excommunicari debere: cum ad Synodum canonice vocatus venire contemnit; aut, si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis, aut si ante finitam causæ suæ examinationem á Synodo abire præsumit. » Hæc ibi, et recitantur 11. quæst. 3. Item á, etc. ut quæst. 20. art. 3. de Concil. Constantiensi contra Wicleff, et quæst. 1. artic. 1. append. Item á, etc. ut quæst. 2. artic. 2. et quæst. 19. art. 5. appen. de Concil. Constantiensi contra Huss. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse 1. Cor. 5. " Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini, tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis: us spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Item merito dictum. 11. quæst. 2. Omnis Christianus, delectissimi, qui á sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos, quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos á se esse demonstrat. » Ubi per ly quasi non intelligitur, quod per excommunicationem quis revera non tradatur diabolo: sed, quod non traditur ei finaliter damnandus, ut intendit diabolus, sed corrigendus, quod non intendit diabolus. Vide resp. ad 3. Item á Papa Joanne VII. sic. « Engeltrudam uxorem Bosonis noveris, etc. anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia recidit, crebro percussam esse. » Hæc in 3. quæst. 4. Item á Concil. Trident. sessio. 23. cap. 1. de reform. " Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse vult sacrosancta Synodus ordinariis, per censuras ecclesiasticas, aliaque juris remedia, compellere. Item ab eod. sess. 25. cap. 3. de reform. 2. Quod sic, etc. sitque erga judicem contumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas, ferire poterit. Hæc ibi: et infra. Licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. » Ex supradictis quoque dam-

nantur errores in principio narrati; quoniam de illa speciali prævia scientia, pro excommunicando aliquo, nulla ibi mentio fit; cum tamen casus licitos excommunicandi intendant canones exprimere, et exprimant. *Quarto* habes: quomodo per rationem præmissa Patrum, ac scripturarum dicta, pro quanto Ecclesiam decernunt, excommunicare aliquem debere, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem radicitus evellas errorem Joan. Huss. ut refert Concil. Constantiense. ubi infra, dicentis, quod per sensuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ad sui exaltationem clericus laicalem populum sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, viam præparat Antichristo. Cum enim, non nisi pro mortali pertinacia vestito, etiam postquam non habuerit Ecclesia, quid amplius faciat pro salvando ipso pertinaci, excommunicatio fieri non debeat, ut monstrat articulus, patet jam ex hoc, quod per censuram hanc clerus laicos non suppeditat, sed adjuvat: avaritiam non multiplicat, sed restringit, malitiam non protegit, sed pro suo posse arcet: viam non parat Antichristo, sed Christo. Quod si forte excommunicandi potestate aliquis, quod nescio, abutatur, ea minus circumspecte in edificationem fidelium exercendo: jam non de excommunicatione, sed de excommunicationis abusu, fit sermo: ac propterea á simili non de censuris Ecclesiasticis sed de abusu censurarum: ideoque á formali locutione circa ipsas ad materialem transitur. Quod si ad materialem se transisse, quamvis non parvus error in philosophia etiam id reputetur, dicat Joannes Huss, ut articuli præsentis aciem subterfugiat, *incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.* Intolerabilem enim ex hoc errorem suum esse manifestat coram universo mundo: et hoc in terminis suis. Non enim dicit: quod aliquis clerus, vel aliquis de clero, sed quod clerus, per censuras, et cæt. Quis modo vel mediocriter sciens ignoret, quod inter tot clericos aliqui sint circa usum excommunicationis bene se habentes: et consequenter, quod censurarum abusum omnibus indifferenter clericis attribuere, est non tantum erroneum, sed etiam nimis temerarium? *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum, sive formaliter, sive materialiter sumatur, merito damnari á Concil. Constantiensi sessio. 15, cujus sententiam damnatoriam contra Hus vide quaest. 19. articul, 5. appen. Item á, etc. ut art. 2. append. Speciatim Matt. 18. Non enim Christus potestatem censurarum ibi dedisset Ecclesiae, ut patet, si hanc de se esse in destructionem, et non in aedificationem salutis, aut ab omni clero semper abutendam fore scivisset. *Tertio* quomodo per rationem ostendas, merito fuisse á Concilio Tridentino sancitum, quod non nisi magna circumspectione debeat quis excommunicationis gladio uti; et hoc sess. 25. c. 3. de reform. 2. sic. " Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris: sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat; si temere, aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quam formidari; et perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illas, quae monitionibus praemissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut de perditis, seu subtractis rebus ferri solent, á nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo, decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat: nec ad eas concedendas cujusvis saecularis etiam magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio, et conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit in causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut, quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam in deficiendo á sensuris ecclesiasticis, sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque, etam laicos, per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus,

eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia, procedere, et causas definire. » Item, merito fuisse dictum á conciliis multis, etc. art. 2 append. Item, merito fuisse insinuatum, quod medicinae sunt á Papa Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi. " Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicant, dum tamen is, in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit, et medentis, etc. et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari. » Haec ibi, et recitantur de sententia excommunic. in 6. Per hoc ergo etiam á simili colligitur, quod suspensionis, et interdicti pœnae sunt medicinales. Item á Conc. Arelatensi 2. cap. 30. " Secundum instituta seniorum, si á communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus Episcopus, hunc non solum á clericorum, sed etiam á totius populi colloquio, atque convivio placuit excludi: donec resipiscens ad sanitatem redire festinet. » Ex praedictis confunditur etiam Huss, ut bene consideranti, et applicanti patet. Non enim tantum laicalis populus censuris ecclesiasticis, sed et Episcopus, quando opus est, corripitur, quod utique est signum evidenter ejus errores destruens. Item á Concilio Carthaginensi 1. cap. 3. " Persuasio interdum prudentes solet arcere á peccatis: dum imprudentes debet metus hujuscemodi constringere, si sanum consilium respuunt, et salutare mandatum. Si ergo laici sunt: post monitionem, si contempserint, á communione separentur. » Propter Iy debet, facit multum ad confirmationem articuli 2. item Iy arcere á peccatis, monstrat, quod sunt medicinæ, quantum est de se, et de intentione Ecclesiæ excommunicantis, vel alias censuras inferentis, licet ex defectu excommunicatorum, vel aliter censuratorum quandoque mors sequatur horribilior. Sed tamen, etiam tunc, medicinae sunt: quia in salutem aliorum videntium, utilique timore inde concussorum, proficiunt. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto aliquem sic, vel sic pro damno temporali dicunt posse excommunicari, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errores Jo. Huss (ut refert Concilium Constantiense) infra dicentis, quod sacerdos vivens secundum legem Christi, et habens notitiam Scripturæ, et affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obstante prætensa excommunicatione. Item ejusdem dicentis, quod quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit; et illud mandatum debet exequi, non obstante excommunicatione. Item Joannis Wicleff pejus dicentis, quod illi, qui dimittunt prædicare; sive audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et (secundum Prat.) addentis, quod in die judicii habebuntur Antichristi, et proditores. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores hos merito damnari á Concil. Constantien. sess. 8. contra Wicleff, et 15. contra Huss, cujus sententiam dámnatoriam lege supra qu. 20. art. 3. de Wicleff, et quæst. 19. a. 5. de Huss. append. Item á Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 11. ubi Leo post alia multa subdit: " sacro approbante Concilio statuimus, et ordinamus, ut nullus, tam clericus sæcularis, quam cujuscumque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quivis alius, ad quem facultas praedicandi, tam de jure, quem de consuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi per superiorem suum diligenter examinatus, ac morum honestate, aetate, doctrina, probitate, prudentia, et vitae exemplo ad illud opus idoneus reperiatur. Et hic quocumque postea praedicaturus accesserit, de hujusmodi examine, et idoneitate sua per litteras, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis, et aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat, etc. Si qui autem contra praemissorum aliquid committere, quicquam auri fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, á qua non nisi á Romano Pontifice absolvantur, et, ut horum exemplo alii attentare similia minime audeant, eis praedicationis officium

interdictum esse perpetuo decernimus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, » etc. Leo autem Decimus fuit post Concilium Constantiense, quod damnavit ipsos Wicleff, et Huss et consequenter per hoc, quod excommunicationem de novo profert, ut supra, demonstrat; quod loquitur contra errores, qui ab Wicleff, et Huss prodierunt, et eos damnat. Item á Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. 2. " Si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit: etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum procedi possit. » Item á, etc, ut supra art. 1. appen. ubi ostenditur, quam timenda sit excommunicatio. Adde, quod tales excommunicati, etiam de suspicione haeresis per Concil. Trident. notantur modo jam dicto: et consequenter perpende hinc, quanti terroris sit excommunicari, vel etiam excommunicationi non obedire. Item á Concilio Triburiensi cap. 3. sic: " Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes praecipimus, et auctoritate nostra injungimus omnibus regni nostri comitibus, postquam ab Episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, et tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur: ut, qui divinum judicium non verentur, humana sententia feriantur. Item á Papa Eugenio II. ex Concilio Rhemensi: sic, " qui excommunicato, donec ab eo, qui eum excommunicaverat, vel ab alio auctoritate Sedis Apostolicae solvatur, scienter communicare praesumpserit, excommunicationis sententia ipsum teneri censemus. » Auditores ergo praedicatoris excommunicati notorie, antequam absolvatur, videntur excommunicati per Eugenium. Item á Concilio apud Palatium Vernis cap. 9. sic: " quod si aliquis ista omnia contempserit, et Episcopus emendare minime potuerit, regis judicio exilio condemnetur. » Haec ibi; ubi in contextu est locutio de excommunicatione. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas; merito dictum fuisse á Papa Gregorio II. quaest. 3. *Sententia pastoris, sive juxta, sive injusta fuerit, timenda est.* Ubi insinuatur, quod excommunicatio injuxta quandoque habet suum effectum, qui effectus multum timendus. De quo effectu in art. 1. et in Concil. apud Palatium Vernis cap. 9. « Ut sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis, in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo christiano cibum, vel potum sumere, nec ejus munera accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo fuerit conciliatus. " De quo etiam effectu loquutus est Gregorius IX. de sentent, excommunic. Si quem, etc. " á judice excommunicari contingat, dicendum est, eum, non tantum minori, quæ á perceptione sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, quæ á communione fidelium separat, esse ligatum. » *Quarto* habes: quomodo per rationem praemissa dicta Patrum, pro quanto excommunicationem injustam dicunt esse timendam, vel effectum suum habere, vel non contemnendam, sed humiliter observandam, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DUODECIMA.

DE HIS QUI POSSUNT EXCOMMUNICARE, ET EXCOMMUNICARI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his qui possunt excommunicare, et excommunicari.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.

Secundo, utrum non sacerdos excomunicare possit.

Tertio, utrum excommunicatus, vel suspensus possit alium excommunicare.

Quarto, utrum aliquis seipsum, vel æqualem, vel superiorem possit excommunicare.

Quinto, utrum aliqua universitas excommunicari possit.

Sexto, utrum semel excommunicatus excommunicari possit alterius.

ARTICULUS I.

Utrum quilibet Sacerdos possit excommunicare.

Pro affirmativa.=Videtur quod quilibet sacerdos possit excommunicare.

1. Quilibet habens claves, potest excommunicare. Sed quilibet sacerdos habet claves. Ergo quilibet sacerdos potest excommunicare.

Maior prob., quia excomunicatio est actus clavium.

2. Qui potest absolvere et ligare in foro pœnitentiali, potest multo magis excommunicare. Sed quilibet sacerdos potest ligare et solvere in foro pœnitentiali. Ergo quililibet sacerdos potest excommunicare.

Maior prob., quia maius est absolvere et ligare in foro conscientiæ, seu pœnitentiæ, quam in foro judicii.

PRO NEGATIVA.

Ea in quibus imminet periculum, sunt maioribus reservanda. Sed pœna excommunicationis est valde periculosa, nisi cum moderamine fiat. Ergo non debet cuilibet sacerdoti committi.

Determinatio.

Conclusio. Non quilibet sacerdos sed soli Episcopi et maiores Prælati possunt propria auctoritate excommunicare.

Prob. Actus pertinentes ad forum exterius, non possunt exerceri á quolibet sacerdote, sed solum ab Episcopis et á maioribus Prælatis. Sed excommunicare est actus pertinens ad forum exterius. Ergo excommunicare non pertinet ad quemlibet sacerdotem, sed ad solos Episcopos et maiores Prælatos.

Maior prob., quia actus pertinentes ad exterius forum, non possunt exerceri nisi ab his qui jurisdictionem habent. Jurisdictionem autem non habent, nisi Episcopi et maiores Prælati. Et ideo exercere hujusmodi actus, ad ipsos tantum propria auctoritate pertinet.

Minor manifestatur: Ex differentia quæ est interea quæ pertinent ad forum conscientiæ, et ea quæ pertinent ad forum exterius. In foro enim conscientiæ causa agitur inter hominem et Deum; in foro vero exterioris judicii causa igitur hominis ad hominem: Et ideo absolutio vel ligatio, quæ obligat hominem quoad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ, sed illa quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, pertinet ab forum exterioris judicii. Et quia per excommunicationem homo á communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, et sic pertinet tantum ad illos qui jurisdictionem habent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod excommunicatio non est actus clavis directe, sed magis respectu exterioris judicii. Est tamen actus clavis secundarius, quia quamvis sententia excommunicationis, in exteriori judicio promulgetur, tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni, secundum quod Ecclesia militans est via ad Ecclesiam triumphantem, et ideo etiam talis jurisdictio, per quam homo excommunicare potest, clavis potest dici; et secundum hoc, á quibusdam distingnitur duplex clavis, scilicet ordinis et jurisdictionis. Clavem ordinis habent omnes sacerdotes. Clavem vero jurisdictionis in foro judiciali habent soli judices exterioris fori. Utramque tamen Christus contulit Petro, Matth. 16. et ab ipso Petro in alios, qui utramque habent, descendit.

Ad 2. Negatur maior: Nam sacerdotes parochiales possunt absolvere subditos suos, quia habent jurisdictionem super ipsos in foro conscientiæ; non possunt autem conveniri coram eis, quia non habent super eos jurisdictionem in foro contentioso; et quia excommunicatio pertinet ad forum exterius, ideo possunt

absolvere in foro conscientiæ á peccatis, et non possunt excommunicare. Ad probationem dicitur, quod quamvis forum pœnitentiale sit dignius, in foro tamen judiciali maior solemnitas requiritur, quia in eo oportet quod non solum Deo, sed etiam hominibus satisfiat.

ARTICULUS II.

Utrum non sacerdotes excommunicare possint.

Pro negativa. ═ Videtur quod non sacerdotes excommunicare non possint.

1. Illi qui possunt excomunicare, habent claves. Sed non sacerdotes, non habent claves, ut dictum est in quæst. 111. art. 3. Ergo non sacerdotes, non possunt excommunicare.

Maior prob., quia excommunicatio est actus clavium, ut magister dicit.

2. Non sacerdos in foro pœnitentiæ absolvere non potest. Ergo nec excommunicationem inferre.

Conseq. prob., quia plus requiritur ad inferendam excommunicationem, quam ad absolutionem in foro pœnitentiali.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Archidiaconi, Legati et electi excommunicant, qui quandoque non sunt sacerdotes. Ergo non soli sacerdotes excommunicare possunt.

Determinatio.

CONCLUSIO. Non sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

Prob. Excommunicatio non respicit directe gratiam, sed ex consequenti, inquantum homo privatur suffragiis Ecclesiæ, quæ ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant. Ergo etiam non sacerdotes, jurisdictionem tamen habentes, possunt excommunicare.

Consequentia manifestatur, quia ratio quare sacramenta á solis sacerdotibus dispensari possint, est quia in eis confertur gratia. Unde soli sacerdotes possunt in foro sacramenti pœnitentiæ solvere et ligare. Illud igitur quod gratiam directe non respicit, ut est excommunicatio potest etiam ad non sacerdotes pertinere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod non sacerdotes, quamvis non habeant clavem ordinis, habent tamen clavem jurisdictionis, qua excommunicare possunt.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod posse absolvere in foro pœnitentiali et excomunicare, se habent sicut excedens et excessum, et ideo alicui potest competere unum, et non aliud.

ARTICULUS III.

Utrum excommunicatus vel suspensus, possit alium excommunicare.

Pro affirmativa. ═ Videtur quod excommunicatus, vel suspensus possit alium excommunicare.

1. Ille qui est excommunicatus vel suspensus, neque ordinem neque jurisdictionem amittit. Ergo talis excommunicare potest.

Anteced. prob., quia neque reordinatur, cum absolvitur, neque cura iterum ei committitur.

Prob. conseq., quia excomunicare non requirit nisi ordinem et jurisdictionem.

2. Excommunicati possunt conficere corpus Christi. Ergo possunt etiam excommunicare.

Conseq. prob., quia maius est conficere corpus Christi, quam excommunicare.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ligatus corporaliter non potest alium ligare. Ergo nec ligatus spiritualiter potest alium spiritualiter ligare. Sed excommunicatus est ligatus spirituali vinculo. Ergo excommunicatus non potest alium excommunicare.

Conseq. prima prob., quia vinculum spirituale est fortius, quam vinculum corporale.

Determinatio.

CONCLUSIO. Excommunicatus excommunicare non potest, nec suspensus á jurisdictione.

Prob. qui privatur usu jurisdictionis non potest excommunicare. Sed excommunicatus privatur usu jurisdictionis. Ergo excommunicatus non potest excommunicare.

Maior prob., quia excommunicare est jurisdictionis usum exercere: qui igitur usu jurisdictionis privatur non potest excommunicare.

Minor prob., quia omnis excommunicatus á communione fidelium separatur, et per hoc non potest jurisdictionis habere usum, qui est in comparatione ad alium hominem.

Declaratur ultima conclusionis pars, scilicet quantum ad illa verba, suspensus á jurisdictione. Pro quo est considerandum quod aliquis potest esse suspensus á jurisdictione, sed non ab ordine; et tunc potest ea quæ sunt ordinis, et non quæ sunt jurisdictionis exercere; tunc enim sacerdos poterit celebrare, sed non audire confessiones. Aliquis vero potest esse suspensus ab ordine, sed non á jurisdictione: et tunc potest ea quæ sunt jurisdictionis, sed non ea quæ sunt ordinis. Aliquis vero potest esse suspensus et ad ordine et á jurisdictione: et tunc nec potest ea quæ sunt ordinis, nec ea quæ sunt jurisdictionis. Si igitur aliquis sit suspensus á jurisdictione, non potest excommunicare, quia excommunicatio ad jurisdictionem pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod excommunicatus, etsi non amittat jurisdictionem, amittit tamen ejus usum.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de consecratione, et excommunicatione. Conficere enim consequitur potestatem characteris, qui est indelebilis, et ideo homo, ex quo characterem ordinis habet, semper potest conficere, licet non semper ei liceat. Excommunicatio autem sequitur jurisdictionem, quæ auferri potest, et ideo excommunicatus, cui potestas auferatur jurisdictionis, excommunicare non potest.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis possit se ipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

Pro affirmativa. = Videtur quod aliquis possit se ipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

1. Homo potest excommunicare Angelum. Ergo inferior potest excommunicare superiorem.

Anteced. prob., quia Paulus excommunicavit Angelum de cœlo, ut patet ad Gal. 1. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.

Conseq. prob., quia Angelus Dei maior erat Paulo, dicitur enim Matth. 11. *de Joanne, quo nemo internatos mulierum surrexit maior.* Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.

2. Sacerdos aliquando excommunicat in generali, pro furto, vel pro aliquo hujusmodi. Sed potest esse quod ipsemet fecerit vel æqualis, vel superior. Ergo aliquis potest se, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

3. Aliquis potest absolvere in foro conscientiæ superiorem, vel æqualem, sicut cum Episcopus sacerdoti sibi subdito confitetur: et quando unus sacerdos alteri confitetur. Ergo videtur quod aliquis possit etiam excommunicare maiorem vel æqualem.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullus habet jurisdictionem supra se; cum in eadem causa non possit esse quis judex et reus. Nec in superiorem, nec in æqualem: cum jurisdictio superioritatem importet. Ergo nullus potest se ipsum, superiorem vel æqualem excommunicare.

Conseq. prob., quia excommunicatio est actus jurisdictionis.

Determinatio.

Conclusio. Nullus potest se ipsum superiorem et æqualem excommunicare

Prob. Ille qui potest excommunicare, habet jurisdictionem super eos quos potest excommunicare. Sed nullus supra se ipsum, superiorem vel æqualem jurisdictionem habet. Ergo nullus seipsum, æqualem vel superiorem potest excommunicare.

Maior patet, quia excommunicare est jurisdictionis actus, et ideo necesse est ut excommunicans jurisdictionem habeat super eos quos excommunicare potest.

Minor prob., quia per jurisdictionem constituitur aliquis in gradu superiori, respectu ejus, in quem habet jurisdictionem: quæ superioritas non potest esse ad se ipsum, nec ad æqualem, et multo minus ad superiorem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Apostolus loquitur ibi sub hypothesi, idest, si poneretur Angellus peccare; tunc enim ille Angelus non esset superior Apostolo, sed inferior; et quamvis utrumque sit inconveniens et impossibile, tamen consequentia est vera. In conditionibus enim potest esse vera consequentia, etiamsi antecedens et consequens sint impossibilia. Verum est enim quod si lapis loqueretur, haberet linguam. Sic etiam verum est quod si Angelus de cœlo Evangelizaret, præterquam quod evangelizaverat Apostolus, talis Angelus fuisset anathema: licet impossibile sit Angelum de cœlo aliter evangelizare, quam Apostoli evangelizaverint.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in tali casu nullus excommunicatur, quia par in partem non habet imperium.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de absolutione in foro conscientiæ, et de excommunicatione. Absolutio enim et ligatio in foro conscientiæ et confessionis est quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio superior, redditur inferior propter peccatum: excommunicatio autem est in judicio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem, ex hoc ipso quod peccat. Et propter hoc non est similis ratio de utroque foro. Et tamen nec etiam in foro confessionis potest se ipsum absolvere, nec superiorem, aut æqualem de mortali, nisi ex commissione sibi facta; de venialibus autem potest, quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus remittuntur. Unde remissio venialium sequitur potestatem ordinis.

ARTICULUS V.

Utrum in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit.

Pro affirmativa. = Videtur quod in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit.

1. Pro malitia, in qua aliquis contumax extiterit, debet excommunicatio ferri. Sed contingit quod aliqua universitas in malitia colligatur. Ergo potest in aliquam universitatem ferri excommunicatio.

2. Qui potest interdici á divinis, potest etiam excommunicari. Sed aliquando tota civitas interdicitur á divinis. Ergo tota civitas potest etiam excommunicari.

Maior prob., quia illud quod est gravissimum in excommuncatione, est separatio á sacramentis Ecclesiæ. Qui igitur potest á sacramentis interdici, potest etiam excommunicari.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. ord. super Matth. 13. ne forte colligentes zizania etc. ex Augustino Epist. 75. ad Aux. dicit quod *princeps, et multitudo non est excommunicanda.*

Determinatio.

Conclusio. Ecclesia provide statuit quod communitas non excommunicetur.

Prob. Cujus judicium Dei judicium debet imitari, provide statuit totam aliquam communitatem non esse excommunicandam. Sed Ecclesiæ judicium Dei judicium imitari debet. Ergo Ecclesia

provide et rationabiliter statuit aliquam totam communitatem non esse excommunicandam.

Maior manifestatur: nam nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali; peccatum autem mortale in actu consistit: actus vero sunt singularium, et non communitatis: et ideo singuli de communitate, non autem tota communitas excommunicari potest. Quod si multi in actu peccati mortalis convenirent, quod unus per se non posset, puta facere bellum injustum, non est tunc probabile, quod omnes de communitate consentiant in malum, sed possunt esse aliqui non consentientes malo actui. Unde si communitas excommunicaretur, condemnaretur justus cum impio, quod est contra divinum judicium, de quo dicitur Gen. 18. *Absit á te domine, ut perdas justum cum impio.*

Aliter. Qui potest excommunicari, potest mortaliter peccare. Sed tota communitas non potest mortaliter peccare. Ergo tota communitas excommunicari non potest.

Maior prob., quia excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali.

Minor prob., quia peccatum in actu consistit, actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter: et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem tota ipsa communitas. Quod si dicatur ad hanc rationem, quod immo tota communitas et omnes de communitate possunt convenire in unum peccatum mortale committendum; sicut multi possunt convenire ad trahendum navium: unde tota aliqua communitas posset convenire in hoc quod moveat bellum injustum contra aliquem; tunc enim tota communitas mortaliter peccaret, ac per hoc posset excommunicari.

Respondetur quod non est probabile, quod communitas aliqua in malum consentiat, ita quod non sint aliqui de communitate dissentientes, et quia judicium Ecclesiæ Dei judicium imitatur, in nullo casu debet totam aliquam communitatem excommunicare, ne justum cum impiis condemnet, et ne cum zizaniis eradicet triticum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Nam non est probabile quod aliqui de communitate non dissentiant peccato et malo, in quo multi excommunitate possunt convenire.

Ad 2. Negatur maior. Suspensio enim non est tanta pœna, quanta est excommunicatio, quia suspensi non fraudantur suffragiis Ecclesiæ, sicut excommunicati. Unde aliquis, etiam sine proprio peccato, suspenditur, sicut quando totum regnum supponitur interdicto pro peccato regis. Ad probationem dicitur, quod gravissimum excommunicationis est, separari á sacramentis, et suffragiis Ecclesiæ.

ARTICULUS VI.

Utrum ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari possit.

Pro negativa.=Videtur quod ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari non possit.

1. Illi qui sunt extra Ecclesiam, non possunt excommunicari. Sed illi qui sunt excommunicati, sunt extra Ecclesiam. Ergo illi qui sunt excommunicati, non possunt ulterius excommunicari.

Maior prob., quia Apost. dicit 1. Cor 5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare?*

2. Qui jam est separatus á divinis et á communione fidelium, non potest ulterius ab his separari. Sed excommunicatus est separatus á divinis, et á communione fidelium. Ergo excommunicatus, non potest iterum excommunicari.

Maior probatur, quia qui est privatus aliquo, non potest iterum illo privari, cum privatio non sucipiat magis et minus.

Minor prob., quia excommunicatio

est separatio quædam á divinis et á communione fidelium, ut dictum est q. præced.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Pœnæ omnes et medicinæ iterantur, cum hoc causa exigit. Sed excommunicatio est quædam pœna et medicinale remedium. Ergo excommunicatio potest iterari.

Determinatio.

Conclusio. Ille qui est excommunicatus una excommunicatione, potest iterum excommunicari.

Manifestatur: nam talis potest iterum excommunicari, vel per ejusdem excommunicationis reiterationem, ad maiorem sui confusionem, ut sic á peccato resiliat; vel propter alias causas. Et tunc tot sunt principales excommunicationes, quod sunt causæ, pro quibus aliquis excommunicatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod Apostolus loquitur de paganis et aliis infidelibus, qui non habent characterem, per quem annumerati sint populo Dei. Non autem loquitur de his qui per characterem annumerati sunt fidelibus. Character enim est indelebilis, et ideo qui semel characterem receperunt, semper remanent aliquo modo de Ecclesia, et per hoc de eis Ecclesia judicare potest.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod etsi privatio non recipiat magis et minus secundum se, recipit tamen magis et minus secundum suam causam. Et secundum hoc, excommunicatio potest iterari, et magis est elongatus á suffragiis Ecclesiæ, qui pluries est excommunicatus, quam qui semel tantum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 112.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem disjicias errorem *Antidiaphoristarum* dicentium: quod Episcopi nullam habent jurisdictionem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari á Conc. Antiocheno, sic. "Si quis Præsbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus deserta Ecclesiæ sua ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim tentet, quo migraverit, perpetuo manere, ulterius ministrare non debet, præsertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere, decernimus. Si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, et ipse á communi Synodo pœnam merebitur increpationis tamquam ecclesiastica jura dissolvens." Hæc ibi, et recitantur 7. q. 1. Nota ly jura ecclesiastica. Ergo Episcopus habet jurisdictionem, secundum Conc. et unusquisque distinctam á jurisdictione alterius. Facit et hoc Conc. pro q. 21. a. 2. cum Ecclesiam excommunicare debere aliquem dicat. Item á Leone Papa ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum sic. "Si quis Episcopus suae civitatis mediocritate despecta, administrationem celebrioris loci ambierit, et ad majorem se plebem quacumque ratione transtulerit: á cathedra quidem pellatur aliena, sed et carebit propria, ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisque sit, nec supra mensuras juris sui affectet augeri." Haec ibi, et recitatur 7. q. 1. Nota ly mensuras juri sui: ex quo dicto infert, ut supra. Item á Calisto Papa 1. ep. 2. ad omnes Galliarum Episcopos sic. "Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare, aut excom-

municare praesumat quia talis judicatio, vel ordinatio, aut excommunicare praesumat quia talis judicatio, vel ordinatio nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis, nisi sui, sententia tenebitur, aut damnabitur, etc. Sed hoc observet, quod ab Apostolis, ac patribus et praedecessoribus nosrtis est statutum, et á nobis confirmatum, idest si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio, ac voluntate comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, etc. Nullus ad possessionem accedat (quae ad eum non pertinet, et alterius Episcopi est parochiae) super cujusquam dispositione: nisi vocatus ab eo, cujus juris esse dignoscitur: aut quicquam ibi disponat, vel ordinet, aut judicet.» Nota ly judicis, et ly juris; quoniam his verbis ad litteram jurisdictio Episcopus assignata, et quidem ab Apostolis ipsis, etc. (ut ibi) decernitur. Item á Papa Martino V. in Conc. Constantiensi sess. 43. de exemptionibus. "Attendentes, quod, etc. nonnullas Ecclesias, monasteria, capitula, conventus, beneficia, etc. á jurisdictionibus ordinariorum, etc. nullatenus exempta de novo á dictorum ordinariorum jurisdictionibus exemerunt, etc. subjiciebantur ordinariae jurisdictioni, etc. Sacro approbante concilio, revocamus ecclesias, monasteria, et alia loca praedicta in pristinam ordinariorum jurisdictionem reducimus.» Item á Conc. Trid. sess. 6. c. 5. de refor. Item ab eod. sess. 14. c. 7. de poen. et e. 2. de refor. Item ab eodem sess. 25. c. 6. de refor. 2. et c. 17. ibid. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dici, extra de off. jud. ord. quasi per totum, quod Episcopi possunt excommunicare. Quod etiam facit ad q. 21. art. 2. ubi statuitur per Concilia hoc idem, sc. quod excommunicare possunt. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum pro quanto Episcopos jurisdictionem habere, et posse excommunicare, et sine jurisdictione excommunicationem non valere insinuant, et intelligas, et declares, et defendas. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas recte Matth. 18. insinuatum fuisse, quod etiam non sacerdotes possunt excommunicare, maxime si addideris Matth. 26. Insinuatum autem est hoc per ly *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Nam hic secundum planum contextum, *sit tibi sicut ethnicus,* loquitur de excommunicandi potestate, et loquitur ad non sacerdotes. Discipuli enim nondum sacerdotes erant, sed postmodum facti sunt. Matth. 26. in ultima cœna. Pro hoc igitur, quod excommunicandi potestatem tradit discipulis multo ante ultimam cœnam, manifestat, quod non sacerdotibus potest convenire excommunicandi potestas. Et vide differentiam. Quando eis daturus est clavem fori pœnitentialis, expectat, quod sint sacerdotes, et illis postea ipsam dat, dicens Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata.* etc. Hoc autem fit ad denotandum, quod potestas dimittendi peccata non potest, neque etiam ex commissione, convenire laico quantumcumque sancto. Quod facit pro quaest. 8. art. 1. et 2. et quaestion. 19. art. 3. et 4. Item habes: quomodo per rationem ostendere possis, merito esse dictum in Decretis distiction. 5. perlectis. *Solicitudo quoque parochiarum, et ordinatio, et jurgia ad ejusdem archidiaconi pertinent curam.* Unde argumentum trahitur, secundum glossam, quod Archidiaconi, licet non sint sacerdotes, possunt suspendere, et excommunicare, nisi consuetudo sit in contrarium, tamquam habentes potestatem ordinariam. Nemini autem dubium est: quod et his, et, quod plus est, laicis potest excommunicandi facultas convenire ex commissione Summi Pontificis, ut argumento est illud Alexand. II. *Præter hoc, etc. Ubi enim principia harum auctoritatum, etc. Scribit prædecessor noster Gregorius Rodulpho, et Bertulpho ducibus, etc. Quantum potestis, tales á sanctis ministeriis, ubi oportuerit, prohibeatis, etc.* Haec ibi, et recitantur distinc. 32. Ex commissione, dixi, summi Pontificis, quia alias jure suo non potest laicus excommunicare, ut dicitur á Synodo quadam recitata á Papa Symmacho, dist. 96. "Bene quidem, etc. Sancta Synodus dignetur edicere, si licuerit laico homini anathema in ordine ecclesiasticum dictare, etc. Sancta Synodus dixit: non licuit.» *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Evangelica, etc. pro quanto

etiam non sacerdotes excommunicare posse insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum Matth. 18. "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus. Quaecumque alligaveritis super terram," etc. Hic enim insinuatum est, quod excommunicatus non potest excommunicare. Auctoritas enim excommunicandi, ut patet ibi, datur Ecclesiæ: unde inquit: si Ecclesiam non audierit. Quasi dicat, qui excommunicaturus est alium, debet esse de Ecclesia. Cum igitur excommunicatus sit extra Ecclesiam, sequitur ab oppositis, esse de mente Evangelii, quod excommunicatus non potest excommunicare. Item habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse supra quaest. 19. art. 6. vel qu. 20. ar. 3. append. per decreta Patrum, quod excommunicatus non potest excommunicare. Vide ibi ex 24. qu. 1. citata ad litteram. cap. audivimus, cap. aperte, cap. Miramur. His nunc ex eadem qu. 1. addas cap. Ait Cœlestinus. Quamvis enim de haereticis loquatur secundum planissimum sensum, tamen adducta ibi ratio itidem verificatur de excommunicatis, idipsumque concludit. Introducit namque, quod quidam hæreticus jam ab Ecclesia per excommunicationem remotus excommunicavit quemdam alium: et respondet ipse Papa, quod talis ab eo excommunicatus non est excommunicatus. "Nec judicamus, inquit, cum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum." Ecce, quod Papa in hoc, quod ab Ecclesia remotus est, fundat vim rationis suæ: et in hoc excommunicatus, licet non est hæreticus, convenit cum hæretico, quandoquidem ab Ecclesia remotus est. Simili modo alia ibi, ut supra, citata expendas, et intelligas. Immo, excommunicatio tunc est nulla, quando fertur ab excommunicato secundum glos. "Sexti decretalium, titul. de sentent. excommunicat. capit. præsenti, ubi multa in suum favorem citat ipsa glossa. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto excommunicatum innuunt excommunicare non posse, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Papa *Innocentio III.* quod non potest quis excommunicare semetipsum, æqualem, vel superiorem. Hoc autem insinuavit tunc radicaliter, quando dixit Archiep. Cantuariensi scribens, et habetur de elect. et elect. potest. cap. Innotuit: "Quamvis canon Lateranensis Concilii ab Alexandro editus non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuat nullam esse: nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari potestate, immo eadem potestate functuris: cum non habeat imperium par in parem." Unde liquido patet, quod Concilium unum generale per censuras á se latas non intendit ligare, neque ligat Concilium generale posterius; ut dicit S. Th. determinans, quod in symbolo fidei licet explicatum fuit ly filioque, etiam stante censura Concilii prioris, quod nihil adderetur symbolo. Vide 1. par. qu. 36. art. 2. ad 2. conjungendo huic 2. 2. qu. 1. ar. 10. ad 2. Item á Nicolao Papa Michaeli Imperatori scribente: "nunc autem divina inspiratione, non nos pigebit, nec nobis impossibile erit, ostendere, si tamen audire velitis, non posse quemquam rite ab his, qui inferioris dignitatis, vel ordinis sunt, judicialibus submitti definitionibus. Haec ibi; et recitantur dist. 21. Item in ead. ab eod." Submittitur Ignatius minorum, inferiorum, et subjectum deliberationibus é contra sacris canonibus praecipientibus, et exemplis sanctorum Patrum: semper ubi est major auctoritas, eumdem esse, ut in omnibus controversiis ad potioris sedis judicia dirigantur: quod non solum á catholicis, verum etiam ab ipsis constat observandum esse haereticis. Item ab eod. in ead. cit. dist. In tantum hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum Antistitem inter cætera potissimum idcirco sine ulla restitutione damnaverint, quia ponens in cœlum os suum, lingua ejus transeunte super terram, ex-

communicationem in sanctum Leonem Papam dictavit. Item á Concilio Martini Papæ: Presbyter, præsente Episcopo, non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum » Hæc ibi: et recitantur dist. 95. Unde patet á fortiori, quod inferior excommunicare non potest superiorem. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto nullum dicunt posse excommunicare seipsum, æqualem, aut superiorem, et intelligas, et declares, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod universitas excommunicari non potest. Hoc autem insinuatum est Matth. 18. " Si peccaverit in te frater tuus, etc. sit tibi, sicut ethnicus, etc. Quæcumque alligaveritis super terram, » etc. Vides enim hic, quod, quando datur potestas excommunicandi, datur autem per ly quæcumque alligaveritis, etc. praemittitur sermo de singulari persona per ly frater tuus, et non de communitate tota. Ac si dicatur per hoc, quod excommunicari potest persona, non autem tota communitas. Item Matth. 10. insinuatum est idem per ly " in viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaratinorum ne intraveritis. » Hic enim interdicuntur duæ totæ communitates, sc. Samaritani, et gentes: quæ tamen, juxta superius dicta Matth. 18. excommunicandæ non erant. Item ab innoc. IV. in Concil. Lugdunensi sic. Romana Ecclesia, etc. " In universitatem, vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod ex inde sequi posset, cum nonnumquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos dumtaxat de collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur. » Hæc ibi, et recitantur, de sent. excomm. in 6. Item á Bonifacio VIII. sic. " Quamquam pedagiorum exactiones, etc. Qui vero contrafecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis, si autem collegium, vel universitas castri, civitatis, seu loci alterius cujuscumque, ipsa civitatis, castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant. » Hæc ibi, et recitantur de censibus in 6. Item á Papa Jo. 22. sic. " Si fratrum, et cœpiscoporum, etc. Alioquin in omnes, et singulos Patriarchas, Prælatos, et superiores, et inferiores, reges, etc. nisi infra duorum mensium spatium á die datæ praesentium numeranda penitus resipuerint, vel se licentia sedis Apostolicae super hoc ostenderint communicatos, ex communicationis in singulares personas, et in terras, et loca ipsorum, et quaslibet communitates, universitates, villas interdicti sententias de fratrum nostrorum consilio publice promulgamus. » Haec ibi, et recitantur ju extravagan. Jo. 22. Ne sede vacan. aliq. innov. Item á Papa Bonifacio VIII. " Si ad Episcopum, et capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo Episcopo, vel á beneficiorum collatione suspenso, poterit capitulum vacantes conferre praebendas, etc. Idem poterit Episcopus, si capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat: vel singulariter omnes de capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. » Heec ille, et recitantur, ne sede vacan. aliq. innov. in 6. Ecce, quod secundum omnes hos Pontifices Maximos, universitas excommunicari non debet. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta patrum, et scripturarum, pro quanto in universitatem excommunicationem ferri non debere insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse insinuatum á Conciliis, et summis Pontificibus; quod excommunicatus potest iterum excommunicari, sive ex eodem facto, sive ex diversis. Id autem insinuatum fuit á Papa Gregorio IX. in Concilio generali Lugdunensi, sic. Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, etc. Eos, qui absolutionem hujusmodi vi, vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. » Hæc ibi, et recitantur de his, quæ vi, et met. can. fin. in 6. Si vis videre hunc canonem totaliter ad litteram: vide supra q. 21. a. 4. not. post conclusionem 4. Ecce, quod excommunicatus jam, quia quærit absolutionem inferendo vim, vel metum, iterum excommunicandus decernitur á Papa, sacro approbante Concilio. Item ab Alexandro III. in Concil. Lateranensi. " Ita quorumdam, etc. tales igitur ab ecclesiastica commu-

nione præcisos, et excommunioni subjectos rerum suarum per Principes Catholicos, et consules civitatum mulctari, et capientium fieri servos censemus. Præcipimus etiam, ut per Ecclesias maritimarum urbium crebra, et solemnis in eos excommunicatio proferatur. Hæc ibi; et recitantur de Judæis, etc. Nota Iy, crebra, et solemnis excommunicatio in eos proferatur. Item á Papa Adriano II (ut refertur in Synodo 8. Constantinopo. act. 7.) « Photium, qui. licet á prædecessore nostro, et á nobis pro criminibus ante patratis damnatus jure, et anathematizatus sit, nunc tamen, quia recentioribus excessibus priores iniquitates transcendit, et ponens in cœlum os suum adversus veneranda Sedis Apostolicæ privilegia nova temeritate prorupit, cui resistere minime formidavit, Apostolicæ auctoritatis censura iterato damnamus, anathetis nexibus innodamus. » Hæc ille, cujus sententiæ subscripserunt alii Episcopi. Item á Papa Clemente V. in Concilio Viennensi. " Gravi nos, etc. Necnon excommunicatos publice, et interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim á celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere præsumpserint, excommunicationis sententia (á qua per sedem dumtaxat Apostolicam possint absolvi) sacro approbante Concilio innodamus. » Hæc ibi, et recitantur de sentent. excommun. Clement. Item á Joanne VII. Papa. " Engeltrudam novis anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit, crebro percussam esse. » Hæc ille; et recitantur 3. 4. Nota Iy crebro. Faciunt etiam aliqua hic dicta pro qu. 24. art. 3. Unde mirandum non est, immo tamquam regula tenendum, quod pro diversis motivis adducuntur iidem canones in diversis locis articulorum: nam ad plura loca secundum diversas consideraciones valent. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto semel excommunicatum sentiunt posse denuo excommunicari, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA TERTIA,

DE PARTICIPATIONE CUM EXCOMMUNICATIS IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de participatione cum excommunicatis.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum liceat excommunicato participare in pure corporalibus.

Secundo, utrum participans excommunicato sit excommunicatus.

Tertio, utrum participare excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale.

ARTICULUS I.

Utrum liceat excommunicato communicare in pure corporalibus.

Pro affirmativa. = Videtur, quod liceat alicui communicare excommunicato in pure corporalibus.

1. Potestas clavium se extendit tantum ad spiritualia. Sed excommunicatio est actus clavium. Ergo per excommunicationem non prohibetur quin unus alteri in corporalibus communicare possit.

2. Quod est pro charitate institutum contra charitatem non militat. Sed excommunicatio est pro charitate instituta; scilicet ad procurandam alterius salutem. Ergo excommunicatio non militat contra charitatem. Sed si non liceret communicare cum excommunicato in temporalibus saltem, militaret contra charitatem, ex cujus præcepto tenemur inimicis subvenire, quod sine aliqua communicatione fieri non potest. Ergo cum excommunicato, in temporibus saltem, communicare possumus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cor. 5. dicitur: *Cum excommunicatis, nec cibum sumere licet.*

Determinatio.

Distinctio. Duplex est excommunicatio.

Una minor, altera maior. Excommunicatio minor est illa quæ separat tantum á participatione sacramentorum, sed non á communione fidelium. Excommunicatio autem maior est, quæ separat hominem et á sacramentis Ecclesiæ et á communione fidelium.

1.ª Conclusio. Excommunicato minori excommunicatione licet communicare, non tamen licet ei sacramenta conferre.

Manifestatur, quia ut dictum est, minor excommunicatio non separat á communione fidelium, sed solum á participatione sacramentorum.

2.ª Conclusio. Excommunicato maiori excommunicatione non licet communicare, nisi in aliquibus casibus.

Probatur quantum ad primam partem, quia excommunicatio maior, ut dictum est, separat á communione fidelium, ac per hoc, non licet fidelibus, tali excommunicato communicare. Quantum vero ad secundam partem probatur et declaratur. Probatur, inquam, quia Ecclesia inducit excommunicationem ad medelam, et non ad interitum; ideo in casibus qui pertinent ad salutem, licite potest fidelis talis excommunicato participare.

Declaratur autem: nam quinque sunt casus in quibus potest quis excommunicato; maiori excommunicatione participare.

Primo, licet alicui communicare excommunicato in his quæ pertinent ad salutem, quibus potest alia verba interserere, ut facilius verba salutis ex familiaritate recipiantur.

Secundo, si ad aliquos pertineat provisio excommunicati, ut sunt uxor, filii servi, rustici et servientes. Sed hoc intelligendum est de filiis non mancipatis. Mancipati enim tenentur vitare patrem excommunicatum. De aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderint; non autem si post. Quidam tamen intelligunt é converso, scilicet quod superiores possunt licite communicare inferioribus excommunicatis; puta quod domini possunt licite communicare servis excommunicatis. Alii vero é converso quod inferiores possunt licite communicare superioribus excommunicatis. Verum tam superiores, quam inferiores, possunt excommunicatis communicare in his in quibus sunt eis obligati. Inferiores enim obligantur ad obsequium superiorum, et superiores ad providentiam inferiorum. Unde in his licet utrisque excommunicatis communicare.

Tertio, licet communicare excommunicatis, quando ignoratur, quod sint excommunicati.

Quarto, quando aliqui peregrini, vel viatores sunt in terra excommunicatorum, tales enim possunt licite ab eis emere, vel etiam eleemosynam accipere.

Quinto, si aliquis videat excommunicatum esse in necessitate, tunc enim ex præcepto charitatatis tenetur ei providere. Et isti casus hoc versu continentur.

Utile. Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Utile refertur ad verba salutis. Lex ad matrimonium. Humile ad subjectionem. Res ignorata, scilicet si ignoretur aliquem esse excommunicatum. Necesse scilicet quando excommunicatus est in necessitate constitutus. Vel etiam si aliquis sit in statu necessitatis, ita ut ab excommunicatis debeat emere vel aliquid accipere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Quia enim corporalia ad spiritualia ordinantur, potestas quæ se extendit ad spiritualia, ut est potestas clavium, potest etiam se extendere ad corporalia. Sicut etiam ars quæ est de fine, imperat de his quæ sunt ad finem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod in illo casu, in quo aliquis ex præcepto charitatis communicare tenetur, non prohibetur communicatio cum excommunicato, ut ex dictis in corpore patet.

ARTICULUS II.

Utrum participans excommunicato, sit excommunicatus.

Pro negativa. ==Videtur, quod participans excomunicato, non sit excommunicatus.

Ille qui participat gentili, vel judæo, non est excommunicatus. Ergo nec ille qui participat excommunicato.

Conseq. prob., quia magis est separatus ab Ecclesia gentilis et judæus, quam excommunicatus.

2. Si ille qui participat alicui excommunicato, sit excommunicatus, eadem ratione, qui participat participanti, erit excommunicatus; et sic in infinitum quod videtur absurdum. Ergo non est excommunicatus, qui excommunicato participat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Qui participat cum eo qui est positus extra communionem, est excommunicatus. Sed qui participat cum excommunicato, participat cum eo qui positus est extra communionem Ecclesiæ. Ergo est excommunicatus.

Maior probatur, quia talis á communione Ecclesiæ recedit.

Determinatio.

Conclusio. Participans excommunicato in casibus non concessis, est excommunicatus, quandoque quidem maiori, quandoque vero minori excommunicatione.

Manifestatur: Excommunicatio potest in aliquem ferri dupliciter. Uno modo, ut ipse sit excommunicatus, cum omnibus ei participantibus; et tunc non est dubium quod quicumque participat ei, est excommunicatus maiori excommunicatione. Alio modo, ut sit excommunicatus simpliciter; et tunc aut aliquis participat ei in crimine, pro quo est excommunicatus, præbendo ei consilium, auxilium, vel favorem; et sic iterum est excommunicatus maiori excommunicatione. Aut participat ei in aliis, sicut in verbo vel in osculo, vel in mensa; et sic est excommunicatus minori excommunicatione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod etsi gentilis, vel judæus sit magis, quam excommunicatus, ab Ecclesia separatus; quia tamen Ecclesia non intendit corrigere infideles sicut fideles quorum cura sibi incumbit; ideo non ita arcet á communione infidelium, sicut á communione illorum fidelium quos excommunicat, super quos aliquam habet potestatem.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod excommunicato minori excommunione licet communicare: Unde excommunicatio non transit in tertiam personam.

ARTICULUS III.

Utrum participare cum excommunicato in casibus non concessis, semper sit peccatum mortale.

Pro affirmativa. ==Videtur quod participare cum excommunicato in casibus non concessis, semper sit peccatum mortale.

1. Decretalis quædam quæ habetur lib. 1. Decret. tit. 40. De his quæ vi, metusque causa fiunt. cap. 5. « *Sacris.* Respondet quod « propter metum mortis «non debet aliquis excommunicato communicare: et rationem assignans, subdit, quia aliquis debet prius subire mortem, quam mortaliter peccet.» Quæ ratio nulla esset; si participare cum excommunicato, non semper esset peccatum mortale.

2. Facere contra præceptum Ecclesiæ, est peccatum mortale. Sed communicare cum excommunicato, est facere contra præceptum Ecclesiæ. Ergo participare cum excommunicato est peccatum mortale.

Maior prob., quia Ecclesia præcipit quod excommunicato nullus communicet.

3. Illud propter quod aliquis arcetur á perceptione Eucharistiæ, est peccatum mortale. Sed ille qui participat excommunicato in casibus non concessis, arcetur á

perceptione Eucharistiæ. Ergo participans excommunicato, in casibus non concessis, peccat mortaliter.

Maior prob., quia nullus arcetur á perceptione Eucharistiæ pro peccato veniali.

Minor prob., quia participans cum excommunicato in casibus non concessis, incurrit minorem excommunicationem.

4. Nullus debet excommunicari majori excommunicatione, nisi pro peccato mortali. Sed ille qui participat excommunicato, in casibus non concessis, potest secundum jura excommunicari maiori excommunicatione, ut habetur 11. quæst. 3. cap. 3. et sequen. Ergo participare excommunicato, est peccatum mortale.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud de quo quis potest absolvi á quolibet sacerdote, non est peccatum mortale. Sed quilibet sacerdos potest absolvere á participatione cum excommunicato. Ergo hujusmodi participatio non est peccatum mortale.

Maior prob., quia á peccato mortali nullus potest absolvere, nisi super eum habeat jurisdictionem.

2. Pro participatione cum excommunicatis, secundum communem consuetudinem, non imponitur pœna debita peccato mortali, sed veniali. Ergo hæc participatio non est peccatum mortale, sed veniale.

Conseq. prob., quia pro mensura peccati debet esse pœnæ modus, ut habetur Deut. 25.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod quandocumque aliquis participat excommunicato verbo, vel quocumque dictorum modorum, secundum quos ei communicare non licet. peccat mortaliter, nisi in casibus á jure concessis 11. quæst. 3. cap. 100. et 101.

Reprobatio et vera sententia.

Sed quia hoc valde grave videtur, quod homo pro uno levi verbo, quo excommunicatum alloquitur mortaliter peccet. Et quia etiam excommunicantes injicerent multis damnationis laqueum, quod in eos retorqueretur, ideo aliis probabilior videtur sequens.

Conclusio. Participare cum excommunicato, in casibus non concessis, non est semper peccatum mortale, sed solum quando ei participatur in crimine, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ.

Que conclusio, ut manifesta, relinquitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Decretalis illa loquitur de participatione in divinis. Vel etiam dicitur quod ratio illa vera est etiam de peccato veniali: est enim potius mors eligenda, quam etiam venialiter peccare.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod præceptum Ecclesiæ directe respicit spiritualia, et ex consequenti legitimos actus, et ideo qui communicat excommunicato in divinis facit contra præceptum, et mortaliter peccat. Qui autem ei participat in aliis, facit præceptum et non peccat mortaliter.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. negatur assumptum. Aliquis enim etiam sine aliqua propria culpa, quandoque ab Eucharistia arcetur, sicut patet in suspensis, vel interdictis, quia tales pœnæ quandoque pro culpa alterius, quæ in eis punitur, inferuntur.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod quamvis participare cum excommunicato, sit peccatum veniale, tamen participare ei pertinaciter, est peccatum mortale, et propter hoc potest aliquis, secundum jura excommunicari.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 113.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem elidas errorem *Joannis Wicleff*, ut refertur qu. 21. art. 1. append. dicentis: excommunicationem non esse timendam. Cui concordat Lutherus, ut ibi. Vides enim hic; quantis incommodis excommunicatio afficiat excommunicatum; ut non tantummodo illum, sed etiam alios sibi comparticipes vehementer damnificet. Et ratione hac adducitur nunc prædictus error. Unde colligitur, quod dicere, excommunicationem non esse, et maxime quidem, timendam, stultissimum est. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem, pro quanto latenter innuit, quod communicantes excommunicato non damnificantur, merito damnari á Papa Urbano sic. " Quibus Episcopi non communicant, non communicetis, et, quos ejecerint, non recipiatis. Valde enim est timenda sententia Episcopi, licet injuste liget. » Hæc ibi. 11. q. 3. Facit hoc dictum Urbani magnopere pro qu. 21. art. 4. Excommunicationem enim injustam ligare, est ipsam habere aliquem effectum. Item á Synodo 8. " Si quis frater aut palam, aut absconse cum excommunicato fuerit locutus, aut junctus communione, statim cum eo excommunicationis contrahit pœnam. » Hæc ibi. 11. qu. 3. Intellige de excommunicatione minori ly *excommunicationis contrahit pœnam*: quamvis etiam excommunicationem majorem contrahat in aliquibus casibus cum excommunicato participans, infra art. 2. Item á Concilio Carthaginensi 4. " Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur: si clericus, deponatur. Hæc ibi. 11. q. 3. Item á Callisto Papa epist. 2. ad omnes Galliarum Episcopos. " Excommunicatos quosque á sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat, quia, quicumque in his, vel aliis prohibitis, excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem et ipsi simili excommunicationi subjacebunt. Ab his ergo clerici, et laici, se abstineant, qui eadem pati noluerint. » Item á Beato Petro Apostolo in ordinatione Clementis. " Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum ille nolite amici esse: sed prudenter observare debetis, et voluntati ejus absque commonitione obsecundare, et avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur: ut unusquisque, qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias reparare, festinet citius reconciliari ei, qui omnibus præest, et per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si vero quis amicus fuerit his, quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his, quibus ipse non loquitur: unus est et ipse ex illis, qui exterminare volunt Ecclesiam Dei, et, cum corpore vobiscum esse videatur, mente, et animo contra vos est. » Hæc ibi: et recitantur in Epistola 1. Clementis 1. Papæ ad Jacobum fratrem Domini. Adeo igitur excommunicatio timenda est, et hoc contra Wicleff, propterea hic adductum, ut etiam aliis ab excommunicato valde timenda sit. Item á Fabiano Papa epistola 1. sic: " Apostoli statuerunt dicentes, cum excommunicatis non est communicandum. Et, si quis cum excommunicatis, avertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut oraverit, ille communione privetur. » Item á canone undecimo Apostolorum. " Si quis cum excommunicato, saltem in domo, locutus fuerit, iste communione privetur. Item á Concilio Arelatensi, ut supra q. 21. art. 3. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto communicationem in pure corporalibus cum excommunicato non licere dicunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Joannis Wicleff*, et *Lutheri* (ut refertur q. 21. art. 1. append.) dicentium, excommunicationem non esse timendam. Item Lutheri ejusdem addentis esse procurandam, et non privare hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. In tantum enim ti-

menda est et per articulum hunc, ut etiam participanti cum excommunicato propter damnum sibi inde sequens valde timenda sit. Unde et spiritualibus Ecclesiæ orationibus communibus non tantum privat excommunicatum, sed etiam participantem cum eo, utpote eum, qui ex tali participatione excommunicationem saltem minorem incurrat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos (pro quanto participantem cum excommunicato ab omni damno excommunicationis immunem faciunt) damnari merito á Papa Innocentio III. " A nobis ex parte tua fuit quæsitum, utrum is, qui excommunicato in locutione, vel oratione scienter communicat, excommunicatum ipsum á sua possit accusatione repellere, etc. Respondemus quod ipse ab accusatione illius poterit removeri, cum primus á communione fidelium sit exclusus, secundus vero tantum á sacramentorum participatione sit remotus. » Hæc ille de exceptionibus. Nota ly primus, et ly secundus. Primus enim ille excommunicatus erat majore, et volebat secundum accusare: et secundus erat ex locutione, vel oratione habita cum primo excommunicatus minore, et contendebat repellere primum á sui accusatione. Item ab eod. Innocen. Nuper á nobis, etc. " In secunda quæstione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat scienter, in crimine communicet criminoso ei consilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut alias in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, et participet criminoso, ac per hoc videatur ratione damnati criminis delinquere in eum, qui damnavit, ab eo, vel ejus superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda, cum facientem, et consentientem pari poena constringat, etc. In secundo vero casu á suo Episcopo, vel á proprio sacerdote, poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim et tunc non judicis, sed juris sententia excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonis absolutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso videtur concessisse facultatem aliis relaxandi. » Hæc ille de sent. excom. Vide, quam differentiam faciat inter excommunicatum ob participationem in crimine criminoso, idest propter quod lata fuerat excommunicatio, et inter excommunicatum ob participationem in aliis. Faciunt ista Papæ Innoc. etiam ad qu. 24. art. 2. si bene applicentur. Item á Gregor. IX. scribente Actoricensi Episcopo. "Si concubinæ publicæ clericorum Ecclesiasticæ censuræ districtione notantur, eosdem concubinarios non est dubium majoris excommunicationis sententia involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine. » Hæc ille de sent. excom. Item ab Innoc. IV. in Concil. Lugdun. " Statuimus, ut nullus judicum participet cum excommunicato ab eo in locutione, et aliis, quibus ligatu participans excommunicatione minori, etc. salvis constitutionibus legitime promulgatis contra illos, qui in crimine præsumunt participare damnato. » Hæc illle de sent. excom. in 6. Item á Concil. Antiocheno cap. 2. " Non liceat communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, cum eis orare, qui Ecclesiæ non participant in oratione: nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si quis Episcoporum, vel presbyterorum, vel diaconorum, vel etiam, qui in canone detinentur, excommunicato communicare deprehensus fuerit, et hunc oportet communione privari, tamquam Ecclesiæ regulas confundentem. » Item á Synodo 5. Constantinopolitana consess. 7. " Placuit universo Concilio; ut, qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam. » Item á Concil. Antisiodorensi can. 39. " Si quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatum, absque voluntate ipsius, qui eum excommunicavit, sciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententiæ subjacebit. » Item, á, etc. ut supra art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem Patrum antedicta, pro quanto participantem excommunicato insinuant esse excommunicatum, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem deturbes errorem *Waldensium* et post Joannis Wicleff, demum Lutheri (et ait Reverend. Dominicus Soto de just. et jure, lib. 1. q. 7. art. 3.) dicentium, quod neque in Pontifice maximo, neque in tota Ecclesia ulla est potestas condendi leges morum. Item quorumdam dicentium, quod leges ecclesiasticæ non ligant in foro conscientiæ. Ex primo dicto, crediderim ego, quod Wicleff parturivit istum alium errorem (hic ei tribuitur á Concilio Constantiensi sessione 8.) videlicet, quod decretales epistolæ sunt apocryphæ, et seducunt á fide Christi, et sunt stulti, qui student eis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito fuisse damnatos á Leone X. in Bulla errores Lutheri: quam damnationem vide q. 1. art. 1. append. et 3. par. q. 68 art. 9. Item á Concil. Constantiensi sess. 8. cujus damnationem contra Wicleff. vide q. 20. art. 3. app. Item ab Anacleto Papa III. post Petrum, qui fuit natione Græcus et á B. Petro presbyter factus, in Epist. 3. "Si quæ vero causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad caput, referte, ut Apostolico terminentur judicio, quia sic dominum velle ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc vero Apostolica Sedes (ut prætactum est) omnium ecclesiarum caput á Domino, et non ab alio constituta est. Et sicut cardine ostium regitur; sic hujus sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente, reguntur.» Ecce, quod Romanus Pontifex habet auctoritatem et á Domino quidem, condendi canones, et plusquam omnes alii. Item á Marcello Papa, et martyre in epist. 1. ad Episcopos Antiochenæ provinciæ. "Rogamus vos, fratres, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quam quod á Beato Petro Apostolo, et á reliquis Apostolis, et Patribus accepistis, etc. Ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus, tu es Petrus, et super hanc petram, etc. Ejus sedes primitus apud vos fuit, quæ postea (jubente Domino) Romam translata est, etc. Si vestra Antiochena, quæ olim prima erat Romanæ, cessit Sedi, nulla est, quæ ejus non sit subjecta ditioni, ad quam omnes quasi ad caput juxta Apostolorum, eorumque successorum sanctiones, Episcopi, quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem, et liberationem, unde acceperunt informationem, atque consecrationem, etc. Episcoporum judicia, et summarum causarum negotia, sive cuncta dubia Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda, et finienda. Et omnia conprovincialia negotia hujus sanctæ universalis et Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda judicio si hujus Ecclesiæ Pontifex præceperit.» Hæc ibi, et recitantur partim 24. q. 1. rog. et partim. 2. q. 6. ad Romanam Ecclesiam. Ecce, quanta est auctoritas Pontificis Romani, et sanctionum, idest decretorum, seu canonum ejus, contra Wicleff et socios. Item á Nicolao I. Papa "Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut, quod vere Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, et, quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, quanto potius ea, quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis, et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus (discretione, vel dispensatione magistra) reverenter assumi,» etc. Hæc ille scribens Archiepiscopis, et Episcopis per Galliam constitutis, et recitantur dist. 19. cap. Item ab eodem scribente ád clerum Constantinopolitanum. Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque injuria estis redarguendi. Si vero habetis, et non observatis, de temeritate estis corripienti, et increpandi.» Hæc ibi: et recitantur d. 20. c. fi. Ecce quantum robur obtineant Romarum Pontificum decreta, Canones, atque leges. Item á Conc. Lateranensi sub Leone X. sess. 15. sive á Leone ipso ibi sacro eodem approbante Conc. "Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum, sacrorumque Cano-

num decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat, quorum aliqua referre placuit; reliqua vero (utpote notoria) silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo legimus. Nicœnam Synodum statuisse: non debere absque Romani Pontificis Auctoritate Concilia celebrari. Neq. nos latet, Leonem I. Pontific. Ephesinam Synodum secundam ad Chalcedonensem transtulisse, Martinum Papam V. Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium (nulla consensus ipsius Concilii mentione habita) dedisse: Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino. Chalcedonensem Leoni I. sextam Agathoni, septimam Hadriano, octavam Nicolao Romanis Pontificibus maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus, et mandatis in sacris Conciliis per eos editis, et factis reverenter, et humiliter obtemparasse, etc. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in suis Consiliis gesta fuerunt, corroboratione, á Romanis Pontificibus subscriptionem, aprobationemque humiliter petere, et obtinere, prout ex Nicœna, Ephesina, Chalcedonensi, sexta Constantinopolitana, septima eadem Nicœna, Romana sub Symmacho, sinodis habitis, earumque gestis manifeste colligitur.» Ecce quantum Concilia venerentur Canones, leges, sive decreta Romanorum Pontificum in moribus dirigendis, et adeo, ut illorum Pontificum decreta ipsa propris legibus anteponant, quamvis Wicleff. hoc ipsum intelligere noluerit, ut bene ageret. Ex illo dicto Leonis, scilicet *tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem*, verus insinuatur sensus Concilii Constantiensis in session. 4. 5. definientis, quod Concilium generale habet immediate potestatem á Christo, cui quilibet etiam dignitatis Papalis, obedire tenetur. Ex illo, inquam, dicto Leonis habetur, quod sensus verus definitionis ipsius est solum pro casu tali, scilicet Schismatis in quo tunc reperiebatur, Constantiense Concilium loqui, et intelligi velle, non autem absolute. Licet enim nullum generale Concilium legitimum destruat aliud: nam Deus, Conciliis ipsis semper assistens, non est Deus dissensionis, sed pacis; unum tamen ipsorum, scil. posterius, solet declarare aliud, scil. prius: quando clariori notitia prioris opus est, 1. q. 50. art. 1. appen. et q. 39. art. 2. ad 2. Facit ad eumdem verum sensum, quem diximus, Concilii Constantiensi Eugenius IV. Papa in libello suo apud Florentiam promulgato, qui incipit Moyses servus Dei. Ibi sequidem dicit, quod Concilium Basileense in sensum malignum, et á sana doctrina penitus alienum pertraxit Concilium Constantiense in hoc, quod ipsum Basileense definierat, Concilia generalia habere immediate potestatem á Christo, et esse supra Papam; quam definitionem prædictus Eugenius damnat, et reprobat ad sensum Basileensem. Nec immerito quidem sic loquitur Eugenius, juxta, de regulis juris, in lib. 6. regula 88. "Certum esi, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem." Nam Concilium Basileense verba decreti Constantiensis amplectens contra voluntatem ejusdem Constantiensis eadem verba, non sine gravissimo Ecclesiæ scandalo, factis etiam ipsis retorquebat. Illa enim quæ Constantiense respectu solum Papæ incerti, et determinaverat, et intelligi voluerat, Basileense contra omne jus trahebat in diversum, idest, ad standum etiam respectu Papæ indubitati: qualis erat Eugenius ipse. Valet multum ad omnia præmissa Pii II. Papæ Bulla retractionum omnium scriptorum per eum adhuc in minoribus agentem pro Concilio Basileensi, et contra Eugenium IV. summum Pontificem. Vide illam totam in tomis Conciliorum ante Lateranense novissimum positam, quoniam dignissima est, et scitu necessaria continet. Vide infra q. 17. alias 40. art. 6. in text. et elucid. Firmissime igitur ex his tenendum est, quod Papa indubitatus, idest, non per schisma, sed canonice electus, est caput Vicarium Christi super totam Ecclesiam catholicam, et immediate habens plenitudinem potestatis ab ipso Christo. Item damnantur errores prædicti in principio appendicis á quinta Synodo Constantinopolitana, confess. 1. "Suscipimus autem, et amplectimur epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quam Leonis sanctæ memoriæ de recta fide scriptas, et de quatuor sanctis Conciliis, et cæt. necessarium est conferri de tribus capitulis, unde quibusdam

quæstio nata est. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, finem quæstioni imponi Deo placitum, » etc. Ecce, quod Romanus Pontifex, hic erat Vigilius Papa, cui tunc scribebant, præsidet Conciliis, decretisque suis, finem Deo placitum quæstionibus exortis imponit. Item á quinta Synodo Constantinopolitana, actione prima. " Dominus Ecclesiæ suæ donavit illud scutum semper inexpugnabile adversus hæreses excitando spiritum Agappeti Romani Pontificis, etc, neque semel suscipere voluit Anthimum furentem contra divinos canones etc. sed injuriam sacrorum, ac divinorum Canonum vindicans. etc. Imperatore nostro catholicam fidem, et divinorum Canonum auctoritatem adjuvante " Ubi vides. quod non semel Concilium canones Pontificios vocat sacros, atque divinos, quos Wicleff cum suis ita conclucat. Item á Concilio Toletano III. decretorum suorum cap. 3. " Nunc pace Ecclesiæ Christi misericordia reparata, omne, quod priscorum Canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, et agatur omne, quod præcipit fieri. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constitutiones, simul et sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ. Nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra Canonum statuta aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres spiritus Dei pleni sanxerunt, debere non fieri. Et qui præsumpserint severitate priorum Canonum distringantur. » Ubi vides de mente Concilii esse quod Præsulum Romanorum epistolæ, et canones á spiritu Dei proficiscantur. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse insinuatum á summis pontificibus Gregorio VIII. et Innocentio III. quod participans cum excommunicato simpliciter non incurrit peccatum mortale: dummodo non in contemptum pertinaciter, ac in divinis fiat. Vide supra art. 1. not. post probat. conclus. 1. et art. 2. append. ly nuper á nobis, etc. et bene applica: specialiter ponderando differentiam participantium cum excommunicatis positam ab Innocentio. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto insinuant, quod participare cum excommunicato in casibus non concessis, non semper est peccatum mortale, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA CUARTA,

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de absolutione ab excommunicatione.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

Secundo, utrum aliquis possit invitus ab excommunicatione absolvi.

Tertio, utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, et non ab alia.

ARTICULUS I.

Utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

Pro affirmativa.=Videtur quod quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

1. Quilibet sacerdos potest absolvere subditum suum á peccato. Ergo multo fortius potest absolvere ab excommunicatione.

Conseq. prob., quia maius est vinculum peccati, quam excommunciationis.

2. Quilibet sacerdos potest absolvere suum subditum á peccato mortali, propter quod aliquis est excommunicatus. Ergo quilibet sacerdos poterit etiam absolvere ab excommunicatione.

Conseq. prob., quia remota causa, removetur effectus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdotes inferiores non possunt suos

subditos excommunicare. Ergo nec possunt ab excommunicatione absolvere.

Conseq. prob., quia ejusdem potestatis est excommunicare, et excommunicatum absolvere.

Determinatio.

Distinctio. Excommunicatio est duplex, scilicet minor et maior, de quibus supra pluries dictum est.

Subdist: Excommunicatio maior est duplex. Quædam est lata á judice; Et quædam á jure.

1.ª Conclusio. A minori excommunicatione potest absolvere omnis, qui potest absolvere á peccato participationis.

2.ª Conclusio. Ab excommunicatione maiori lata á judice, potest absolvere qui excommunicationem tulit, vel ejus superior.

Quæ conclusiones, ut per se manifestæ, relinquuntur.

3.ª Conclusio. Ad excommunitione lata á jure, potest absolvere Episcopus, vel etiam sacerdos, exceptis tamen casibus quos sibi juris conditor, idest Papa reservavit.

Manifestatur, quantum ad ultimam partem. Nam Papa, qui est juris conditor, reservavit sibi sex casus absolvendi ab excommunicatione.

Primus est. Quando aliquis injicit manus in Clericum, vel in Religiosum.

Secundus. De illo qui frangit Ecclesiam, et est denunciatus.

Tertius. De illo qui incendit Ecclesiam, et est denunciatus.

Quartus. De illo qui in divinis scienter communicat excommunicatis nominatim á Papa.

Quintus, De illo qui falsificat literas Apostolicæ Sedis,

Sextus. De illo qui excommunicatis in crimine communicat: talis enim non debet absolvi, nisi ab eo qui illum, cui communicat, excommunicavit; etiam si non sit ejus subditus, nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum, absolveretur ab Episcopo, vel á sacerdote proprio, præstita juratoria cautione, quod parebit mandato illius judicis qui sententiam tulit.

A primo autem casu excipiuntur octo casus, in quibus aliquis potest absolvi ab alio, quam á Papa.

Primus est. Si ille sit in articulo mortis, in quo á qualibet excommunicatione potest quis á quolibet sacerdote absolvi.

Secundus: Si sit ostiarius alicujus potentis, et non ex odio, vel proposito percussit.

Tertius: Si percutiens sit mulier.

Quartus: Si sit servus, et dominus qui non est in culpa, læderetur de ejus absentia.

Quintus: Si regularis regularem percutiat, et non sit enormis excessus.

Sextus: Si sit pauper.

Septimus, Si sit impubes vel senex, vel valetudinarius.

Octavus: Si habet inimicitias capitales.

Sunt etiam septem alii casus, in quibus percutiens clericum, excommunicationem non incurrit.

Primus: Si percutiat causa disciplinæ, ut Magister vel Prælatus.

Secundus: Si jocosa levitate.

Tertius: si inveneri, eum turpiter agentem cum uxore vel matre, sorore vel filia.

Quartus: Si statim vim vi repellat.

Quintus: Si ignoret eum esse clericum.

Sextus: Si inveniat eum in Apostasia, post trinam monitionem.

Septimus: Si clericus transferat se ad actum pœnitus contrarium, ut si fiat miles, vel ad bigamiam transeat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod quamvis vinculum peccati sit maius simpliciter, quam vinculum excommunicationis; tamen quoad aliquid, vinculum excommunicationis; est maius, inquantum non solum obligat quoad Deum, sed etiam in facie Ecclesiæ: et ideo in absolvendo ab excommunicatione, requiritur jurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione á peccato:

nec exigitur cautio juramenti, quæ exigitur in absolutione ab excommunicatione. Per juramentum enim controversiæ quæ sunt inter homines, terminantur, ut dicitur Heb. 6.

Ad 2. Negatur antecedens. Cum enim excommunicatus non sit particeps sacramentorum Ecclesiæ, non potest aliquis absolvere excommunicatum á culpa, nisi prius sit absolutus ab excommunicatione.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis possit absolvi ab excommunicatione invitus.

Pro negativa. = Videtur quod nullus possit absolvi ab excommunicatione invitus.

1. Spiritualia non conferuntur alicui invito. Sed absolutio ab excommunicatione est beneficium spirituale. Ergo non potest præstari alicui invito.

2. Contumax non potest absolvi. Sed quando aliquis non vult absolvi, excommunicationem contemnens, ets maxime contumax. Ergo non potest absolvi.

Maior prob., quia excomunicationis causa est contumacia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea quæ contra volnntatem eveniunt, contra voluntatem amoveri possunt. Sed excommunicatio contra voluntatem alicui potest inferri. Ergo potest tolli ab aliquo, etiam invito.

Determinatio.

Conclusio. Potest aliquis etiam invitus, ab excommunicatione absolvi.

Prob. Malum pœnæ quod ab extrinseco in aliquem fertur, potest ab eo etiam invito, auferri. Sed excommunicatio est pœna quædam, quæ ab extrinseco in aliquem fertur. Ergo excommunicatio potest ab eodem, etiam invito, amoveri per absolutionem.

Maior prob., quia malum culpæ et pœnæ in hoc differunt quod principium culpæ est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est. Pænæ autem principium quandoque extra nos est: non enim requiritur ad pœnam quod sit voluntaria, imo magis est de ratione pœnæ, quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate; ita non remittuntur alicui invito. Malum autem pœnæ, ad quod excommunicatio pertinet, sicut in aliquem invitum ferri potest; ita ab invito auferi potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior habet veritatem de illis bonis spiritualibus, quæ in voluntate nostra consistunt: sicut sunt virtutes, quæ non possunt á nolentibus perdi, non autem de illis, quæ non sunt in nostra voluntate. Scientia enim quæ est bonum spirituale quidem, sed non in voluntate consistens, potest etiam á nolente per infirmitatem amitti. Excommunicatio est spiritualis pœna, non consistens in voluntate, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod etiam manente contumacia, potest aliquis discrete excommunicationem juste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata fuit.

ARTICULUS III.

Utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus.

Pro negativa=Videtur quod aliquis non possit absolvi ab una excommunicatione, si non absolvatur ab omnibus.

1. Non potest aliquis absolvi ab uno peccato, nisi absolvatur ab omnibus. Ergo non potest aliquis absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur á quacumque alia.

Conseq. prob., quia effectus qui est excommunicatio, debet proportionari suæ causæ quæ est peccatum.

2. Ille qui est extra Ecclesiam, non potest absolvi. Sed ille qui est una excommunicatione irretitus, est extra Ecclesiam. Ergo quandiu una manet, non potest absolvi ab alia.

Maior prob., quia absolutio fit in Ecclesia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aliquis potest liberari ab una pœna, alia remanente. Sed excommunicatio est quædam pœna. Ergo potest quis ab una excommunicatione absolvi, alia remanente.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Possibile est quod aliquis absolvatur ab una excommunicatione, alia remanente.

Manifestatur. Quia excommunicationes plures non habent connexionem in aliquo.

2.ª Conclusio. Quando unus est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno judice, quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimatur, vel nisi cum quis absolutionem impetrat de uno tantum casu excommunicationis, cum tamen pluribus casibus sit excommunicatus.

3.ª Conclusio. Quando aliquis est excommunicatus pluribus excommunicationibus á diversis judicibus, si absolvatur ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alii judices, ad petitionem ejus, absolutionem confirmaverint, vel nisi omnes uni absolutionem demandent.

Quæ conclusiones relinquuntur, ut manifestæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de absolutione á peccatis, et ab excommunicatione. Peccata enim omnia habent connexionem in aversione voluntatis á Deo, cum qua non potest esse peccatorum remissio: Ideo unum peccatum sine altero remitti non potest. Excommunicationes autem non habent aliquam talem connexionem, nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur propter voluntatis contrarietatem, ut dictum est artic. præced. et ideo potest aliquis ab una excommunicatione absolvi, alia remanente.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sicut pluribus de causis erat aliquis extra Ecclesiam, ita possibile est quod ista separatio removeatur quantum ad unam causam, et maneat quantum ad aliam.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 114.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per D. Thomam excludas errorem pestiferum *Luheri* (ut refert Leo X.) dicentis; quod Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus. Item cujusdam Marsilii, et Joannis de Lauduno (ut refert Cardin. Turrecrem. de Eccles. lib. 3. cap. 37.) dicentium, Papa. Archiepiscopus, Episcopus, ac simplex sacerdos sunt omnes aequalis auctoritatis, ac jurisdictionis ex institutione Christi: sed, quod unus plus habeat alio, est ex concessione imperatoris: et, sicut concessit, ita revocare potest. Item ejusdem Marsilii (ut idem Cardinalis refert de Eccles. lib. 2. cap. 47.) dicentis, quod Papa non habet jurisdictionem coactivam super fideles, nisi in quantum concedit Imperator. Item Jacobi Præpositi (Prat. Jacob. Praepos. dicentis: Petrus Galileaus solo jure humano factus est primus, et supremus inter reliquos Apostolos: et idem censendum est de quolibet Petri successore. Ergo, secundum istum, jure divino Papa non est super alios Episcopos. Item Joannis Westphali dicentis, quod Papa sit super omnes: et unus Episcopus super alium, non á Christo sed humana electione institutum est. Item Joannis Wicleff dicentis, quod post Urbanum VI. non est aliquis repiciendus in Papam: sed vivendum est more Graecorum legibus propriis. Item Ruthenorum dicentium, Papam verum non fuisse

D. Petrum, et Romanae sedis Antistitem, nec ejus successorem. Item Erasmi (ut refert Jacob. Lap. Stunicæ post suum itinerarium) dicentis: Monarchia Romani Pontificis post Hieronymi saeculum exorta est: et, quod aetate D. Hieronymi non erat solitum quemquam arcere á communione (quod, novo verbo, vocant excommunicare) nisi qui ad eam pertinuisset Ecclesiam: et, quod Romanus Pontifex apud veteres, non appellabatur summus, sed Romanus. Ex omnibus his erasmi verbis satis probatur (ait idem Jacob.) ipsum credere, Romanum Pontificem tunc non habuisse jus excommunicandi, nisi diœcesis Romanae homines. Item Pseudoapostolorum dicentium, quod potestas, quam Christus Romano Pontifici, et cuicumque successori in Petro concesserat, jam inanis reddita est, et omnino periit ob Pontificum Romanorum malitiam. Item Marsilii dicentis, quod Papa post Christi ascensionem non mansi ipsius Vicarius generalis. Item Aetii. et Waldensium (ut refert Alphons. Cast. adv. haeres.) dicentium. Episcopum non esse simplici sacerdoti superiorem. Item Pseudoapostolorum dicentium, quod Papa aliquem absolvere non potest, nis ea praeditus sit sanctitate, qua polluit B. Petrus. Item Lutheri blasphemiam haereticalem dicentis: Pontificum nomen inane prorsus esse, quia re ipsa nihil aliud est, quam regnum diaboli, et potentia robusti venatoris Nemroth. Item ejusdem dicentis, Papam super alios Pontifices mera tyrannide fuisse exaltatum. Contra hos omnes singulos, ac similes, dirigitur praesens articulus sancti Doctoris. Nam articulus praesupponit, Papam esse super Episcopos, hosque super simplices sacerdotes: ac ideo absolutionem excommunicationis eis pro diversitate tribuit, id, quod praedicti errores omnes directe, vel indirecte, destruere moliuntur. *Secundo* habes: quomodo per D. Thomam ostendas, has merito damnari á Matth. 20. Ibi enim Dominus filiis Zebedaei quaerentibus principatum prae Petro apud seipsum, cum essent priores aliis, ut patet ex admissione ipsorum tantum cum Petro ad suscitationem filiae Archisynagogi, Mar. 5. et ad transgurationem, 9. et ad orationem in horto, 14. significantibus, hoc, secundum Chrysost. ut in Catena aurea D. Thom. super Matth. per ly sedere ad dexteram tuam, et ad sinistram in regno tuo, respondit quod sedere sic, non erat suum dare, nisi quibus paratum erat á Patre suo. Nam per hoc responsum intentioni praedictae quaerentium connexum patet; quod principatus á Christo datus Petro fuerat olim ab aeterno paratus á Patre coelesti, idest, fuerat jam ab aeterno praedestinatum, et fixum á Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, quod talis principatus postmodum á Deo humano daretur Petro, et in sua persona omnibus succesoribus Petri. Propterea ad significandum etiam succesores in plurali dicitur ly quibus paratum, etc. Ex hoc igitur loco bene secundum Chrysostomum considerato, monstratur optime, et quod primatus Petri non est quid de repente natum, sed ab æterno á summa Trinitate præordinatum, et quod damnabilis valde est hæresis dicens, quod non est de jure divino talis primatus. Concilium autem Florentinum sess. ult. sic: "definimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum succesorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecciesiæ caput, et omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, et gubernandi universalem Ecclesiam á Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur, renovantes in super ordinem traditum in canonibus cœterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanorum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, quintus Hierosolimitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus, et juribus eorum. Hæc ibi in litteris sanctæ unionis Græcorum, et Latinorum, Item á Pio II. in Bulla retractationum omnium pro Eugenio IV. contra Synodum Basileensem. Inter quæ tertius claruit Eugenius ex monasterio sancti Anastasii ad summum sacerdotium evocatum ad quem Divus Bernardus Monachorum pater non minus doctrine fulgore, quam vitæ sanctimonia illustris: indigamus, inquit, adhuc diligentius, quid sis; quam

geras videlicet personam, pro tempore in Ecclesia Dei, tu es Sacerdos magnus tu summus Pontifex, tu principes Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignate Aaron, auctoritate Moysen: judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt et alii quidam cœli janitores, et grægum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae illis nomen hereditasti. Habent illi assignatos sibi graeges, singuli singulos: tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam et omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de tertio, testatur Eugenio: hoc nos de quarto, et omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Liquet igitur, unum in Ecclesia caput esse, et unum Principem. Nota ly dignitatis est auctoritas. *Non enim dicit bonitatis, vel qualitatis, vitae, aut scientiæ, est auctoritas.* Vide qu. 17. art. 2. app. et bene nota. Item á Bonifacio VIII. in extr. de major. et obed. Unam sanctam Ecclesiam catholicam, et ipsam Apostolicam, urgente fide, credere cogimur et tenere, etc. extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, etc. una nempo fuit diluvii tempore Arca Noe, unam Ecclesiam praefigurans, unum (Noe videlicet gubernatorem habuit, et rectorem: extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur, et unicam, dicente Domino in Propheta. Erue á framea Deus animam meam et de manu canis unicam meam. Pro anima enim, idest pro seipso capite, simul oravit, et corpore: quod corpus unicam scilicet Ecclesiam, nominavit, propter sponsi, fidei, sacramentorum, et charitatis Ecclesiae unitatem, etc. Igitur Ecclesiae unius, et unicae, unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet, et Christi Vicarius Petrus, Petrique succesor: dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas. Meas, inquit, et generaliter, non singulariter, has, vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Graeci, sive alii, se dicant Petro, ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Joanne: unum ovile, et unicum esse Pastorem.» Ubi nota ly urgente fide: non autem concedente caesare. Et nota ly sive ergo Graeci, etc. quod si jungas praecedentibus, videlicet, quod extra Ecclesiam illam unam non est salus, nec remissio peccatorum; videbis, quod taliter dicentes fatentur de necessitate per hoc suum dictum se non esse in statu salutis. Nota ly dicente Domino. Pasce: etc. et ly unum ovile, etc. quae etiam notanda sunt supra in Concilio Florentino, et Pio II. quoniam ex his moventur ad monarchiam Petri, et successorum confitendam, ut ibi legentibus patere potest, et videbis, primatum Petri non esse novum, nec jure humano inventum, nec regnum diaboli, ut portae infernales, cum patre suo, mentiuntur: sed ipsum esse antiquius D. Hiero. jure divino, utpote á Christo, institutum, ac ideo ipsius Christi regnum non existens de hoc mundo, Joan. 18. Item á, etc. ut supra qu. 20. art. 1. et 3. app. ubi damnatur Wicleff, et de primatu Petri tractatur. Vide etiam de fide, seu de Romana Ecclesia, qu. 19. art. 3. append. Item ab Anacleto Graeco III. Papa post Petrum, epist. et habetur dist. 22. "Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse Petro Apostolo dixit; tu es Petrus, etc. Et á Nicolao ibid. cap. Omnes, sive. Ubi etiam videbis, quod, qui tale privilegium Ecclesiae Romanae auferre conatur, est dicendus haereticus. Idem ergo insinuat dicendum de volentibus ipsi Ecclesiae auferre alia privilegia data á Christo; puta, quod fides ejus numquam sit defectura, Matth. 18 Luc. 22 Ergo Monarchia ista Papæ fuit ante Hieronymum, nec ab imperatore, nec á Synodis a quibus, nec ab humano jure dependet: sed Imperator, Synodi, et omne jus humanum sub papali potestate est. Item á Callisto dist. 12. cap. Non decet, etc. *Nulli dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit, omnium Ecclesiarum.* Item á Gelasio 9. q. 3. "Cuncta per mundum, etc. Apostolica sedes, sine

ulla Synodo præcedente exolvendi, quos Synodus iniqua damnaverat; et damnandi, nulla existente Synodo, æquam oportuit habeat facultatem, et hæc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce et tenuit semper, et tenebit. Vide 17. quæst. 4. cap. nemini; ubi Nicolaus concorditer loquitur. Item á Vigilio. Nulli vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti, dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum, et forma sit Ecclesiarum, á qua omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentitum ignorat: quoniam, licet omnium Apostolorum par esset electio: Beato tamen Petro concessum est, ut cœteris præmineret, unde et Cephas vocatur, quia caput, et primus est omnium Apostolorum, haec ille Papa, et martyr in epist. ad Eleuther. 7. c. Item á Leone X. damnantur errores Lutheri, ut patet supra qu. 1. art. 1. append. cui addas et particulam Bullæ universalem hanc. Insuper quia errores præfati, et plures alii continentur in libellis, seu scriptis cujusdam Martini Lutheri, dictos libellos, et omnia dicti Martini scripta, seu prædicationes in latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, et pro omnino damnatis, reprobatis, ac rejectis (ut præfertur) haberi volumus. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœnis prædictis ex ipso incurrendis, omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, et laudare, imprimere, publicare, sive defendere, per se, vel alium seu alios directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, publice, vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis vel privatis locis tenere quoque modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem, ubicumque fuerint, per ordinarios, et alios supradictos diligenter quaesita, publicae, et solemniter in præsentia cleri, et populi, sub omnibus, et singulis poenis supradictis, comburant. Vide supra qu. 19. art. 5. not. 1. et 2. post ad 1. quod malitia non tollit potestatem á prælatis; est Christi sententia. Vide et 1. par. qu. 32. art. 4. Item supra in addition. quæst. 8. art. 6. Et quoniam de Imperatoribus facta est mentio: ideo, quid de Papa senserint maximi, catholicique Imperatores, vide et infra quæst. 26. art. 3. app. Nota, quod hæresis illa Marsilii, et Joannis de Janduno damnatur in Extravag. Joann. XXI. Papæ, quæ incipit: Licet juxta doctrinam ut refert idem Cardinalis, ubi supra. *Tertio* habes: quomodo per D. Thomam ostendas, Pontifices summo merito excommunicationes sibi quasdam reservasse, ut patet de sent. excomm. tam in extrav. quam in 6. et in Clem. atque Extrav. quo suo facto etiam damnarunt supradictos, ac similes errores contra Petri monarchiam, qu. 19. art. 3. et 4. et 5. et qu. 20. art. 2. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á jure Canonico, quod invitus absolvi potest. Hoc autem insinuatum est Extrav. de regul. jur. "Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Cum ergo excommunicatio contra voluntatem excommunicati, in quantum scilicet invitus excommunicatur, et per voluntatem excommunicantis nascatur: innuere videtur illa regula juris, quod excommunicatio potest etiam dissolvi per voluntatem excommunicatoris contra voluntatem excommunicati, et hoc est, invitum posse absolvi ab excommunicatione: tantoque magis hoc inde videtur, quia inter casus á glossa ibi notatos, in quibus præmissa regula fallit, non annumeratur, absolutio excommunicationis, ut patet inspicienti. Unde nota, quod, si inveneris vel Doctores, vel aliqua jura innuere contrarium intellige sic, quod scil. non debet taliter absolutio, fieri, nisi hoc esse expediens judicetur, ut et in responsione ad secundum tangitur *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissam regulam juris, pro quanto invitum posse ab excommunicatione solvi insinuat, et declares, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á summo Pontifice, quod excommunicatus pluribus potest absolvi ab una altera re-

manente. Hoc autem insinuatum est ab Innocentio III. de sent. excomm. cum pro causa, etc. Cum "Archidiaconus in succentorem in communi dormitorio manus injecisset temere violentas, et eum traxisset verberando per claustrum, tu frater Archiepiscope eum ob violentam manum injectionem, et violationem immunitatis Ecclesiæ fecisti excommunicatum publice nunciari, etc. mandamus, quatenus, si vobis constiterit, dictum Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, et expresisse tantum alteram in litteris, quas super absolutione sua inpetravit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera monitione præmissa cogatis." Nota ly *pro altera:* quoniam per hoc innuere videtur, quod ipse excommunicatus sit quantum ad unam excommunicationem, seu excommunicationis causam, absolutus, et remaneat quantum ad alteram innodatus. Item ab eodem Innocentio ibid. c. officii, etc. "Quæsivisti, utrum his, qui propter plures excessus á pluribus Praelatis excommunicationis est vinculo innodatus, et uni Praelatorum de uno tantum satisfacere vult excessu, ab eo sit absolvendus, de quo satisfacere vult eidem, et, cum de alio non satisfecerit alii, absolutus valeat nunciari, etc. Super hoc articulo respondemus, quod supprimenti veritatem absolutio surrepta non prodest, et veritatem intelligens absolutionem hujusmodi exhibere non debet." Quasi responderit per distinctionem hanc. Talis pluribus excommunicationibus involutus aut syncere tibi totam exprimit veritatem facti, aut dolose aliquid de veritate tacet, ut facilius absolutionem surripiat. Si hoc secundo modo, tunc absolutio judicatur esse surrepta, et consequenter nec valet, nec prodest aliquid: si autem *primo,* absolutio exhiberi non debet, cum de omni excessu prælatis omnibus nolit satisfacere, tamen, si exhibeatur, valet, cum non sit surrepta. Alioquin idem esset judicium de surrepta, et non surrepta: quod est absurdum: valet, in quam, et prodest quantum ad levamen unius excommunicationis: sed non quantum ad hoc, quod ab omnibus sit absolutus, et consequenter nec quantum ad hoc, quod simpliciter absolutus valeat nunciari populo, ut ei possit tuta conscientia communicare. Pro quo facilius intelligendo scias, quod ex interrogatis percipitur sensus respondentium (ut sapientibus patet.) Reassumatur ergo interrogantis quæsitum: ut melius pontificis mens intelligatur: Quærebat ergo interrogans, an pluribus excommunicatus esset absolvendus ab una excommunicatione: et cum de aliis non fuerit absolutus valeret simpliciter absolutus nunciari, idest ad consortium admitti. Respondendo igitur Papa, quod absolutionem exhibere non debet, et quod absolutio talis non prodest, intelligere videtur, secundum quod interrogatio quærebat (prudentis enim et hoc est,) quasi dixisset. Absolutio exhiberi non debet, et exhibita non prodest ad hoc: ut talis sic absolutus valeat in consortium aliorum admitti. Talis ergo absolutus quidem est secundum quid, idest, secundum unam causam: sed non simpliciter, idest, non secundum omnes, et ideo á consortio aliorum jure arcendus judicatur. Vide supra in responsione ad secundum cum corollario. Quando ergo unus primo absolvit pluribus excommunicationibus innodatum, quamvis absolutio teneat (nisi dolose causa aliqua occultetur, ut patet per ly veritatem occultanti absolutio surrepta, etc. ex parte de offic. jud. ordin.) non debet tamen ipsum denunciare absolutum, nec ab aliis est ei communicandum, donec fuerit absolutus ab omnibus: quoniam, qui est excommunicatus in una Ecclesia, excommunicatus est quoad omnes. 4. q. 5. Quisquis. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta summi Pontificis, pro quanto innuunt excommunicatum pluribus posse ab una absolvi, altera remanente (licet quidam aliter textus praedictos glossare videantur) et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA, QUINTA.

DE INDULGENTIA SECUNDUM SE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de indulgentia: et primo de ea secundum se; secundo de facientibus indulgentiam; tertio de recipientibus eam.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

Secundo, utrum indulgentiæ tantum valeant, quantum pronunciantur.

Tertio, utrum pro temporali subsidio sit indulgentia facienda.

ARTICULUS I.

Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

Pro negativa. — Videtur quod per indulgentiam non possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

1. Dominus dixit Deut. 25. «Secundum mensuram delicti, erit et plagarum modus.» Ergo non potest aliquid remitti de pœna satisfactionis taxata, secundum quantitatem culpæ.

Conseq. prob., quia Dominus, *cum se ipsum negare non possit*, ut dicitur 2. Tim. 2. *dicta sua implet*.

2. Inferior non potest absolvere ab eo, ad quod superior obligavit. Sed Deus in absolvendo á culpa, obligat ad pœnam temporalem. ut dicit Hug. de sancto Vict. in tract. 5. sum sacram. cap. 11. Ergo nullus homo potest adsolvere á pœna illa, aliquid de ea dimittendo.

3. Effectus sacramenti non potest sine sacramento á puro homine conferri. Sed remisio pœnæ satisfactoriæ est effectus sacramenti pœnitentiæ: est enim satisfaccio pars sacramenti. Ergo non potest ab aliquo puro homine per indulgentiam fieri remissio.

Maior patet, Quia sine sacramentis, effectum sacramenti conferre, pertinet ad potestatem excellentiæ quam solus Christus habuit.

4. Potestas ministrorum Ecclesiæ non est tradita in destructionem, sed in ædificationem. Sed per indulgentiam remittere pœnam, pertinet ad destructionem. Ergo per indulgentiam non remittitur aliquid de pœna satisfactoria.

Minor prob., quia tunc tolleretur satisfactio, quæ est inducta ad utilitatem nostram, in quantum remedium præbet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. 2. Cor. 2. Dicitur: *nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, id est ac si Christus donasset*, ut Glos. interl ibid. exponit. Sed Christus poterat absque omni satisfactione relaxare pœnam peccati, ut patet Jo. 8. de muliere adultera. Ergo et Paulus potuit. Ergo et Papa qui non est minoris potestatis, quam Paulus fuerit, potest per indulgentiam pœnam peccatorum relaxare.

2. Ecclesia universalis non potest errare. Sed Ecclesia universalis indulgentias approbat, et largitur. Ergo indulgentiæ aliquid valent.

Maior prob., quia ille qui in omnibus *exauditus est pro sua reverentia*, dixit Petro, super cujus confessione fundata est Ecclesia. Ergo *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere.

Prob. Quia impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret.

Ad quid valeant indulgentiæ.
Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod non valent ad absolvendum á reatu pœnæ, quam quis in purgatorio secundum Dei judicium meretur, sed valent ab absolvendum ab obligatione, qua sacerdos obli-

gavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam ordinatur ex Canonum statutis.

Reprobatio.

Sed hæc positio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium datum Petro, cui dictum est, ut quod in terra remitteret, in cœlo remitteretur. Unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei.

Secundo, quia Ecclesia hujusmodi indulgentias concedens, magis damnificaret, quam adiuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo á pœnitentiis injunctis.

Vera sententia.

2.ª Conclusio. Et ideo aliter dicendum est quod indulgentiæ valent, et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem et confessionem et absolutionem, sive sit injuncta, sive non.

Manifestatur: ratio enim quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur. Quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam debitam viventibus excedunt, et precipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operetur, non tamen efficacia ejus in sacramentis coarctatur, se sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem supra quæst. 105. quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt; alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur, sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus ait *se adimplere ea quæ desunt passionum Christi in corpore suo, pro Ecclesia*, ad quam scribit Colos. 1. Et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ. Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset; ita consequitur, si alterius satisfactio, per eum qui potest, ei distribuatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod impletur dictum Dei, quia remissio quæ per indulgentias fit, non tollit quantitatem pœnæ ad culpam, dum pro culpa unius, alius sponte pœnam sustinuit.

Ad 2. Conceditur totum; ille enim qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, á debito pœnæ; sed datur sibi, unde debitum solvat, scilicet meritum Christi et sanctorum.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus, et hic effectus non inducitur per indulgentias; sed largiens indulgentias, pro eo solvit, pœnam, quam debuit, de bonis Ecclesiæ communibus.

Ad 4. Negatur minor; quia enim maius remedium prebetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum, et ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur, ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur; et ita non est in destructionem, indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis á debito pœnæ essent immunes, et precipue quia quan-

doque sunt debitores plurium, quam credant se esse.

ARTICULUS II.

Utrum indulgentia tantum valeant, quantum pronunciantur.

Pro negativa.=Videtur, quod indulgentiæ non tantum valeant, quantum pronunciantur.

1. Ea quæ non habent effectum, nisi ex vi clavium, non tantum valent, quantum pronunciantur, sed aliquid determinatum. Sed indulgentiæ non habent effectum, nisi ex vi clavium. Ergo indulgentiæ non tantum valent, quantum pronuntiantur.

Maior prob., quia habens clavem, non potest ex vi clavium, de pœna peccati remittere, nisi aliquid determinatum, considerata quantitate peccati, et contritionis pœnitentis. Et sic largiens indulgentias ad libitum, non poterit facere ut valeant, nisi aliquid determinatum.

2. Si indulgentiæ tantum valent, quantum pronunciantur, in brevi homo per indulgencias discurrens, posset ab omni reatu temporalis pœnæ immunis reddi. Ergo deberet bis acquirendis, omnibus aliis operibus dimissis, homo vacare: quod videtur esse inconvenions.

Consequentia prob., quia per debitum pœnæ retardatur homo á gloriæ adeptione, quam summe apptere debet.

3. Aliquando datur indulgentia hæc, ut qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remissionis peccatorum consequatur. Si ergo indulgentiæ tantum valent, quantum predicantur, ille qui dat unum obolum, et secundo aliud et iterum aliud, plenam remissionem pœnæ omnium peccatorum consequitur: quod videtur absurdum.

4. Quandoque datur hoc modo indulgentia, quod qui vadit ad aliquam Ecclesiam, septem annos remissionis consequatur. Si ergo tantum valet indulgentia, quantum prædicatur, ille qui habet domum suam juxta Ecclesiam illam, vel clerici Ecclesiæ, qui quotidie vadunt, consequentur tantum, quantum ille qui á remotis partibus venit: quod videtur injustum. Et iterum ut videtur, pluries in die consequitur indulgentiam illam, si pluries vadat.

5. Indulgentiæ prædicantur quandoque ultra justam, æstimationem. Ergo non tantum valent, quantum prædicantur.

Conseq. prob., quia indulgentiæ non possunt valere ultra justam æstimationem, quod ostenditur quia idem videtur remittere alicui pœnam ultra justam æstimationem, sicut remittere ultra justam causam: quantum enim ad hoc quod excedit, non recompensatur. Sed ille qui concedit indulgentiam, non posset remittere absque causa pœnam alicui in toto, vel in parte, etiamsi diceret Papa alicui: ego remitto tibi omnem pœnam debitam pro peccato. Ergo videtur quod nec ille possit aliquid dimittere, ultra justam æstimationem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job. 13. dicitur: *Numquid Deus indiget nostro mendatio, ut pro eo loquamur dolos?* Ergo Ecclessia prædicando indulgentias non mentitur, et ita tantum valent, quantum prædicantur.

2. 1. Cor 15. dicit Apost. *Si inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Ergo quicumque in prædicatione falsum dicit, fidem quantum in se est, evacuat, et ita mortaliter peccat. Si ergo non tantum valent indulgentiæ, quantum prædicantur, omnes prædicantes indulgentias, mortaliter peccant, quod est absurdum.

Determinatio.

Prima quorundam positio.

Quidam dicunt quod hujusmodi indulgentiæ, non tantum valent, quantum prædicantur, sed unicuique tantum valent, quantum fides et devotio sua exigit. Et quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines

ad benefaciendum alliciat. Sicut mater quæ promittit filio pomum, provocat ipsum ad ambulandum.

Reprobatio.

Sed hoc videtur esse valde periculosum dicere. Sicut enim August. in Epist. 8. ad Hieronymum dicit, « si in « sacra Scriptura deprehenditur aliquid « falsitatis, jam robur auctoritatis sacræ « Scripturæ perit.. » Et similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus auctoritatis, ad roborandam fidem.

Secunda aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod indulgentiæ tantum valent, quantum pronunciantur, secundum justam æstimationem, non quidem dantis indulgentiam qui forte nimis æstimat quod dat; nec secundum æstimationem recipientis qui nimis parum æstimare posset quod datur, sed secundum justam æstimationem, quæ justa est secundum judicium bonorum, pensata conditione personæ et utilitate et necessitate Ecclesiæ, quæ uno tempore magis, quam alio indiget.

Reprobatio.

Sed hæc etiam opinio stare non potest, ut videtur. Primo, quia secundum hoc indulgentiæ non valerent ad remissionem, sed magis ad commutationem quandam. Et præterea prædicatio Ecclesiæ á mendatio non excusaretur; cum quandoque indulgentia prædicetur longe maior, quam justa æstimatio possit requirere, etiam omnibus prædictis conditionibus pensatis. Sicut quando Papa dat indulgentiam quod pergens ad unam Ecclesiam, habeat septem annos indulgentiæ cujusmodi indulgentiæ á Beato Gregorio in stationibus Romæ institutæ sunt.

Tertia aliorum positio.

Et ideo alii dicunt quod quantitas remissionis in indulgentiis, non est mensuranda tantum secundum devotionem suscipientis, ut prima opinio dicebat, neque secundum quantitatem ejus quod datur, sicut dicebat secunda; sed secundum causam, pro qua indulgentia datur ex qua reputatur quis dignus, ut talem indulgentiam consequatur. Unde secundum quod quis accedit ad causam illam, consequitur remissionem indulgentiæ in toto, vel in parte.

Reprobatio.

Sed hoc iterum non potest salvare consuetudinem Ecclesiæ, quæ interdum maiorem, et interdum minorem pro eadem causa indulgentiam ponit: sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus Ecclessiam unam: quandoque quadraginta dies, prout Papa voluerit, gratiam facere. Unde quantitas remissionis indulgentiæ non est mensuranda ex causa, quæ facit aliquem indulgentia dignum.

Vera sententia.

Conclusio. Indulgentiæ valent simpliciter tantum quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, et ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.

Manifestatur: nam quantitas effectus sequitur quantitatem suæ causæ; causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis non est devotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut causa, pro qua fit indulgentia, sed abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam: unde non oportet ad aliquid prædictorum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant: et ideo secundum quod applicantur ad hunc et istum, hic et iste remissionem consequitur. Ad hoc autem quod merita Ecclesia huic applicentur, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unitas ejus cui fit dispensatio, cum eo qui merebatur, quæ unio est per charitatem; et ratio dispensationis, secundum quam salvetur

intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt. Fecerunt enim ad honorem Dei et ad utilitatem Ecclesiæ in generali. Unde quæcumque causa adsit, quæ in utilitatem Ecclesiæ et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio largiendi indulgentias. Quando igitur adest auctoritas largiendi indulgentias. Unio ejus cui dispensantur indulgentiæ cum eo qui meruit, scilicet cum Christo, et sanctis per charitatem. Et causa scilicet honor Dei et Ecclesiæ utilitas. Indulgentiæ valent tantum, quantum prædicantur.

Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, ut quidem dicunt, nec divinæ justitiæ derogatur, quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod clavis est duplex, ut dictum est quæst. 109. art. 3. Scilicet ordinis, et jurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est, et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed á Deo, ideo non potest taxare sacerdos, quantum per clavem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittatur, sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Clavis autem jurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus ejus arbitrio hominis subjacet, et hujusmodi clavis effectus est remissio, quæ est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ, et ideo etiam Legati non sacerdotes indulgentias concedere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentias est taxare quantum per indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat largiens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.

Ad 2. Dicitur ad consequentiam quod quamvis hujusmodi indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ; tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis, quod in infinitum melius est, quam dimissio pœnæ temporalis, et ideo non debet hujusmodi opera dimittere quis propter indulgentias.

Ad 3. Negatur conseq. Quando enim datur indulgentia indeterminate, qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: et secundum quod accedit ad hoc conveniens auxilium, plus, vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium, consequitur totam indulgentiam, non autem cives, quem non decet ad opus tam pium et fructuosum ita parum dare. Sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium hujusmodi ferre, si ei obolum unum tantum daret.

Ad 4. Dicitur ad conseq., quod ille qui est vicinus Ecclesiæ, et Ecclesiæ sacerdotes, et clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui veniunt etiam á mille dietis; quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est, sed meritis quæ dispensantur. Ille tamen qui plus laborat, acquirit plus de merito, non de remissione. Hoc tamen intelligendum est, quando indistincte indulgentia datur; quandoque enim distinguitur, sicut Papa in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare, dat quinque annos; aliis qui transeunt montes, tres; aliis unum. Nec tamen quotiescumque vadit infra tempus indulgentæ, toties consequitur: quandoque enim ad determinatum tempus datur, ut cum dicitur: *quicumque vadit ad talem Ecclesiam, usque ad tale tempus, habet tantum de indulgentia, intelligitur semel tantum.* Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut est in Ecclesia Beati Petri quadraginta dierum,

quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur.

Ad 5. Negatur conseq. Causa enim non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio pœnæ; sed ad hoc quod intentio illorum, quorum merita communicantur, ad ipsum cui datur indulgentia, pervenire possit, ut dictum est in corpore. Bonum autem unius communicatur alteri dupliciter. Uno modo per charitatem, et sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps, quæ fiunt in charitate, si in charitate sit. Alio modo per intentionem facientis; et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesiæ operatus est, ad istum qui indulgentias accipit continuari.

ARTICULUS III.

Utrum pro temporali subsidio debeat fieri indulgentia.

Pro negativa. = Videtur quod pro temporali subsidio non debeat fieri indulgentia.

1. Spirituale pro temporali non debet dari. Sed dare indulgentias pro subsidio temporali, est dare spirituale pro temporali. Ergo pro temporali subsidio non debent dari indulgentiæ.

Maior, quia dare spirituale pro temporali, est simonia, ut dictum est 2. 2. quæst. 100. art. 1.

Minor prob., quia remissio peccatorum est quoddam spirituale.

2. Pro spiritualibus subsidiis non videntur concedendæ indulgentiæ. Ergo multo minus dari debent pro subsidiis temporalibus.

Conseq. prob., quia spiritualia subsidia magis necessaria sunt, quam temporalia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est communis Ecclesiæ consuetudo, quæ pro peregrinationibus, et eleemosynis faciendis, indulgentias concedit.

Determinatio.

Distinctio. Temporalia sunt duplicia. Quædam sunt simpliciter temporalia. Quædam vero sunt ordinata ad spiritualia.

1.ª Conclusio. Pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia.

Manifestatur: quia temporalibus debemus uti propter spiritualia, et non é converso, cum spiritualia ad temporalia non ordinentur.

2.ª Conclusio. Pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, potest dari indulgentia.

Manifestatur; nam potest dari indulgentia pro repressione inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant. Et pro constructione Ecclesiæ et pontium et aliis eleemosynis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod spirituale non debet dari pro puro temporali, sed potest dari pro temporali, ordinato ad spirituale, et propter hoc dantur indulgentiæ.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod etiam pro pure spiritualibus potest dari indulgentia, et fit quandoque, sicut quicumque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia á Papa Innocentio IV. Et predicantibus Crucem, datur quandoque eadem indulgentia, quæ datur Crucem accipientibus.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 115.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem explodas errores *Lutheri* (Prat. Lutheran. Joan. Westphal. Pauperes de Lugduno) impie dicentis, quod indulgen-

tiæ nullius sunt momenti. Item Jacobi Præpositi (Prat. Jacobus Præposit.) dicentis, quod indulgentiis non est confidendum. Item ejusdem ibidem dicentis, quod merita sanctorum nulli applicari possunt. Item Lutheri (ut refert Leo X. in bulla contra ejus errores, quos et damnat) dicentis, quod thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi, et Sanctorum. Item ejusdem ibidem dicentis, quod indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam. Hinc videas tu, quantum sit cavendum ab opinione recitata reprobataque in textu: ex quo tam similis huic errori Lutheri videtur. Item habes: quomodo explodas errorem Waldensium (Direct. inquisit. 2. par. qu. 14.) dicentium; quod indulgentiæ, quæ á Romano Pontifice, seu aliis prælatis Ecclesiæ conferuntur, nullius sunt valoris, efficacie, seu virtutis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos omnes merito damnari á Christo dicente ad Petrum Matth. "Tibi dabo claves regni cœlorum, et, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis." Ubi nota ly et, quod immediate ponitur post ly *claves regni cœlorum*. Solutionem á Petro dandam connectit clavibus regni coelorum. Unde, cum nullibi aliquibus dederit verbatim claves regni coelorum nisi soli Petro, oportet dicere, quod potestas Petri ad solvendum est sublimior et latior potestatibus datis aliis. Dedit siquidem aliis potestatem ligandi, atque solvendi, Matth. *Quæcumque alligaveritis*, etc. et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*: etc. Sed istæ potestates non sunt adeo porrectæ, ut potestas data Pedro. Ex hoc namque, quod soli Petro de clavibus regni coelorum dandis fit mentio expressa, datur profecto intelligi, quod ejus potestas amplius porrigenda erat, quam aliorum. Petrus ergo ex hac promissione (hæc postea exhibetur ei Joan. ult. ut qu. 17. art. 1. append.) potest solvere á peccatis, sicut et illi, quibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata*, etc. potest excommunicare, ab eaque absolvere, sicut et illi, quibus dictum est: *Quaecumque alligaveritis*, etc. potest et plus aliquid. Quid est plus? Condonare poenam temporalem per indulgentias. Si enim per solam absolutionem, vel in foro pœnitentiæ, vel in foro judiciali, satisfactionemque impositam, posset pœnam relaxare, tunc quoad modum dimittendi poenam non plus posset, quam alii. Ut ergo plus possit (ut auctoritas illa vult) poterit modo alio pœnas ipsas dimittere. Non potest autem per jussionem solam, cum potestatem excellentiæ Christo propriam non habeat, ut in arg. 3. sed per applicationem thesauri Ecclesiæ, cujus claves habet á Christo, et hoc est posse per indulgentias. Derivabitur tamen postmodum pro arbitrio Petri in alios etiam facultas indulgentias dandi; ut qu. 20. art. 1. ad 1. insinuatur. Cum itaque Christus nihil in vanum contulerit Petro, sequitur luce meridiana clarius, quod indulgentiae per potestatem Petri datae aliquid valent, et non tantum quoad forum Ecclesiae sed et quoad forum Dei. Non enim absque causa potestati Petro collatae subintulit Christus ly et in coelis. Item á Concil. Trid. sess. 25. decr. de indulg. Cum potestas conferendi indulgentias á Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate concessa divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usa fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Ubi notanda sunt verba illa á Christo potestas conferendi indulgentias Ecclesiæ concessa, et ly antiquissimis etiam temporibus illa usa, et ly maxime salutarem, et ly sacrorum Conciliorum auctoritate probatum." Non opus igitur esset alia Concilia in testimonium hujus veritatis adducere verbaliter, et expresse, ex quo Synodus tanta de Conciliorum sacrorum auctoritate meminit pro hac re: tamen ad revincendos contumaces, atque protervos in append. sequentium articulorum S. Thomæ, prout occasio dabitur, adducentur nonnulla, quæ et ad hunc locum facient. Item ab eodem sess. 21. cap. 9. de reform. "Indulgentias vero, etc. debitis temporibus populo publicandas esse de-

cernit, etc. ut cœlestes hos Ecclesiæ thesauros ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.» Indulgentiæ, ergo, contra errores supra, sunt thesauri coelestes; nam Christus, et Sancti, quorum merita sunt in coelis, sunt Ecclesiæ dati, et applicati. Cæterum de hoc thesauro vide fusius art. seq. appen. ne fiat nunc sermo debito prolixior. Item á Leone X. in bulla contra errores Lutheri, quam videas supra qu. 1. art. 1. append. connectendo qu. 24. art. 2. append. Item á Gregor. IX. damnantur Waldenses sub nomine Pauperum de Lugduno (nominabantur enim et Waldenses, et Pauperes de Lugduno, et Inzabbatati) et consequenter tota doctrina, seu errores illorum. Nam Augustino teste, ut alias dictum est, quorum damnantur auctores, quomodo eorum capitula recipi possunt? Sic autem habet Gregorius; "Excommunicamus, et anathematizamus universos hæreticos, Catharos, Patharenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Speronistas, et alios quibuscumque nominibus censeantur, etc. Damnati vero per Ecclesiam sæculari judicio relinquantur animadversione debita puniendi: clericis prius á suis ordinibus degradatis "Hæc ille de hæret. cap. Excommunicamus 2. Vide Roffensem contra art. 17 et 19. Lutheri, *Tertio* habes: quomodo pec rationem prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto indulgentias statuunt aliquid valere etiam in foro coeli, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem contundas errorem *Luth.* dicentis; quod indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium. Hinc videas tu, quantum cavenda sit 1. opinio in princ. cor. ar. reprobata. Quicquid enim fuerit de intentione dicentium illam unum est, quod in verbis á Lutheri errore non dissidet, quod magnum sane inconveniens est etiam (quaqumque alia falsitate omissa) quoniam cum hæreticis nec vocabula debemus habere communia. Item habes: quomodo, etc. errorem ejusdem addentis, quod indulgentiæ sunt remissiones bonorum operum, quæ licent, non expediunt. Item dicentis, quod seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles. Item hæresim Joan. Wicleff dicentis, quod indulg. Papæ, et Episcoporum credere, fatuum est. Item Jacobi Præpositi dicentis, quod nullus esset Ecclesiæ thesaurus, præter Christi merita, quæ dumtaxat per ipsum Christum applicantur unicuique secundum suam fidem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito in hoc damnatum fuisse Wicleff á Concil. Constantiensi sess. 8. ubi, recitato errore præmisso inter alios ipsius Wicleff, profertur sententia damnationis, quæ refertur supra q. 1. art. 1. append. et q. 20. art. 3. app. Item de Luthero habes damnationem quoad præmissos errores supra q. 1. ar. 1. append. cum q. 24. ar. 1. append. Item á Conc. Trid. et Lutheri, et Wicleff, et Jacobi Præpositi damnantur omnia scripta cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant: quandoquidem in prima classe ab ipso concilio reponuntur in indice librorum prohibitorum. Unde nota, quod ex illo indice potes canonice multas hæreses, et errores plurimorum sic universaliter brevibus damnatos agnoscere. Vide ergo illum indicem, et pone in practica. Item specialiter á Clemente VI. ad Archiepiscopum Tarraconensem, et habetur in extravag. commun. de pœnit. et remis. "Dudum de fratrum nostrorum consilio, et plenitudine Apostolicæ potestatis indulgentiam, etc. Ad perpetuam rei memoriam. Unigenitus Dei filius: etc. non guttam sanguinis modicam (quæ tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset sed copiose, velut quoddam profluvium noscitur effudisse, etc. tantum ergo exinde (ut nec supervacua, inanis, aut superflua, tantæ effusionis miseratio redderetur) thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, etc. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios, commissit fidelibus salubriter dispensandum, et pro piis, et rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere poenitentibus, et confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumu-

lum Beatæ Dei genitricis, et omnium electorum, á primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum, præstare noscuntur. De cujus consumptionem, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescitur ipsorum cumulus meritorum. » Unde per ly *plures ejus applicatione trahuntur ad justitiam* damnes Lutherum negantem, indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles. Item á, etc. ut in ar. 2. maxime in app. Vide Roffensem contra art. 18. 20. Lutheri. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á summis Pontificibus, et Conciliis; quod tantum valent indulgentiæ, quantum prædicantur. Insinuatum est autem hoc quando falsa circa indulgentiarum largitionem prædicari magnis poenis prohibuerunt; ut quando Clemens V. in Concil. Viennensi dicit. " Quibus etiam religiosis in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne in sermonibus suis ecclesiarum prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu; seu indulgentias pronuncient indiscretas. » Hæc ille ibi, et recitantur de privileg. et excess. privilegiat. in Clemen. Religiosi. Ubi dicit glossa super ly *indiscretas*, idest *non concessas*. Item ab eodem in eodem. " Abusionibus, quas nonnulli in suis proponunt prædicationibus, ut simplices decipiant, et aurum subtili, vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem, etc. Diximus prohibendum districte, ne quæstores aliqui (nisi Apostolicas, vel dioecesani Episcopi litteras exhibuerint) quomodolibet admittantur, nec permittantur, cum solum ipsis competat indulgentias sibi concessas insinuare populo, etc. nullatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in litteris continebitur supradictis; litteras quoque Apostolicas dioecesani Episcopi (ne quid fraudis per easdem committi valeat) antequam admittant quæstores ipsos, examinent diligenter. » Hæc ibi, et habentur de poenitent. et remiss. in Clement. Ubi videre est quanta circumspectione utitur Papa, ne aliqua fraus, aut mendacium in publicandis indulgentiis committatur. Unde et infra dicit. " Non sine multa temeritatis audacia, et deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu suo proprio aliqui concedant, etc. Nos abusus hujusmodi, per quos censura vilescit ecclesiastica, et clavium Ecclesiæ auctoritas, aboleri volentes omnimodo, etc. eos per locorum Episcopos puniri volumus. » Item ab Innocentio III. in Conc. Lateranensi de poenitent. et remiss. Cum ex eo. Ibi enim eadem ferme recitantur conformiter ad Clementem. Item á Conc. Triden. sess. 25. decr. de indulg. " Abusus vero, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit; omnino abolendos esse, etc. ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte, omnibus fidelibus dispensetur. » *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto indulgentias tantum valere docent, quantum ab Ecclesia prædicantur, et intelligas, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Scripturis, et Pontificibus summis, quod spiritualia possunt dari pro temporalibus, non ut ly pro dicit prætium, vel principalem intentionem: sed ut dicit adminiculum, stipendium, etc. ut in not. 1. post ad 1. Insinuatum vero est hoc ab Apost. 1. Cor. 9. " Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? » Item: *dignus est operarius mercede sua*. Luc. 10. *vel cibo suo*. Matth. 10. Unde et aliis multis similibus scripturarum locis patet; quod dantes spiritualia possunt é contrario vicissim accipere temporalia. A Pontificibus autem hoc ipsum specialiter de indulgentiis insinuatum est, et quidem ab Alexan. III. ad Archiep. Cantuarien. " Quod autem, etc. Remissiones prædictas (idest, quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium) prodesse illis tantummodo arbitramur; quibus, ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt. » Hæc ille; et recitantur de Pœnit. et remiss. Item ab Innocentio III. approbante Concilio illo

maximo Lateranensi, quo nullum fuit generalius á Christo passo, secundum Eckium in confutatione articuli 2. protestantium de Eucharistia: cum in eo fuerint Papa, Constantinopolitanus Patriarcha, et Hierosolymitanus, mille, et ducenti octoginta Prælati orientalis simul, et occidentalis Ecclesiæ. " Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, et BB. Apostolorum Petri, et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indigne, Deus ligandi, atque solvendi contulit, potestate, omnibus, qui, etc. plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint liberaliter corde contriti, et confessi, veniam indulgemus, et in retributione justorum salutis pollicemur augmentum: eis autem, qui in suis dumtaxat expensis juxta facultatem, et qualitatem suam viros idoneos, destinarint, etc. plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, et concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii, et devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ sanctæ de bonis suis concongrue ministrabunt, aut consilium, et auxilium impenderit opportunum.» Hæc ille cap. 70. in expeditione pro recuperanda Terra sancta. Ubi et nota ly» juxta facultatem suam, et ly juxta qualitatem subsidii, pro qu. 25 art. 2. ad 3. Item ab Alexand. III. in Conc. Lateran. par. 44. ca. 5. Milites templi Hierusalem, etc. per quos Deus orientalem Ecclesiam á paganorum spurcitia liberat, etc. ipsi peregrinos ad sancta loca proficiscentes tam in eundo, quam in redeundo, á paganorum incursibus defendunt. Et quoniam ad tam sanctum, et pium opus explendum eis facultates propriæ non suppetunt, præsentibus litteris exoro, quatenus inde sublevetur eorum inopia, populum á Deo vobis commissum collectas facere moneatis. Quicumque autem de facultatibus á Deo sibi collatis in ista secunda collecta se constituerint, eisque beneficium persolverint per annum, septimam partem poenitentiæ injunctæ, confici de BB. Apostolorum Petri, et Pauli meritis indulgemus. » Item á Leone X. in Concil. Later. sess. 9. datur indulgentia similis pro decernenda expeditione contra infideles, et pace christianorum. Vide tu ibi in bulla: « posteaquam ad universalis Ecclesiæ curam, etc. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas prædictas PP. pro quanto indulgentiam posse dari innuunt pro temporali subsidio, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA SEXTA,

DE HIS QUI POSSUNT INDULGENTIAS FACERE IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his qui possunt indulgentias facere.

Circa quod quatuor quæruntur.

Primo, utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere.

Secundo, utrum diaconus, vel alius non sacerdos possit eas facere.

Tertio, utrum Episcopus possit eas facere.

Quarto, utrum existens in peccato mortali possit eas facere.

ARTICULUS I.

Utrum sacerdos parrochialis possit indulgentias dare.

Pro affirmativa.==Videtur quod sacerdos parrochialis possit indulgentias facere.

1. Ille qui habet plebem subjectam, potest dare indulgentias. Sed quilibet parrochialis sacerdos habet plebem sibi subjectam. Ergo quilibet parroquialis sacerdos, seu alius Prælatus cujuscumque congregationis, potest dare indulgentias.

Maior prob. quia indulgentia habet efficaciam ex abundantia meritorum Ec-

clesiæ: Nulla autem est congregatio, in qua non sit aliqua abundantia meritorum.

2. Quilibet potest alteri communicare bona sua, pro altero satisfaciendo. Ergo et Prælatus potest communicare bona multitudinis sibi commissæ, et sic videtur quod possit indulgentias dare.

Conseq. prob., quia quilibet Prælatus gerit personam totius multitudinis, sicut unus homo particularis gerit personam suam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdos parochialis non potest excommunicare. Ergo multo minus potest indulgentias dare.

Conseq. prob. quia minus est excommunicare, quam dare indulgentias.

Determinatio.

Conclusio. Sacerdotes parochiales, Abbates, et alii hujusmodi Prælati, non possunt indulgentias concedere.

Prob. Ille qui concedit indulgentias, communicat opera satisfactoria facta pro bono Ecclesiæ in generali, aliquibus in particulari. Sed sacerdotes parrochiales et Abbates et alii hujusmodi Prælati, non habent potestatem applicandi opera satisfactoria facta pro bono Ecclesiæ in generali, aliquibus de communitate in particulari. Ergo sacerdotes parrochiales et alii hujusmodi non possunt concedere indulgentias.

Maior manifestatur: Quia indulgentiæ effectum habent, secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi charitatis, sed etiam ex intentione operantis, aliquo modo directa ad ipsum. Intentio autem alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter, scilicet in singulari, in speciali, et in generali. In singulari quidem, sicut cum quis pro aliquo satisfacit determinate: et sic quilibet potest alteri sua bona communicare. In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua et familiaribus, et benefactoribus; et ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria: et sic ille qui præest Congregationi, potest opera illa alteri communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua, ad hunc determinate. In generali autem, sicut cum quis ordinat opera sua ad bonum Ecclesiæ in generali; et sic ille qui præ est Ecclesiæ generaliter, potest opera illa communicare, applicando suam intentionem ad hunc vel ad illud. Et quia homo est pars congregationis, et congregatio est pars Ecclesiæ, in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, et boni totius Ecclesiæ; et ideo ille qui præest Ecclesiæ, potest communicare bona, quæ sunt totius Ecclesiæ, bona congregationis, et bona hujus hominis. Ille vero qui præest congregationi, potest communicare bona congregationis, et bona quæ sunt hujus hominis, sed non bona quæ sunt Ecclesiæ. Quæ tamen duæ communicationes non dicuntur indulgentiæ; sed indulgentiæ; dicitur sola communicatio bonorum Ecclesiæ, et hoc propter duo. Primo, quia per illas communicationes, quamvis homo solvatur á reatu pœnæ, quantum ad Deum, non tamen solvitur á debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus, est ex præcepto Ecclesiæ. Sed per communicationem bonorum Ecclesiæ, quæ fit per indulgentiam, solvitur homo etiam ab hoc debito. Secundo, quia in una persona, vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi et omnibus aliis valere possint: unde iste non absolvitur á pœna debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat, quantum debebatur. Sed in Ecclesia tota, est indeficientia meritorum, præcipue propter meritum Christi; et ideo, qui potest dare indulgentias, debet habere potestatem dispensandi bona totius Ecclesiæ, et non congregationis, vel hujus hominis tantum, quæ est maior, quæ erat probanda.

Minor ostenditur; quia cum Ecclesia sit congregatio fidelium, et congregatio

hominum duplex sit, scilicet æconomica, sicut illi qui sunt de una familia, et politica, sicut illi, qui sunt de uno populo, Ecclesia assimilatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur. Sed conventus diversi, vel parochiæ in una Diœcesi assimilantur congregationi in diversis, familiis, vel in diversis officiis. Et ideo solus Episcopus proprie Prælatus Ecclesiæ dicitur propter quod ipse solus, quasi sponsus, annullum Ecclesiæ recipit, et ideo ipse solus habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum, et jurisdictionem in foro Ecclesiæ, quasi publica persona. Alii autem habent solum potestatem, secundum quod ab ipso eis committitur. Sed sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter Prælati, sed quasi coadjutores; Unde in consecratione sacerdotum Episcopus dicit: *Quanto fragiliores sumus, tanto magis auxiliis his indigemus.* Et propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant: Unde non possunt dispensare bona Ecclesiæ, ac per hoc nec indulgentias dare.

Potest etiam aliter formari hæc ratio, in hunc modum.

Illi qui possunt concedere indulgentias, debent esse Prælati Ecclesiæ. Sed sacerdotes parochiales non sunt Prælati Ecclesiæ. Ergo non possunt concedere indulgentias.

Maior patet ex dictis, quia ad hoc ut possint concedi indulgentiæ, requiritur potestas dispensandi Ecclesiæ spiritualia bona; quæ potestas solis Ecclesiæ Prælatis competit, ut dictum est.

Minor prob., quia solus Episcopus est Ecclesiæ Prælatus, ut etiam dictum et probatum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod in particulari congregatione non est simpliciter indeficientia meritorum, ut dictum est, et propterea Prælatus congregationis non potest indulgentias dare.

Ad 2. Dicitur ad consequens, quod illa communicatio bonorum congregationis œconomicæ, non est concedere indulgentias. Unde Prelati particularium congregationum possunt communicare bona suæ congregationis, ut facium Prælati ordinum. Illa tamen communicatio non est dare indulgentias.

ARTICULUS II.

Utrum Diaconus, vel alius non sacerdos, possit concedere indulgentias.

Pro negativa. = Videtur quod Diaconus, vel alius non sacerdos non possit concedere indulgentias.

1. Qui possunt facere indulgentias, habent claves. Sed solus sacerdos habet claves. Ergo solus sacerdos potest concedere indulgentias.

Maior prob., quia remissio peccatorum et pœnæ est effectus clavium.

2. Solus sacerdos potest remittere pœnam in foro pœnitentiali. Ergo solus sacerdos potest facere indulgentias.

Conseq. prob., quia plenior remissio pœnæ est in indulgentiis, quam in foro pœnitentiali.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Non sacerdoti committitur quandoque cura Ecclesiæ. Ergo non sacerdos potest concedere indulgentias.

Conseq. prob., quia ei cui committitur regimen Ecclesiæ, confertur etiam potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, ex quo indulgentiæ eficaciam habent.

Determinatio.

Conclusio. Diaconi et alii non sacerdotes quandoque possunt concedere indulgentias, non tamen possunt absolvere in foro pœnitentiali.

Prob. Illi qui possunt habere jurisdictionem, possunt concedere indulgentias. Sed diaconi et alli non sacerdotes possunt habere jurisdictionem. Ergo possunt concedere indulgentias.

Maior prob., quia potestas concedendi indulgentias, sequitur jurisdictionem, ut dictum est qu. præced. art. 2.

Minor prob., quia possunt habere jurisdictionem commissam, ut legati; vel ordinatam sicut electi.

Ultima pars conclusionis prob., quia absolvere in foro pœnitentiali est ordinis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Possunt enim non sacerdotes habere claves jurisdictionis, quam consequitur potestas concedendi indulgentias.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi plenior remissio pœnæ fiat in indulgentiis, quia tamen potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem, quam etiam non sacerdotes habere possunt, ideo non sacerdotes possunt indulgentias concedere.

ARTICULUS III.

Utrum Episcopus possit indulgencias concedere.

Pro negativa.=Videtur quod Episcopus non possit indulgentias concedere.

1. Ille qui potest concedere indulgentias, debet præ esse toti Ecclesiæ. Sed Episcopus non præ est toti Ecclesiæ. Ergo Episcopus non potest concedere indulgentias.

Maior probatur, quia Thesaurus Ecclesiæ, qui est toti Ecclesiæ communis, et á quo indulgentiæ habent robur, non potest dispensari, nisi per illum, qui toti Ecclesiæ præ est.

2. Nullus potest remittere pœnas á jure determinatas, nisi ille qui habet potestatem jus condendi. Sed pœnæ satisfactoriæ pro peccatis sunt á jure determinatæ. Ergo nullus potest hujusmodi pœnas remittere, præter solum Papam, qui est juris conditor.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumenta sed contra

Est consuetudo Ecclesiæ, secundum quam Episcopi dant indulgentias.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Papa potest concedere indulgentias, prout vult, causa tamen existente legitima.

Prob. quia Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in Regno, et per hoc potestas concedendi indulgentias, plene residet in Papa.

2.ª Conclusio. Episcopi possunt concedere indulgentias, secundum quod eis est taxatum, et non amplius.

Manifestatur: quia Episcopi assumuntur in partem solicitudinis, quasi judices singulis civitatibus propositi, propter quod eos solos Papa in suis litteris fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios: et ideo in Episcopis non residet plene potestas pontificalis; sed est taxata eis potestas concedendi indulgentias, secundum ordinationem Papæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod concludit Episcopum non habere plenitudinem potestatis faciendi indulgentias, quam solus Papa habet, qui est toti Ecclesiæ præpositus.

Ad 2. Eodem modo dicitur: potest enim Episcopus, secundum quod ei á Papa, qui est juris conditor, pœnas á jure taxatas remittere.

ARTICULUS IV.

Utrum ille qui est in peccato mortali, possit concedere indulgentias.

Pro negativa.= Videtur quod ille qui est in peccato mortali, non possit concedere indulgentias.

1. Rivus cui fons non influit, nihil in alios profluere potest. Sed Prelato in peccato mortali existenti, non influit fons gratiæ, scilicet Spiritus Sanctus. Ergo non potest in alios profluere, concedendo indulgentias.

2. Ille qui est in peccato mortali, non recipit indulgentias: ut dicetur artic. primo sequentis quæstionis. Ergo multo minus potest indulgentias concedere.

Conseq. prob. quia majus est concedere, quam recipere indulgentias.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Peccatum mortale non tolit potestatem á Prælatis, sed bonitatem. Ergo

potest aliquis in peccato existens indulgentias concedere.

Conseq. prob., quia indulgentiæ fiunt per potestatem traditam Prælatis.

Determinatio.

Conclusio. Ille qui est peccato mortali, potest concedere indulgentias.

Prob. Ille qui habet jurisdictionem, potest indulgentias concedere. Sed per mortale peccatum Prælatus non amittit jurisdictionem. Ergo Prælatus cum peccato mortali potest concedere indulgentias.

Maior prob., quia concedere indulgentias, pertinet ad jurisdictionem; et ideo indulgentiæ æque valent, si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus.

Et confirmatur conclusio, et ratio quia concedens indulgentias, non remittit pœnas ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Prælatus in peccato mortali existens, indulgentias concedens, non influit aliquid de suo, et ideo non requiritur quod recipiat influxum gratiæ á fonte, ad hoc ut ejus indulgentiæ valeant.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod majus est concedere indulgentias, quam recipere, quantum ad potestatem; sed minus est, quantum ad propriam utilitatem. Et ideo habens potestatem, potest concedere indulgentias; sed si sit in peccato, eas recipere nequit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 116.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito ab *Innocentio III*, in Concilio generali esse insinuatum, quod indulgentias facere possunt Episcopi, non autem abbates, vel parochiales sacerdotes. Insinuatum vero tunc est istud per suum tale in generali Concilio dictum. " Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus episcoporum querelis intelleximus graves, et grandes quorumdam Abbatum, excessus, qui suis finib. non contenti manus ad ea, quæ sunt episcopalis, dignitatis extendunt, de causis matrimonialib. cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, condendo etiam indulgentiarum litteras, et similia praesumendo. Unde contingit interdum, quod vilescit auctoritas apud multos. Volentes igitur in his et episcoporum dignitati, et Abbatum providere saluti, praesenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se praesumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri. » Haec ille: et recitantur de excessib. praelat. Nota ly indulgentiarum litteras designare: quod dare indulgentias publicas est episcopalis tantum dignitatis. Nota in ly Abbatum providere saluti, quod non est tutum in conscientia dicere illos posse dare indulgentias tales: quod etiam, á fortiori, dic de sacerdotibus parochialib. Nata in ly " nisi speciali concessione, vel alia legitima causa," quod ex commissione speciali, si eis daretur á superiorib. vel etiam ex consuetudine praescripta quae dat jurisdictionem de offi. archid. dilecto, et de praesc. audistis, et de form. compet. cum contingat, possent tales dare indulgentias. Nec sunt ista contra determinata in art. ut consideranti ibi dicta cum eluc. patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem decretum Innocentii, pro quanto indulgentiarum concedendarum facultatem solis Episcopis asserit convenire, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per S. Doctorem á fortiori interimas errorem *Antidiaphoristarum* dicentium: Episcopi nullam esse jurisdictionem: Cum enim articulus præcens tanquam pro fundamento conclusionis supponat, quod diaconus potest jurisdictionem habere, utique contra errorem illum á fortiori militat. *Secundo* habes quomodo per S. Docto. ostendas á fortiori, errorem prædictum merito damnari á, et cæt. ut quæst. 22. articul. 1. et 2. append. Item á, etc. ut art. sequent. append. *Tertio* habes: quomodo per S. Doctorem ostendas merito insinuatum esse ab Innoc. III. quod Diaconus est capax jurisdictionis in foro exteriori, et ex consequenti ab eodem Papa merito, tanquam in radice, insinuatum, quod diaconus potest facere indulgentias. Hæc autem ab ipso insinuata sunt; quando scribens Archidiacono Mediolanensi ait. " Dilectus filius noster. G. Sanctæ Mariæ in porticu diaconus Cardinalis, dum legationis fungeretur officio in partibus Lombardiæ, instituit: ut de cætero hæretici ad consilia, et dignitates Lombardiæ nullatenus admittantur, nec eligendi alios eis arbitrium conferatur, nec in eligendis personis ad eas vocem aliquam debeant obtinere. Nos igitur, quod ad eodem Cardinali statutum est, ratum habentes, injungimus, etc. » Idipsum, quod scilicet legati (hi quandoque sunt tantum diaconi) habeant jurisdictionem, et ex consequenti, etc. patet extra de offic. Leg. *Quarto* habes: quomodo per S. Docto. praedicta, pro quanto etc. intelligas, et defendas. *Quinto* vides: quomodo etc.

¶ Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per S. Thomam excludas errorem *Waldensium* Direct. Inquisit. 2. par. quæstion. 14. dicentium, quod Papa nullam prorsus habet auctoritatem concedendi indulgentias. Item Jo. Westphali dicentis, thesaurum meritorum sanctorum non posse per Papam distribui, nec etiam pensationem pœnarum pro peccatis debitarum posse fieri per pœnas quas sustulit Christus. Item ejusdem Joan. dicentis, quod unus Episcopus sit super alios, et Papa super omnes, non á Christo, sed hominum electione constitutum est. Et propterea concludentis, ubi supra, Episcopos omnes, et presbyteros dignitate, et auctoritate æquales. Item cujusdam. Cardinale Turrecrem, referente, de Eccles. lib. 2. capit. 62. dicentis, Episcopum quemlibet esse summum et sublimissimum jurisdictionis potestate. *Secundo* habes: quomodo per sanctum Thomam, ostendas hos merito damnatos, á, et cæt. ut supra quæst. 25. art. 1. append. de Waldensium damnatione. Item ab Innoc. III. in concil. generali, cum ex eo, et cæt. *Romanus Pontifex obtinet plenitudinem potestatis.* Hæc ibi, et recitantur de pœnitent. et remissi. et loquitur de indulgentiis dispensandis. Item á Concilio Tridentino sessione 23. capit. 4. et canon. 6. ubi concilium ipsum loquitur de hierarchia ecclesiastica; ut quæstione 10. art. 6. append. verbaliter adductum est. Et quia Joan. Westphal. Papæ auctoritatem esse ab hominum electione, quod quidem clarius, ut supra quæst. 24. art. 1. dictum est, asserunt ab imperatore, ideo, quid de hoc dicat imperatorum maximus Constantinus, audiendum: ut vel sic, ab iis etiam, quibus favent, confusi ignominia suffundantur. Dicit ergo in edicto suo prædictus Constantinus. " In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et cæt. Quantam potestatem Salvator noster suo Apostolo B. Petro contulerit in coelo, ac terra, lucidissime nobis B. Sylvester Papa, venerabilis pater edixit. dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens ait: Tu es Petrus, et super hanc, et cæt. Advertite potentes, et aure cordis intendite, quid bonus magister, et dominus suo discipulo adjunxit, inquiens. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis. Mirum est hoc, et valde gloriosum, in terra ligare, et solvere, et in coelo ligatum, et solutum esse, et cæt. Sicut in terris sanctus Petrus vicarius filii Dei esse videtur constitutus, etiam et Pontifices, qui successores sunt ipsius principis Apostolorum, potestatem principatus amplius, quam terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam, á nobis; nostroque Imperio obtineant. et cæt. Et, sicut nostram terrenam imperialem potentiam, sic ejus sacrosanctam Rom. Ecclesiam decrevimus veneranter honorari, et amplius, quam nostrum imperium, et terrenum thronum, sedem sacra-

tissimam B. Petri gloriose exaltari, etc. Desernentes sancimus: ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, et Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ extiterit, celsior, et Princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et cæt. justum quippe est: ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor Salvator noster B. Petrum Apostolatus obtinere præcepit Cathedram: ubi et crucis patibulum, et cæt. » Ubi nota, quod ly videtur accipitur pro ly patet, vel manifeste constat, ut consideranti contextus demonstrat. Vigilanter etiam nota ly justum quippe est, ut ibi lex sancta caput. et cæt. quia inde manifestum fit, quod Imperator Constantinus ideo se honorare, tamquam primam, sedem B. Petri fatetur, eo, quod á Salvatore nostro ipsam, tamquam caput omnium, institutam esse agnoscit. Non ergo, quia ipse imperator voluit esse primam, prima est, sed ideo Imperator primam esse voluit, quia primatum ipsam á Christo prius obtinuisse manifeste cognoscit. Non ergo, et hoc contra errores praedictorum, et similium, primatus Papae est á Caesare institutus, sed tamquam á Christo domino institutus veraciter á Caesare agnitus, et reverenter pro tali habitus, et honoratus. Id, quod adhuc etiam idem imperator satis declarat post multa subinferens. " Unde, ut Pontificalis apex non vilescat, sed amplius etiam, quam terreni imperii dignitatis, et gloriae potentia decoretur: ecce tam palatium nostrum, ut praedictum est, quam urbem Romam, et omnes totius Italiae, at occidentalium regionum pontificins, loca, et civitates praefato Pontifici nostro, Sylvestro universali Papae, et successorum ipsius Pontificum ditioni, et potestati concedimus, atque relinquimus, etc. Unde congruum prospeximus, nostrum Imperium in orientalibus transferri, et transmutari regionibus, etc. quoniam, ubi principatus sacerdotum, et Christianae religionis caput ab Imperatore coelesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia, etc. *Ubi nota ly* quoniam, ubi principatus sacerdotum ab Imperatore cœlesti, et clare perspicies Constantinum magnum fateri per hoc, se non constituere Papam caput totius Ecclesiæ; sed Christo, qui jam á principio ipsum sic instituit, libenter per hæc sua decreta adhærere. Ne vero errantes prædicti subterfugere possint dicendo, quod tempore Constantini magni sic, ut prædictum est, tenendum fuit, sed non postea, audiamus eumndem ita subinferentem. "Hæc vero omnia, et per alia divinalia decreta. statuimus, atque confirmavimus: usque in finem mundi illibata, et inconcussa permansura decernimus. Unde coram Deo vivo; et coram terribili judicio ejus obtestamur omnes nostros successores, Imperatores, vel cunctos optimates, satrapas, etiam amplissimum Senatum, et universum populum in toto orbe terrarum, nunc, et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subjacentem: nulli eorum quomodo licere hæc, quæ á nobis Imperiali sanctione sacrosanctae Romanae Ecclesiae, vel ejus omnibus Pontificibus concessa sunt, confringere, aut in quoquam convellere. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator, aut contemptor extiterit, aeternis condemnationibus subjaceat innodatus, et sanctos Dei principes Apost. Petrum, et Paulum sibi in praesenti, et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo, et omnibus deficiat impiis. Hujus vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus B. Petri principis Apost. posuimus, etc. Beato patri Nostro Sylvestro summo Pontifici, ejusque cunctis successoribus Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo annuente, tradimus perenniter, atque feliciter possidenda. » Haec ille, cum supradictis omnibus, in primo tomo Conciliorum ante Concil. Nicaenum. Ubi nota ly annuente Domino Deo: ex quo, ut supra, conclude contra errantes. Ex his memento etiam confundi vanam Erasmi diligentiam, seu potius longam somnolentiam, sup. qu. 24. art. 1. recitatam, qua dicebat; quod Romani Pontificis monarchia post Hieronymi seculum exorta est; et quod aetate Divi Hieronymi non solere quemquam excommunicare, etc. Nam (ut vidisti in hoc edicto

Constantini) monarchia haec jam á Christo praeinstituta, et ab ipso Imperatore agnita fuit. Et, quia Constantino non minor fuit B. August. in hac veritate indaganda, atque capessenda; ideo ex eodem edicto constat, quam derisibilis sit Erasmus eadem somnolentia dicens: Augustinum non agnovisse Romanae sedis auctoritatem, quam illi nunc tribuimus. Constantinus enim (ut ex Chronicis patet) circa annum Dom. 317. claruit. Hieron. vero, et August. certum est non praecessisse. Rursus. Idem Constantinus, cum ex omnibus pene locis Episcopi convenissent ad Concilium Nicaenum I. eumdem tamquam judicem de diversis jugiis inter se invicem habere vellent, ait ad eosdem Episcopos: " Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: ideo nos á vobis recte judicamur vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium ut et vestra jurgia, quaecumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos enim nobis á Deo dati estis Dii. Conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus, de quo escriptum est: Deus sterit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit. Mihi quidem homini errori obnoxio nefas esse videtur, ecclesiasticorum virorum accusationes recipere, et audire. Quapropter agite, Christum aemulati, per mutuam veniam aliis alii commissa remittamus.» Haec ille in praeambulis Nicaenae Synodi. Fatetur igitur á fortiori, summum Pontificem super Imperatorem esse constitutum á Deo, et habere potestatem de Imperatore quoque judicandi: et consequenter ipsum Pontificem ab Imperatore non habere dependentiam, contra supradictos errantes, et hujusmodi Rursus. Narrato Roman. Concil. sub eodem Sylvestro ca. 20. ubi dicitur: " Nemo judicabit primam sedem: quoniam omnes sedes aprima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque á Regibus, neque á populo judex judicabitur.» Narrato inquam, hoc, subjungitur immediate sic: "Et subscripserunt ducenti, et octoginta quatuor Episcopi, et quadraginta, quinque presbyteri, et quinque Diaconi, et Augustus Constantinus, mater ejus Helena.» Haec ibi post Concilium Nicaenum. Ecce, quod Constantinus Magnus, se inferiorem esse Romano Ponntifice, manu propria subscribenda testatur. Nemo autem, dum haec legit, putet, Imperatorem de fidei negotiis ferre sententiam contrarium supra Constantinus docuit. Subscribit vero ille determinationi Patrum, non ut judex, sed ut Patronus, et excutor eorum, quae Patres in fidei negotio statuissent. Item vide supra quaest. 19. art. 4. append. de Imperatoris Basilii verbis notabilibus, et quaest. 17. art. 1. append. de primatu Petri, et quaest. 20. art. 1. *Tertio* habes: quomodo per Divum Thomam ostendas, merito dictum esse ab Innocentio III. in Concilio generali. " Cum ex eo, etc. decernimus, ut, cum dedicatur Basilico, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab una solo, sive á pluribus Episcopis dedicetur; ac de inde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat, etc. Haec ille de poenitent. et remiss. Item ab Honorio III. ibid. " Nostro postulasti, etc. per provinciam tuam libere potes remissionis concedere litteras: ita tamen, quod statum generalis Concilii non excedas. Haec ille cuidam Archiepiscopo. Item á Bonifacio Octavo. " Indulgentiae, quae ab uno, vel pluribus Episcopis in ecclesiarum dedicationibus, vel aliis quibuscumque casibus, conceduntur, vires non obtinent; si statum excesserint Concilii generalis. Haec ille de poenitent. et remiss. in in 6. Ecce insinuatum, quod Episcopi secundum taxatum sibi terminum possunt facere indulgentias, et non plus. *Quarto* habes quomodo per Divum Thomam praedicta Patrum, ac Imperatorum, declares, atque communias, et (pro quanto opus fuerit defendas.) *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem dissipes haeresim *Joan. Huss*, ut habetur ex Concil. Constantiensi sess. 15. dicentium quod potestatem á Deo nemo recipit, qui non sequitur Christum in moribus. Item omnes alios errores supra recitatos quaest. 19. art. 5. appen. Item *Waldentium*, ut refert Alphons. de Cast. dicentium, peccatoribus, et sceleratis potestatem, et dona sua Deum non praestare.

Item dicentium, quod peccatorum mortalis reus non potitur auctoritate ulla tan Ecclesiastica, quam laicali: sed peccati mortalis causa amittit omnem potestatem. Item errorem *Jacobi Præpositi* dicentis: qui manet in peccato mortali, non manet in baptismo, in sacerdotio, in Episcopatu, in Papatu. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores praedictos merito damnari á, etc. ut supra quaest 19. art. 5. in text. et not. 1. et 2. post 1. et appen. Item á Domino Jerem. 27. "Ego nunc dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Baylonis, servi mei. Insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi: et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus, etc. Gens, et regnum, quod non servierit Nabuchodosor Regi Baylonis, et quecumque non curvaverit collum suum sub jugo Regis Baylonis, in gladio, et fame, et peste visitabo super gentem illam, etc. Porro gens, quae subjecerit cervicem suam sub jugo Regis Baylonis, et servierit ei, dimittiam eam in terra sua, et colet eam, at habitabit in ea, etc. Subjicite colla vestra sub jugo Regis Baylonis, et servite ei, et populo ejus, et vivetis." Quibus sane verbis ostenditur, quod Reges alias legitimi, quantumcumque mali, retinent potestatem, quod subditi eis obedire tenentur in his, quae contra Deum non sunt: et sic obediendo gratam rem Deo faciunt. A fortiori, vel saltem á simili, habes ex hac ipsa auctoritate; quid de potestate sacerdotali etiam in peccato mortali existentium dicas. Et nota hinc, quantae damnationis sunt rei supradicti errantes: quando Deus tantum zelat, et pro infideli Rege, et contra non obedientes ipsi Regi. Item, manifestius ad litteram damnari á Principe Apostulorum, 1. Pet. 2. "Servi obedite in omini timore dominis; non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis. Item Marc. 6. Et vocavit duodecim, et cepit eos mittere bines: et dabat illis potestatem spirituum immundorum. etc. Et exeuntes praedicabant, ut pœnitentiam agerent, et daemonia multa ejiciebant." Ecce, quod daemones Judae, qui unus ex duodecim diabolus erat. Joan, 6. potestatem á Christo habenti etiam nolentes subjiciuntur, et obediunt. Negantes igitur praelatorum majorum potestatem remanere in eis, et ob hoc nolentes ei obedire, videntur daemoniis pejores. Ne autem aliquis ipsorum errantium subterfugiat dicens, quod tunc Judas nondum erat diabolus (quicquid sit de hoc, etiam quod sine ratione dici, et consequenter improbabile, videatur) constringendus est per auctoritatem Matth. 7. « Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo daemonia ejicimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Ubi nota tu ly numquam, et ly novi. » De notitia siquidem aprobationis, qua quis est in gratia Dei, loquitur: et dicit, eos nunquam fuisse in gratia sua etiam quando daemonia in nomine suo ejiciebant. Erant ergo in peccato mortali proculdubio tales potestatem habentes; et tamen potestatem per illud non amiserant, in cujus signum manifestum est, quod daemonia coactitie per potestatem illam de corporibus ejiciebantur. Negantes igitur praelatorum malorum potestatem remanere in eis, etc. ut supra. *Tertio* quomodo, per rationem praedicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto jurisdictionem in malis remanere, et consequenter malos alias jurisdictionem prius habentes posse indulgentias facere insinuant, et intelligas, et declar es, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, ect.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA SEPTIMA,

DE HIS QUIBUS VALENT INDULGENTIÆ, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quibus valent indulgentiæ.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum indulgentia valeat existentibus in mortali peccato.

Secundo, utrum valeat religiosis.

Tertio, utrum valeat non facienti illud pro quo indulgentia datur.

Quatuor, utrum valeat ei qui indulgentiam facit.

ARTICULUS I.

Utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali.

Pro affirmativa. = Videtur quod indulgentia valeat existientibus in peccato mortali.

1. Ea quæ habent efficaciam ex meritis sanctorum, valent etiam existentibus in peccato mortali. Sed indulgentiæ habent efficaciam ex hoc quod merita sanctorum applicantur ad istum. Ergo indulgentiæ valent, etiam existentibus in peccato mortali.

Maior prob., quia aliquis potest alteri mereri (etiam in peccato mortali existenti) gratiam et multa alia bona.

2. Ubi est maior indulgentia, magis habet locum misericordia. Sed ille qui est in peccato mortali, est maxime indigens. Ergo ei maxime debet fieri misericordia per indulgentiam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt indulgentias valere, etiam existentibus in peccato mortali, non quidem ad dimissionem pœnæ, quia nulli potest dimitti pœna, nisi ei cui jam dimissa est culpa: qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpæ, non potest consequi remissionem pœnæ á ministro Ecclesiæ, neque per indulgentias, neque in foro pœnitentiali. Dicunt tamen quod valent ad acquirendam gratiam.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verum, quia quamvis merita illa, quæ per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam, non tamen per indulgentiam dispensantur ad hoc, ut gratiam mereantur, sed determinantur ad remissionem pœnæ.

Vera sententia.

1.ª CONCLUSIO. Indulgentiæ non valent existentibus in peccato mortali.

Prob. Quia si valerent aliquid ipsis, vel valerent ad dimissionem culpæ vel pœnæ. Non valent ad deletionem culpæ, quia hæc fit per gratiam, quam indulgentiæ non merentur, ut dictum est. Pœna autem ante culpam non dimittitur. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis.

2.ª CONCLUSIO. Si fieret communicatio spiritualium bonorum Ecclesiæ, per hunc modum: *facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, et unius congregationis vel unius specialis personæ*, possent valere ad merendum aliquid illi qui est in peccato mortali, scilicet gratiam.

Hæc relinquitur manifesta: nam potest aliquis per bona opera mereri alteri gratiam, et in hoc sensu potest esse vera predicta opinio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ea quæ habent efficaciam ex meritis sanctorum, valent his qui sunt in peccato mortali, si fiat illorum communicatio, per modum dictum in secunda conclusione. Non autem eis valent, si communicentur solum per indulgentias. Tunc enim ordinantur solum ad remissionem poenæ.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis existens in peccato mortali sit magis indigens, tamen est minus capax. Misericordia igitur habet locum in indigente et capace misericordiæ. Existens autem in peccato mortali, non est capax remissionis poenæ, ratione dicta in corpore.

ARTICULUS II.

Utrum indulgentiæ valeant religiosis.

Pro negativa. = Videtur quod indulgentiæ non valeant religiosis.

1. Eis ex quorum abundantia aliis suppletur, non competit suppleri. Sed ex superabundantia operum satisfactionis, quæ sunt in religiosis, aliis suppletur per indulgentias. Ergo religiosis non competit per indulgentias suppleri.

2. Illud quod est occasio dissolutionis regularis disciplinæ, non prodest religiosis. Sed si indulgentiæ eis prodessent, esset occasio dissolutionis regularis disciplinæ. Ergo indulgentiæ religiosis non prosunt.

Maior prob., quia in Ecclesia non debet aliquid fieri, quod inducat dissolutionem religionis.

Minor prob., quia religiosi nimis vagarent per hujusmodi indulgentias, et pœnas sibi impositas in capitulo negligerent.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullus ex bono opera reportat damnum. Sed religio est quoddam bonum. Ergo religiosi non reportant ex religione hoc damnum, ut eis non prosint indulgentiæ.

Determinatio.

Conclusio. Indulgentiæ valent tam secularibus, quam religiosis, dummodo sint in charitate, et servent ea quæ pro indulgentiis indicuntur.

Manifestatur: quia religiosi non sunt minus adjuvabiles meritis aliorum, quam seculares.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis religiosi sint in statu perfectionis, tamen, nec ipsi sine peccato vivere possunt, et ideo si aliquando propter aliquod peccatum commissum sint rei alicujus pœnæ, possunt per indulgentiam ab hac expiari, non enim est inconveniens, quod ille qui est simpliciter abundans, quandoque aliquo indigeat, et sic etiam ipsi aliquando indigeant supplemento quo sublevantur, ut dicitur ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate.*

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod propter indulgentias non debet solvi regularis observantia, quia religiosi magis merentur ea quæ sunt suæ religionis servando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quam indulgentias exquirendo; quamvis minus mereantur, quantum ad dimissionem pœnæ, quod tamen est minus bonum. Nec iterum per indulgentias dimittuntur pœnæ injunctæ in capitulo, quia ibi agitur quasi forum judiciale magis, quam poenitentiale. Unde etiam non sacerdotes capitulum tenent: sed per indulgentias absolvuntur á poena debita pro peccato in foro conscientiæ.

ARTICULUS III.

Utrum ei qui non facit illud, pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari.

Pro affirmativa. — Videtur, quod ei qui non facit illud, pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari.

1. Ei qui non potest operari, voluntas pro facto reputatur. Sed aliquando fit indulgentia, pro aliqua eleemosyna facienda, quam aliquis pauper facere non potest, et tamen libenter faceret. Ergo ei indulgentia valet.

2. Unus potest pro alio satisfacere. Sed indulgentia operatur ad remissionem pœnæ, sicut et satisfactio. Ergo indulgentiam potest unus pro alio accipere; et sic ille consequetur indulgentiam, qui non fecit hoc, pro quo indulgentia datur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Remota causa, removetur effectus. Sed si aliquis non facit id pro quo indulgentia datur, removet indulgentiæ causam. Ergo non consequitur indulgentiam.

Determinatio.

Conclusio. Ille qui non facit id pro quo indulgentia datur, indulgentiam non consequitur.

Prob. Non existente conditione, non potest quis consequi illud quod sub conditione datur. Sed indulgentia datur sub conditione, si aliquis faciat hoc vel illud. Ergo si quis hoc, pro quo indulgentia datur, non faciat, indulgentiam consequi non potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior intelligenda est, quantum ad premium essentiale. Qui enim non potest facere illud quod ordinatur ad merendum essentiale præmium quod tamen libenter faceret, si posset, ei voluntas pro facto reputatur. Hoc autem non est verum de his operibus quæ ordinantur ad aliqua accidentalia præmia, sicut est dimissio poenæ. Unde si pauper non faciat eleemosynam, pro qua sit indulgentia, indulgentiam non consequitur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non est eadem ratio de satisfactione, et indulgentia. Satisfactio enim pro alio fit per hoc quod quis applicat proprium opus alteri. Et quia unusquisque potest opus proprium per intentionem applicare cuicumque voluerit, ideo potest unusquisque pro quocumque vult satisfacere. Indulgentia autem non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus, qui dat indulgentiam, et cum faciens indulgentiam applicet opera meritoria Ecclesiæ, ei qui facit vel dat hoc vel illud, non potest qui hoc facit vel dat, ad alterum hanc intentionem transferre. Si tament sic fieret indulgentia, *ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam indulgentiam*, valeret ei pro quo fit, nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille qui indulgentiam, sub tali forma facit.

ARTICULUS IV.

Utrum indulgentia valeat ei qui eam facit.

Pro negativa=Videtur quod indulgentia non valeat illi qui eam facit.

1. Opus jurisdictionis non potest quis in seipsum exercere. Sed facere indulgentias, est opus jurisdictionis. Ergo indulgentiæ non valent ei qui eas facit.

2. Si indulgentiæ valerent ei qui eas facit, sequeretur quod qui indulgentias facit, posset pro aliquo modico facto sibi remittere poenam omnium peccatorum. Et ita impune peccaret, quod videtur absonum.

3. Aliquis non potest excommunicare seipsum. Ergo faciens indulgentiam, non potest indulgentiæ esse capax.

Conseq. prob., quia ejusdem potestatis est concedere indulgentias, et posse excommunicare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Si concedens indulgentias, non posset uti thesauro Ecclesiæ, quem ipse dispensat, sequeretur quod esset pejoris conditionis, quam alii quod est inconveniens.

Determinatio.

Conclusio. Prælatus non potest concedere indulgentiam sibi tantum, sed potest uti indulgentia, quam pro aliis facit.

Manifestatur quoad priorem partem. Indulgentia debet ex aliqua causa dari, ad hoc quod aliquis per indulgentiam ad actum aliquem provocetur, qui in utilitatem Ecclesiæ, et Dei honorem vergat. Sed Prælatus non habet causam, ut se ipsum provocet ad actum, qui vergat in Dei honorem, et Ecclesiæ utilitatem. Ergo Prælatus non potest pro se ipso tantum concedere indulgentiam.

Minor prob., quia prælato commissa est cura utilitatis Ecclesiæ, et honoris divini propagandi, et ideo non habet aliquam causam ad hoc provocantem ipsum; et sic non potest sibi soli indulgentiam facere.

Altera conclusionis pars patet ex argumento pro affirmativa. Quia scilicet concedens indulgentias, non est pejoris conditionis, quam sint alii, pro quibus dantur indulgentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod actus jurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere; potest tamen Prælatus uti eis quæ auctoritate jurisdictionis dantur aliis, tam intemporalibus, quam in spiritualibus. Sicut sacerdos accipit Eucharistiam quam aliis dat. Et ita Episcopus potest sibi accipere suffragia Ecclessiæ, quæ aliis dispensat, quorum immediatus effectus est remissio poenæ per indulgentias, et non jurisdictionis actus.

Ad 2. Negatur conseq. Nam concedens indulgentias, non potest eas pro se ipso solo facere, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de excommunicatione, et de indulgentia. Ad prob. dicitur, quod excommunicare et indulgentias facere est ejusdem potestatis, sed non eodem modo. Excommunicatio enim profertur per modum sententiæ, quam nullus in se ipsum ferre potest, eo quod in judicio non possit idem esse judex et reus. Indulgentia autem non per modum sententiæ datur, sed per modum dispensationis cujusdam, quam homo potest facere ad seipsum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 117.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á summis Pontificibus, et consiliis, quod indulgentiae non prosunt existenti in peccato mortali. Insinuatum vero est hoc ab Innocentio III. in Concil. Later. sess. ult. quando dabatur indulgentia pro expeditione ad terram sanctam: ubi dicit indulgentiam dare contritis, et confessis. Item á Papa Bonif. VIII. de poenit. et remiss. in extravag. comm. Antiquorum. Ibi enim dicitur pro consecuturis indulgentias Jubilei ly *vere pœnitentibus et confessis.* Item á Clem. VI. ibi, cap. *Dudum,* ubi dixit ly *omnibus vere pœnitentibus, et confessis,* et circa finem capituli ly *qui pro ea prosequenda ad easdem Basilicas, etc. vere pœnitentes* (ut praemittitur) *et confessi eamdem indulgentiam consequantur.* Item á Leone X. in Consil. Later. sess. 9. ubi idem habetur, quando dat indulgentias orantibus pro pace. Item (ut sumarie dicitur) á Conc. Constantiensi sess. 17. ubi dans indulgentias orantibus pro Sigismundo Imperatore dicit ly *in forma consueta Ecclesiæ* (intellige tu vere contritis, et confessis.) Quo utique verbo satis demonstrat; quod consueta est Ecclesia non dare indulgentias, nisi vere contritis, insinuans per hoc, quod indulgentiæ non prosunt existentibus in peccato mortali. Unde etiam habetur, quod dato per imposibile, quod possent tali in peccato mortali existenti prodesse, quantum est ex parti ipsius peccatoris, non tamen prodessent de facto, quoniam indulgentiæ habent vim ex intentione dispensantis, et dispensans non habet intentionem dandi illas, nisi vere pœnitentibus. *Secundo* habes: quomodo per S. Thomam ostendas, merito insinuatum ab Innocent. *Tertio* in Concil. generali Later. sess. ult. quod communicatio bonorum potest mereri gratiam aliis, et hanc communicationem non esse per modum indulgentiæ. Ibi enim datis indulgentiis euntibus, vel alias subvenientibus, ad terram sanctam, subjungitur per modum communicationis. " Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere communi universalis synodus omnium beneficiorum suorum sufragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto existentibus in mortali indulgentias non prodesse, communicationemque bonorum factam per alium modum prodesse, insinuant, et intelligas, et declares, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errores *Lutheri* ut refert Leo X. in bula contra errores ejus, qui quasi reversus ad semetipsum, et pœnitens de negatione totali indulgentiarum, tandem dixit, quod indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus. Unde addit ille quod indulgentiæ non sunt necessariæ, nec utiles mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commisserunt crimina, his, qui crimina commisserunt, sed non publica, his qui meliora operantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem errorem ejus, quatenus religiosos eximit ab utilitate indulgentiarum, ostendas; merito damnari á Bonifacio VIII. immo et á suis prædecessoribus. Antiquorum habet relatio, " quod accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apost. de urbe concessæ sunt magnæ indulgentiæ peccatorum. Nos igitur, etc hujusmodi indulgentias omnes approbamus auctoritate Apastolica; et Apostolicæ plenitudine potestatis omnibus accedentibus, etc.» Hæc ille de pœnit. et remissio. extravag. com. Ubi religiosos non excludit, sed includit per ly omnibus, nt patet. Item á Clem. VI. ad Archiepiscopum Tarraconen. ejusque sufraganeos. " Dudum de fratrum nostrorum consilio, et plenitudine Apost. potestatis indulgentiam, etc. cunctis Christifidelibus, etc. Statuentes, ut universi fideles, et cæt. qui visitaverint, et cæt. plenissimam suorum omnium peccatorum veniam consequantur. » Hæc ille, et recitantur ibidem. Ubi religiosos, et cæt. ut supra. Item á cotidianis bullis indulgentiarum, quæ ab Apost. sede emanant pro tempore: in quibus. ut patet, includuntur, etiam religiosi per ly *Christifidelibus, vel* ly *omnibus utriusque sexus Christifidelibus*, et hujusmodi. Item, merito damnari ab eodem Leone in eadem bulla, cujus damnationis particulam vide supra, quæst. art. 1. append. addendo etiam quæst. 24. art. 1. appen. De Luthero superius dixi ly quasi reversus ad se, etc. quia, tamquam quod indulgentias per hoc aliquatenus admiserit, excrucians se, idipsum revocavit. Unde ait. " Has propositiones, ut dixi, revocavi antea, rogavique, et adhuc rogo omnes tunc bibliopolas, tunc lectores, ut ea quæ de indulgentiis disputata, et scripta á me sunt, exurant. Nesciebam enim tum, cum ea laborarem, Papam esse antichristum: qui his, et similibus operationibus erroris, Satana imperante, orbem perderet Christianum. » Hucusque verba vomitus Lutheri, quicquid sit de sua revocatione tantis maledictis vallata, Deus videat, et judicet. Catholicis interim nobis scire sufficiat, et quod honor est homini. qui separat se á contentionibus; et quod omnes stulti miscentur contumeliis Prover. 20. Porro, quod Romanus Pontifex non sit antichristus, quinimo et quod sit, antichristo totaliter contrarius ostensum est manifesta supra quæst. 21. art. 1. append. ostensus est valor indulgentiarum, et quod Christo domino imperante, orbem salvant christianum indulgentiæ ipsæ, declaratum quæst. 25. art. 1. et 2. et consequenter, quod non erroris, sed veritatis, opera sunt. Vide Roffensem contra articulos erroneos 21. et 22. Lutheri. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Leonis, Clementis, et aliorum Pontificum, pro quanto utilitatem indulgentiarum ostendunt ad religiosos extendi, et probes, et declares, et defendas. *Quarto* habes: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á *Sixto IV.* et á *Clemente VI.* et á *Bonifacio VIII.* quod indulgentiæ non participantur ab iis, qui non faciunt, quod inibi mandatur. Insinuatum autem est á *Sixto* de pœnit. et rem. extrav. com. " Quemadmodum operosi, etc. qui Beatorum Apost. Petri, et Pauli Basilicas, Lateranensem quôque, et sanctæ Mariæ majores almæ urbis devote visitarent, omnes, et singulas indulgentias consequerentur, quas anno Jubileo prædecessores concesserant, etc. Verum, quia animorum saluti fidelium intenti diversas indulgentias plenarias nonnullis Ecclesiis; Monasteriis, et piis locis duximus concedendas, propter quas populorum forsan concursus ad Basilicas antedictas retardari, aut ipsius Jubilei celebritas minui, vel intermitti posset cum animarum non modico detrimento: nos (ne propter aliarum indulgentiarum hactenus concessarum effusionem annus Jubileus intermittatur: aut fideles ipsi á tanto munere reddantur

expertes) omnes, et singulas plenarias; etiam ad instar Jubilei, auctoritate Apostolica tenore præsentium usque ad ejusdem sedis beneplacitum suspendimus: indulgentiis tamen Basilicarum, et ecclesiarum dictæ urbis in suo plenario robore durantibus.» Ecce, quod summus Pontifex ideo aliorum locorum omnium ab urbe indulgentias suspendit pro tempore Jubilei, ne concursus populorum ad urbem pro indulgentia Jubilei consequenda retardetur, quod non esset, si voluntate sola jubilei Romæ existentis possent esse participes, absque hoc, quod illuc usque de facto homines proficiscerentur. Pro quo significando nota ly "cum animarum non modico detrimento, et ly aut fideles ipsi á tanto munere reddantur expertes. Item á Bonifacio supradicto ibidem sic. Antiquorum, etc. statuentes, ut, qui voluerint hujusmodi indulgentiæ á nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani, ad minus 30. diebus continuis, seu interpolatis, et saltem semel in die, si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus 15. ad Basilicas easdem accedant.» Ubi, quia de facto accedere necessarium esse ducit volentibus indulgentiam, ideo inter Romanos, et ab extra venientes, spatium dierum prædictum cum differentia assignat. Dat ergo per hoc intelligere Papa, quod indulgentiæ non valent iis, qui conditionem positam in forma illarum non servant. Item á Clemente supradicto ibidem. "Dudum de fratrum etc. quicumque voluerint indulgentiam hujusmodi assequi, si Romani, ad minus 30. si vero peregrini, aut forenses modo simili 15. dieb. ad prædictas Basilicas accedere teneantur.» Ex quo dic, ut supra. Et, quia conditiones, et formæ indulgentiarum variari quandoque tangebatur in responsione ad secundum, juxta quarum tamen tenorem quoad consecutionem remissionis oportere nos regulari, connotabatur; ideo pro hoc notanda sunt, quæ subduntur ab ipso Clemente sic. Adjicientes, ut hi etiam, qui pro ea consequenda ad easdem Basilicas accedent, post iter arreptum impediti legitime, quo minus ad urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo, in dicta urbe decesserint vere pœnitentes (*ut præmittitur*) et confessi, eamdem indulgentiam consequantur. Et est rarum hoc in bullis additum, ideo speciatim. Ergo singulas verbatim (ut articul. textus innuit) diligenter ubique considera formas. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta Pontificum, pro quanto indulgentias tantum prodesse dicunt facientibus illa, quæ injunguntur, et intelligas, et declares, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per S. Tho. ostendas, merito insinuatum esse á Papa *Bonifacio VIII.* quod superior et non potest sibi indulgentiam facere, et potest uti indulgentia á seipso aliis concessa. Hoc autem tunc ab eo insinuatum est, quando de reg. jur. in 6. 45. reg. dixit. "Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius: vel, quod plerumque fieri consuevit.» Quis autem nesciat, esse verisimilius, quod quis non possit sibiipsi facere indulgentias, quando in semetipsum non habet jurisdictionem? Vide qu. 22. 4. Quis etiam nesciat id, quod sc. quis sibiipsi fecerit indulgentias, nec plerumque factum, imo nec unquam fieri consuetum? Quod vero indulgentiis á se datis aliis possit quis uti: scimus esse consuetum, nostrisque temporibus et á Romanis, et ab alienigenis sæpe visum, quod sanctæ memoriæ Pius V. ordinis prædicatorum indulgentiis á seipso collatis Ecclesias visitando utebatur, quibus, et aliis suis orationibus Rempubl. Christianam é faucibus Turcarum 1571. Deo duce, mirabiliter liberavit: ac de hoste prostrato mirabilius triumphavit. Nec debet ex eo, quod non possunt sibi indulgentias prælati facere, inferri, quod eis á se datis non possunt uti, quoniam huic deductioni obstare se innuit Bonifacius idem: quando per 37. regulam juris inquit: *Utile non debet per inutile vitiari.* Utilitas ergo, quæ ex indulgentiis provenit, non debet in dispendium negativum prælatorum vitiari per hoc, quod ipsi inutiliter, idest nequaquam, possunt facere indulgentias. *Secundo* habes: quomodo per S. Tho. antedicta Bonifacii, pro quanto prælatos sibi negat posse facere indulgentias, iisque datis aliis posse uti affirmat, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA OCTAVA,

DE SOLEMNI RITU PŒNITENTIÆ, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de solemni ritu pœnitentiæ.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum aliqua pœnitentia possit publicari, vel solemnizari.

Secundo, utrum solemnis pœnitentia possit iterari.

Tertio, utrum publica pœnitentia imponenda sit mulieribus.

ARTICULUS I.

Utrum aliqua pœnatentia debeat publicari, vel solemizari.

Pro negativa. = Videtur quod non debet aliqua poetitentia publicari, vel solemnizari.

1. Illud per quod publicatur peccatum alicujus, non debet fieri. Sed per publicationem poenitentiæ publicatur peccatum ejus, cujus poenitentia publicatur, sive solemnizatur. Ergo poenitentia non debet publicari nec solemnizari.

Maior prob., quia non licet sacerdoti, etiam metu mortis, peccatum alicujus confiteri, et revelare, etiamsi sit publicum.

2. Illud quod in foro occulto agitur, non debet publicari. Sed poenitentia est quoddam judicium, quod in foro occulto agitur. Ergo poenitentia non debet publicari.

Maior prob., quia judicium debet esse secundum conditionem fori.

3. *Pœnitentia omnes deffectus revocat ad perfectum*, ut August. lib. 3. Hypogn. dicit: sed solemnizatio contrarium facit: quia poenitentem multis defectibus innectit. Non enim laicus post solemnem poenitentiam, potest ad clericarum promoveri. Non clericus ad superiores ordines. Ergo poenitentia non est solemnizanda.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In quolibet sacramento solemnitas quædam adhibetur. Sed poenitentia est sacramentum. Ergo in penitentia solemnitas adhiberi debet.

2. Peccatum quandoque est publicum, quod multos ad exemplum peccandi trahit. Ergo poenitentia, quæ est medicina ejus, debet esse publica et solemnis, qua multi ædificentur.

Conseq. prob., quia medicina debet morbo respondere.

Determinatio.

Conclusio. Aliqua poenitentia debet esse publica et solemnis.

Prob. Primo, ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. Secundo, quia maxima confusione etiam in hoc mundo est dignus, qui gravissimum scelus, propter quod solum debet solemnis poenitentia injungi commissit. Tertio, ut sit aliis ad terrorem. Quarto, ut sit exemplum poenitendi, ne desperent qui gravibus peccatis detinentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Sacerdos enim non revelat peccatum, talem poenitentiam injungendo, quamvis suspicio oriatur, illum aliquod enorme peccatum commisisse. Non enim culpa certo scitur ex poena; quia quandoque aliquis pro alio poenitentiam facit, sicut legitur in vitis Patrum, de quodam qui ut socium suum ad poenitentiam provocaret, ipse cum eo poenitentiam egit. Si autem peccatum sit publicum, ipse poenitens, exequendo poenitentiam, confessionem á se factam manifestat.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod poenitentia solemnis, quantum ad injunctionem, non exit forum occultum; quia sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei poenitentia injungitur. Sed executio exit forum occultum, nec est inconveniens, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod quamvis poenitentia revocet omnes defectus, restituendo in pristinam gratiam, non tamen semper restituit in pristinam dignitatem. Unde et mulieres post perac-

tam poenitentiam de fornicatione non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant. Et simpliciter post publicam poenitentiam, peccator non redit ad hanc dignitatem, ut possit ad clericatum assumi, et Episcopus talem ordinans potestate ordinandi privari debet: nisi forte necessitas Ecclesiæ id exposcat, aut consuetudo. Tunc enim dispensative recipitur ad minores ordines, non autem ad sacros. Primo propter dignitatem istorum ordinum. Secundo. propter timorem recidui. Tertio, propter vitandum scandalum quod posset in populo oriri, propter memoriam præcedentium peccatorum. Quarto, quia non haberet frontem alios corrigendi, cum ejus peccatum fuerit publicum.

ARTICULUS II.

Utrum solemnis pœnitentia iterari possit.

Pro affirmativa. = Videtur quod solemnis poenitentia iterari possit.

1. Sacramenta quæ non imprimunt characterem, cum sua solemnitate iterari possunt: ut patet de Eucharistia et Extrema-unctione et aliis hujusmodi. Sed poenitentia non imprimit characterem. Ergo poenitentia cum sua solemnitate iterari potest,

2. Post peractam poenitentiam contingit similia peccata committere, vel etiam graviora. Ergo solemnis poenitentia, iterum debet adhiberi.

Conseq. prob. quia poenitentia solemnizatur propter gravitatem peccati.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Solemnis poenitentia significat ejectionem hominis de paradiso quæ tantum semel facta est. Ergo solemnis poenitentia tantum semel debet fieri.

Determinatio.

Conclusio. Solemnis poenitentia iterari non debet.

Probatur primo, Ne ex iteratione vilescat, ut habetur in decret. dist. 50. cap. 63. Secundo, propter significationem: significat enim expulsionem primi hominis de paradiso quæ semel tantum facta est. Tertio, quia solemnizatio est quasi quædam professio conservandi perpetuo poenitentiam, et ideo iteratio solemnitati repugnat. Et si postmodum peccaverit, non clauditur ei locus poenitentiæ; sed poenitentia solemnis ei non est injungenda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod est vera de sacramentis, in quibus solemnitas non operatur: non autem in illis sacramentis, in quibus solemnitas operatur, in quibus iteratio solemnitati repugnat, ut in pœnitentia accidit.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod quamvis ratione criminis deberetur sibi eadem poenitentia, tamen solemnitatis iteratio non debet fieri, propter causas, in corpore articuli inductas.

ARTICULUS III.

Utrum pœnitentia solemnis possit á quolibet sacerdote imponi.

Pro affirmativa. = Videtur quod solemnis poenitentia á quolibet sacerdote possit imponi.

1. Ille qui potest in foro poenitentiali absolvere, potest solemnem poenitentiam imponere. Sed sacerdos potest in foro poenitentiali absolvere. Ergo potest poenitentiam solemnem imponere.

Maior prob., quia poenitentia solemnis in foro poenitentiali imponitur.

Minor prob. quia sacerdos quilibet habet claeus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur in decret. dist. 50. c. 63. quod publice poenitentes debent se præsentare coram Episcopo civitatis.

Determinatio.

Pœnitentia solemnis quid sit.

Pœnitentia solemnis est quæ publice fit. Non autem omnis publica poenitentia est solemnis. Poenitentia enim solemnis hoc modo fit, ut habetur dist. 50.

cap. 65. Qui incipit in capite. «In ca-«pite quadragesimæ tales poenitentes «præsentant se cum Pressbyteris suis, «Episcopo Civitatis ante fores Ecclesiæ, «sacco induti, nudis pedibus, vultibus «in terram dimissis, coma deposita; et «eis in Ecclesiam introductis, Episcopus «cum omni Clero semptem Psalmos poe-«nitentiales dicit, et postmodum eis «manum imponit, aquam benedictam su-«per eos spargit, et cinerem capitibus «superponit, cilicio colla eorum operit, «et denuntiat eis lacrimabiliter: quod «sicut Adam ejectus est de paradiso, ita «ipsi de Ecclesia ejiciuntur. Postea ju-«bet ministris ut eos ab Ecclesia pellant, «Clero eos prosequente cum hoc res-«ponsorio: In sudore vultus tui. etc. «In coena autem Domini quolibet anno «á suis presbyteris in Ecclesiam redu-«cuntur, et erunt ibi usque ad octavas «Paschæ, ita tamen quod non communi-«cabunt, nec pacem accipient. Et sic «fiet quolibet anno, quousque aditus Ec-«clesiæ fuerit eis interdictus, Ultima au-«tem reconciliatio reservatur Episcopo.» Publica autem, et non solemnis poenitentia est quæ in facie Ecclesiæ fit; sed non cum solemnitate prædicta. Sicut est peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Solemnis tamen poenitentia quandoque accipitur pro publica, et ideo auctoritates quædam varie loquuntur de solemni poenitentia.

1.ª Conclusio. Solemnis poenitentia non imponitur á quolibet Sacerdote, sed á solo Episcopo.

Manifestatur: quia solemnis poenitentia non debet imponi, nisi pro peccato quod totam commoverit urbem, cujus punitio Episcopo reservatur. Unde convenienter decretum est loco citato quod ad solum Episcopum pertineat solemnis poenitentiæ impositio.

2.ª Conclusio. Poenitentia publica non solemnis potest á quolibet sacerdote imponi.

Hæc ex se manifesta relinquitur.

AD ARGUMENTA.

Ad unicum argumentum dicitur, negando minorem. Non enim omnis qui habet claves et potestatem absolvendi in foro poenitentiali, potest solemnem indicere poenitentiam, quia magna peccata, pro quibus solis, hujusmodi poenitentia imponitur, magna indigent cautela ad sui curationem. Unde talis poenitentiæ injunctio soli Episcopo reservatur.

ARTICULUS IV.

Utrum solemnis pœnitentia sit imponenda mulieribus.

Pro negativa. =Videtur quod solemnis poenitentia non sit mulieribus imponenda.

1. *Ille cui pœnitentia solemnis imponitur debet comam abjicere*, ut dicitur distin. 50. cap. 64. ex Concil. Agath. cap. 11. Sed mulieri non competit comam abjicere: ut patet 1. Cor. 11. Ergo mulier non debet agere solemnem poenitentiam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est quia nullibi excipiuntur mulieres, quin eis possit solemnis poenitentia imponi.

Determinatio.

Conclusio. Solemnis poenitentia potest imponi viris et mulieribus.

Manifestatur: quia non solum viri; sed etiam mulieres possunt talia peccata committere quod indigeant ad sui curationem solemni poenitentia.

AD ARGUMENTUM.

Ad unicum argumentum dicitur quod maior vera est de viris de quibus loco citato statuitur quod comam deponant quod mulieri non competit, quia mulier habet comam in signum subjectionis, non autem vir; et ideo mulieri solemniter poenitenti non auferetur coma.

ARTICULUS V.

Utrum solemnis poenitentia debeat Clerico imponi.

Pro affirmativa.= Videtur quod so-

lemnis poenitentia sit etiam Clerico imponenda.

1. Solemnis poenitentia imponitur propter gravitatem delicti. Sed idem peccatum gravius est in Clerico, quam in Laico. Ergo solemnis poenitentia magis Clerico, quam Laico debet imponi.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Distinctio. 50. cap. 65. Dicitur quod *Clericis non imponantur manus, tamquam poenitentibus.*

Determinatio.

CONCLUSIO. Clericis non est solemnis poenitentia imponenda.

Manifestatur: ex hoc enim sequeretur scandalum in populo, unde ad hoc vitandum, convenienter statutum est loc. cit, Clericis non debere imponi solemnis poenitentia.

AD ARGUMENTUM.

Dicitur ad minorem, quod quamvis in eodem genere peccati Clericus plusquam Laicus peccet; tament non imponitur ei poenitentia solemnis, ne ordo veniat in contemptum. Unde non personæ, sed ordini defertur. Et hæc de Sacramento poenitentiæ dicta sufficiant.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 118.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas á fortiori errorem *Cartarorum* (ut refert Card. Turrecrem. de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium, quod non est penitendum de peccatis. Adeo enim est de peccatis pœnitendum, ut etiam (si opus sit) pœnitentia solemnis, et publica non recusetur de illis, secundum articulum præsentem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, ipsum merito damnari á, etc. ut sup. qu. 15. a. 1. et q. 16. art. 1. appen. Item á Conciliis omnibus, qui de poenitentia publica tractarunt, illam approbando: ut sunt sequentia. Scil. Conc. Rhemense c. 31. "ut discretio servanda fit inter poenitentes, qui publice, et qui absconse poenitere debent." Item Concil. Moguntinum 2. c. 31. "Modus, tempusque poenitentiæ peccata sua confitentibus, etc. Qui publice peccat, oportet, ut publica, mulctetur poenitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo, et excommunicetur, et reconcilietur. Poenitentes vero non tam expletione constituti temporis, quam facinoris remissionem desiderent, nec eis sufficiat, si á quarumdam rerum perceptionibus abstineant: nisi se etiam á noxiis delectationibus subtrahant, declinantes autem á malo faciant bonum, inquirant pacem, ac sequantur illam." Item Concil. Toletano I. qui sint poenitentes hujusmodi, ostendens c. 2. dicit. "Eum vero poenitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens, sub concilio divino fuerit reconciliatus altario." Item á Clemente I. lib. 2. Constitutionum Apostolicarum, c. 24. Poenitentes, quousque poenitentiæ fructum non ostenderint, permittimus Ecclesiam ingredi, quo verbum audientes funditus non intereant, non habeant autem communionem orationis, sed discedant post lectionem legis Prophetarum, et Evangelii, ut per discessum meliores evadant in vitæ consuetudine, studentes ad conventus quotidie venire, et precibus operam dare, quo et ipsi recipi valeant, et ii qui vident, compungantur, cautioresque fiant verentes, ne in similia incidant. Ecce, quod á tempore Apostolorum incepit ritus poenitentiæ publice, et ad suimet peccatoris recognitionem, et aliorum terrorem." Item Concil. Turonicum. 1 c. 18. "Si quis vero post acceptam poenitentiam, sicut canis ad vomitum, ita ad sæculares illecebras, derelicta poenitentia, fuerit reversus, á communione Ecclesiæ, vel á convivio fidelium extraneus habeatur, quo facilius et ipse compunctionem per hanc

confusionem accipiat, et alii ejus terreantur exemplo. Ecce, quod duplex bonum operatur, poenitentia publica. Item Concilium Cabilonense II. volens publicam poenitentiam jam obliteratam renovare, cap. 25. ait: poenitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur: impetretur adjutorium á Domino Imperatore, qualiter, si quis publice peccat, publica mulctetur poenitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, et reconcilietur. Item Concil. Tridentinum eadem volens in usum reducere, sess. 24. c. de reform. 8. ait: Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ poenitentiam publice injungi oportet, ut. quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta Patrum, ac Apostoli dicta, pro quanto poenitentiam publicam approbant dari, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Decretis dist. 50. quod poenitentia solemnis non est iterabilis, non solemnis autem est. Insinuatum est autem utrumque sic: " Quamvis caute, subtiliter, et salubriter provisum sit, ut locus humillimæ poenitentiae semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina nimis utilis vilis habetur: tamen quotidie peccantibus numquam per pœnitentiam venia negatur. » Cui dicto inferius de poenit. dist. 4. cap. Quamvis, adjungitur: " Quis audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis ? » Ecce, quod et solemnitas poententiae reiterabilis negatur: et poenitentis ipsa reiterabilis affirmatur. Item, insinuatum ab eisdem, de poenit. dist. 3. " Reperiuntur, qui saepius agendam poenitentiam putant, etc. Si vere in Christo poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia, sicut unum baptisma, ita et unica poenitentia. Verum praeteriri semper non debet poenitentia peccati. » Ubi prius loquitur de solemni poenitentia, quam iterandam negat, et á ly verum praeteriri, etc. loquitur de poenitentia sine solemnitate, ad cujus reiterationem nos hortatur. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta decretorum, pro quanto solemnem poenitentiam nolunt iterari, et declares, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per S. Thom. á fortiori explodas errorem Pauperum de Lugduno (ut refert Summa Fratris Yconeti in Bibliotheca Vaticana manuscripta) dicentium: clericos, et religiosos Ecclesiae esse Scribas, et Pharisaeos Apostolorum persecutores. Hic error, pro quanto clericalem ordinem inhonorat, adducitur hic, et á fortiori, ut dictum est. per articulum praesentem exploditur. Adeo namque articulus praesens honorem defert clericali ordini: ut personis illius, quamquam alias dyscolis, poenitentiam solemnem, non dari, et bonum esse dicat, et aedificatorium populi esse definiat. *Secundo* habes: quomodo per Sanctum Thomam ostendas, praedictum errorem, pro quanto diximus damnari merito ab Exod. 32. ut supra in not. post ad 2. Item á Concil. Carthaginensi, scil. « Confirmandam est, ut, si quando presbyteri, vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos necesse sit á ministerio removeri ad tempus, non eis manus tamquam poenitentibus imponatur. Haec illud, et recitantur distinct. 50. Item á Leone Papa sic. Alienum est á consuetudine Ecclesiastica, ut quia in presbyterali honore aut diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro chrimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit. » Haec ille, et recitantur distinct. 17. Per manus autem impositionem tam Leo, quam Concilium intelligit poenitentiam solemnem, juxta quod Concilium Agathense de poenitentia solemni cap. 11. statuit sic. " Poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super capita sua, sicut ubique statutum est, conse-

quantur. Haec illud, et recitantur distinc. 50. *Tertio* habes: quomodo per sanctum Thomam ostendas, merito insinuatum esse á Concilio Noecaesariensi, quod clericus potest agere poenitentiam publicam, ut sc. distinguitur contra solemnem. Insinuatum est autem hoc ab eo, quando dixit; " Presbyter, si uxorem dixerit ab ordine illum deponi debere, quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commisserit, extra Ecclesiam abjici, et ad poenitentiam inter laicos redigi oportet. " Haec illud, et recitantur distinct. 28. Item insinuatum á Concilio martini Papae sic. " Si quis presbyter, vel diaconus propter publicam pœnitentiam á sacerdote acceptam, absque aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichaei: anathema sit. » Haec illud, et recitantur distinctione 30. Idem etiam insinuatum fuerat ex canone Apostolorum, ut legitur distinct. 81. cap. Si quis Episcopus. *Quarto* habes: quomodo per sanctum Thomam praedicta pro quanto poenitentiam solemnem clericis dandam negant, et publicam illis infligendam pro culpis determinant, et declares, atque defendas. *Quinto* vides:quomodo, etc.

FINIS.

TOMI DECIMI, SEU HUIUS SECUNDI VOLUMINIS TERTIÆ PARTIS, CONTINENTIS QUÆSTIONES Á SEXAGESIMA, USQUE AD CENTESSIMAM DECIMAM OCTAVAM INCLUSIVE.

Index

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM, QUÆ IN HOC TERTIÆ PARTIS SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

QUÆSTIO SEXAGESIMA.

De sacramentis, in octo articulos divisa.

ARTICULI,

1. Utrum sacramentum sit in genere signi. 5
2. Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum. 7
3. Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum. 8
4. Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis. 9
5. Utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta. 10
6. Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba. 12
7. Utrum requirantur determinata verba in sacramentis. 13
8. Utrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum. 15
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 60.ª, seu appenddices Fr. S. C. á Porrecta ad octo præced. art. appositæ. 17

QUÆSTIO SEXAGESIMA PRIMA,

De necessitate sacramentorum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem. 20
2. Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. . . . 22
3. Utrum post peccatum ante Christum, sacramenta debuerint esse. 23
4. Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta. 24
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 61.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 20

QUÆSTIO SEXAGESIMA SECUNDA,

De principali effectu sacramentorum, qui est gratia, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacramenta sint causa gratiæ. 27
2 Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum, et donorum. 29
3. Utrum sacramenta novæ legis contineant gratiam. 30
4. Utrum in sacramentis sit aliqua virtus causativa gratiæ. 31

5. Utrum sacramenta novæ legis habeant virtutem ex passione Christi. . . . 33
6. Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarint. 35
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 62.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex præced. art. appositæ. 37

QUÆSTIO SEXAGESIMA TERTIA.

De effectu sacramentorum, qui est character, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima. 40
2. Utrum character sit spiritualis potestas. 41
3. Utrum character sacramentalis sit character Christi. 43
4. Utrum character sit in potentiis animæ sicut in subjecto. 45
5. Utrum character insit animæ indelebiliter. 46
6. Utrum per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character. 48
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 63.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex præced. art, appositæ. 51

QUÆSTIO SEXAGESIMA QUARTA,

De causa sacramentorum, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti. 53
2. Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina, ... 54
3. Utrum Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. 55
4. Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.. 57
5. Utrum per malos ministros sacramenta conferri possit. 59
6. Utrum mali ministrantes sacramenta peccent. 60
7. Utrum Angeli possint sacramenta ministrare. 62
8. Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. . . . 63
9. Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti. 64
10. Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. . . 66
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 64.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad decem præced. art. appositæ. 67

QUÆSTIO SEXAGESIMA QUINTA,

De numero sacramentorum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ. 71
2. Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum prædictum in art. præced. 75
3. Utrum sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter sacramenta. . . . 76
4. Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis. 78
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 65.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 79

QUÆSTIO SEXAGESIA SEXTA,

De pertinentibus ad sacramentum baptismi, in duodecim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum baptismus sit ipsa ablutio. 82
2. Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem. 84
3. Utrum aqua sit propria materia baptismi. 85
4. Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex. 87
5. Utrum hæc sit conveniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. 89
6. Utrum in nomine Christi possit dari baptismus. 92
7. Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi. 93

8. Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi. 94
9. Utrum baptismus possit iterari. 97
10. Utrum ritus, quo Ecclesia in baptizando utitur, sit conveniens. . . . 99
11. Utrum convenienter describantur tria baptismata. 101
12. Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata. 103
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 66.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duodecim præced. art. appositae. 104

QUÆSTIO SEXAGESIMA SEPTIMA,

De ministris, per quos traditur baptismi sacramentum, in octo articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare. 110
2. Utrum baptizare pertinet ad officium presbyterorum. 111
3. Utrum laicus possit baptizare. 112
4. Utrum mulier possit baptizare. 113
5. Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre. 115
6. Utrum plures simul possint unum baptizare. 116
7. Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte. . 118
8. Utrum ille qui aliquem levat de sacro fonte, teneatur ad ejus instructionem. 119
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 67.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad octo praeced. art. appositae. 120

QUÆSTIO SEXAGESIMA OCTAVA,

De *suscipientibus baptismum, in duodecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum omnes teneantur ad susceptionenem baptismi. 124
2. Utrum sine baptismo possit aliquis salvari. 126
3. Utrum baptismus sit differendus. 127
4. Utrum peccatores sint baptizandi. 129
5. Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria. . . . 130
6. Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. 131
7. Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. 133
8. Utrum fides requiratur ex parte baptizati. 134
9. Utrum pueri sint baptizandi. 136
10. Utrum pueri judoeorum, vel aliorum infidelium sint, invitis parentibus, baptizandi. 137
11. Utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi. 139
12. Utrum furiosi et amentes debeant baptizari. 140
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 68.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duodecim praeced. art. appositae. 142

QUÆSTIO SEXAGESIMA NONA,

De effectibus baptismi, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per baptismum tollatur omnia peccata. 152
2. Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati. 153
3. Utrum per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ. . . . 154
4. Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes. 156
5. Utrum convenienter atribuantur baptismo quidam actus virtutum. . . . 157
6. Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes. 159
7. Utrum effectus baptismi sit apertio januæ regni cœlestis. 160
8. Utrum baptismus habeat in ominibus æqualem effectum. 161
9. Utrum fictio impediat effectum baptismi. 163
10. Utrum fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur. . . . 164
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced quæst. 69.ª, seu appendices Fr. S. C.

á Porrecta ad decem præced. art. appositæ. 165

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA,

De circumcisione, quæ præcessit baptismum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum circumcisio fuerit præparatoria et figurativa baptismi. 171
2. Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta. 172
3. Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens. 174
4. Utrum circumcisio conferret gratiam justificantem. 175
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 70.°, seu appendices Fr. S. C.
á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 178

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA PRIMA,

De præparatoriis quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum catechismus debeat præcedere baptismum. 180
2. Utrum exorcismus debeat præcedere baptismum. 181
3. Utrum ea quae aguntur in exorcismo, aliquid efficiant. 182
4. Utrum sit officium sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum. . . . 184
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 71.ª, seu appendices Fr. S. C.
á Porrecta ad quatuor articulos praeced. art. appositae. 185

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA,

De sacramento confirmationis, in duodecim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum confirmatio sit sacramentum. 187
2. Utrum chrisma sit conveniens materia hujus sacramenti. 189
3. Utrum de necessitate sacramenti confirmationis sit quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum. 191
4. Utrum haec sit conveniens forma hujus sacramenti, consigno te signo crucis, etc. 192
5. Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem. 194
6. Utrum character confirmationis praesupponat characterem baptismi. . . 194
7. Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens. . 197
8. Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum 198
9. Utrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte. 200
10. Utrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio. 201
11. Utrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit. 202
12. Utrum ritus hujus sacramenti sit conveniens. 204
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced quaest. 72.ª, seu appendice Fr. S. C.
á Porrec. ad duodecim praeced. art. appositae. 206

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA TERTIA,

De sacramento Eucharistiæ, secundum se, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Eucharistia sit sacramentum. 210
2. Utrum Eucharistiae sacramentum sit unum vel plura. 212
3. Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis. 213
4. Utrum sacramentum Eucharistiae pluribus nominibus nominetur. . . . 215
5. Utrum institutio sacramenti Eucharistiae fuerit conveniens. 217
6. Utrum Agnus Paschalis fuerit praecipua figura hujus sacramenti.. . . . 219
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 73.ª seu appendices Fr. S. C.
á Porrec. ad sex praeced. art. appositae. 220

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA QUARTA,

De materia Euchristiæ quantum ad speciem, in octo articulos divisa.

1. Utrum materia hujus sacramenti sit panis et vinum. 223
2. Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini, ad materiam hujus

sacramenti. 225
3. Utrum requiratur ad materiam sacramenti Eucharistiae, quod sit panis triticeus. 226
4. Utrum sacramentum Eucharistiae debeat confici ex pane azimo. . . . 228
5. Utrum vinum vitis sit propria materia sacramenti Eucharistiae. 229
6. Utrum aqua sit vino in sacramento Eucharistiae permiscenda. 231
7. Utrum permixtio aquae sit de necessitate sacramenti Eucharistiae. . . . 231
8 Utrum aqua in sacramento Eucharistiae debeat in magna quantitate apponi. 233
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 74.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad octo praeced. art. appositae. 234

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA QUINTA,

De conversione panis et vini in corpus, et sanguinem Christi in octo articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in sacramento Eucharistiae sit totus Christus, secundum veritatem. . 239
2. Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. 242
3. Utrum substantia panis, vel vini post consecrationem sacramenti Eucharistiae annihiletur. 244
4. Utrum panis possit converti in corpus Christi. 246
5. Utrum in sacramento Eucharistiae remaneant accidentia panis et vini post consecrationem. 248
6. Utrum facta consecratione remaneat in sacramento Eucharistiae forma substantialis panis. 249
7. Utrum conversio panis et vini in sacramento Eucharistiae fiat in instanti. 251
8. Utrum haec sit falsa. Ex pane fit corpus Christi. 253
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 75.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad octo praeced. art. appositae. 256

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SEXTA,

De modo, quo Christus est in hoc sacramento, in octo articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento. 263
2. Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie sacramenti Eucharistiæ. 265
3. Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis et vini.. . . 266
4. Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento. . . 268
5. Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. 269
6. Utrum corpus Christi sit mobiliter in sacramento Eucharistiae. 271
7. Utrum corpus Christi, prout est in sacramento Eucharistiae, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato. 272
8. Utrum quando in sacramento Eucharistiae apparet miraculose caro vel puer, sit ibi vere corpus Christi. 274
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 76.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad octo praeced. art. appositae. 276

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA,

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento, in octo articulos divisa.

1. Utrum accidentia remaneant sine subjecto in sacramento Eucharistiae. . 281
2. Utrum in sacramento Eucharistiae quantitas dimensiva panis vel vini, sit aliorum accidentium subjectum. 283
3. Utrum species, quæ remanent in sacramento Eucharistiae, possint immutare aliquid extrinsecum. 286
4. Utrum species sacramentales possint corrumpi. 287
5. Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari. 287
6. Utrum species sacramentales possint nutrire. 290
7. Utrum species sacramentales in sacramento Euchristiae frangantur.. . . . 292

8. Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri. 293
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 77.ª seu appendice Fr. S. C. á Porrec, ad octo praeced. art. appositae. 296

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA OCTAVA,

De forma sacramenti Eucharistiæ, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum haec sit forma sacramenti Eucharistiae, hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei. 300
2. Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis: hoc est corpus meum. 303
3. Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini, hic est Calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, et promultis effundetur in remissionem peccatorum. 305
4. Utrum praedictis verbis formarum in sit aliqua vis creata effectiva consecrationis. 309
5. Utrum praedictae locutiones sin verae. 310
6. Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini. 313
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 78.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex praeced. art. appositae. 315

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA NONA,

De effectibus sacramenti Eucharistiae, in octo articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per sacramentum Eucharistiae conferatur gratia. 320
2. Utrum effectus sacramenti Eucharistiae sit adeptio gloriae. 323
3. Utrum affectus sacramenti Eucharistiae sit remissio peccati mortalis. . . 325
4. Utrum per sacramentum Eucharistiae remittantur peccata venialia. . . . 326
5. Utrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur. 327
6. Utrum per hoc sacramentum præservetur homo á peccatis futuris. . . . 329
7. Utrum sacramentum Eucharistiæ prosit aliis, quam sumentibus. 330
8. Utrum per veniale peccatum impediatur effectus sacramenti Eucharistiæ . . 332
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. quæst 78ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad octo præced. artic. appositae. 333

QUÆSTIO OCTAGESIMA,

De usu, seu sumptione hujus sacramenti in communi, in duodecim articulos divisa.

1. Utrum debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi. 337
2. Utrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere. 339
3. Utrum solus homo justus possit Christum sacramentaliter manducare. . . 341
4. Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet 342
5. Utrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum. 345
6. Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. 347
7. Utrum nocturna pollutio impediat sumptionem sacramenti Eucharistiæ. . . 349
8. Utrum cibus, vel potus præassumptus, impediat sumptionem sacramenti Eucharistiæ. 353
9. Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere sacramentum Eucharistiæ. 355
10. Utrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. 357
11. Utrum liceat omnino á communione cessare. 359
12. Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine. 360
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 80.ª quaest., seu appendices. Fr. S. C. á Porrecta. ad duodecim praeced. art. appositae. 362

QUÆSTIO OCTOGESIMA PRIMA.

De modo, quo Christus usus est hoc sacramento, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Christus sumpserit suum corpus, et sanguinem. 371
2. Utrum Christus dederit Judae corpus suum. 373
3. Utrum Christus sumpserit, et dederit discipulis corpus suum impassibile. . 374
4. Utrum si sacramentum Eucharistiae tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum ibi moreretur 376
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quæst. 81. seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor art. appositæ. 377

QUÆSTIO OCTOGESIMA SECUNDA,

De ministro hujus sacramenti, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum consecratio sacramenti Eucharistiæ sit propria sacerdotis. . . . 379
2. Utrum plures sacerdotes possint unam, et eamdem hostiam consecrare. . 381
3. Utrum dispensatio sacramenti Eucharistiæ pertineat ad solum sacerdotem. 382
4. Utrum sacerdos consecrans teneatur sacramentum Eucharistiæ sumere. . 383
5. Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit. 385
6. Utrum missa mali sacerdotis minus valeat, quam missa boni sacerdotis. . 386
7. Utrum hæretici, schismatici et excommunicati possint consecrare. . . . 387
8. Utrum sacerdos degradatus possit Eucharistiæ sacramentum conficere. . 389
9. Utrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere et eorum missam audire. 390
10. Utrum liceat sacerdoti omnino á consecratione Eucharistiæ abstinere. . 392
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced quæst. 82.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad decem præced. art. appositæ. 394

QUÆSTIO OCTOGESIMA TERTIA,

De ritu hujus sacramenti, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in sacramento Eucharistiæ Christus immoletur. 399
2. Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis sacramenti Eucharistiæ. 401
3. Utrum oporteat sacramentum Eucharistiæ celebrari in domo et vasis sacris. 403
4. Utrum convenienter ordinentur ea quæ circa sacramentum Eucharistiæ dicuntur. 407
5. Utrum ea quæ in celebratione sacramenti Eucharistiæ aguntur, sint convenientia. 412
6. Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem sacramenti Eucharistiæ occurrentibus, observando Ecclesiæ statuta. 417
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 83.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex præced. art. appositæ. 420

QUÆSTIO OCTOGESIMA QUARTA,

De sacramento pœnitentiæ in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum pœnitentia sit sacramentum. 428
2. Utrum peccata sint propria materia sacramenti pœnitentiæ. 429
3. Utrum hæc sit forma sacramenti pœnitentiæ; ego te absolvo. 430
4. Utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad sacramentum pœnitentiæ. 433
5. Utrum sacramentum ponitentiæ sit de necessitate salutis. 434
6. Utrum pœnitentia sit secunda tabula post naufragium. 436
7. Utrum sacramentum pœnitentiæ fuerit in nova lege convenienter institutum. 437
8. Utrum poenitentia debeat durare usque ad finem vitæ. 440
9. Utrum poenitentia possit esse continua. 441

10. Utrum sacramentum poenitentiae debeat iterari. 443
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 84.ª, seu appendices Fr. S. C.
á Porrecta ad decem præced. art. appositæ. 445

QUÆSTIO OCTOGESIMA QUINTA,

De sacramento pœnitentiæ, secundum quod est virtus, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum poenitentia sit virtus. 451
2. Utrum poenitentia sit specialis virtus. 453
3. Utrum virtus poenitentiæ sit species justitiæ. 454
4. Utrum voluntas sit proprie subjectum poenitentiæ. 456
5. Utrum principium poenitentiæ sit ex timore. 457
6. Utrum poenitentia sit prima virtutum. 458
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 85ª., seu appendices Fr. S. C.
á Porrecta ad sex præced. art, appositæ. 460

QUÆSTIO OCTOGESIMA SEXTA,

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per poenitentiam omnia peccata removeantur. 464
2. Utrum sine poenitentia peccatum remitti possit. 465
3. Utrum per penitentiam possit unum peccatum sine alio remitti. 467
4. Utrum remissa culpa per peonitentiam remaneat reatus poena. 468
5. Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquæ peccati. 470
6. Utrum remissio culpæ sit effectus poenitentiæ. 471
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 86.ª seu appendices Fr. S. C.
á Porrecta ad sex præced. art. appositæ. 473

QUÆSTIO OCTOGESIMA SEPTIMA.

De remissione venialium peccatorum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum peccatum veniale possit remitti sine poenitentia. 479
2. Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infusio . . 481
3. Utrum venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, et cætera hujusmodi. 482
4. Utrum peccatum veniale possit remitti sine mortali. 484
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 87.ª seu appendices Fr. S. C.
á Porrec. ad quatuor praeced. art. appositæ. 484

QUÆSTIO OCTOGESIMA OCTAVA,

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum. 486
2. Utrum peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quæ specialiter est secundum odium fraternum, apostasiam á fide, contemptum confessionis, et dolorem de poenitentia habita. 489
3. Utrum per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum. 491
4. Utrum ingratitudo ratione cujus sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum. 493
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 88.ª seu appendices Fr. S. C.
á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 494

QUÆSTIO OCTOGESIMA NONA,

De virtutum recuperatione per pœnitentiam, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per poenitentiam virtutes restituantur. 496
2. Utrum post poenitentiam resurgat homo in æquali virtute. 497

3. Utrum per poenitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem. . . . 499
4. Utrum opera virtutum in charitate facta possint mortificari. 501
5. Utrum opera mortificata per peccatum, per poenitentiam reviviscant. . . 502
6. Utrum per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur. . 504
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quæst. 89.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 505

QUÆSTIO NONAGESIMA,

De partibus pœnitentiæ in generali, in quatuor articulos divisa.

1. Utrum pœnitentiæ debeant partes assignari. 510
2. Utrum convenienter assignentur partes poenitentiæ contritio, confessio et satisfactio. 511
3. Utrum contritio, confessio et satisfactio sint partes integrales poenitentiæ. 512
4. Utrum convenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium. 514
Utilitas pro Ecclesiæ S. Dei, ex præced. quæst. 90.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 516
Formalis explicatio tertiæ partis. 519

QUÆSTIO NONAGESIMA PRIMA,

De partibus pœnitentiæ in speciali: et primo de contritione, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum contritio sit dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi. 519
2. Utrum contritio sit actus virtutis. 521
3. Utrum attritio possit fieri contritio. 523
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 91.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad tres præc. art. appositæ. 524

QUÆSTIO NONAGESIMA SECUNDA,

De objecto contritionis, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum homo debeat conteri de poenis, et non solum de culpa. 528
2. Utrum contritio debeat esse de peccato originali. 529
3. Utrum de omni actuali peccato debeamus conteri. 530
4. Utrum de peccatis futuris aliquis debeat conteri. 531
5. Utrum homo debeat conteri de peccato alieno. 532
6. Utrum de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio. 533
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 92.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositae. 534

QUÆSTIO NONAGESIMA TERTIA.

De quantitate contritionis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum contritio sit maior dolor qui esse possit de natura. 538
2. Utrum possit esse nimis magnus contritionis dolor. 540
3. Utrum debeat esse maior dolor de uno peccato, quam de alio. 541
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 93.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad tres præc. art. appositæ. 543

QUÆSTIO NONAGESIMA QUARTA,

De tempore contritionis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum tota hæc vita sit contritionis tempus. 546
2. Utrum expediat continue de peccato dolere. 548
3. Utrum etiam post hanc vitam animae de peccatis conterantur. 549
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 94.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres præced. art. appositæ. 550

QUÆSTIO NONAGESIMA QUINTA,

De effectu contritionis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum peccato remissio sit contritionis effectus. 552
2. Utrum contritio possit totaliter tollere reatum poenae. 553
3. Utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum. . . 554
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 95.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres præced. art. appositæ. 555

QUÆSTIO NONAGESIMA SEXTA,

De confessione, quoad ejus necessitatem, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum confessio sit necessaria ad salutem. 558
2. Utrum confessio sit de jure naturali. 560
3. Utrum omnes ad confessionem teneantur. 561
4. Utrum aliquis possit licite confiteri peccatum quod non habet. 562
5. Utrum statim teneatur quis confiteri. 564
6. Utrum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur. 566
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 96.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex praeced. art. appositae. 667

QUÆSTIO NONAGESIMA SEPTIMA,

De confessionis quidditate, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Augustinus convenienter definiat confessionem. 575
2. Utrum confessio sit actus virtutis. 576
3. Utrum confessio sit actus virtutis poenitentiæ. 577
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 97.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 578

QUÆSTIO NONAGESIMA OCTAVA,

De ministro confessionis, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum necessarium sit confiteri sacerdoti. 581
2. Utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri. 582
3. Utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire. 583
4. Utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti. 583
5. Utrum aliquis possit alteri quam proprio sacerdoti confiteri, ex privilegio vel mandato superioris. 586
6. Utrum pœnitens possit in fine vitæ á quolibet sacerdote absolvi. 588
7. Utrum pœna temporalis taxetur secundum quantitatem culpæ. 590
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 98.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad septem praeced. art. appositae. 592

QUÆSTIO NONAGESIMA NONA,

De qualitate confessionis, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum confessio possit esse informis. 601
2. Utrum oporteat confessionem esse integram 602
3. Utrum possit quis per alium, vel per scriptum confiteri. 604
4. Utrum ad confessionem requirantur sexdecim conditiones á magistris assignatæ. 605
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 100.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 607

QUÆSTIO CENTESIMA,

De effectu confessionis, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum confessio liberet á morte peccati. 615
2. Utrum confessio liberet aliquo modo á pena. 616
3. Utrum confessio apperiat paradisum 616
4. Utrum confessio tribuat spem salutis. 617
5. Utrum confessio generalis sufficiat ad delenda peccata mortalia oblita . . . 618
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 100.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque præced. art. appositae. 619

QUÆSTIO CENTESIMA PRIMA,

De sigillo confessionis, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quae sub sigillo confessionis habet. 626
2. Utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quae sunt de confessione. 628
3. Utrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis 629
4. Utrum de licentia confitentis possit sacerdos, ejus peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere. 629
5. Utrum illud quod sacerdos scit per confessionem, et etiam extra confessionem, possit alteri revelare. 631
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 101ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 632

QUÆSTIO CENTESIMA SEGUNDA,

De satisfaccione quoad ejus quidditatem, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum satisfaccio sit virtus, vel actus virtutis. 636
2. Utrum satisfaccio sit actus justitiae. 637
3 Utrum deffinitio satisfactionis convenienter assignetur. 639
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 102.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 142

QUÆSTIO CENTESIMA TERTIA,

De satisfactionis possibilitate, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum homo possit Deo satisfacere. 645
2. Utrum pœnam satisfactoriam possit unus pro alio explere. 647
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 103.ª, seu appenddices Fr. S. C. á Porrecta ad duos præced. art. appositæ. 649

QUÆSTIO CENTESIMA QUARTA,

De qualitate satisfactionis, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum homo possit pro uno peccato satisfacere sine alio. 651
2. Utrum aliquis de illis peccatis quae sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit, extra charitatem existens. 653
3. Utrum homini, postquam charitatem habuerit, valere incipiat satisfactio praecedens. 654
4 Utrum opera extra charitatem facta, sint alicujus boni meritoria. 656
5. Utrum opera extra charitatem facta valeant ad mitigationem poenarum infernalium. 657
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 104.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 159

QUÆSTIO CENTESIMA QUINTA,

De his per quae fit satisfactio, in tres articulos divisa.

ARTICULI

1. Utrum oporteat fieri satisfactionem per opera poenalia. 667
2. Utrum flagella praesentis vitae sint satisfactoria. 668
3. Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria. 669
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced quaest. 105.ª, seu appendice Fr. S. C. á Porrec. ad tres praeced. art. appositae. 671

QUÆSTIO CENTESIMA SEXTA,

De suscipientibus sacramentum pœnitentiae, in tres articulos divisa.

1. Utrum paenitentia possit esse in innocentibus. 676
2. Utrum sancti homines qui sunt in gloria, habeant poenitentiam. 677
3. Utrum angelus sit susceptivus poenitentiae. 678
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 106.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad tres praeced. art. appositae. 680

QUAESTIO CENTESIMA SEPTIMA,

De potestate clavium, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum claves in Ecclesia esse debeant 683
2. Utrum clavis sit potestas ligandi et solvendi, etc. 685
3. Utrum sint duae claves, vel tantum una. 686
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 107.ª seu appendice Fr. S. C. á Porrec, ad tres praeced. art. appositae. 688

QUAESTIO CENTESIMA OCTAVA,

De effectu clavium, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpae. 694
2. Utrum sacerdos possit remittere peccatum, quoad paenam. 697
3. Utrum sacerdos per potestatem clavium possit ligare. 699
4. Utrum sacerdos possit ligare et solvere secundum proprium arbitrium. . . 699
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 108.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praeced. art. appositae. 701

QUAESTIO CENTESIMA NONA,

De ministris clavium, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacerdos legales claves habuerit. 705
2. Utrum Christus clavem habuerit. 706
3. Utrum soli sacerdotes claves habeant. 706
4. Utrum sancti homines non sacerdotes habeant claves, vel aliquem earum usum. 706
5. Utrum mali sacerdotes usum clavium habeant 709
6. Utrum Schismatici, Haeretici, excommunicati, suspensi et degradati usum clavium habeant. 711
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. quæst. 109.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex præced. art. appositae. 712

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA,

De his in quos usus clavium exerceri potest, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacerdos possit uti clave, quam habet, in quemlibet hominem. . . 720
2. Utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere. 722
3. Utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem. 723
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced quaest. 110.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 725

QUAESTIO CENTESIMA UNDECIMA,

De excommunicationis definitione, congruitate, et causa, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum definitio excommunicationis sit conveniens. 728
2. Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare. 731
3. Utrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari. . . . 732
4. Utrum excommunicatio injuste lata, aliquem effectum habeat. 733
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 111.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 734

QUAESTIO CENTESIMA DUODECIMA.

De his qui possunt excommunicare, et excommunicari, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum quilibet sacerdos possit excommunicare. 740
2. Utrum non sacerdotes excommunicare possint. 741
3. Utrum excommunicatus vel suspensus, possit alium excommunicare . . . 741
4. Utrum aliquis possit se ipsum, vel oequalem, vel superiorem excommunicare. 742
5. Utrum in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit. . 743
6. Utrum ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari possit. . 744
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 112.ª, seu appendices. Fr. S. C. á Porrecta. ad sex praeced. art. appositae. 745

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA TERTIA,

De participatione cum excommunicatis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum liceat excommunicato communicare in pure corporalibus. . . . 749
2. Utrum participans excommunicato, sit excommunicatus. 751
3. Utrum participare cum excommunicato in casibus non concessis, semper sit peccatum mortale. 751
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 113.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 753

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA QUARTA,

De absolutione ab excommunicatione, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere. 757
2. Urum aliquis possit absolvi ab excommunicatione invitus. 759
3. Utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus. 759
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 114.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad tres præc. art. appositæ.. 760

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA QUINTA,

De indulgentia secundum se, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per indulgentiam possit aliquid remitt de pœna satisfactoria. . . 765
2. Utrum indulgentia tantum valeant, quantum pironunciantur. 767
3. Utrum pro temporali subsidio debeat fieri indulgentia. 770
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 115.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 770

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA SEXTA,

De his qui possunt indulgentias facere, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacerdos parochialis possit indulgentias dare. 774
2. Utrum Diaconus, vel alius non sacerdos, possit concedere indulgentias. . . 776
3. Utrum Episcopus possit indulgentias concedere. 777

4. Utrum ille qui est in peccato mortali, possit concedere indulgentias. . . . 777
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced quaest. 116.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 778

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA SEPTIMA,

De his quibus valent indulgentiæ, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali. 783
2. Utrum indulgentiae valeant religiosis 783
3. Utrum ei qui non facit illud, pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari. 784
4. Utrum indulgentia valeat ei qui eam facit. 785
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 117.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 786

QUAESTIO CENTESIMA DECIMA OCTAVA,

De solemni ritu pœnitentiæ, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum aliqua poenitentia debeat publicari, vel solemnizari. 789
2. Utrum solemnis poenitentia iterari possit 790
3. Utrum poenitentia solemnis possit á quolibet sacerdote imponi. 790
4. Utrum solemnis poenitentia sit imponenda mulieribus. 791
5. Utrum solemnis poenitentia debeat clerico imponi. 791
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 118.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 792

FINIS INDICIS TOMI DECIMI.

208.8
M 469
26420

AUTHOR MEDICI, HIERONIMUS, de

TITLE Summae Theologicae S. Thomae Aquin. Formalis Explicatio
Tome 10
Continens tertiae partis secundum
volumen

DATE LOANED
BORROWER'S NAME
Newport SEP 23
[redacted]

26420